R. P.

CHRISTOPHORI DE VEGA

SOCIET. IESV,

Theologiæ Marianæ

PARS PRIOR.

EST ENIM In ea SPIRITUS Subtilis. Sap. 7.

SCIT Dissolutiones argumentorum Sap. 8

THEOLOGIA MARIANA

Hoc est Certamina Litteraria de

BEATISSIMA VIRGINE DEI GENITRICE MARIA

Quę tam apud Theologos Scholastici pulueris, quam apud Sacrorum Voluminum Interpretes Exagitari solent.

Opus Verbi Diuini Pręconibus perutile.

AVTHORE R.P. PATRE CHRISTOPHORO DE VEGA

Tubalensi ex Aragoniæ Prouincia Societatis Iesu Theologiæ quon- dam Professore

LVGDVNI

sumpt. Philp. Bo[r]

L. Arnaud et Cl. Rigaud 165[3]

EXCELLENTISSIMO DOMINO, PARITER ac litteratißimo Principi

D. D. FRANCISCO A CASTRO, ANDRADE, LIGNANI, ET GATINARA,

Comiti de Lemos, Marchioni de Sarria, Comiti de Andrade, Vıllalua & Castro. Duci de Taurızano, &c. Regni Galletiani Archidoriphoro. Commendatario de Hornachos, S. IACOBI stemmate insignito. Meritıßmo Aragonum Proregi.

HEMISTIVS aurei sæculi floridissimum germen, Attici cœli splendor eximius meritò censuit, triumphali dumtaxat corona tempora Principum cohonestanda;nec gratius obsequium reperiri, quam regio hoc munere supremam illorum Maiestatem venerari. Quapropter magni Constantini Imperatoris beneuolentiam omnino complexurus, ex

pulcherrimis Sapientiæ floribus immarcessibilem attexuit coronam, quam fiducia plenus Augustissimum Orbis Principem animosus adiuit; tantaque illum benignitate excepit, vt glorioso fælicitatis pondere oppressus, altius assurgere sibi adinaton videretur. Mirum, quantam voluptatem animo Augusto pepererit, quam suauissimos odores omnigena florum varietas effuderit; adeoque fuit illi in deliciis, vt solius Philosophi munus omnibus præferendum sapiens Imperator censuerit. Themistius præ nimio gaudio affectus, nihil aliud ardentius desiderare potuisset; votique sui compos abiens maiestatem Sapientiæ in solio, ac apice Imperatorio collocauit, & tanto aliorum munificentiam antecessit, quanto fortunæ bonis, Mineruæ munera præstant; quo sacræ Purpuræ benignum implorauit affectum, & potentissimum subornauit Patrocinium. Fuit profecto, fuit non exigua huius Philosophi fœlicitas, habuisse cui præstaret obsequium, & à quo speraret patrocinium, inuictissimum Imperatorem Constantinum. Verum enimuero suam illi fœlicem fortunam nihil est quod inuideam, gaudens mihi non imparem contigisse, dum TE PRINCIPEM eximium Heroum Decus, gloriosum sortitus Patronum, cui coronam, ac sertum ad pulchritudinem longe floridius, ad venustatem gratius, ad pretium dignius, ad Doctrinam maius, perennius denique ad diuturnitatem, lubentiùs consecrarem: Virgineos collegi flores, quos in coronam attexere libuit, vt tanto fastigio dignissimum munus appareret. Verba S. Cyril. Alex. lib. aduersus Iulianum, ad Theodosium Imperatorem, pro meis vsurpo, & in te deflecto. *Igitur*, ô Princeps maxime, *dum vobis alij exhibent victorias, coronas, gratulatoriasque voces, & alia quibus Principis potentia vere honoratur: Nostri, qui diuino fungimur Sacerdotio, muneris fuerit, offerre libros, ad diuinam potissimum gloriam, & Dei Genitricis Mariæ laudem, ac honorem compositos.* Hortum Conclusum aperire cælestis Hortulanus indulsit, vt legerem flores, quibus TE, inter Deiparæ cultores omnium Principem coronarem. Pietatem tuam respexi, vt hac sacrata tessera gratum beneuolentiæ cultum auspicarer. Ad te mitto munusculum Mariano Nomine inscriptum, argumenti fiducia maximum, Cordi tuo Virgineo amore æstuanti iocundissimum; aliter Virgo ipsa meritò mihi succenseret, si alterius patrocinium quæsiissem: nam à teneris annis totum tibi exhausit affectum, vt eius honoribus vigilantissimus incumberes, omniumque corda cælesti hoc igne inflammares. In TE adumbratum contemplor, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, primi Custodem Paradisi Cherubinum, & sacra virtutum decora, quæ in illo mirabiliter illuxere, in TE pariter illustrata coloribus admiror. Fateor illum TIBI eripuisse, ne primus esses; sed contendo, TE illi eripuisse, ne

Cyrill. Alex.

ne foret solus: imo si non ægre ferret egregia tua nobilitas, ac modestia, alterius detrahi honori, TE superiorem illo, nec immeritò suspicarer. Nam ille paradisus, cuius illi indicta custodia, Virginis Dei Genitricis dumtaxat vmbra magno videtur Ambrosio; illius flores quotidianum mortis ludibrium; Virginei verò Paradisi lucida sydera fœcundissimo diuini Solis micantia: Paradisus ille ad hominis voluptatem in lucem editus; Marianus vero diuinis parabatur amoribus, ac deliciis: quam fœlices gratiæ inundationes, tempestates spiritus pretiosæ, stellati axis copiosa fluenta, cælestibus donis certatim cumulauere. Præstantior ergo TIBI contigit Paradisus; quid mirum TE fœliciorem Cherubino prædicem? Nobilior adest illi natura, fateor; sed eximia tua Virtus, & Sapientia humanitatis metas transgrediens, TE in tam sublime culmen euexit, vt pari honore dignissimus viderere. Sed quia vereor ne adulationis vitio insimuler, immensum tuarum virtutum campum ingredi cogor; æquum enim est, vt aliquando pro se ipsa pugnet Virtus, secura semper victoriæ. Floriferis vt apes in saltibus omnia libant, fragrantiores equidem delibabo tuæ Pietatis violas, tuæ Humanitatis rosas, tuæ Nobilitatis lilia, Ingenij tui hyacinthós, ac reliquos animi tui flores Virgineo rore vernantes, quorum tantus decor, tantaque pulchritudo, vt parum abfuerit, vt eos nec leui manu contingere auderem; sed represi pudorem, & de silentio surgere decreui, sciens Te proprias iniurias libentissime condonare. Non minus attendam, quid aures tuæ sufferre possint, quàm quid virtutibus debeatur. Clarissimi tui stemmatis originem persequi timeo, cum & ipsum tempus illius immemor omnino sit: sed Cassiodoro teste, nulla in hac re fides maior, quàm fide carere temporis; & quò occultior origo, augustior fuit posteritas. Lemensium Comitum generosa Prosapia, Nobilitatis sedes, & robur Hispanici sanguinis celebratur, assueta diù gemmeas induere Coronas, Purpuras regales ostendere, sceptra germinare, tantumque excreuit istius magnitudo, quanta habuit spatia crescendi. Totam sese in Hispanam intulit, & infudit Nobilitatem, adeo vt nulla magni Nominis in Hispania Domus floreat, quæ cum hac Familia necessitudinem inire, mutuisque amplexibus illi inhærere, ipsius fulgoribus collustrari, vehementer non exambierit: vnde meritò queat gratulabunda Hispanorum Nobilitas faustum illud Insigne foribus vestris appendere: TE STANTE VIREBO. Sed ne notissimæ veritati longius quàm par est, insistere videamur; ad Te clarissimam generis propaginem, tempore vltimam, dignitate Primam venio; in quo omnes Maiores tuos gloriosius rediuiuos venerabor. Nec mirum, cum egregias virtutes, quæ in illis sparsæ micuere, omnium amore, & admiratione conciliaueris, tuoque animo æternùm duraturas insculpseris.

ris. Sed à qua initium ſumam, obruit namque ingenium materiæ fœcunditas, & geſtorum aggere fluxus orationis arctatur: ſi partem tacere velim, quodcumque relinquam maius erit: Inſignes adeo virtutes tuæ, vt illas mirari omnes, imitari pauci, habere TV, narrare nemo poſſit. Animum tamen indicabo, non ignorans omnem ingenij ſiue cultum, ſiue conatum faſtigio tuæ Dignitatis deuinci. TE ſequar ab ortu, vbi inſtar Solis ſuauiſſimos lucis radios effudiſti, quem ab ipſo partu fœliciſſimæ excepere virtutes, ſeniles mores ſuxit infantia, quos matura monſtrauit adoleſcentia; etſi adhuc annorum flore virebas, morum ſenectute canueras; & iuueniles animos ſtipendiis ſenectutis ornabas. Noueras illud prouerbio decantatum, generoſas plantas cum fructu prouenire in ardore fælici, quarum non ſolum ſummi apices panduntur in frondes, gemmant in flores, exuberant in fructus, ſed etiam totus hic vernantis anni apparatus prima pullulat à radice, ſublimis officina decoris: flores tui, flores honoris, & honeſtatis. Quare nihil mirum, ſi bonis omnibus in Te feſtinantibus, omnium animos rapueris; certatimque ad Te Magnorum præmia properarint. Mineruæ, ac Palladi admirabile tuum arriſit ingenium, & vt altius vtriuſque cordi inhæreret, Te Sapientiæ lacte nutrierunt: mirum quàm celeri curſu, ſeu præpeti potius volatu ad celſa Sapientiæ faſtigia conſcenderis, nobilemque naturam aureo ſcientiarum penicillo depinxeris, vt breui temporis interuallo Nobilitas cum ſapientia, ſanguinis ſplendor cum omnigena eruditione de primatu iure contenderent. Nuſquam largius voluptati indulgebas, quàm cum libros volutabas: primæ Tuæ mentis deliciæ Sapientium intereſſe coronæ, illorum familiaritatem ambire, vt ab illis addiſceres quidquid poſſet nobile, ac docile tuum ingenium clarius illuſtrare; adeoque mentis tuæ perſpicacia excreuit, vt ſcientias, quæ in plures diuiſæ, ſingulæ multos ornarent, amico fœdere copulatas tecum æternùm victuras ſuſpiciant omnes, Teque quolibet elogio Maiorem ſapientiſſimi Doctores venerentur: & quod magnum in tanta fœlicitate videri debet, in omnibus adeo nobiles edidiſſe progreſſus, vt in qualibet illarum omnium Maximus videaris. Grauiſſimas teſtor Academias clariſſimo tuæ Sapientiæ iubare circumfuſas. Quoties Te meruere docentem? Quas retuliſti victorias, cum prælia mentis agebas: cum in Theologico puluere decertabas? Qua dexteritate acutiſſima argumentorum tela contorquebas? Rationum pondera librabas? Quoties Tibi ſapientiſſimi Doctores palmam dedêre? & licet in eiuſmodi litteraria palæſtra à Te deuicti, non tamen illis ſua defuit Victoria. Nam tecum pugnando, vinci, glorioſum triumphandi genus eſt. Vendica Tibi hanc laudem, hanc gloriam Tibi arroga, inter Hiſpanos Principes Phœnix, inter ſapientiſſimos Doctores Princeps.

ceps. Vtinam tanto exemplo pleraque Nobilitas altius se erigeret litterarum eruditione Nobilitatis suæ magnitudinem superatura. Alij tuum Genus,& reliqua, quæ in hominum oculos incurrunt,iactent, & suspiciant: Equidem Ingenium tuum doctrina, & omnigena eruditione excultum nunquam satis celebrabo.

Quare transeat iam admiratio ad venustissimum tuarum Virtutum viridarium, Tuisque Te coloribus depingere, atque egregias tuas Virtutes, velut Astra cœlo inserere ambiat oratio, tanto licèt impar oneri. Vigent namque in Te geminatæ naturæ, & gratiæ dotes, cum Maiestate humanitas, cum hilaritate seueritas, cum florido ingenio maturitas, cum potestate modestia; plenum gratiis pectus tuum, vt in Te gloriæ materiam Virtus ipsa quæsiisse videatur. Quàm insignis in Deum Pietas? Quæ Religio? Quæ diuinarum legum obseruantia iam inde in Te ab ineunte ætate inoleuit? Quantus Te virtutis amor ab adolescentia vrgebat? Arrogantia, quæ celsa Fastigia nimium occupare solet, Te vt infensissimum hostem semper exhorruit, in æternum exilium à tuo animo abire coacta. Iracundia in tuo pectore penitus consopita. Regia tua benignitas, suaue animorum illicium, amabile tuæ fœlicitatis ornamentum. Quid plura; Virtus tecum nata est, hæc tecum adoleuit, hæc tandem tecum ad plurimos annos consenescet. His moribus in Palatio, tanquam in Cœnobio enutritus mirabiliter floruisti, nihilo impar Dauidi, de quo Chrysost. *In purpura,* inquit, *& diademate, Monachorum vitam transcendebat.* Talem, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, vitam instituis, fortunæ opulentiâ cum summis Principibus conferendus; modestia, pietate, ac religione ipsis Monachis præferendus. Augustissimum renouas Theodosium, qui, Authore Socrate lib.7. Hist. cap.22. Palatium sic disposuit, vt haud alienum esset à Monasterio. In tuo primas tenet Pietas, Religio ducit chorum, Fides, Iustitia, Veritas, Concordia, cæteræque virtutes quoddam veluti Sacrarium architectantur. Quis Te in pauperes liberalior? Tuas obliuisceris opes, vt egentium inopiam recorderis; voluptatibus Te negas, vt miserorum molestias leues. Quis in subditos mitior? voluntatibus, animisque potius, quàm fortunis dominaris! Totus fluere in tuorum beneficia videris. Quis in Religiosos officiosior? Nullus profecto reperietur Ordo, in quo non appareant tuæ liberalitatis insignia, marmore, & ære perennanda. Vnde tuæ laudis præconia, non solum Hispaniam impleuerunt, sed etiam exterorum animos occuparunt. Ad Philippi IV. Aulam aduenisti vocatus, vt Dynastarum Decus, sapientiæ Maiestas rara virtutis gloria splendidius coruscarent; & in illo Nobilium splendore nobiliùs emineres. Animi tui generosa vis, velut suauissima flamma Catholici Regis pectus ita corripuit, vt Te Prin-

Chrysost.

Socrat.

cipis

cipis gratia, & fauore digniſſimum, omnium plauſibus cenſeret: ampliſſimos Tibi honores conferre in votis erat, ſed Te abſentem deſiderare recuſabat amor, detrectabat affectus. Verebatur ne tanti Solis iubare priuata ſedes Imperij noctis mœrorem pateretur; nam vbicumque ades, oreris, & diem tecum vehis. Tandem Prudentiſſimus Rex iniuriam inferre virtuti formidans, ipſiuſque querelas præcidere cupiens, quæ Te in exemplar imperandi edidit, florentiſsimo Aragonum regno libentiſsime præfecit, vt placidum veluti Sydus inter decumanos fluctus affulgeres, illoſque placida tua indole ſedares; illorumque animos, Rege abeunte, mœrore plenos recreares. Leuamen dulce doloris, vultus vbi tuus affulſit regno, tamque fœliciter reſpirauit, vt non ſolum ſe in priſtinum, ſed etiam beatiorem in ſtatum reſtitutum exiſtimarit. Te veniente creuit in ciuibus concordia, in militibus robur, & ardor militaris; in Magiſtratibus æquitas, in moribus obſeruantia. Ante omnia illud animo ſtatuiſti, maiorem ſine faſtu dignitatem eſſe, Ciuem Te eſſe cum ciuibus imperas, & faſcibus ſtiparis; nam qui ſupercilium attollit, & vultum ſuperbus exaſperat, dignitatem ſuam intelligere nequaquam videtur, cum amari poſſit, timeri mauult, ignorans amari, coli, ac diligi maius imperio eſſe. Humanitate tua ſubditorum corda rapuiſti, & maior effectus honoribus, virtutum ſuffragio omnium Pater, ac Dominus reputaris. Iuſtitia, Dextera Principum, imperium tuum mirifice exornauit, illius metas tibi ſerio præfixiſti, vltra quas nulla Te gratia ad veniam, nulla maleuolentia ad pœnam impulit: naturam libentius exueres, quàm Iuſtitiam; hæc, tui animi ſcopus, à quo nunquam, nec tranſuerſum vnguem aberraſti, in quam mentis oculos aſſidue defixiſti. Comitem habuit Iuſtitia, Clementiam, nam vt ſapienter docuit Ariſtoteles: Iuſtitia velut Sol regnum illuminat, Clementia, vt Luna, tenebris moderatur. Scitè, & verè dixit Auguſtus Imperator. *Clementiâ, & Iuſtitiâ Principes Dij fiunt.* Et melius Salomon Prouerb. 20. *Roboratur clementiâ Thronus Regis.* O quàm eminet in Te hæc regia Virtus, ex diuturna conſuetudine, benefacere vertiſti in naturam, immemor Tui, tuorum memor, vt omnium fœlicitati conſuleres: cogitationes omnes ad ſubditorum vtilitatem retuliſti; & tunc tuo muneri ſatisfeciſſe putaſti, cum nihil tui optarent, quod ipſe non largireris. Aduerſa fortuna laborantes ad Te confugerunt, quos ita beneuolè excepiſti, amicè tractaſti, vt in ſuo infortunio, ſe fœlices eſſe arbitrarentur. In Te miſeri leuamen, ſolatium perditi, omnes denique patrocinium inuenere. Iuſtitiam denique cum Clementia tanta dexteritate miſcuiſti, vt Iuſtitia Clementiam, Manſuetudo Iuſtitiam exornaret. Inhæſiſti veſtigiis Alphonſi laudatiſſimi Aragonum Regis, qui cum nimiæ Clementiæ moneretur:

Quid

Quid ergo, aiebat, *Vrsos, & Leones regnare vultis? malo plurimos mea benignitate seruare, quam paucos nimia seueritate pessum ire.* Quo facto fœliciter adeptus est, vt verecundiam peccandi ingereret ipsa Clementia regentis; adeo vt nullo vnquam tempore Aragonum regnum tanta virtutum vbertate floreret; pulcherrima, & dulcissima pax nunquam tam tuta, atque tranquilla consisteret, ita vt omnes sacrarum legum aureis catenis constricti viderentur. Tandem ausim dicere, nullum mortalium tam dulcem, ac mitem vni fuisse, quàm Tu omnibus. Quis Te in agendo benignior? In loquendo suauior ex refertissimo tuæ Sapientiæ alueario; nihil nisi mella fundis, & tuorum verborum illecebris omnium animos aucuparis, eosque qui Te audiunt non inuitos, sed spontaneos, & gaudentes arbitratu tuo moderaris. Taceo pietatem, in qua adeo excellis, vt melius quam Antoninus Pius hoc glorioso nomine gaudere possis. Non solum quotidie sacræ rei intereras, sed diebus singulis venerabile Eucharistiæ Sacramentum frequentabas, vnde ad actiones virtutum, & curas imperij hoc sacro igne inflammatus descendebas. O Pietas! ô Humanitas! Eloquar, an sileam admiranda posteris tuæ pietatis monumenta? Cùm Cæsarea-Augusta grauioribus oppressa morbis, grassante peste laboraret, in qua prius mori, quàm ægrotare vidisti plurimos: tunc Vrbs alto vulnere saucia ingemiscens, crebrisque calamitatum ictibus impetita, non virorum domicilium, sed commune mortuorum sepulchrum videbatur, vbique cædes, cadauera vbique in aceruos cumulabantur. Quæ calamitas illius lucis fuit? Vereor ne tanti mali vulnera recrudescant, dum tantorum vulnerum memoria refricatur. In tam calamitoso tempore quid ageret EXCELLENTISSIMVS PRINCEPS? abiret? excederet? salubriora loca capesseret? Posset quidem, sed propulsando incendio impauidus stetit, volens prius mortis subire discrimen, quàm suorum incolumitati deesse. Noueras non solum boni Principis esse, suos videre fælices, sed melioris etiam, inuisere laborantes. Ostendisti tuæ virtuti nihil arduum, animo difficile, labori nihil imperuium, nihil onerosum constantiæ fore, cum supra naturam fortis, supra imitationem eximius, supra inuidiam admirandus omnium voluptate floreres. Tacebo-ne non solum Te sapientiam, sed etiam clypeum Palladi arripuisse, clarissimis trophæis grauidum: Inuictum tibi robur natura concessit, quæ Te ad bellica negotia quàmaptissimum instruxit, adeo vt in frequentium bellorum confinio Aragoniæ regnum inconcusso dexteræ tuæ robore firmum, ac constans steterit, & hostilps pugnacissimarum gentium impetus tua virtute comprimeres. Confugit in sinum tuum mœrens Respub. ne grauissimo bellorum pondere laberetur, tuensque regni fines, hostesque deterrens,

Alphonsus Aragonum Rex.

Traiani

Plin. in Paneg. Traiani elogium Plinio abstulisti. *O veri Principis munus, tumentes populos, non imperio magis, quàm ratione compescere, & velocissimi Syderis more, omnia inuisere, omnia audire, & vndecumque inuocatum statim velut Numen adesse, & assistere.* Ac sicut maris, cœlique temperiem turbines, tempestatesque commendant; ita ad augendam imperij tui gratiam, hos tumultus contigisse crediderim.

Taceo iam reliqua, nam supra calamum volant, & vera bona ex se ipsis vocem emittunt, etiamsi sileant; nam nec Sol, nec Luna opus habent interprete, vt inquit Philo Iudæus. (Philo.) Ad Te rectà contendunt Mariani honores, Tuam Regiam ingreditur, nunquam egressura Virgo Deiparens, tali Hospite dignum eximia Te fecit Virtus, & ardor, quo sublimia Deiparæ præconia celebras; & inter Virginea decora, quod dulcius animo dominatur, cordi tenerius inhæret, est vtique illibatus Mariæ pudor, immaculatus decor. Hic votorum tessera, hic studiorum scopus, & tui sanguinis, si foret opus, nobile pretium. Castrorum acies ordinata tua generosa Progenies Virgineam Immunitatem ab originaria labe tuitura. Tu validissimi Ductor agminis. Nomini tuo responde, Teque ad victoriam accinge; nam in tam glorioso bello, moriar, si non vincis. Fortitudo, & decor indumentum eius, vt in ea confidat cor tuum. Princeps dilecte Deo, eiusque charissimæ Parēti, Tibi militat æther, animos erige, & Mariana trophæa gloriosissimè exalta, cum in Te vnum omnium Deiparæ Virginis Cultorum pietas, & ardor influxisse videatur. Eo maxime, quòd nulla victoria illustrior, nulla palma nobilior, quàm Candori Virgineo obiectam nubem penitus dissipasse. Quamobrem faustissimi ominis ergo, vt meos pariter, & Hispanorum omnium affectus, ac vota contestata redderem, has lûcubrationes meas, THEOLOGIAM MARIANAM, seu THEOTOCOLOGIAM titulo præmonstrantem, Excellentiæ Tuæ nuncupare semper in votis habui, vt scriptam foueas, quam viuam refers, & suspicis. Ergo tuum est Opus, tuum agnosce, tuum complectere, hilari fronte suscipe, patrocinio defende, maiestate nobilita. Nauigabit toto securum pelago, insultabit fluctibus, procellas irridebit, Syrtes despiciet, naufragia non formidabit. Eo solo nomine, vt spero, Tibi placiturum opus, quia de B. Virgine Dei Genitrice, & quia à Societate effluxit, quam semper singulari beneuolentia, & beneficentia prosequeris. Faustissima viue sæcula, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, Nobilium decus, Hispaniæ columen, virtutis exemplar; Cui Lysiadum Musa melius mecum pepigisset.

Quas cupijt proprias Generoso in Principe dotes,
In Cyro Xenophon finxit inesse suo.

Si

Si Te vidisset regnantem, & sceptra tenentem,
Diceret, effigiem Principis esse sui.
Ora fides, mentem constantia, pectus honorat
Candor, labra lepor, Regia forma genas.
Te Pietas Agnum, Virtus quassata Leonem,
Te bellum Martem, pax facit alma Numam.
Seu Te de Cœlo miserunt Numina, seu Te
Ars tua formauit, fama perennis erit.
Inuideas nulli fœlix Aragonia Regno:
Inuideant Comitem cætera Regna tibi.
Sume animos FRANCISCE nouos, Tibi militat Æther,
Astrorum DOMINAM cum super astra vehis.
Plus in Te haud posco, tantum desidero, PRINCEPS,
Tot bona sint votis & diuturna meis.

EXCELLENTIÆ TVÆ,

Addictissimus seruus,

CHRISTOPHORVS DE VEGA.

Censura, & Approbatio

REVERENDISSIMI P. Fr. LVYSII A VALENTIA, Ordinis strictioris S. Francisci Capuccinorum, Ministri Prouincialis semel, & iterum Prouinciæ sanguinis Christi in Regnis Valentiæ, ac Murciæ, Artium liberalium Magistri, sanctæ Theologiæ Professoris, & Lectoris iubilati, ac apud vtriusque Coronæ Senatus integerrimos, Consultoris, & Qualificatoris Propositionum Fidei.

ENSORIA framea, ex præscripto Illustrissimi, & Reuerendissimi Domini D. Hyacinthi Minuarte Episcopi Maronensis Vicarij Generalis pro Illustrissimo, & Excellentissimo Domino, Domino meo D. Fr. Petro de Vrbina, Dei, ac Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopo Valentino, Regis Magni Catholici Consiliario, eiusque dudum in Valentinorum Regno Prorege, & Capitaneo Generali; (fœlici fortuna fateor, sed operis non exigui, Halicarnassæi iudicio: *Ingens sane est, non iuuenibus modo, sed & senibus, in iudicandis aliorum scriptis periculum. Parandæ enim opinionis scientiæ gratia, variè, & temerè laudamus, quæ in manus nostras venerunt, & vituperamus.* Ita ille in princip. de orat. examin.) Mihi commissa, in præclarissimum opus, *Theologia Mariana*; hoc est, Certamina litteraria de *Beatissima Virgine Dei Genitrice Maria*: Authore Admodum Reuerendo Patre, Religiosissimo, ac Sapientissimo pariter Theologiæ Professore, Christophoro de Vega, sacerrimi, & clarissimi Ordinis Societatis IESV, inscriptum. Illud dum euolui, & tam vasti, feracissimi, ac frugiferi delitias introspexi Campi, eius amœna inuisi Vireta, in eoque meliori Eden, Deiparentis perpetuò Immaculatæ Paradisum, delitium Dei, Trinitatis requiem, adeo perbellè, & industriè exornatum, vndequaque absolutissimum ostendi; in sui admirationem, ac iucunditatem me rapuit. Cogitatione versabam, de hoc florido, & perpolito nemore, de hoc opere inter Mariana primario, satis floride effatum à Nazianzeno: *Vnum Ver inter anni partes, vnus Sol inter sydera, vnum cælum omnia complexu suo coërcens: ita vnus hic liber de omnibus triumphat; si modo satis ego sim, qui de huiusmodi opera iudicium feram; nec mihi amor imposturam faciat.* Epist. 10. ad Magnum Basil. Meditabar inde traditum mihi Censorium Gladium, etsi Cherubico Flammeo similem, Gen. 3. v. 24. & versatilem; non illi adsimilem in eo quòd in omnes se versanti partes, eos feriret, qui ingredi tentarent Paradisum, eius aditum præcludenti; ita splendenti, & exacuto, vt euibratus flammas euomere videretur. Sed vt pro fausto, & opimo campo, seu Vega, eiusque Mariano Topiario, ac Paradiso præsto sit, eiusque flammis, haud dumtaxat abigar neminem, imo cunctos, veluti signo flammeo erecto accersar. Ni dicam illius, vt pote versatilis speciem referre; quippe ita nuncupati, quia inde remoueri potuisset, vt placuit Magno Gregorio, & Tuiciensi Abbati: idque facto euenisse vidit Strabo. Sentio ergo huius celeberrimi operis cuncta, Encomiasten potius, quam Censorem, Panegyrim imo, quam censuram iudicio repetere; & vt framea in scurum, Acies in propugnationem vertatur. Plaga huius amplissimi Campi, Augusta, & sacra Societas Iesu, (sub cuius vexillo, etsi nomen

Halicarn.

Nazianz.

Gen. 3. v. 24.

non

non dederim, ab incunabilis fere animum tradidi.) Orientalis est, vt ille situs Eden consiti Paradisi, ad terram habito respectu promissam. Quæ à Solis Iesu iubare primo, & maxime illustratur; de qua adlocutus Magnus ita videtur Cassiodorus. *Ornamentum est Ordinum cæterorum. Recipiat alius Ordo fortè mediocres: Senatus respuit eximie non probatos.* lib. I. epist. 13. & 41. De eiusque Alumnis fortunatis, Cæsarius Nazianzeni frater visus est mihi prædixisse. *Totum mundum suaui odoris fragrantia replent. Qui & splendore suo Firmamenti luminaria vincunt, & vitæ sermonem continent. Quorum elychnion nunquam decidit, & lucerna non comminuitur, & oleum non absumitur, & lampas non quassatur, & flamma non extinguitur.* Dial. I. Quid de vberrimo, ac voluptuario Campo altero Eden. Gen. 2. v. 8. (quem proprij situs nomen, non delitij, cum aliis Eminentissimus esse testatur Caietanus.) Proloquar? Plantauerat in Eden Dominus Paradisum voluptatis, hominis topiariū, delitiarum locum, omni perfectione absolutum. Hic nouus Eden est, quem animatum Deiparę paradisum, Verbi diuini sacrarium, Trinitatis requiem, omnium cælestium donorum thesauro, à primo productionis suæ momento exornatum, ad vsque suprema Gloriæ corona redimitum, Christiferam Christophorus fœliciter eximio depingit artificio. De quo Plinius iunior. *Disputat subtiliter, grauiter, ornate, sermone copiosus, & varius, dulcis in primis, & qui repugnantes quoque ducat, impellat.* lib. I. epist. 10. in Scholastico puluere, & expositiua Palæstra inuictus Athleta, vtrumque affabre connectens. In coucionatoribus cōceptibus, Oratoribus sacris proficuis, mirabiliter excultus: in omni Philosophia, iuribus Pontificio, ac Cæsareo doctus. Litterarum Humaniorum, imo in omni litteratura strenuus, maiestatem orationis præseferens, quandoque poëticas amœnitates redolens; dulci verborum lenocinio pellicens: sententiarum flosculis alliciens, rationum pondere, & grauitate in suam sententiam pertrahens. Et tandem omnium scientiarum Encyclopedia ornatus, vt qua in parte maiorem sit laudem adeptus, ambigam. De illo cum Emisseno adstruo. *Sic in se excoluit gratiam, (& scientiam subiungo) vnamquamque, quasi solam, pauci sic tenuerunt singulas, quo modo ille in se expleuit vniuersas.* Eusebius Emiss. de suo Max. Gaudeat ergo suus Sacer Ordo nouo gnato tanto. Ciuitas perillustris, & inclyta Valentina tali cliente (iam nato) florescens. De qua Roma secunda, quod de prima habeo testatum à iuniore Plinio. *Si quando Vrbs nostra liberalibus studijs floruit, nunc maxime floret, multa, claraque exempla sunt: sufficit nobis vnum, Euphrates Philosophus.* lib. 5. epist. 10. Vnus nobis sufficit Christophorus de Vega; cuius summa parcat modestia Synnesio, quasi ei vaticinio alloquenti: *Longa te, & fœlix senectus maneat, vir Sapientissime. Nam & alioqui ingens vita tua tuorum eris superstes; & maxima schola Christi accessio solemnium librorum numerus vnà cum annis excrescens. Nam qui hocce anno missus est liber, & voluptate Ciuitates affecit, & profuit; hoc quidem sententiarum grauitate, illud vero suauitate verborum.* epist. 9. *Verum vt aiebat Symmachus lib. 3. epist. 48. superuacanei laboris est commendare conspicuos, vt si in Sole positis facem præferas.* Præcipue vbi cuiuslibet protensi præconij ornatus obnitatur, concisè restrictum euadere est necesse. Censeo igitur breui, cum fide orthodoxa, honestisque moribus apprime in omnibus hoc opus concinere; & mire pietatem in Augustam Deiparam semper immaculatam promouere; dignumque esse, vt in lucem prodeat; imo quod nouam per ipsum Ecclesiæ lucem dedat; omnium teneatur manibus, cunctorumque linguis celebretur. Valentiæ in hoc Conuentu sanguinis Christi Capucinorum septimo Kalendas Februarij anni Domini M. DC. LIII.

Cassiod. Cæsarius. Gen. 2. 8. Plinius. Iunior. Euseb. Emiss. Plin. Iun. Synnes. Symmac.

Fr. Lvysivs a Valentia.

FACVLTAS PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV Prouinciæ Aragoniæ.

EGO FRANCISCVS FRANCO Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Aragoniæ, poteſtate ad hoc mihi factâ à Reuerendo admodùm Patre Goſſvvino Nikel Generali Præpoſito noſtræ Societatis, facultatem concedo, vt Tomus inſcriptus, *Theologia Mariana, hoc eſt, Certamina litteraria de Beatiſſima Virgine Dei Genitrice Maria, quæ tam apud Theologos Scholaſtici pulueris, quàm ſacrorum Voluminum Interpretes exagitari ſolent*, à Reuerendo P. Chriſtophoro de Vega Tubalenſi ex hac noſtra Prouincia Theologiæ quondam Profeſſore compoſitus, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque virorum iudiciò examinatus, & approbatus; Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas dedimus Cæſar-auguſtæ die 2. Iulij anno Domini 1652.

FRANCISCVS FRANCO.

APPRO

APPROBATIO THEOLOGORVM.

OPus *Theologia Mariana* R. P. Christophori à Vega ex nostra Societate, adeò accuratè rerum ad Magnam Matrem attinentium discussionem stylo Scholastico expressam, & multiplici eruditione amœnatam exhibet, vt sit cur gratuletur sibi Author; quod iis sit iure annumerandus, de quibus ex persona Deiparæ dictum est, *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Est opus doctum, ac solidum, & vsquequaque nitens, ac proinde luce dignum. Ita censuimus adscripti ex eadem Societate Theologi. Lugduni die 3. Februarij 1654.

THEOPHILVS RAYNAVDVS.

ANDREAS ÇADIER.

Facultas R. P. Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi.

EGo PAVLVS DE BARRI, Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 10. Februarij 1611. & Ludouico XIV. 23. Decembris 1650. concessum, quo Bibliopolis omnibus sui Regni prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos absque Superiorum eius permissione imprimant; Permitto Philippo Borde, Laurentio Arnaud, & Claudio Rigaud, Bibliopolis Lugdun. vt Librum, *Theologia Mariana R. P. Christophori à Vega nostræ Societatis Theologi*, inscriptum, imprimere ac liberè diuendere possint ad decennium. Datum Massiliæ die 10. Februarij 1654.

PAVLVS DE BARRI.

IMPRIMENDI FACVLTAS.

QVum nihil contra fidem & bonos mores inuenimus in *Theologia Mariana* R. P. Christophori de Vega Societatis IESV Presbyteri, non imus inficias, immò libentissimè dari publico assentimur. Lugduni die 6. Febr. 1654.

DE-VILLE, *Prouic. Generalis.*

Consensus Aduocati Regij.

VIsis Superioribus Approbationibus, librum hunc *Theologia Mariana R. P. Christophori à Vega Societ. IESV* inscriptum, Typis mandari, & in lucem edi sumptibus Philippi Borde, Laurentij Arnaud, & Claudij Rigaud Bibliopolarum Lugdunensium, Ego Regis Consiliarius & Aduocatus in Lugdunensi Præfectura non impedio: Lugduni die sexta Februarij 1654.

BOLLIOVD MERMEL.

PERMISSIO.

VIso Aduocati Regij consensu, fiat vt petitur; & ne quis vltra concessam facultatem denuò excudat hunc librum prohibemus. Datum Lugduni dicta die sexta Februarij 1654.

SEVE.

TOTIVS OPERIS IDEA
IN DVAS PARTES DISTRIBVTI.
PARS PRIOR EXHIBETVR.

Certamen

Pars posterior hinc ducit initium.

Certamen

Certamen

SYLLA

SYLLABVS LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

VETVS TESTAMENTVM.

Ex Genesi.

Ex Iosue.

Ex lib. Iudicum.

Ex Ruth.

Ex lib. 1. Regum.

Ex lib. 2. Regum.

Ex lib. 3. Regum.

Ex lib. 4. Regum.

Ex lib. 1. Paralipomenon.

Ex lib. 2. Paralipomenon.

8. *Filiam*

8. *Filiam verò Pharaonis transtulit de ciuitate Dauid in domum, quam ædificauerat.* num.1888

Ex lib. Tobiæ.

CAP.8. *Tu scis, quia non luxuriæ causâ accipio sororem meam.* n.926

Ex lib. Iudith.

CAP.8. *Neque erat, qui loqueretur de ea verbum malum.* num.891

9. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labijs charitatis meæ.* n.1067

15. *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus, & virginibus, & iuuenibus in organis, & citharis.* n.1739

Ex lib. Esther.

CAP. 1. *Posuit diadema regni super caput eius, & voluit eam esse Reginam.* n.1867

2. *Mardochæus manebat ad ianuam Regis.* n.238

15. *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* n.324

Ex lib. Iob.

CAP.1. *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* n.571

Tonso capite corruens in terram. n.1037

Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc. num.1428

Egressus Satan à facie Domini. n.1855

3. *Incuruantur, qui portant orbem.* n. 1112

Expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ. n.1137

4. *Cæli non sunt mundi in conspectu eius, & in Angelis suis reperit prauitatem.* n.230

7. *Nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam.* n.1816

14. *Nemo mundus à sorde.* n.324

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? n.446

19. *Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.* n.1202

25. *Stellæ non sunt mundæ in conspectu eius.* n.570

28. *Nescit homo pretium eius.* n.1817

33. *Quando irruit sopor super homines, & in lectulo dormiunt, tunc aperit aures virorum, & erudiens eos instruit disciplinâ.* n.1682

38. *Vbi eras, cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei.* num. 1527.

Nunquid ostendisti auroræ locum suum. n.1866.

40. *Nunquid extrahere potes Leuiathan hamo* n.1371.

Ecce absorbebit fluuium, & non mirabitur. n. 1491

42. *Iob. seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam.* n.1676

Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te. n.779. & 1359

Ex Psalmis.

PSALM. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* num.1419

Et populi meditati sunt inania. n.1

4. *In pace in id ipsum dormiam & requiescam: quoniam tu domine singulariter in spe constituisti me.* n.1711

8. *Videbunt iusti & timebunt.* n.1352

9. *Præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* n.1213

13. *Omnes declinauerunt.* n.559

15. *Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea; insuper & caro mea requiescet in spe.* n.1711

Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. n.84

16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* num. 1879

17. *Ait Dauid in titulo huius psalmi: In die qua liberauit eum Dominus de manu inimicorum.* n.315

Posuit tenebras latibulum suum. n.1592

Ascendit fumus in ira eius. n. 1292

18. *Dies diei eructat verbum.* num. 1792. & 1803.

In sole posuit tabernaculum suum, exultauit vt Gigas ad currendam viam suam. num.1378.

Si mei non fuerint Dominati, tunc immaculatus ero. n.1480

19. *Pluit illis Manna ad manducandum.* num. 1488

20. *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* n.215

21. *Cor meum tanquam cera liquescens.* num. 1317.

Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre. n.94. 854. & 1783.

Ego autem sum vermis & non homo. n. 1409

22. *Parasti in conspectu meo mensam aduersùs eos qui tribulant me.* n.1480

Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. n.123

23. *Quis est iste Rex gloriæ?* n.1879

Dominus fortis & potens. ibidem.

26. *In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.* nùm. 1661

32. *Misericordia Domini plena est terra.* num. 1292.

33. *In lumine tuo videbimus lumen.* num. n.1863.

35. *Domine in cælo misericordia tua.* num. 1292.

Imper

Ex Prouerbiis Salomonis.

Ex Ecclesiaste.

Ex Canticis.

Tigna

Ex lib. Sapientiæ.

Ex Eccleſiaſtico.

Ex Isaia.

Audite me qui sequimini quod iustum est, &c. attendite ad petram vnde excisi estis, & ad Cauernam laci de qua præcisi estis, attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram quæ peperit vos. num.253.
16. *Emitte agnum dominatorem terræ de petra deserti.* num. 1294.
Ini consilium, seu coge consilium. n.1366.
Ardens furor eius labia eius repleta sunt indignatione, & lingua eius quasi ignis deuorans, spiritus eius velut torrens inundans. n.1292.
33. *Dominus Index noster, legifer noster, Dominus Rex noster.* n. 1638.
40. *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion.* num.1343.
41. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* n.1005.
46. *Ego sum Deus, non est vltrà Deus, nec est similis mei: annuncians ab exordio nouissimum, & ab initio quæ nondum facta sunt.* n.1005.
53. *Ascendit sicut virgultum, & sicut radix de terra sitienti.* n.1409.
54. *Ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in Sapphiris.* n. 656.
55. *Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum.* n. 1093.
Omnes sitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite, venite, & emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac. n.1724.
60. *Mammilla Regum lactaberis.* n.1476.
61. *Indumento Iustitiæ circundedit me.* n.1339.
62. *Sed Vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata.* num.1315.
Et vocabitur tibi nomem quod os Domini nominauit. num.1397.
Vocaberis voluntas mea. n 11.& 1802.
63. *Obliuioni traditæ sunt angustiæ priores & absconditæ sunt ab oculis nostris, & non erunt in memoria priora.* num.887.
Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum. num. 1201 & n776.
Quis est iste qui venit de Edon, tinctis vestibus de Bozra, formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ. n. 879.
64. *Ecce iratus es, non est qui consurgat, & teneat te.* num.1790.

Ex Ieremia.

CAP. 1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te.* num. 644.
Virgam vigilantem ego video. n.....
3. *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ.* num.1327.

7. *Et Mulieres conspergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cæli.* num.216.
17. *Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? ego Dominus scrutans cor.* num. 1011.
31. *Creauit Dominus nouum super terram, fœmina circumdabit virum.* n.57.1800.1168. & 1229.
33. *Si irritum potest fieri pactum meum cum die & cum nocte.* num. 140.
46. *Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt.* n.1305.

Ex Threnis.

CAP. vlt. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos.* num.1677.

Ex Baruch.

CAP. 3. *In terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* n.1275.
D. Indue te decore & honore. num.1119.

Ex Ezechiele.

CAP. 1. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* num.52.
Apparuit rota vna super terram. num.1315.
9. *Signa Thau in frontibus virorum gementium* num.127.
18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius,* num.887.
21. *Gladius exacutus est, & limatus est.* num. 1070.
24. *Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per illam.* num.1409.
27. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore.* n.1529.
43. *Ecce gloria Dei Israël ingrediebatur per viam Orientalem, & terra splendebat à maiestate eius.* n 871.

Ex Daniele.

CAP. 3. *Ceciderunt in medio ignis ardentis colligati.* num. 1287.
Propter Abraham dilectum tuum, & propter Isaac sanctum tuum. num.1676.
4. *Ecce Arbor in medio terræ.* n.1397.
5. *In eadem hora apparuerunt digiti quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis aulæ regiæ, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis; tunc facies Regis commutata est.* num. 1120.

Nouum

Nouum Testamentum:

EX MATTHÆO.

Ex Marco.

Ex Luca.

Quis

10. *Et*

Ex Epist. 1. ad Corinthios.

Ex Epist. 2. ad Corinthios.

Ex Epistola ad Galatas.

Ex Epiſtol. ad Epheſios.

Ex Epiſt. ad Philippenſes.

Ex Epiſt. ad Coloſſenſes.

Ex Epiſt. 1. ad Theſſalonicenſes.

Ex epiſt. 1. ad Timotheum.

Ex Epiſt. ad Titum.

Ex Epiſt. ad Hebræos.

Ex Epist. Iacobi.

Ex Epist. 1. Petri.

Ex Epistola 2. Petri.

Ex Epist. 1. Ioannis.

Ex Epistol. 2. Ioannis.

Ex Apocalypsi.

Et

R.P.

R.P. CHRISTOPHORI DE VEGA SOCIETATIS IESV.

Theologia Mariana.

B. Virgini Dei Genitrici MARIÆ in opus adspiraturæ Votum anhelo à pectore attractum.

1. TIBI, ô diua Parens, Verbi diuini genitrix, huius operis prooemium, progressum, ac coronidem, æterno sacramento æternum dico, æternùm voueo. Nam cui alteri prooemium offeram, nisi tibi, miraculorum, ac operum Christi Prooemio, vt
Hymni Græc. est in Hymnis Græcanicis apud Buteonem; Tibi inquam, quæ prooemium bonæ voluntatis Dei diceris in Commemorat. Græcor. apud eundem. Et quidem magnorum argumentorum magna solent esse Prooemia. Et non peccem in coelum, terramque, qui extra te alium huius operis Patronum, ac Tutelarem quæritans oberrem. Tibi ergo hos mentis congressus deuoto lito pectore, & ai he o. Cui enim potius has literarias Palæstras sacrarem, nisi tibi omnium scientiarum Præsidi, omnis sapientiæ meliori Palladi, omniúmque mentis pugnarum, ac certaminum Agonothetæ. *B. Virgo est miraculorũ, & operum Christi prooemium.*

2. Ergo Amphitheatrum est orbis, Palæstra mundus, vt sententiosè dixit Ambro-
Ambros. sius Epistol. 38. *Quid est mundus, nisi quidam agon plenus certaminum.* Vbi elementa
Phil. Iud. omnia iugi pugna, dubioque Marte decertant. *Cesserunt, ait Philo Iudæus lib. de mundi opificio, aduersa tenebræ, Deo dirimente, cui perspicuæ sunt contrarietates rerum, & natiua quadam certamina.* Tenaci contentione, & ambitiosa superandi cupidine elementa inter se acerrimè digladiantur. *Alioquin*, subiungit Idem, *propter vicinitatem inductura erant confusionem, contentionibus de principatu mutuis, pertinaci ambitione, luctam appetentia, nisi præfixi in medio termini ad pugnam gestientia dirimerent.* Ex quibus non obscurè inferes singularem Dei prouidentiam in elementorum formatione, mutuo inter se confligentium: aqua enim in ignem decertat; ignis in aquam insurgit: aër terram demoliri satagit, terræmotibus quatit, hiatibus ferire contendit. Aquæ insuper, addit Plinius, subeunt in imbres, rigescunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes. Aër densatur nubibus, furit procellis, disrumpitur in tonitrua, fulgurantia fulmina contorquet. Ignis exsurgit in flammas, euomit incendia, glomeratur in accensos globos, conglobatur in flammantes orbes, ignita spicula iaculatur. Deus bone, quæ pugnæ! qui conflictus martiales! Quæ sanguinolenta bella inter elementa cientur? scilicet quia illa, rerum omnium causæ, ac principia præstruebantur; oportebat vt ea discordi, ac iugi pugna mutuo inter se confli- *Amphitheatrum est orbis, vbi elementa inter se digladiantur.* *Elementa cur eo non sunt vera nomina quia inter se decertant.*

gerent, ne homines ethnici supine errarent; & vt omne Deus ab eis offendiculum arceret, ea elementa, tanquam Deos rerum omnium molitores reuerenti cultu suspiciendi: perenni ergo discordia, reciprocis contentionibus, martiali pugna elementa decertent; vt inde vel stolidi, ac rudes homines, illa nequaquam vera esse numina perspicerent, sed omni esse Deitate vacua, sicut & vnione, ac concordia destituta: quod eleganter aureum eloquentiæ Græcæ flumen Chrysostomus excogitarat ad ea verba Psalm. 2. *Et populi meditati sunt inania*, *ubi Græci*, ait ille, *qui elementa Deos appellauerunt; terram quidem Cererem, aerem Iunonem, ignem Vulcanum, pluuiam vero Iouem: si enim elementa sunt dy, quomodo pugnant inter se; aqua enim est inimica igni.* Quasi fieri non possit, vt diuinitate aliqua gaudeant, quæ inter se discordia mutuis dissidijs confligunt: quippe intestina odia, ciuiles pugnæ omnem diuinitatem adimunt.

Psalm. 2. Chrysost.

3. Quid plura? habent & suas ingenia Palæstras, ac literarias concertationes, seu mentis pugnas, in quibus intellectus vires exercentur, conflictus meditantur, instituuntur pugnæ, certamina instaurantur, ingeniorum luctamina mutuis rationum congressibus indicuntur. Has ergo ingenij Palæstras aggredior, de magna Virgine Matre mentis congressus apparo, elucubrationes de Dei Genitrice elaborandas suscipio, literaria de Beatæ Virgine certamina libens instituo; Theologiam, inquam, Marianam ordior, qua de longe iam retro sæcula quadam æmulatione contenderunt tempora, & ætates inter se congrediebantur, quodnam ortu suo gloriaretur; cuiusnam gloria tam diuite thesauro in immensum excresceret, caput attolleret, principatum teneret: aptissimè in præsens institutum Damascenus fatur orat. 1. de Natiuitate Virginis, *Certabant inter se sæcula quodnam ortu tuo gloriaretur; verum earum contentionem, præfinitum Dei, à quo sæcula facta sunt, consilium superauit; ac postrema prima facta sunt, dum ipsis fælici fato Natiuitas tua obtigit.* Factus est igitur orbis Palæstra, in qua sæcula omnia, ob tantam Virginem luctamina meditarentur. In his ergo Palæstris, vbi tot repetita certamina instaurantur, quot difficultatum nodi dissoluuntur, Te vnam inuoco, tuam opem exposco, cuius nomen Oleum effusum, de quo, ait Gregorius Nyssen. homil. 9. in cantic. ad certamina confert: siquidem luctatores nudi oleo inungebantur, vt ab Antagonistarum manibus melius, ac fælicius elaberentur. Nomen ergo Mariæ vngit Agonistas, ait sapienter Idiota. Me igitur agonistam agentem, ac congredientem vnge, foue, mihi auxilia præsta: sic à difficultatum tricis me expediam, aduersariorum decipulas eludam, implexas aduersariæ partis rationes decapitabo, & ab Antagonistarum manibus elapsus victor euadam.

Orbis est Palæstra, in qua sæcula omnia ob tantã Virginem certamina instituerunt.

Damasc.

Nyssen.

Idiota.

Maria nomen vngit Agonistas.

4. Egregium semper Deipara præbet aduersus hostium incursus, telaque, munimentum. Illa ductrix in prælia contra hostium armatos cuneos ruentibus: armat illa in luctam, præliantes accendit; instantibus robur addit, nutantes confirmat, ac roborat, defessorum vires instaurat, congredientibus eius nomine victoriam defert, pugnantibus triumphum parat. Cordatissimè dux ille Barach certamen aduersus Sisaram subire renuebat, quin Deboram sibi sociam adsciseeret, ac commilitonem in certamine, vnde sic eam alloquitur: Iudic. 4. *Si venis mecum, vadam, si nolueris venire mecum, non pergam: quæ dixit: ibo quidem tecum.* Temerarius nimium foret, & audax, qui bellum, ac luctam aggrederetur sine ductrice Deipara, Adiutrice simul, & commilitone. Si ergo, ô Virgo Deiparens, venis nobiscum, ibimus, luctamina capessemus, pugnam inibimus, difficultatum cuneos adoriemur, superabimus, ac triumphos decantabimus. Dic ergo, Virgo Mater, verbum illud salubre, omnique armorum munimine potentius: *Ibo quidem tecum.* Hoc enim vno verbo vniuersas hostium phalanges debellabo. Et cum Ambrosio libr. de viduis, aptius de te, quam ille de Debora, pronunciabo. *Fæmina iudicauit, Fæmina disposuit, Fæmina prophetauit, Fæmina triumphauit; & præliaribus intermixta copiis, imperio viros docuit militare Fæmineo.*

Iudic. 4.

Temerarius est qui bellum aggreditur sine ductrice Maria, ac commilitone.

Ambros.

5. Quin potius Patris æterni Verbum Humanitate vestitum noluit nisi in Virgine Matre bellum aduersus tartareas Potestates ciere; Matris scilicet gremio protectum, ipsiusque brachiis, veluti cælesti quadriga circumuectum: sic eam vocat Ioan. Geometra Hymn. 1. de Beata Virgine. *Currum Eliæ rapidis virtutum quadrijugis concitum.* Vel iuxta Andream Cretens. orat. 2. de Assumpt. *Currum Dei decies mille millibus multiplicatum. qui millia locupletum adduxit ad eum carne tectum.* Nam de Christo D. illud exstat insigne vaticinium apud Isaiæ cap. 8. *Antequam sciat Puer vocare*

Noluit Verbũ diuinum nisi in Virgine Matre bellum aduersus dæmones ciere.

Ioan. Geom.

Andr. Cretens. Isaiæ 8.

vocare Patrem , & Matrem , auferetur fortitudo Damasci , & spolia Samariæ coram rege Assyriorum. Idest ab ipsis primis incunabulis vniuersum subigit orbem. Sed sciscitaberis , quibus armis , quibus tormentis bellicis , quonam curru vectus; anne Tertullianica illa armorum supellectili, ex libr. 3. contra Ma.cionem capit. 8. deprompta ; *Quod vagitu ad arma esset Conuocaturus infans , & signa belli , non tuba , sed crepitacillo daturus; nec ex equo, vel de curru, vel de muro, sed de nutricis, aut gerulæ suo collo , sine dorso hostem destinaturus : atque ita Damascum , & Samariam pro mammillis subacturus.* Matris igitur Virginis vtero , sinu , & vlnis superuectus totum orbem ditionis suæ subiugauit imperio , bellum indicens, non bellicis crepitaculis , aut lituorum bombis , sed infantili crepitacillo , non equo , vel curru vectus , sed almæ Genitricis gremio , non propugnaculo aliquo, vel muro protectus , sed è mammillis Matris pendulus ; quæ vtique instar turrium munitissimarum sunt , iuxta illud Sponsæ Cantic. 8. *Et vbera mea sicut turris.* Nec pulueris tormentarij strepitu , aut bombardarum remugitu perterrefaciens hostes , aut enses distringens , hastas euibrans , repetita iacula contorquens ; sed de maternis vberibus abblandiens ; infantilibus armatus crepundiis , puerilium blanditiarum venustate decorus , totus melleus , totus sacchareus , totus lacteus, Maternam mititatem redolens ; gerulæ , ac nutricis mansuetudinem præseferens humanitatem halans domuit orbem , homines ad se allexit , eorum ferociam coërcuit , effera hominum corda cicurauit , animos subegit , euicit , ac de hostibus triumphauit.

Tertullian. Cantic. 8.

6: Scite in rem præsentem nuncupatur Virgo B. in Hymnis Græcanicis apud Buteonem pag. 138. *Coronaria certantium.* Olim Græci vocabant mulieres coronarias, quia coronas contexebant certantibus ; Latinæ dicebantur , Coronarum opifices : sic eas compellat Horatius libr. 3. carm. de quibus erudite agit Paschalius libr. 2. de coron. cap. 12. Aptè igitur Deipara Coronaria certantium dicitur , quia viriliter decertantibus coronas plectit , triumphos adauget , ac proinde merito Coronaria, coronarumque opifex nuncupatur. Quam ob causam Honorius Augustod. in sigillo, in verba illa Ecclesiast. 24. *Quasi palma exalcata sum in Cades. Palma , inquit ille , datur Victoribus ; & Cades , idest sanctificatis , quibus Virgo alma exstat sanctificationis Palma , dum per eius generosam sobolem , nanciscuntur victoriam , & sanctificationem.* Itaque præter Agonotheten , idest certaminum Præfectum , quem præficiebat Christianis certaminibus Tertullianus , nempe Deum viuum ; & eorundem Epistaten , hoc est luctaminum Præpositum , scilicet Christum D. ac Chistarchen , id est congressuum , & pugnarum dispositorem , nimirum Spiritum sanctum : habemus insuper Coronariam Deiparam , cuius suffragatione speranda corona æternitatis , brauium Angelicæ substantiæ , politia in cœlis , gloria in sæcula sæculorum , vt idem Tertul. fatur lib. ad Martyres cap. 3.

Hymni Græc. Paschalius. Honor. Augustod. Eccl. 24. Tertullian.

B. Virgo est Coronaria certantium. Deus certaminum Præses.

7. Quidquid igitur laboris , non vno desudatum æstu , quidquid vigiliarum insumptum , non vna elucubratum nocte , tuum esto , Virgo Deipara , nemo prophanus tangat : ne sperne dona , tua sunt , quantulacunque sunt , à locuplete vena tua promanantia : à diuina nube tua omnis is cecidit imber : à cælesti aurora tua stillantia sunt munuscula : à fonte signato tuo hi riuuli saliunt : à radice tua hi ramuli , & stolones pullularunt. A Te , ô ter fœlicem glebam vbere natam solo , hi fructus deriuantur , licet immaturi , fateor , ob ingenij tenuitatem illos excolentis. Ergo alma Parens , Domina mundi pessulum ostij tui aperi. *Pessulum ostij mei aperui Dilecto meo.* Cantic. 5. id est , interprete Rupert. *Clausuram oris mei , ac silentium pro Christo dilecto meo aperui , vt audientes ædificentur ; & quam pulcher, quam rationabilis , & disciplinatus ordo loquendi , prius myrrha distillat de manibus , & digiti myrrha probatissima pleni monstrantur ; ac deinde pessulus ostij dilecto aperitur . id est prius vita laudabilis in exemplum , & deinde doctrina fidem quærens audientium palam profertur.* Pessulum igitur ostij tui Virgo B. aperi . silentium rumpe , fluat vt ros eloquium tuum , insonet auribus meis vox tua , quia dulcis : pande penitiora sacramenta , reconditos telege recessus ; abstrusa mysteria resera , facem præfer ; edoce Doctorum Magistra , Angelorum Doctrix , vt inoffenso pede arduum iter conficiam , difficultates deuorem , nodos dissoluam , ac spatiosum laudum tuarum campum percurram. Finem imponat Ecbertus Abbas in deprecatione ad B. Virg. *Gloriosa dicta sunt de te , sancta Dei Genitrix ; sed adhuc*

Cant. 5. Rupert. Ecbert. Abb.

locus eſt tuæ laudi : adhuc in tuis laudibus omnis lingua balbutit. Non enim ſunt loquelæ, neque ſermones in omni natione, quæ ſub cælo eſt, quibus amplitudo gloriæ tuæ ad plenum valeat explicari. O pia, ô magna, ô multum amabilis Maria. Tūne nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te. Tu nunquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſita memoriæ portas ingrederis. Et nunc ſequimur te, ô Domina ex totis præcordiis vociferantes ad te: adiuua imbecillitatem noſtram, aufer opprobrium noſtrum.

PALÆSTRA

PALÆSTRA PROOEMIALIS.

Marianorum elogiorum Scriptoribus ingens bonorum omnium cumulus accrescit.

8. Ephræm. OPPORTVNE S. Ephræmus orat. de laudib. Deiparæ ait de Maria: *Est oratio pulchra Hymnographorum*, id est, pulcherrimum, & illustre argumentum, quo de illustres quique Scriptores elogia componant, laudes decantent, scripta posteritati commendent, Hymnos pangant; cùm ipsi cælites per singulos choros Hymnos, & epigrammata in Virginis Deiparæ laudem concinant, authore S. Athanasio serm. de sanctissima Deipara. Et quidem nihil gratius ipsi Virgini Mariæ, nihil iucundius, nullum obsequium dulcius, nullum votum charius, nullum denique opus ita peramicum, ac beneuolum, quod ita Deiparam alliciat, & subornet, oculos, ac mentem trahat, & affectum conciliet, quam de ipsa sermonem instituere, scripta in eius laudem euulgare, eius gratias, ac singularissima priuilegia in lucem proferre, vt author est S. Ioan. Damascen. orat. 2. de Assumpt. (Damasc.) *Quid enim*, inquit, *Verbi Matri aptius, quàm sermonem offeremus? Simile enim simili gaudet: atque ipsi non potest non gratum esse quod pro viribus efficitur.* Nec enim alius scopus aptior, in quem ingenia colliment, quàm Dei Genitrix Maria. Quænam scriptorum materia fœcundior, ac iucundior, quam magnæ Matris magnalia?

B. Virgo illustre argumentum, de quo scriptores scripta posteritati commendent.

Nullum obsequium aptius ad subornandam Mariam quam de ipsa sermonem, vel scriptionem instituere.

CERTAMEN I.

Quisquis Marianas laudes decantandas aggreditur, diuino adflatur spiritu, opus est.

9. Rom. 10. ILLA Pauli verba ad Rom. 10. *Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; deflectit sapiens Idiota ad sanctissimum Mariæ nomen. (Idiota.) *In prædicatione, ait, Apostolorum, in omnem terram exiuit sonus tui sanctissimi nominis, & manifestum toti mundo factum est.* Itaque Apostolorum etiam munus, & officium fuit sanctum Mariæ nomen per totum terrarum orbem euulgare. Et quod And. Cretensis Encomio 2. de Dormit. Virg. de Bibliorum sacrorum Interpretibus protulit, id de quocumque scriptore Ecclesiastico proferre lubet, (And. Cret.) ait ergo: *Maria est summa diuinorum oraculorum, & de te resonant omnes spiritus interpretes.* Quasi omnes scriptores Marianis laudibus sint vectigales; itavt sacrorum Scriptorum nemo ab honorario hoc tributo eximatur. Optimum, ac præclarum nobis exhibuerunt exemplar primi illi Christianæ fidei satores, quos ad collaudandam sacris hymnodiis Dei Genitricem conuenisse, nec fine diuini spiritus adflatu, author est S. Dyonys. de diuinis nominibus. (S. Dionys.) Itaque B. Virgo cælestium, & terrestrium, omnísque linguæ oratio pulchra, & dignissimum argumentum censetur.

Omnes scriptores sunt Marianis laudibus vectigales.

10. Equidem hoc tributum libens, & ex animi voto, ac pluribus titulis obsequiosè persoluo; primásque meas voces, & scripta Dei Genitricis præconiis libens dico: sed quid mirũ, cum primas, quas Deus ipse protulit voces, post diuturnum ab æternitate silentium ad extra, Marianis laudibus dicauerit. *In principio creauit Deus cælum, & terram*, inquit scriptor sacer Gen. 1. Huius igitur mundialis structuræ molitor Deus cælestes orbes admirabili artificio detornauit, hoc mundi palatium miro ordine construxit, terram firmauit, ac stabiliuit, aërem oppandit, ac cælestes fornices absoluit, quin vocem vllam efferret, quin verbum vllum ederet: cum verò ad lucis productionem accingitur, primas voces efformat, in verba prorumpit. *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem quod esset bona.* Gen. 1. Quod ingeniosè priùs excogitauerat S. Basil. Seleuc. orat. 2. vbi inquit: (Basil. Seleuc.) *Prima iam vox adeo mittebatur, & lux nascebatur: audiebatur vox, & natura producebatur. Cælum profectò productum est, & terra cum aquis, cum vox antè nerteret nulla, lux verò cum producebatur, Deus voce prouinit. Quæ tandem vox, & quæ causa vocis? Discamus, & scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudire.* Tacet Deus dum cælum condit sine syderum cælatura, dum terram incomptam, rudé, & incultam format, dum aërem tenebris obsitum expandit: at verò cum lucem primo in lucem edit, primas voces profert, in verba prorumpit; quasi cælestes mentes ad nouum, & inauditum spectaculum inuitans, vt splendentem lucis creaturam nouitius in mundo natam plausibus, & acclamationibus excipiant, sibique gratulentur. *Recèns creata Angelorum myriades*, subdit Basil. (Basil. Seleuc.) *quæ fierent, videbant, cum verò qui faceret, videre non valebant. Meritò nunc loqui occupat, vt eius quod fit sensu, & admiratione Angelorum turbas moueat eoque perculsi spectaculo ad cognitionem, & hymnum Creatoris conuertantur.* Sed quænam hæc lux recens nata in mundo, cuius laudibus primas suas voces consecrat Deus, post diuturnum ab æternitate silentium; & Angelorum choros ad encomia lucis pangenda, hymnosque decantandos studiosè sollicitat.

Ipse Deus primas voces Marianis elogiis dicauit. Genes. 1.

Albert.Mag.

citat.Reſpondet Albert. Magnus ſuper Miſſus eſt: *In hac prima die facta eſt nubecula, de qua factus eſt poſtea Sol. Quid eſt autem nubecula materia corporis ſolaris, niſi B. Virgo Mater, & materia corporis ſaluatoris.* Sileat itaque Deus mundialis hujus machinæ Conditor in cæleſtium orbium detornatione, in aëris expanſione, in telluris formatione, ſilentij velamine inuoluat reliquas omnes conditas creaturas: cum autem lux Mariana ſplendidiſſimo iubare coruſcans neſcitur, quia omni fœda litura immunis, omni perfectionum genere abſolutiſſima, merito voces edat, & prima articulet verba in ipſius laudem, quaſi ſibi de tanto opere applaudens, & Angelorum myriades ad Marianas laudes laceſſens; & homines mox futuros exemplo ſuo prouocans, vt primas ſuas voces, & verba in publicum edita, ac primas ſuarum lucubrationum vigilias huic Marianæ luci decantandæ dicent, & conſecrent. *Et vidit Deus lucem quod eſſet bona*; dicat ergo Baſil.ſuprà: *Prima iam vox a Deo mittebatur, & lux naſcebatur. Merito nunc loqui occupat, vt eius quod ſit ſenſu, & admiratione Angelorum turbas moneat, (& homines exemplo ſuo excitet, equidem adderem) quo ad agnitionem, & hymnum creatoris conuertantur.* Mariana præconia, ac ſublimes laudes, & voce, & ſcripto propalando.

Gen.1. Baſil.Seleuc. *Deus Angelos laceſſit, & reliquas creaturas ad Marianas laudes decantandas.*

11\. Attamen nemo Marianas laudes temerario auſu ſine Dei inſtinctu celebraturus accedat. Ideò crediderim fœminam illam Deiparæ encomiaſten in Euangelio Spiritu ſancto adflatam in illa prorupiſſe verba: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.* Luc.11. de qua inquit Caniſ. lib.4.de B.Virg.c.25. *Hac mulieris vox, non ſecus quam pro Spiritus ſancti teſtimonio debet accipi.* & Ianſenius: *Nihil, ait, dubium eſt, quin ex ſuggeſtione Spiritus ſancti, mulier hæc Chriſto hoc teſtimonium perhibuerit.* Animaduerſione etiam eſt dignum, quod hæc mulier Deiparam laudibus efferens, vocem contenderit, ſic enim habes: *Extollens vocem quedam mulier de turba dixit ei: Beatus venter,* &c. Extulit vocem hæc mulier, extulit & Elizabetha, ait enim Luc. c.1. *Exclamauit voce magna, & dixit; benedicta tu inter mulieres.* Profectò vtraque Mariæ Encomiaſtes effecta vocem contendunt, quia Mariana elogia vocem magnam expoſcunt, quia magna ſunt, quoniam laudum earum obiectum magnum, nempe Deipara, ingentis ergo magnæ Matris prærogatiuæ magna vocis contentione, ingentique affectu ſunt euulgandæ.

Luc.11. *Mariana laudes magna vocis contentione, ingentique affectu ſunt euulganda.* Caniſ. Ianſen. Luc.1.

12\. Aptè Maria mare vaſtiſſimum nuncupatur: *Quia ſicut nullus,* ait Dionyſius Carthuſ. lib.3. de laudibus Virg. *valet maris guttas dinumerare, ſic miſericordiam, gratia excellentiam, gloriámque Mariæ nullus valet exprimere.* Maria immenſus eſt Oceanus, qui nequeat humanæ mentis bolide dimetiri, neque intelligentia humana, vel Angelica traiici. *Quid mirum,* verba ſunt Petr. Damian. ſerm. 3. de Natiuit. Virg. *ſi hæc ineffabilis Virgo in ſuis laudibus modum humanæ vocis exſuperat, cum & ipſam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate tranſcendat. Ad cuius efferenda præconia non Rhetorum diſerta facundia, non Dialecticorum ſubtilia argumenta, non acutiſſima Philoſophorum apta reperiuntur ingenia.* Et Damaſcenus orat.2. de Aſſumpt. *Virgo omnium encomiorum legem excedis, nec ſi omnes toto orbe diſperſa lingua in vnum coeant, eius laudes oratione conſequi poſſent.* S. Auguſtinus ſerm.35.de Sanctis: *Quid nos tantilli, qui actione puſilli, quid in Virginis laudibus referemus, cum etſi omnium noſtrûm membra verterentur in linguas, eam laudare ſufficeret nullus.* Vt Mare vaſtiſſimum arcet, ac deterret mentium noſtrarum ſcaphas; at vt ſtella maris allicit, & ad nauigandum inuitat. Huic immenſo Oceano virtutum, ac gratiarum lubens me committo, vtinam ſortunatiori euentu, quam ille quondam Philoſophus, qui fontis cuiuſdam nouitus exilientis, & ebullientis ſcaturiginem penetrare non valens, in eum ſe proiecit temerario auſu vitam finiturus, in illa verba prorumpens: *O Abyſſe, cum te capere non poſſim, tu me recipe.* Longè equidem fœlicius illud vſurpabo: O Mare magnum, ac ſpatioſum, Maria! O gratiarum abyſſe, miraculorum, ac virtutum eximiarum Pelagus, cum te capere non poſſim, tu me innumerum tuorum clientum recipe, & tanquam minimum in mancipiorum tuorum ſyllabum adnumera.

Dionyſ. Carthuſ. *Maria immenſus Oceanus, qui nequeat vllius mentis bolide dimetiri.* Petr. Dam. Damaſc. Auguſt. Phil. quidã

13\. Et vt propius ad congreſſus titolum accedam, Marianas excellentias veſtigaturus, ipſius B. Virginis ope, veterem hominem eum affectionibus ſuis nudare oportet, ac penitus deponere, quod ſuo firmat ſuffragio S.Baſil.Seleuc.orat. 39. *Quomodo Virgineum pelagus audens tentabo, & magni myſtery ſcrutabor altitudinem, niſi me vt inexpertum natatorem, ò Deipara doceas veterem hominem deponere, niſi mentis os miſericordia compleas, quo tui partus fundum peruadam.* Imperitum ſe fatetur, qui per Mariæ laudum pelagus ſecundo natatu, ad optatum meritiſſimi encomij portum decurrat, niſi illius quaſi humeris, aut dextræ, tanquam tabulæ ſubnixus elementi huius ſuperet vndas, & innatabilem hunc Oceanum fœlici huius Cynoſuræ Mariæ enauiget ducatu. Adſpiciebat olim Moyſes ardentem rubum non ſine grandi myſterio, quod vt penitius rimaretur, ad locum propius accedebat, cum protinus vox de cœlo delabitur Exod. 3. *Ne appropies huc, ſolue calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Itáne Moyſes Deum ſæpè facie ad faciem allocutus, nunc ad rubum propius accedere interdicitur. Rubus hic Mariam adumbrabat iuxta illud Eccleſiæ: *Rubum quem viderat Moyſes incombuſtum,* &c. Nemo autem, nec Moyſes Dei colloquio aſſuetus, B. Virginis priuilegia, & excellentias veſtigaturus introſpiciat, de eis ſermonem inſtituat, eaſve calamo commendet, quin priùs mortalia deſpiciat, terrenos exuat affectus, rerumque temporalium curas deponat. Ad rem Bern. de verbis Apocal. *Merito quidem admiraris Moyſes ſancte, & curioſius deſideras intueri, verumtamen ſolue calceamenta de pedibus tuis, ſi aſcendere rubum, nempe Marianas laudes, concupiſcis.* Rerum omnium mundialium ſollicitudinem à ſe procul arceat, quiſquis Mariana elogia rimari, & euulgare aggreditur. *Maria eſt ſcala Iacob,* aiebat Richard. de S.Laur.lib.10. de laudibus Virg. *Nota quod dignitas Mariæ, quæ deſignatur per ſcalam non oſtenditur, niſi in ſomnis, quia oportet animam ſopitam eſſe à curis ſecularibus, & occupationibus exterioribus, qui videre appetit, id eſt intelligere dignitatem, & altitudinem eius.* De hac Iacobæa ſcala habes illud Gen. 28.num.17. *Pauénſque, quam terribilis eſt, inquit, locus iſte, non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Quæ verba expendens Rupert.ait: *Notandum, quod non ipſum Dominum, ſed locum paueſcit, illumque locum, cuius iſte figura erat, expauit.* Tot enim fauoribus, ac prærogatiuis eſt præuenta Virgo B. vt ad ipſius Dei præſentiam, reuerenti cultu Mariana excellentia ſuſpiciatur. Chaldæus ſic locum illum vertit. *Quam terribilis eſt locus iſte! non eſt locus communis, ſed locus, in*

Baſil.Seleuc. Exod.3. *Quicunque Mariana priuilegia veſtigat, opus eſt vt terrenos exuat affectus, & pacneas.* Bernard. Richard. de S.Laur. Gen.28. Rupert. Chaldæus.

quo

Mariana laudes non sunt ex locis communibus depromenda.

quo beneplacitum est coram Deo. Ad decantandam Marianam sublimitatem, non ex locis communibus laudes sunt depromendæ: nec in Maria locus fuit vnquam duobus, Deo scilicet, ac Dæmoni, vel vnico instanti, soli enim Deo locus, ac sedes in Maria parabatur.

14. S. Gregorius Nazianz. sancti Basilij laudes in cœlum euehens, ita fatur: *vt verum fatear, sermonem habere detrectabam, quemadmodum qui ad sacra accedunt, priusquam vocem animumque perpurgassem.* Quanto potiori iure, qui ad Deiparæ laudes propalandas accedit, quæ arcanum Sacramentum merito à Patribus nuncupatur; prius pœnitentiæ Sacramento, & linguæ, & cordis munditiem instituat; & instar Moysis mortalia quæque seponat, ac reuerenti cultu tanquam sacra facturus accedat. Con ultius cum Bernardo dicat quisquis Mariana præconia in vulgus edenda assumit. *Vereor, ait ille, homil. 3. super* Missus est, *cum loquor de Maria, ne audiam illud, quod dicitur psalm. 49. Dixit Deus peccatori; quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? vtinam & mihi de super eo altari, non quidem carbo vnus, sed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam, & inueteratam oris mei rubiginem ad plenum excoquere sufficiat. Vtinam mundarentur calculo labia mea, & purificarentur, sicut labia Isaiæ Prophetæ purificata sunt, cum de Maria locuturus sum: vereor ne audiam, non quod dixit Isaias cap. 6. Væ mihi, quia tacui; sed væ mihi, quia locutus sum ineleganter, & non satis pro dignitate.* Descensus ille Seraphicus, vt labia Isaiæ perpurgaret, & accenderet, eo tetendit, vt rite, & pro dignitate verba illa proferre posset: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Ita Magn. Albert. in Mariali cap. 17. Alioquin si prius ipsa labia ignito, ac Seraphico illo calculo non aptarentur, ac amore Seraphim non accenderentur, nec apte, nec digne verba illa, labiis quantumuis mundis accipere posset. Quis ergo nisi accenso corde, ac labiis Seraphicis Mariana elogia, vel lingua, vel calamo, temerario ausu vsurpare præsumat? Verba Anselmi lib. de excel. Virg. cap. 1. mea volo: *Supereminentem omni quod post hominem Deum, creatum est, excellentiam B. Matris Dei, quomodocumque contemplari anhelans, horreo peccatorum, quibus premor, enormitatem, & valde timeo, ne mihi alta petenti mox obiciatur illud Isai. 26. Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

Greg. Naz.

Bernard.

Isaia Prophetæ labia diuinitus perpurgantur vt digne Marianas laudes proferre possint.

Isai. 6.

Alb. Magn.

Isai. 7. 14.

Anselm.

15. Disquirit Fulbertus serm. de ortu Mariæ, cur de Virgine Matre pauca à priscis Doctoribus exagitata fuerint. *Sane, inquit, si qui sollicita mente, & studiosa inuestigatione perquirant, cur sanctorum procedentium memoria huius præfatæ Virginis temporanea initia suis fidelibus sequacibus enucleatim non exornauerunt, & ad omniũ notitiam non euulgauerunt. Nouerint non ignaros eos extitisse hæreseos quæ pro insigni, & admirando huius puellæ præconio exoritura erat, & ob id, si quod ex eius ortu protulerunt, sagaci industria celandum æmulis, & infidelibus decreuerunt, ne inueniret cæca garrulitas perfidorum, vnde maternum sinum ecclesiæ verberarent.* Optima quidem ratio tanto doctore digna. Aliam tamen rationem libet adferre huius diuturni silentij; nimirum quia ea est B. Virginis præstantia, vt dici nequeat, sed solum silentio explicari possit. Quod innuit sponsus; cum sæpe inculcat in Canticis illa verba. *Absque eo quod intrinsecus latet.* nempe cap. 4. *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.* Et mox ibidem. *Sicut fragmen mali punici genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Et cap. 6. *Sicut cortex mali punici genæ tuæ, absque occultis tuis.* Septuaginta transferunt: *Extra silentium tuum.* Quibus innuitur, eas esse prærogatiuas, ac dona in Virgine Maria, vt multo plura lateant, quam sint illa, quæ exterius apparent. Versio Septuaginta nempe, *extra silentium tuum;* innuit vtique, eam esse B. Virginis excellentiam, ac Marianorum priuilegiorum præstantiam, quæ explicari lingua nequeant: sicut de Deo ait Dauid Psal. 64. *Te decet Hymnus in Sion.* Vel vt vertit Hieronym. *Tibi silentium laus Deus in Sion.* Quasi maior Dei laus sit silentium, cum nequeat eius magnitudo digne verbis attolli. Alij vertunt: *Te expectat laus.* Id est laus omnis te consequi expetit, vt scilicet captui nostro te accommodes, vt tuas laudes decantare possimus. Pagninus legit cum aliis: *Tibi silet laus.* Quasi omnis laus silentium sit, quia quibuscumque laudibus, ac præconiis Deum creatura efferre tentauerit, perinde est, ac si omnino sileret: omnis quippe laus nostra, si cum Dei magnitudine componatur, silentium potius, quam præconium, & laus censenda est. Quæ cum proportione in B. Virginem quadrant: omnis itaque laus seu voce, seu scripto fiat, quæcumque Doctorum volumina de B. Virgine posteritati tradita, silentium quoddam est; tantum enim abest à sublimi Dei Genitricis dignitate quidquid de ea effertur, vt silentium potius dicendum sit. Ea est Mariana magnitudo, vt depingi nequeat, nisi obumbratione; hinc ait Gabriel: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Luc. 1. Ideo Maria diuina protegitur vmbra, quæ nullius eloquentiæ facundia, nullo verborum penicillo digne sicuti est repræsentari potest. *Dei tantum est, Mariam laudare pro dignitate,* ait And. Cret. orat. 1. de *Dormit. Mariæ.* Idcirco Euangelistæ omnes, qui Baptistam, aliosque Diuos laudibus celebrarunt, Mariam silentij velamine contexerunt, haud dubie rei magnitudine attoniti. Hanc rationem reddit S. Thomas Archiepiscopus Valent. conc. 2. de Natiuit. Virgin. *Cogitanti mihi quid causa sit, quod cum Euangelista de Ioanne Baptista, & alijs Apostolis tam longum fecere tractatum; de Virgine, quæ dignitate omnes antecedit, ita summatim percurrant historiam; cur non traditur, quomodo sit concepta, nata, nutrita, quibus moribus decorata, nihil aliud occurrit, quam ita placuisse Spiritui sancto, eiusque prouidentia Euangelistas siluisse, quia Virginis gloria intus erat omnis, & magis cogitari poterat, quam describi.*

Ex mente Fulberti adeo pauca de Virgine Matre, ne ansa præberetur Hæreticis eam tanquam Deum colendi.

Fulbert.

Iuxta alios huius diuturni silentij causa extitit, quia verbis explicari nequit dignitas tanta Virginis.

Cantic. 4. 1. & 6. 6.

Psalm. 64.

Hieronym.

Pagnin.

Mariana magnitudo depingi nequit nisi obumbratione.

Luc. 1.

And. Cret.

B. Thom. à Villan.

Maria maior est omni laude. Ideo Exod. 24. duo Cherub alis suis Arcam Testamenti, nempe B. Virginem velabant, vt inde pateret, nec mentes Cherubicas, omniumque scientiarum plenitudine refertas, tametsi plura de B. Virgine cognoscant, non tamen recondita ipsius arcana, & excellentias posse comprehendere. *Maria*, ait S. Damasc. orat. 1. de Assumpt. *Non hominum lingua, non mundo sublimior mens Angelorum, sat digne laudibus offerre potest. Per quam Domini gloriam frueri nobis datum est.* Quod verbum cito transiens? Quæ scriptorum monumenta? quæ vel vsu atteruntur, vel tempore labente consumuntur, vel exeduntur à tineis, eam, quæ Verbum æternum in lucem edidit carne vestitum, idonee laudibus euehere poterunt. *Quo pacto eius felicitatem digne celebrare potest infirmitas hominum, quæ gaudium parere promeruit Angelorum? Qualiter eam laudare poterit mortalis hominis transitorium verbum, quæ illud de se protulit Verbum, quod manet in æternum? Quæ* 16.

Mariana dignitas omni laude maior.

Damasc.

lingua in eius laude inuenitur idonea, quæ illum genuit, cui omnia benedicunt, & cum honore obediunt elementa. Dixit S. Petrus Damian. serm. de Natiuit. Virgin. *Proinde non est quorumlibet,* ait Basilius Seleuc. orat. in Annunc. *promeritas laudes persoluere Mariæ, sed eorum, qui diuina gratia splendere insigniter illustrati sunt. Hoc eorum esse iudico, qui sublimi rerum contemplatione plurimum valent, corpúsque, & animam probe repurgatam habent.* Abstrahat ergo mentem à coniunctione carnis quisquis Marianis laudibus euulgandis incumbit, animum auocet à societate corporis quisquis auet Dei Genitricis excellentias siue voce, siue scripto efferre: ab externis sensibus seipsum sequestret, quisquis ambit sublimes B. Virginis gratias pertingere; quia omnis humanus sensus torpet, omnis lingua tantæ rei magnitudine obruta fatiscit. Ideo Euthymius orat. de Zona Deiparæ ait: *Oportet habere linguam Theologicam ad loquendum de matre Dei.* Id est linguam à terrenis omnibus defæcatam, solis rebus cœlestibus, imo Deo soli inhiantem.

Petr. Dam.

Basil. Seleu.

Nemo nisi diuinitus illustratus, Mariam laudandā suscipiat.

Euthym.

17. Imo non solùm diuinæ gratiæ lumine illustratus Deiparam laudandam aggrediatur, vt aiebat supra Seleuciensis Antistes; sed etiam opus est, vt quisquis Dei Genitricis laudes siue lingua, siue calamo euehere gestit, præuia visione beatifica donetur. Hinc sciscitabitur aliquis cur Christus Dominus secum potius assumpserit Petrum, Iacobum, & Ioannem, dum apud Thaboris montem gloria circumfluit, Luc. 9. aliis relictis. Nodum dissoluit Ambrosius aiens: *Petrus ascendit, qui claues regni cælorum accepit, Iacobus qui primus solium sacerdotale conscendit, Ioannes cui committitur Mater.* Omissis nunc aliis, de Ioanne, inquit Ambrosius, ideo Thaboris gloriam prælibasse, quia Ioanni cura B. Virginis demandanda erat, & quia cum ea collocuturus, illiusque encomia vulgaturus scribens in Apoc. *Signum magnum apparuit in cælo, Mulier amicta sole &c.* Prægustet ergo Thaboris gloriam, & vel primoribus labiis allambat beatitudinem os Ioannis, vt Mariana præconia os illud digne assumere possit. De Iosepho monuimus Palæstra vltima, aliquando potitum fuisse visione corporis gloriosi Christi Domini, sicut Petrus in Thabore, & alij socij; addit Morales noster in Matth. lib. 1. tract. 1. num. 14. Iosephum Mariæ sponsum vidisse Deum clare aliquando, quo posset dignius agere cum Maria, & cum ea sermonem habere, ac penitius ipsius dignitatem, ac dotes introspiceret. Idcirco forsan subdit Matthæus c. 1. verba illa: *& non cognoscebat eam donec peperit filium suum.* Tunc Mariam perspicacius agnouit à partu Saluatoris, quia tunc forsan in extasin actus clare Deum vidit, vix antea illam agnoscebat, vix illius excellentias, ac gratias penetrabat. Opus ergo est, vt quisquis dignitatem B. Virginis rimari cupit, de ea sermonem adtexere, prius in Beatitudinis gymnasio intellectus addiscat, & erudiatur, & vt lingua gloriam prælibet, labiaque gloriæ lumine perfundantur. Exaggeratius loquar, ea est B. Virginis excellentia, vt ipsamet Maria, licet diuinitus omni scientiarum genere exornata, sine clara Dei visione seipsam, ipsiusque gratias, dona, ac priuilegia plene non dignosceret. Ita S. Thomas à Villanoua alibi à me productos. Nunc do Dionysium Rikelium huius cogitatus authorem lib. 2. de Præconio, & dignit. Virginis: *Ecquid, ait, Mariæ veri, omnipotentisque Dei Mater vera facta est, tantam gratiæ plenitudinem contingere, quantam nec ipsa quidem Virgo, nisi Dei contempletur essentiam perspicere possit.* Quid nostræ thesi firmandæ significantius excogitari potuit. Nisi ergo Intellectus noster prius Beatitudinis eruditione fœcundetur, laudibus Marianis impar erit omnis humanæ linguæ præconium. Nullus sane encomiastes Deiparæ laudes propalare pro dignitate poterit, quin prius in pellucido gloriæ fonte balbutiem suam lauerit.

Mariam, vel ore, vt scripto laudaturus prius præuia Visione beatifica donandus.

Ambr.

Ioannes Euangelista Thaboris gloriam prælibat, vt Mariana præconia ore, & scripto assumat.

Apoc. 12.

Morales in Matth.

Matth. 1.

Iosephus vix Marianas excellentias agnouit, donec Deū clare vidit.

Dionys. Rikel.

Ipsa Virgo B. nequiret sine clara Dei visione seipsam ipsiusque excellentias dignoscere.

Ad extremum solus Deus potest B. Virginis dignitatem dignoscere. Sic enim habes Eccli. 1. *Ipse creauit illam in Spiritu sancto, vidit, & dinumerauit, & mensus est.* Quæ verba deflectit in Deiparam S. Barnardin. Sen. tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 1. *Tanta, inquit, fuit perfectio eius nempe Mariæ, vt soli Deo cognoscenda reseruetur iuxta illud Ecclesiast. 1. ipse creauit illam &c.* Ex quibus elicies Marianas perfectiones immensas esse, siquidem hominum, & Angelorum captum supergrediuntur, & à solo Deo mensurari possunt. Quæ omnia sub iureiurando solemne firmat Cellensis lib. 9. epist. 10. dum asserit. *Credo, dico, assero, & iuro Beatissimam Virginem nostram in æterna prædestinatione singulari priuilegio munitam, nec à sua Conceptione in aliquo violatam, sed semper mansisse, & permansisse illibatam, & sicut Beata vltra humanam, & ceterorum hominum naturam, sic secreta, & incognita manet vltra omnium notionem.* 18.

Solus Deus dignus Marianarum laudū Encomiastes,

Eccli. 1.

Bernar. Sen.

Cellensis.

CERTAMEN II.

Omnium interest Mariana elogia publicare.

QVid ergo inde? scilicet ex superiori congressu habemus Marianas laudes à nobis omnino subticendas, ac silentij velamine contegendas, qui neque adflatu diuino impellimur, nec priuilegio Beatitudinis potimur. Sed absit; imo Dei Genitricis laudes amplius, & amplius rimabimur. *Quid ergo,* verba sunt S. Ioann. Damascen. orat. 1. de Assumpt. *An quia eam pro dignitate laudare minime possumus, ideo metu reprehensi conticescemus? Minime sane, quin potius temperata metu cupiditate, contextaque vna, & vtraque corolla, cum sacra reuerentia, tremente manu, accupido animo, viles ingenij nostri primitias regia Matri de vniuersa natura benemerita, grato, candideque animo tanquam debitum quoddam persoluemus.* Nec enim solum eximiarum laudum Mariæ, à Principibus Doctorum, à magnis videlicet ingeniis partarum, author est Deus, sed etiam illarum, quæ ab exilibus, & popularibus, scilicet de media rusticorum plebe proferuntur, teste Psalmographo Psalm. 86. *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. Dominus narrabit in scripturis populorum, & principum horum, qui fuerunt in ea.* En qua ratione Deo adscribantur Mariana encomia, siue à magnis scriptoribus, siue à popularibus deriuentur. Quod ipsamet B. Virgo diuino adflata spiritu prędixit in suo Cantico. *Ecce enim ex hoc Beatam me dicent omnes generationes.* Non solùm primores sapientium, scientiarum Principes, sed omnes populi, omnis natio Mariana priuilegia laudibus in cœlum vsque efferent. Alioquin sicut cicadæ taciturnitas, signum est ipsam non calere: sic Doctor, qui in Marianis laudibus silet, argumentum est, ipsum non calere in B. Virginis obsequiis, sed algere in elogiis Marianis prouehendis, & euulgandis. 19.

Damasc.

Deus non solum principes Doctores, sed & populares insignit ad Marianas laudes decantandas.

Psal. 86.

Luc. 1.

Nullum Encomiasten despicit Maria. *Viderunt* 20.

eam

tam filiæ Sion, & Beatiſſimam prædicauerunt Reginæ, & Concubinæ laudauerunt eam. Cantic. 6. ſic Dionyſ. Carthuſ. locum hunc interpungit, ſubditque: *Quanto ſunt eminentiores, & magis illuminatæ, tanto profundius, atque limpidius intuentur, & contemplantur omnem dignitatem, & excellentiam, & gloriam glorioſiſſimæ Virginis. Hinc Reginæ dicuntur eam non ſolum videre, vt Filiæ, aut laudare, vt concubinæ, ſed Beatiſſimam prædicare.* Itaque non ſolùm Reginæ, & Filiæ Dei Genitricem laudibus extollunt, ſed etiam concubinæ; id eſt non ſolùm eruditionis principes, ſapientiæ Primipili, ſcientiarum Reges; Muſarum Amaſij, ac Filij, ſed etiam rudes animæ, popularia ingenia, Doctores, inquam, infimi ſubſellij, B. Virginem laudibus celebrare pro viribus contendent. *E quidem quamquam laudator impar, verba* ſunt Synueſij epiſt. 22. *Bonum ſæculi publicabo, nihil ex hoc derogabitur operis tuæ gloriæ: nam & Homerum nouimus à diſſimilibus prædicari. Careret quippe fama magnorum Virorum celebritate, ſi etiam minoribus veſtibus contenta non eſſet.* Careret profectò Deipara illuſtriſſimorum Doctorum encomiis, ſi ſolum eius elogia teſtes omni exceptione maiores admitterent.

Cant. 6.
Dionyſ. Carthuſ.
Et ſcientiarũ Primores, & rudes animæ laudes Marianas ore, & ſcripto aggrediuntur.
Syneſ.

21\. Ab omnibus ergo decantanda eſt Maria, ac laudibus prouehenda, quia nequit vel ab vno ſolum, neque à pluribus prædicari. Ideo prædicens Iſai. cap. 7. Virginem parituram Deum, ſolum ait: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Nec tempus deſignat, nec loci meminit, vbi tantum prodigium patrandum erat; nec nomen Virginis declarat, nec aliæ circumſtantiæ ab Iſaia memorantur, quæ miraculi granditatem multum exaggerare poſſent. Ea enim eſt Mariæ magnitudo, quæ nequeat ab vno, aut altero decantari, ſed opus eſt vt plures in vnum coëant in eius laudes publicandas. *Ecce Virgo, inquit* Euſebius hom. 2. de Aſſumpt. *in vtero concipiet. Vndenam, ò Propheta? non dico, ait; hoc enim reſeruatum eſt Gabrieli. Permulti diſtinctè declarare nituntur miracula Virginis, pleraque tamen eorum prætermiſſa ſunt. Cæterum ego de partu ſemper Virginis fidem facio. Michæas de regione, & loco, in quo miraculum peractum eſt. David de tempore. Gabriel igitur dicturus eſt vnde.* Audis quomodo Iſaias, Michæas, Dauid, Gabriel, & alij Mariana elogia celebraturi coguntur: nec enim vni, aut alteri, ſed omnibus Angelis, hominibus, ac ipſi Deo Marianarum laudum citra demandatur. Bene ſponſus de Maria protulit Cantic. 7. *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Cur potius meminit piſcinæ in Heſebon, non vero Bethſaidæ, quæ apud Hebræos celeberrima habebatur, ac miraculis clariſſima, Angelus enim quotannis deſcendens ad aquæ motum ſanitatem alicui ſemper importabat Ioann. 5. Sed cauſam habes, niſi fallor in ipſo ſacro textu, nempe quia piſcinæ illæ Heſebon ſunt in porta filiæ multitudinis: in Bethſaida vnus Angelus agitabat aquas, vnuſque ſanitatem recipiebat; ac proinde non rectè Mariæ adaptari potuit, quæ non ab vno, ſed à pluribus, à multitudine populorum oportuit commendari. Adſauet S. Damaſcenus oration. 1. de Mariæ Natiuit. *Olim quidem Probatica quatenus Angelum Dei excipiens aquam turbantem, atque vnum dumtaxat valetudini reſtituentem: nunc autem cæleſtium virtutum copioſiſſimum agmen habens, Dei Genitricem nobiſcum laudantium, illam inquam miraculorum abyſſum, illum vniuerſo orbi medicinam afferentem fontem.* Ea ſunt Mariana ſtemmata, tamque multiplex encomium, vt nequeant ab vno, aut altero commendationem ſortiri; ſed opus ſit, vt copioſiſſimum cælitum agmen, ac omnium hominum linguæ conueniant ad Virgineas laudes decantandas. Apte D. Cyrillus homil. 6. in Neſtorium vocat Mariam: *Præconium Patrum, & Apoſtolorum.* Non vnius Doctoris, aut Patris, vel plurium, ſed omnium Doctorum, & Patrum obiectum eſt Maria.

Iſai. 7.
Neque Mariana laus ab vno ſcriptore prædicari.
Euſeb.
Non vnus ſcriptor communicus, ſed plures Mariana elogia celebrare coguntur.
Cant. 7.
Damaſc.
Cyrill.

Exiſtimarim ob hanc cauſam, dici Mariam, omnium ſæculorum negotium; hoc eam nominè compellat Bernardus ſerm. 2. de Pentec. *Ad illam, ſicut ad negotium ſæculorum reſpiciunt & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præceſſerunt, & nos qui ſumus, & qui ſequentur.* Primo quia Virgo Deipara omnium negotia, & cauſas apud Deum agit. Ita pius Idiota in prologo contemp. *Apud Patrem, & Filium procurat negotia, & petitiones noſtras.* Deinde dicitur omnium ſæculorum negotium, quia ſola Maria omnia ſæcula rectè occupare poſſit; nec aliquod à tanta Virgine laudanda otiari poſſit; ita vt omnium linguas, ac calamos præteritorum ſæculorum, præſentium, ac futurorum deſatiget. Eodem guſtu vocat Mariam Concilium Epheſinum, quod repetitur to. 6. Concil. *Salutarum reconciliatorie Panegyrim.* Dionyſ. Halicarnaſſæus ait, Panegyrim, nihil aliud eſſe, quam celebres conuentus ad ludos feſtiuos. Quia ergo conueniunt omnes ad B. Virginem celebrandam feſtiuis acclamationibus; & vndique confluunt ex omni gente, natione, prouincia nobiles ac plebeij, vt eam laudibus concelebrent, ipſiuſque elogia euulgent, ideo iure vocatur Panegyris. 22.

Bernard.
Maria omnium ſæculorum negotiũ quia omnium ſæculorum ac Doctorũ linguas, ac calamos occupare potuit.
Idiota.
Conc. Eph.
Maria ſalutarum reconciliatorum Panegyris.

Iuſſit Deus olim Moyſi, vt Tabernaculum pluribus velaminibus operiret, non ſolùm aureis, argenteis, & oloſericis à diuitibus, nobilibuſque viris, oblatis, ſed etiam aliis, ex caprarum pilis intertextis, & ex animalium pellibus, confectis, quibus non modo à puluere, pluuia, aliiſque temporum iniuriis illæſum cuſtodiretur, verum etiam vt Deus pauperum ſpem aleret, cunctoque populo animos ingereret: cum enim homines infima de plebe, ac inopes fœminæ nihil haberent, quod tanto Tabernaculo offerre poſſent, omni prorſus ſpe deſtituerentur: ideo maluit Deus, vt res etiam viliſſimas Moyſes acceptaret in vſum Tabernaculi, quo omnes etiam pauperes, & egeni aliquid offerre poſſent, cumque ſe Deo illic commendarent, parem ſpem à Deo poſtulata obtinendi conciperent, ſicut & nobiles, ac potentes viri, cum viderent æque Deum acceptare in obſequium Tabernaculi caprarum pilos, & animalium pelles, quas pauper quiſque, ac popularis ſubminiſtrabat, ac aurea, argentea, & oloſerica dona à potentibus, & diuitibus oblata. Quæ omnia in figura contingebant: ſpecialiſſimum enim, & honorificentius Tabernaculum Dei fuit Maria; cuius immunitatem à peccato, cæteraque priuilegia, & gratias, non ſolùm ſcientiarum primores, ac Doctores nobiliſſimi; ſed etiam populares, & infimi ſubſellij laudibus, voce, ac ſcripto efferunt; omniumque obſequia gratanter acceptat Maria. Equidem verba Philippi Abbatis hic mea volo: *Tu igitur Virgo Sanctiſſima, de manu mea ſuſcipe paruum munus, non eſt aurum, non argentum, non lapis regum donarijs opportunus, ſed inculta verborum libatio ſenſu prædita groſſiori, parua ſatis oblatio: ſed plena vigiliis, & labore.* At dices, cur tot Marianarum elogiorum oratores expoſcantur; nempe quia campus, & ſeges Virgineæ laudis nunquam lingua- 23.

Philipp. Abbas.
Et magnorũ Doctorum, & popularium obſequia gratanter acceptat Maria.

tum.

rum omnium oratione nec metiti, nec demeti poteſt. Petrus Commeſtor In hunc ſenſum hæc carmina pepigit:

Petr. Commeſtor.

Si fieri poſſet quod arena, puluis, & vnda,
Vndarum gutta, roſa, gemma, lilia, flamma.
Æthera, Calicola, nix, grando, ſexus vterque,
Ventorum penna, volucrũ, & pecudum genus omne,
Syluarum rami, frondes, auium quoque penne,
Gramina, ros ſtella, piſces, angues, & ariſta:
Et lapides, montes, conualles, terra, dracones
Lingua cuncta forent, minimè deſcribere poſſent,
Qua ſit, vel quanta Virgo Regina Maria,
Qua tua ſit pietas, nec litera, nec dabit ætas.

Quantumuis ergo omnes Mariæ clientes cogantur ipſius encomia celebraturi, numquam tamen vaſtiſſimum ſuarum laudum æquor dimetientur, nedum exhaurient.

24. *Bonauent.* Vel ipſa Virgo B. nobis exemplo præeat in laudibus ipſiuſmet Deiparæ. Singularis fuit D. Bonauenturæ cogitatio tom. 2. opuſc. cap. 3. de Meditat. vitæ Chriſti vbi Virginem infantem adhuc ſic fantem contemplatur: *Cum Pater meus, & Mater mea me dimiſerunt in templo, ſtatui in corde meo, habere Deum in Patrem, ac frequenter cogitabam quid poſſem facere Deo gratum, (moxque ſubiungit.) Petebam vt faceret me videre tempus, in quo nata eſſet illa Beatiſſima Virgo, qua debebat Dei filium parere, & vt conſeruaret oculos meos, vt poſſem eam videre, linguam vt poſſem eam laudare.* Quod ergo B. Virgo repetitis votis à Deo expoſcebat, ac geſtiebat, nimirum ſe totam laudibus Deiparæ deuouere, antequam noſſet ſe ad Dei Maternitatem ab æterno fuiſſe prælectam, iuxta mentem Seraphici Doctoris: hoc nos omni conatu ſatagere, & exambire oportet; nempe vt mentem, cor, ac linguam noſtram Deus in eum ſolum finem ſeruet, vt vnius Deiparæ laudes, ac prærogatiuas tota contentione in cœlum vſque proueheamus, ac per totum terrarum orbem euulgemus. Præeuntem ergo B. Virginem inſequamur, & Dei Genitricem Mariam toto corde, & niſu, manu, lingua, ſcriptis celebremus, præcipuè verò eam nobis ad imitandum proponamus. De quo ſic habet Richard. de S. Laur. lib. 4. de laudibus Virg. *Nota quod quidam habent, Christum, & Mariam in corde per dilectionem, alij in lingua per laudem, alij in codice per ſcripturam, alij in manu per operationem, ſine qua, tria prædicta non ſufficiunt, quia probatio dilectionis, exhibitio eſt operis, & iſti ſoli remunerabuntur.* Quiſquis igitur corde, manu, lingua, ſcripto, & imitatione Marianas laudes aggreditur, non ſine grandi emolumento, ac remuneratione præſtabit. Verba illa Eccli. 24. *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Aliqui ex interpretibus accipiunt de Aureola Doctorum, qua exornandi ſunt qui B. Virginem elucidant, ſcriptis in ipſius laudem euulgatis. Refertque Spinellus in ſuo Throno cap. 34. ex Pelbarto de Temeſuar in Stellario; eiuſmodi virginearum laudum ſtudioſos inſigni quodam in cœlis ornandos, quo præ aliis dignoſcantur.

Se totam laudibus Deiparæ deuouere ſatagebat ipſa B. Virgo.

Richard. de S. Laur.

Doctorũ Aureola exornandi qui B. Virginem vel verbo, vel ſcripto elucidant.

Eccli. 24. 31.

Spinel.

25. Ad hæc qui æternitatem ſuarum lucubrationum expetunt, cedrino ſucco eas inungere ſolent, quo & tinearum corroſionem, & temporum iniurias arceant. At de ſe ait B. Virgo: *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano.* Humor è cedro promanat, qui Cedria dici ſolet, qua inuncti codices perennitatem ſpondent. Cedrus Deipara, quæ ſuarum laudum ſcripta ab omni inuidorum tinea, & maledicentium corruſione, ac temporum iniuriis illæſa ſeruabit. Ad rem Richardus de S. Laurent. lib. 12. de laudibus Virginis: *Reſina, ait, eius, quæ de intus erumpens exterius apparet in cortice, & Cedria appellatur, libros conſeruat à vetuſtate, & tineis ſi inde perungantur, quia ſacram Scripturam conſeruat B. Virgo à tineis, id eſt Hæreticis, & vetuſtate; quia gratiam largitur maximè diligentibus ſe, qua ſacra Scriptura de die in dies melius intelligatur.* Maria ergo Cedrus ſublimis, cuius ſucco inunctæ ſchedæ, ac chartæ à putredine incolumes ſeruantur, & perennitatem nanciſcuntur. Quiſquis ergo aues, tempori omnia exedenti aliquid abripere, quod fixum permaneat, Virgineas laudes ſcriptis commenda, quæ quaſi Cedria inuncta ſemper durabunt, & cum æternitate contendent. Optimè Vincentius Lyrin. in Præfatione in lib. contra hæreſes. *Humana omnia cum à tempore rapiantur, & nos ex eo aliquid inuicem rapere debemus, quod in vitam proficiat æternam.* Elegantet nos admonet Plinius Iunior lib. 3. epiſt. 7. *Effinge aliquid, & excude quod ſit perpetuo tuum; nam res tua reliqua, poſt te, alium atque alium Dominum ſortientur: hoc tuum nunquam deſinet eſſe, ſi ſemel cœperit.* Sapientet quidem. Quæ enim prædia, & fundos Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & quique alij Doctores poſſederunt: quos redditus annuos ſibi compararunt, quas domos, & villas exſtruxerunt, quæ auri, & argenti talenta cumularunt; quos theſauros aggregarunt; alij atque alij temporum decurſu ſibi nacti ſunt: at illorum codices, & ſcripta poſt tot elapſos annos, poſt tot temporum luſtra ſeruantur adhuc Authorum ſuorum nomina permanent, viuáque apud omnem poſteritatem perennabunt. Cum ergo diu nobis viuere non liceat, pingamus aliquid æternitati; & aliquid quod noſtrum ſit poſt nos relinquamus, quod æternum ſit monumentum, & nos aliquando vixiſſe conteſtetur, ac fidem faciat.

Eccli. 24. 17. B. Virgo tamquã Cedrus, & Cedria ſcriptorũ ſuorũ cedrinis ab omni inuidorũ tinea immunia ſeruat.

Richar. de S. Laur.

Vinc. Lyrin.

Plin. Iunior.

Aliquid à nobis agendũ, quod ſit perpetuò noſtrũ.

Honores, diuitiæ tranſeunt, ſcripta poſteritati durata permanent.

Scitè Salluſtius initio Catilin. ſcripſit: *Omnes homines, qui ſe ſtudent præſtare cæteris animalibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſeant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia finxit.* Vbi dedecoroſam cenſet, ac prope belluinam vitam, quæ ſine aliquo ſcriptionis monumento ducitur: & ſubiungit: *Quo mihi rectius eſſe videtur ingenij, quam virium opibus gloriam quærere; & quoniam vita ipſa, qua fruimur breuis eſt, memoriã noſtri quam maximè longam efficere.* Mearum autem elucubrationum, ac ſtudiorum finis, ac ſcopus vnicus, in quem ſemper collimaui, vna fuit Dei Genitricis laus & commendatio. Quippe ſola virtus ad honorem, & famam pereoãndam iter eſt. Mundiales plauſus, & gloriolæ cinere, ac putredine innitũtur. Vna virtus cum æternitate contendit. Stabile, firmum, & æternum eſt, quod in cœlo nomen inſcribitur. Audi pulcherrimum huic roborando themati ſymbolum in Rachele, quæ mortua tandem, ac ſepulta eſt, erectúſque titulus ſuper demortuæ ſepulchrum: itáne mundi gloria, corporis decor, venuſtas, & pulchritudo, & quidquid ſub cœlo magnum honorificum, ac ſpecioſum habetur ſuper cinerem, ſaniem, ac fœtorem fundamenta iacit: & quidem non ſine arcano myſterio Rachel in via ſepelitur, vt prætereuntibus documento ſit, quam ſint euanidæ hominum ſpes, quam fluxæ carnis illecebroſæ voluptates, quam mendax mundi gloria, quam fallax omnis pulchritudo & gratia, quam feſtinus rerum omnium, quæ ab hominibus plurimi habentur, interitus; quam cordatus ille, qui ſub pedibus peritura terit, ac peſſundat, & in omnem æternitatem duratura bona

26. *Salluſt.*

Illa vita dedecoroſa, ac prope belluina, iuxta Salluſtium, quæ ſine aliquo ſcriptionis monumento ducitur.

Omnis mundi gloria cinere, ac putredine innititur.

Gen. 35. 19.

toto

toto mentis conatu, ac cordis affectu exambit, his solùm inhiat, & innititur.

CERTAMEN III.

Virgo Deipara obsequia in se præstita liberali munificentia rependit.

27. Basil. Seleuc. DE inexhausto diuinæ liberalitatis fonte aiebat Basilius Seleuc. orat. 2. *Sic porrò diuinæ bonitatis imber delatus posterioribus donis obscurat priora: namque vel parturiens beneficentia sua munera, & habere clausum penes se thesaurum impotens, non est contentus prioribus, neque rebus ante datis largitè dona sua circumscribit; neque donatoru desiderium vniuersa terra, & consessum mare satiauit.* *Deus ita munificus vt nouis beneficijs præterita obscuret.* Adeò est munificus, & beneficus Deus, vt nouis beneficiis præterita obscuret beneficia. Quæ verba rectissimè in Virginem Deiparam deflecti possunt, de qua ait sponsus: *Fons hortorum, puteus* Cant.4.15. *aquarum viuentium, quæ procedunt cum impetu de* *Maria priora beneficia in nos grato præstita cumulatioribus auget.* *Libano.* Puteus altus quo plus aquarum subministrat, eo copiosiorem scaturiginem suppeditat; sic Maria, quo plus donorum nobis impetrat, dum gratos nos ipsi exhibemus, cumulatiora dona nobis rependit, & priora beneficia in nos præstita cumulatioribus, ac nouis beneficiis obscurat.

28. Ea est agnata liberalitatis beneficentia, & magnificentia in Deipara, vt laudes, & præconia, obsequia, & scripta quæ gratanti, ac beneuolo animo, siue ore, siue calamo ipsi exhibemus, ea in nos cum Ildebert. fœnore rependit. De ipsa fatus Ildebert. ait: *Decet me sperare maiora meritis, quæ mereris maiora largiri nō desinis.* *Laudes in Mariam exhibita reciproca muneratione rependuntur.* Quisquis obsequioso cultu, ac reuerenti Virginem Deiparam præconiis extollit, præconium famámque sibi per ipsammet Virginem comparabit; etenim laudes in Mariam à nobis exhibitas reciproca muneratione in nos rependit, Basil. Seleuc. authore Basil. Seleuc. orat. 39. *Cum multa, inquit, nobis bona, quæ nullius oratio possit assequi, Deipara opera, nobis contingant, eam benemerentis vicem rependamus, quæ in nos reciprocetur.* *Obsequium in B. Virginē exhibitū pignus est munificæ in nos liberalitatis.* Quasi obsequium in B. Virginem exhibitum pignus sit, & obses munificæ ipsius in nos liberalitatis, & remunerationis. Itaque dum pia audacia Virgineas eualgandi laudes, me temeritatis incusare poterat; benemerendi de B. Virgine studium, & sacra ambitio me simul excusabit.

29. Gen.24. Huius liberalis munificentiæ Marianæ accipe symbolum eximium in Rebecca, Gen. 24. vbi Heliezer Abrahami famulus in Haram profectus dignam puellam in vxorem Isaaco quæsiturus, ex *Rebecca quia liberalis, & munifica digna Progenitrix Christi.* quo coniugio Christus aliquando succedentibus generationibus oriturus erat. Ait ergo Heliezer: *Igitur puella, cui dixero, inclina Hydriam tuam, vt bibam, & illa responderit, bibe, quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam, quod feceris misericordiam* *Effusa vltra postulata liberalitas, præclarum ac proprium B. Virginis stemma.* *cum Domino meo.* Mirabar equidem Heliezerum ex profusiori liberalitate certum indicium desumpsisse eius puellæ, nempe Rebeccæ, quæ adeò destinata erat in Isaaci vxorem, & post longam generationum seriem, in Matrem futuram filij sui. Non disquirit Heliezer in puella nobilissimum Proauorum genus, fumosa Parentum stemmata, nec opulentam pinguę dotem, nec pulchritudinem, orisve venustatem, & elegantiam, quæ omnia magni fiunt in eiusmodi nuptiis conficiendis; sed beneficam, & effusam vltra postulata liberalitatem astu sagaci in puella perquirit; nempe indolem munificam iam tunc auidius desiderabat, non sine instinctu cœlesti, in ea puella, quæ aliquando post plures generationes Progenitrix Mariæ exstitura erat. Adsit Richardus de S. Laur. lib. 4. de laudibus Mariæ: *Largitas Maria assimilat largitatem filij sui, qui dat amplius, quam petatur: Vnde Rebecca, quæ interpretatur, Multum accepit, in figura Mariæ, Heliezer petenti aquam ad bibendum sibi respondit: bibe Domine mi, quin etiam camelis tuis potum tribuam.* Prælatum sanè indicium illius, quæ Mariæ vmbram præferebat, nempe munifica largitas vltra petitionem: itaque ex effusa munificentia vltra preces appositissimè comprobatur digna Mater futura Dei hominis Maria. Richard. de S. Laur. *Rebecca interpretatur Multum accepit.*

Quin potiùs ipsamet Virgo B. Doctorum mentem illustrat, intellectum instruit, & erudit, vt in ipsiusmet laudes excurrant, & in ipsamet scriptione studium scribendi de ea protinus remunerat. 30.

Tempestiuè S. Hieronymus apud Canisium lib. 1. de B. Virgine, cap. 1. ait: *Mariam plerique aestimant interpretari; illuminant me isti, vel illuminatrix.* Itaque Maria in ipso nomine reciprocam illuminandi vicissitudinem præfert. Quotusquisque scriptor, qui in elucidanda Maria destinetur, simul ab ipsa Maria illu[m]inatur. Grande profectò priuilegium inter eos adnumerari, quos Mariæ nomen fœlici omine præsagit. Ait enim eadem Ecclesiastici 24. *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Itaque quisquis Mariam elucidare, vel voce, vel calamo, idest ipsius encomia, ac priuilegia publicare gestit, simul à B. Virgine illustrabitur iuxta nominis ipsius etymon. Sed quis solem per tenui lucerna illustrare præsumet? nihilo seciùs iuxta Mariani nominis præsagium, id toto nisu contendere, & audere non temeritati dandum, sed pio cuidam affectui tribuendum. Hier. apud Canis. *Qui voce, vel scripto Mariā elucidat, vicissim à Maria illustratur.* Eccli. 24.

Hinc Ephræmus Syrus vocat Mariam Moysis splendorem, haud dubium, quia ex consortio Domini in monte, bicorni iubare splendens conspectui populi se dedit Exod. 34. Sed qua de re sermo institutus à Deo eum Moyse sciscitatur S. Methodius hom. de Purif. Mariæ, & respondet: *Nonne Moyses ille magnus propter figuras intellectu difficiles, quæ te Virgo tangebant, diuturius in monte commoratus, & ignota de te, & alta sacramenta edoctus est.* Itaque ex sermone instituto de Maria, vultus Moysis illustratus emicabat. Itane locutio de Maria, studium ipsius laudes publicandi, mentem illuminat, intellectum acuit, rationem illustrat, & erudit ad noua elogia rimanda, & commendanda. Inde Ioanni piscatori rudi Aquilina oculorum acies exhibita est: inde tot arcanorum diuinorum lumina exorta, nimirum ex vicinitate, & familiaritate cum Maria; ait enim Christus, Ioannes 19. *Mulier ecce filius tuus, deinde discipulo: ecce Mater tua, & ex illa hora accepit discipulus in suā.* Ex quo Ioannes Mariam in Matrem accepit, obsequioso, ac reuerenti culto suspexit, ipsique famulatus est, potuit diuinitatis inaccessibilem lucem penetrare. *Quia fidelis probatus est Ioannes,* ait Guarr. serm. 4. de Assumpt. *in obsequio incorrupta Matris, mysteria quoque diuinitatis, & arcano Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit.* Itaque ex conuictu, & familiaritate cum Maria nanciscitur Ioannes præ aliis diuinitatis thesauros reserare. Nouos profectus in scientiis, nouáque in virtutibus incrementa per Mariam nanciscimur. 31. Method. *Locutio, seu scriptio de Maria mentem illuminat, & intellectū erudit.* Ioan. 19. *Vultus Moysis emicabat, quia sermo institutus de Maria in monte cum Deo.* Guarr. *Ex consortio Ioannis Euāgelista cum Maria Aquilino velatu præ alijs diuinitatis thesauros reserauit.*

Audaciuscula nimis cuiuis videri possit Elisæi postulatio 4. Reg. 2. *Obsecro vt fiat in me duplex spiritus* 32. 4. Reg. 2. 16.

ſpiritus tuus. Vnde Eliſæus tam audentes animos ebibit, vt depoſcat duplo ſuperare Patrem Eliam. Putarim id à nubecula parua, quam viderat, obueniſſe. *In ſeptima autem vice,* ait textus ſacer, *ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat è mari.* Quæ verba ſic verſat Ioannes Hieroſolym. lib. de inſtit. Monach. *Hæc nubecula, nempe B. Virgo in ſeptima generatione fuit nata; ſic in eadem ætate fuit à diſcipulis Eliæ viſa in Carmelum ſpiritualiter aſcendens.* Quia ergo Eliſæus, aliique Eliæ ſectatores ſub Mariano patrocinio, & clientela futuri erant; hinc audet Eliſæus duplicatum ſpiritum depoſcere, & magiſtrum excedere. Per Mariam maiorum noſtrorum ſapientiæ aliquid ſoccreſcit, nouique ſcientiarum auctus in dies fiunt. Iden Ioannes vtero concluſus materno tantum gratiæ incrementum accepit, vt in Parentes ipſius refundere potuerit. Vbi enim Mariæ vox audita eſt, ſic in Ioannem gratiæ inundarunt, vt etiam per ipſum in parentes redundarint. *Vox Mariæ*, fatur Guarricus ſerm. 1. de Ioann. Natiuit. *Dum auribus Elizabeth inſonat, ad cor Ioannis penetrat, qui abſtruſus intra materna viſcera. Spiritum eius animat, gaudioque ſalutari vegetat; & cui virtus natura, vix adhuc totam infuderat animam, virtus vocis Mariæ pleniorem infudit propheſiam, adeo etiam, vt de plenitudine filij copioſo videatur in Matrem refundi.*

3. Reg. 18. 44.
Ioan. Hier.
Per Mariam noui ſcientiarum auctus in dies fiunt.
Ioannes Baptiſta per Mariam tantum gratiæ incrementum accepit vt per ipſum in parentes redundarit.
Guarr.

33. Accedamus ergo ad vbera Mariana ſugenda per plurima obſequia in ipſius honorem præſtita, ipſius elogia ore verſantes, ſcriptis euulgantes, ipſiuſque virtutes, & exempla opere exſequentes, ſi velimus in ſcientiis, & in re virtutis magnos in dies progreſſus facere, & à puſillorum balbutie, & infantili virtute ad virorum robuſtorum perfectionem ſcandere. In quam rem apte Richardus de S. Laurent. lib. 2. de laudibus Virg. part. 5. excogitauit, eas animas, quæ paulo antè Adoleſcentulæ vocatæ ſunt Cant. 1. *Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* ſimul atque Mariana vbera ſuxerunt, iam viros robuſtos nuncupari, ita vt à lacte Mariano eiuſmodi celeres progreſſus hauſerint, viriles animos conceperint, virtutem Heroum ebiberint. *Memores vberum tuorum, recti diligunt te.* Cant. 1. Primo vocantur nomine fœminino, poſtquam autem vbere virgineo lactantur, dicuntur Recti nomine virili. *De dilectione*, inquit cit. Richardus, *Maria dicitur, memores vberum tuorum, recti diligunt te, quia enim ſuperius dixerant Angeli ad B. Virginem: ideo Adoleſcentulæ dilexerunt te nimis, quia meliora ſunt vbera tua vino; ne in ſanctis animabus, nomen fœminini generis aliquid infirmitatis innueret, & eaſdem animas, quas vocauerant adoleſcentulas, Rectos vocant, quaſi viriles, non effœminatos, rectos, non ſenectute curuatos: & dicunt, Recti diligunt te memores vberum tuorum; ac ſi dicant; ideo diligunt te, quia in memoria ſua fixum gerunt quod meliora ſunt vbera tua ſuper vinum.* Vbi vides B. Virginem ſuorum clientum obſequia multiplici auctu, liberalique munificentia rependere.

Maria clientes ex infantili balbutie ad robuſteã perfectionem tranſ[f]ormat, Virgineo vbere paſti.
Richard. de S. Laur.
Cant. 1.
Cant. 1.
Rich. cit.

34. Qui ergo Mariano cultui ſe dedunt, & virtute, & ſapientia, & nominis ſplendore reliquos omnes antecellunt. De Filio hominis habes Apoc. 1. *Et habebat in dextera ſua ſeptem ſtellas.* At de Maria ait idem Ioannes Apoc. 12. *In capite eius corona ſtellarum 12.* Ita ne aſtra ſubſeruiunt Filio, ac dexteram eius coronant; eadem Matri Mariæ obſequuntur, eamque luce perfundunt? ſed hoc diſcrimine, quod in Maria in ſublimiori faſtigio ſedem habeant, ſiquidem caput ſublimiorem occupat locum, quam manus: forſan duodecim ſtellæ caput rediminunt, & altius aſſurgunt, quia B. Virgini inſeruiunt, ipſamque colluſtrant; quaſi aſtra quæ Mariæ obſequia præſtant, ac totum ſuum ſplendorem ipſi conſecrant; eiuſdemque excellentias ſuarum lucubrationum lumine, vt poſſunt, illuſtrant, & exornant; reliqua omnia ſydera Doctorum, & loci ſublimitate, ac poſitione, & motus celeritate, & influxuum benignitate, ac demum lumine, & ſplendore micanti prætergrediantur.

Mariani cultores & ſapientia, & nominis ſplendore reliquos antecellunt.
Apoc. 1.
Apoc. 12.

Peridoneè Maria Galilæa dicitur, id eſt rota, ſeu rotatrix; id enim ſignificat illud nomen, ſi credimus Greg. Nyſſeno orat. 2. de Reſurrect. inſtar rotæ enim cœleſtis totum orbem circumrotauit; ſiquidem ortu Mariæ tanquam Rotatricis vniuerſus orbis ima ſummis, & è contra commutauit; nam in lege veteri nuptiæ, & coniugia permagno habebantur, Virginitas abiecta nimis, & humili loco poſita, quam Maria in altum euexit: Deus ſedem fixerat in altiſſimo cœlorum faſtigio, tanquam in ſede propria, illum tamen ad infima terræ deiecit Maria. Dominium protenderat in vniuerſum terrarum orbem Lucifer, ſed Maria eius potentiam debellauit, perfregit, ipſiuſque caput contriuit; noſtramque deiectionem in ſublime ſuſtulit. Sed aptius ad noſtram mentem Virginem Deiparam, rotam ſeu rotatricem dixeris, ad eum modum, quo cœleſtis ſponſus dicitur ſphæra cœleſtis: vbi enim de eo ſponſa ait: *Manus eius tornatiles plenæ hyacinthis.* Alij exſcribunt: *Manus eius ſphæra cœleſtes.* Quia inſtar orbium cœleſtium frequentes beneficiorum influxus in nos effundit. Sic Virgo B. tanquam rota, ſeu ſphæra cœleſtis, obſequia minima à nobis in eius honorem præſtita largo donorum imbre rependit. *Verſatus eſt Chriſtus*, inquit S. Anaſtaſius Synaita lib. 3. Hexam. *cum proprio orbe, nempe Maria.* 35.

Maria Galilæa, id eſt rota, quia totũ orbem circũrotauit.
Greg. Nyſſ.
Cant. 5.
Maria tanquam ſphæra cœleſtis cœleſtes influxus in nos effundit.
Anaſt. Syn.

Ideo arbitrantur aliqui, noluiſſe Deum in propria Tribu concipi Mariam, ſed in aliena, nempe Zabulon, quia Maria inſtar orbis cœleſtis nullam propriam patriam habitura erat, quia in omnium vſus aduenerat. Olim per ignem è cœlo deciduum ſuper ſacrificia, Deo illa gratiſſima fuiſſe denotabatur, vt in Abelis ſacrificio contigiſſe ſacra volumina conteſtantur. At obſequia in B. Virginis honorem præſtita ipſi Virgini, ac Deo gratiora extitiſſe niues è cœlo deciduæ aliquando conteſtatæ ſunt: nempe Deus à Matre, depoſito ignis terrore, mititatem, manſuetudinem, & mollitiem niuis ebibit: niues etiam anni feracitatem, vbertatemque portendunt: Sic officia cultorum Mariæ in eiuſdem cultum obita, maxima beneficia ipſius B. Virginis, ac multiplici fœnore in ipſos cultores exhibenda præſagit. Vlterius S. Bonauentura in ſpeculo ait: *Maria eſt nobis columna nubis iuxta illud Pſal. Deduxit eos in nube: quia tanquam nubes protegit ab æſtu diuinæ indignationis, & ab æſtu diabolicæ tentationis; ſicut dicitur in Pſal. Expandit nubem in protectionem eorum.* Quoties ergo ambitionis æſtu torreris, & arroganti faſtu honoribus inhias: quoties hianti animo inexplebili gulæ pruritu delicias ſitis; ſi libidinum ignibus exæſtuas: ſi ſatanica odia, & ſimultates in pectore ebulliunt, & ad vindictam exſtimulant, & accendunt. Tunc Mariam inuoca, eius auxilium expoſce; mihi crede, omnis æſtus refrigerium capiet, tepeſcet, ac omnis Diabolicus ignis extinguetur. Quiſque ſub eius vmbra conſederit, omnem exæſtuantem ardorem mitigabit. Hæc nubes Mariana niues placidiſſimas influet, quibus omne

36.
Maria inſtar orbis cœleſtis nullam propriam patriã habuit.
Deus à Maria mititatẽ, & mollitiem hauſit.
Bonauent.
Pſal. 104. 39.
Maria nubes, quæ niues influit, quibus tartareum incendium extinguit.

Tartarorum

Tartarorum incendium mitigabit, & irritos Dæmonum conatus elidet.

Maria suis elucidatoribus propugnaculum est, & munimen.

Cant. 6.

Guillelm.

37. Itaque laudum suarum buccinatoribus Maria propugnaculum est & munimen. *Collum tuum, sponsum eam alloquitur, sicut turris David, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 6. quæ verba ita premit Guillelmus: *Collum Virginis etiam sunt de ea scribentes, quia per collum cibum Dei deglutiunt, & in alios quasi in corpus transmittunt; hi sunt vt turris David, ab Hæreticis inexpugnabiles, cum propugnaculis, id est multis exstructis sententijs: mille clypei pendent ex ea, scilicet defensiones sacræ scripturæ; omnis armatura fortium, id est ad expugnandam prauitatem Hæreticorum sacram Virginem impugnantium.* Quasi Virgo Deipara armamentarium sit, quo de Mariani scriptores arma depromunt aduersus maleuolorum linguas, propugnaculum item, vbi ab hostium telis præmuniuntur; ex quo etiam iacula contorquent, spicula iaculantur, quibus hæreses debellant, errores transfodiunt, impietatem transadigunt.

Armamentarium item ex quo arma depromunt scriptores aduersus Diabolū.

Cassiod.

38. Amplius pie audax subiungam, nempe Mariam vectigalem fieri his, qui Religioso pietatis affectu, & obsequio, sublimia eius priuilegia pro viribus extollunt. In quam rem recte scripsit Cassiodorus lib. 1. Variar. Epist. 13. *Dignitas dum ad incognitum venit, donum est; cum ad expertum, compensatio meritorum. Quorum alter debito iudicij, alter obnoxius est fauori.* Ac si diceret, (ea verba B. Virgini aptando) qui notam B. Virginis dignitatem, ac sublimes dotes commendant, illam faciunt debitricem, seu vectigalem suæ commendationis: qui vero arcanas, & reconditas eius excellentias soli Deo notas rimetur, & euulget, eandem reddit obnoxiam fauori, & quasi obæratam, vt in suos clientes, & commendatores liberalem munificentiam ostentet. Ignota B. Virginis priuilegia, & adhuc in dubium versa approbanda etiam sunt ab ipsius clientibus: quidquid aperte non videatur absurdum, quantumuis magnum priuilegium, dummodo fides non contradicat, pie credi, ac dici, & publicari præstat; præsertim cum Maternitas Dei maior sit omni elogio, omneque superet priuilegium. Recte Gerson in serm. de Natiuit. Virgin. in rem præsentem hæc habet: *Offertur ex Matthæi verbis vnum fidei principium. Quod ex Maria natus est Iesus, & ita fuit Mater Dei, quia Christus est Deus: ex hoc autem principio concluditur alterum, quod decuit vt Maria tanta puritate niteret, vt dicit Anselmus, qua sub Deo maior nequeat intelligi. Ex hoc duplici principio veluti copiosissimo, & amplissimo laudum seminario, habet deuoti contemplantis animus, vnde faciliter assurgat ad laudes quantaslibet Mariæ quomodo si recte adscribat ei per sufficientiam, aut virtualem continentiam, laudes, quas in alijs creaturis, etiam Angelicis considerat. Nam habet hoc Hierachicus ordo secundum Dionysium, vt inferiorum virtutes sint in superioribus perfectiori modo reposita; quemadmodum sapientia perfectior est in Seraphim, quam in Cherubim. Est autem Maria super omnes choros Angelorum per gratiam, & gloriam sublimata; erunt igitur in ea perfectiones cæterarum creaturarum irrationabilium & rationabilium.* Sicut ergo Theologi ex titulo filij Dei, tanquam ex principio de fide deducunt dona, ac priuilegia singularissima, ac præstantissima Humanitati Christi collata; ita cum proportione ex titulo Maternitatis Dei, tanquam ex principio de fide, singularissima, ac eximia dona, ac priuilegia eidem collata deducere fas est: si enim maxime docuit, rationique consonum omnino est, Humanitatem Verbo vnitam omni priuilegiorum, ac donorum genere exornari; ita etiam maxime æquitatis, ac decentiæ consentaneum fuit, gratiarum omnium, ac charismatum, & priuilegiorum affluentia, post filium Dei, Matrem condecorari.

Mariam debitricem, & vectigalem efficiunt sibi Mariani laudum buccinatores.

Gerson.

Ex duplici principio colligit Gerson Marianas laudes.

In Maria iuxta Gersonem splendēt perfectiones creaturarum, rationabiliū & irrationabilium.

Quocirca non solum priuilegia nota, & certa deferenda sunt Mariæ, sed etiam quæ ignota, & dubia sunt, nisi fidei aduersentur; quia Mariana elogia omnis humanæ mentis fastigium transcendunt, cognitionem præteruolant, captumque subterfugiunt. Officinam immensorum bonorum, omnis mentis captum superantium vocat Mariam S. Damascenus orat. de Dormit. Virg. Nihil ergo mirum, si ipsius encomia quantumuis grandia, & dubia, & nobis ignota, tanquam verissima approbemus. *Præsumuntur multa*, verba sunt Nicolai Abbatis de S. Albano, à secretis S. Bernardi, apud Petrum Cellens. lib. 9. epist. 9. de Virgine, *quæ nusquam leguntur, & præsumptionibus standum est, donec probetur contrarium.* Qui enim vel dubiis Mariæ laudibus fidem non facit, sui silentij, ac tenacitatis pœnas persoluere promeretur. Apparet Angelus Zachariæ Luc. 1. prædicens Ioannis conceptionem ex sterili vulua, quæ iam Virgineam Mariæ fœcunditatem præstruebat, authore Gabriele Luc. 1. *Et ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.* In dubium reuocat oraculum Zacharias, sibique persuadere detrectabat tantum prodigium, cum ait: *Vnde hoc sciam.* In cuius dubitationis crimen interminat Angelus: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui.* In Græco est ἄλογος. Ideo Origenes hom. 5. in Luc. Ita verba Angeli transfert: *Eris absque sermone, sive ratione.* Merito qui auscultare renuit, nec approbat dubia, & ignota Mariæ priuilegia, nec laudibus Marianis acquiescit, nisi certis, ac indubitatis, licet sit sacerdos, & Propheta, est ἄλογος, id est sine sermone, & sine ratione. 39.

Damasc.

Nicol. Abb. de S. Alban.

Petrus Cell.

Standum est præsumptionibus in deferendis laudibus Dei Genitrici.

Luc. 1.

Qui vel dubijs B. Virginis priuilegijs fidem non faciunt supplicium calestę promerentur.

Orig.

Inde arbitror, non casu accidisse silentium de Deipara apud Euangelistas, sicut etiam de Melchisedech, sed ex singulari Dei consilio; suprà huius rei rationes aliquas produxi: nunc subiicio, tantum de Maria silentium inde ortum, quod Euangelistæ solum memorant ea, quæ hauserunt à Maria de infantia Saluatoris: vnde enim instrui possent Matthæus, & Lucas illis de rebus, quæ primis capitibus referunt, videlicet Iosephi tristem cogitatum, nuntium Angelicum, Baptistæ sanctificationem, & exultationem in vtero, Magorum Religiosam adorationem, & alia plura, nisi à B. Virgine id cognouissent; at vero ipsa humilitatis amans noluit nec ortum suum, nec alia quamplurima, quæ in suam laudem cedere possent, propalare. Tum quia ex Deiparæ dignitate cætera omnia constare poterant. Tum quia timeri poterat, ne si tot, ac tanta prodigia de Maria publicarentur, daretur occasio Hebræis, vel Gentilibus, vt ei diuinum cultum attribuerent, & inter Dearum album eam reponerent. Demum & ad nostrum Institutum, vt noster in B. Virginem affectus impensius eluceret, dum non fidem hauriret ex Historia Euangelica, sed ex pia meditatione, quæ tamen inniteretur pluribus, ac grauissimis rationibus, & coniecturis. Hinc August. serm. 31. de tempore illud protulit. *Maiorem affectum mihi debeo, vbi credulitatem meam cogit contemplatio, quam vbi fidem hortatur opinio.* 40.

Affectus in Mariam impensius elucet, si vel dubijs ipsius laudibus fidē damus.

August.

Caluinus nolebat fidē habere priuilegiis Marianis, niſi Cæleſte diploma exhiberetur.

41\. Profectò ridiculum omnino eſt quod aiebat Caluinus de ſpeciali B. Virginis priuilegio, ſe nolle credere, niſi cœleſte diploma illi proferamus. Ita ſunt nonnulli, qui nolunt acquieſcere, niſi his, quæ à ſacris literis firmantur; vel Patrum vnanimi conſenſu recipiuntur; quia inquiunt ea, quæ ab vnius tantum teſtimonio dependent, interdum fallere conſueuerunt. Si igitur hæc cautio locum apud homines habeat, nemo deinceps credat, hos aut illos homines à legitimo toro natos, quia fœminæ ſæpè infidæ ſunt maritis, & alienis commiſcentur viris. Neque in poſterum facilè credendum te eſſe baptizatum, cum ſolum id conſtet ex vnius hominis, vel mulierculæ baptizantis intentione, & dicto. Neque confidenter Hoſtia poſt conſecrationem latria adoranda eſt, quod ſolum innitatur vnius ſacerdotis dicto, ſe habuiſſe conſecrandi intentionem. Neque fides plena habenda erit Hiſtoriis Sanctorum, quæ habentur in officio Eccleſiaſtico, quia vnius plerumque, vel alterius teſtimonio nituntur. Frequenter etiam erit timenda iactura in explicatione ſacrorum Bibliorum, quia ſolum à connexione quadam apparenti, & congruenti ratione pendent plures Ezechielis, Apocalypſeos, ac Prophetarum interpretationes, Doctorum ſententiæ variæ, quæ cum inter ſe omnino pugnent; timenda eſt veritatis iactura, hinc forſan dicta coniectura, quia frequenter contingit cum iactura. Nonne in his, quæ Theologi exagitant de moribus, quæ ad Theologiam moralem ſpectant, & ab expoſitione iuris poſitiui dependent, ſunt plena expoſitionibus oppoſitis, ſententiis omnino pugnātibus inter ſe, ac tenuibus coniecturis innitentia. Quid de diſputationibus ſcholaſticis afferam, quæ maxima ex parte congruentibus rationibus, ac meris opinionibus firmantur, vt patet in tractatu de Trinitate circa numerum Notionum, & circa conſtitutiuum eſſentiæ Dei, Attributorum, & diſtinctionem inter ſe, & ab eſſentia, & alia huius generis, quæ longum eſſet percenſere.

Pleriſque veritatibus fidē ob vnius aut alterius teſtimonium adhibemus.

42\. Equidem nos in Patrum veterum, tum nouiorum Doctorum de Virgine Dei Genitrice Maria ſubtili, ac docto calamo ſcribentium monumentis, tanquam in perampla meſſe virginearum laudum faſces demetemus, vtinam fœlici falce, quibus horrea famæ Deiparæ æternum victuræ repleamus. Lapides ac ligna ab aliis accipiemus, extructio tamen noſtra erit: architectus ego ſum, ſed & materiam varie vndique conduxi, vt aiebat Lypſius. Perutile eſt plures à pluribus fieri libros diuerſo ſtilo, non diuerſa fide, vt ad plurimos res ipſa perueniat ad alios ſic, ad alios ſic, dixit Auguſtinus. Nec verò quia ab aliis mutuentur ſenſa, & rationes, ideo minus vtilis, ac proficuus diſcurſus cenſendus eſt: quippe ſenſa propria, & cogitatus non ſemper meliores. *Nec aranearum ſane textus*, verba ſunt Lypſij, *ideo melior, quia ex ſe fila gignunt, nec noſter vilior, quia ex alijs libamus vt apes.* Quare hic pleraque priuilegia ex aliis decerpſimus, quæ licet dubia, & adhuc ſub lite maneant; præſtat tamen vel dubias Beatæ Virginis laudes in honorem tantæ Matris noſtro qualicumque approbare ſuffragio.

Aranea ex propriis fila ducit, apes ex alijs mellibat.

Lypſius.

CERTAMEN IV.

Ea eſt ſcientiarum profunditas, ac Marianorum priuilegiorum celſitudo, vt nequeat à multiplici ſcriptorum congerie exæquari, nedum exhauriri. Sugillantur nouitatum oſores.

Libet in hoc congreſſu præoccupare aliquorum querelas acriter ſæuientium in eos, qui hoc æuo nouas affectantur ſententias, recentes cudunt opiniones, nouitates inuehunt in ſcholas, à nullo ex veteribus Doctoribus exagitatas, quibus antiquorum authoritas deſpicitur, veterum ſcripta neglectui habentur, eorumdem nomen, & doctrina minuitur, & labefactatur, nulla canis reuerentia exhibetur. Quod præcipuè ipſi inique ferunt, in nouis B. Virginis priuilegiis ore decantandis, vel ſcripto poſteritati tradendis. Rem difficilem aggredimur, dum horum Doctorum querelas compeſcere nitimur, non quidem quia rationes, & argumenta robuſtiſſima nobis deficiant, quibus veritas hæc demonſtrari poſſit; ſed quia res agitur cum hominibus, qui non tam ratione feruntur, quam à iudicio proprio raptentur, affectione præuenti: rectè in eos inuehitur Sixtus III. in ſuo opere: *Habet quippe, inquit, hoc conditio generis humani, vt nec proprio, nec extraneo iudicio acquieſcat, & contra omnium, ſuamque ipſam conſcientiam venire malit, quam id impugnare, quod ingenti ardore dilexit.* O cæca hominum conditio, quorum mens, non rationis lumine ducitur, ſed à propriis affectionibus captiua raptatur. 43.

Sixtus III.

Illud in primis compertum eſt, neminem ex antiquis, ſeorſim ſumptum, neque omnes ſimul coniunctos Doctores immenſum ſcientiarum Oceanum dimenſos fuiſſe, ſed plura à veteribus, & recentioribus Doctoribus omiſſa fuiſſe. Suar. tom. 2. in 3. part. miratur Theologos ita fuſo calamo de Angelorum creatione, natura, proprietatibus, ſcientia, gratia, &c. diſſeruiſſe; ac de Angelorum Imperatrice vix ex profeſſo vnam, aut alteram diſceptationem inſtituiſſe: verum in eiuſdem peruestigandis priuilegiis multum nouiora deſudarunt ingenia. Meritò in horum Doctorum laudes vertes illud Danielis præclariſſimum vaticinium, cap. 12. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum, plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia.* Quæ verba ab Interpretibus doctiſſimis capiuntur ne nouis ſacrorum voluminum commentariis, ac de nouioribus ſententiis, ac ſcriptis, quæ quotidie à recentioribus cuduntur, id ita diſponente diuina prouidentia, ne veteres Doctores inſoleſcerent, ſi mentium ſuarum bolide ſapientiæ profunditatem attigiſſent, vt benè Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 6. *Quod totum, ait diuinitus prouiſum eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facile inueſtigata vileſcunt.* Quibus verbis tacitùs ſugillantur illi, qui omnis nouitatis oſores, recentiorum ſcripta reſpuunt, ſolius antiquitatis amantes, hanc expetunt, hanc ſuſpiciunt, & venerantur, huic ſe totos deuouent, pro hac tutanda linguarū enſes exacuūt, nouiorum ſententias feriunt, & calamis tanquam gladiis recentiorum opiniones proſcindunt; ac ſi Antiquorum ſcripta aliquando noua non extirerint. Profectò ſcripta illa, quæ ſolum labentium annorum diuturnitate nituntur, vix vnquam eruditorum 44.

Suar.

Merito queritur Suarius, quod plura Doctores de Angelis tractent, de Angelorum Regina pauca.

Dan. 12.

Auguſt.

Illa ſcripta eruditorum plauſus naſciſcūtur, quæ omnigena, eruditione ſplendent.

Illa scripta eruditorum plausus nanciscuntur, quæ omnigena eruditione splendent.

Amobius.

torum hominum plausus nacta sunt: illa vtiq; siue veterum, siue neotericorum monumenta inter sapientes famam, nomenque compararunt, quæ rationum vi firmantur, subtili cogitatu scatent, omnigena eruditiooe splendent, ac singulari inuentione pollent. Ad ioteotum Arnobius lib. 1. contra Gentes *Noua res est, quam gerimus, quandoque & ipsa vetus fiet; vetus quam vos agitis, sed temporibus quibus cœpit, noua fuit. Religionis autem authoritas, non est tempore æstimanda, sed numine; nec colere qua die, sed quid cœperis, conuenis intueri.* Illa vtique senteotia lauro, & corona tedimitur apud Doctos, non quæ diuturniota tempota emensa est, sed quæ valentioribus agit rationibus.

Nulla sententia adeo vetus, quæ noua non fuerit.

45. Cuius tei accipe symbolũ appositissimũ Ap. 19.

Apoc. 19. *Et vidi, inquit Ioannes, cælum apertum, & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verax, & in capite eius diademata multa, & vocabatur nomen eius Verbum Dei.* Sed cur equitis huius tam multiplici corona cinguntur tempora? anne quia quot tegna suo subiiciuntur imperio, tot diademata multiplicantur, vt in tege Ptolomæo, qui qoot subiugatas sibi prouincias numerabat, tot suum exornabant caput coronæ: ita enim habes 1.

1. Mach. 11. Machab. 11. *Et intrauit Ptolomæus Antiochiam, & imposuit duo diademata capiti suo Ægypti, & Asiæ.* At delicatum tegis caput nimium tot diadematum pondete premeretur. Equidem existimarem hic ad viuum exprimi veritatis triumphum, quo in dies per nouas tecentiorũ sententias, vel ab Ecclesia fide diuina stabilitas, vel à maioti Ecclesiæ parte comprobatas aduersus mendacia, & errores Victrix ouat Veritas, quod subiudicat equi quo vehitur, candor, & equitis cognomen illud. *Fidelis, & verax.* Insurgit Nestorius, & Atius, quorum alter denegat diuinitatem Christo. Alter illustri Dei Maternitatis elogio B. Virginem ore blasphemo denudat; vterque iniuriolus in Christum, & Mariam, honorificentissimum Theotócos nomen ei surripere contendunt, pro quo tutando Veritas candidissimos Athanasij, & Cytilli equos ascendit, & aduersus hunc errorem lanceam euibrat, strenue dimicat, & triumphum tepórtat, & ex lauro contexta corona Veritatis tempora cinguntur. Vlterius satanicus furor arma ministrat, & insurgunt veneniferæ Harpiæ Heluidius, Cherintus, & alij Hætesiarchæ, qui Marianam Vitginitatem æternum florentem sacrilega temeritate deuenustant: at Veritas Verbi diuini innixa Hieronymo, Augustino, Thoma, Bonauentura, Scoto, Bellarmino, Canisio, & aliis horrenda hæc monstra debellat, & contrucidat; & quoties de mendacio, & errore triumphat, tot sertis caput eius tedimitur. Nec Deus solius vnius Doctoris quantalibet sapientia conspicui dexteritate vsus est ad confutandam falsitatem, ad superanda errorum monstra, sed plurimorum Doctorum successiuis sæculis linguas, & calamos cootorsit. Hic Verbi diuinitatem, eandemqoe cum Patre naturam, & substantiam acerrime tutatus est. Ille Maternitatem Dei verbo, & calamo tanquam tormentis bellicis expugnauit. Alius, pro Mariana Virginitate omnium dexterrime dimicauit. In quorum censum venire possunt plures ex recentioribus Doctoribus, quorum lucubrationes, & scripta, tum in aliis materiis, tum præcipue in priuilegiis Dei Genitricis Mariæ decantandis nouitus Veritatem adornarunt, ac nouas Verbo diuino corollas intulerunt. Has nouas Verbo diuino glorias eripete tentant omnium noua-

Veritas, & sapientia per nouas recentium sententias ab ignorãtia triumphat.

Verbum diuinum quoties de mendacio, & errore triũphat, toties nouis sertis redimitur.

rum sententiarum osores. Verissime Origenes, ac fortiter scripsit tom. 1. in Ioann. *Si enim vnum esset vniuscuiusque generis falsum, quo superato, & victo contra illud coronam sumpsit Verbum. Profecto iure, ac merito corona vna amictum fuisset; nunc cum multa falsa sint, quæ veritatem profiteantur, in quæ bello gesto Verbum corona donatum, multa sunt diademata, quibus caput Verbi, quod vicit omnia, redimitur.* Orig.

Nouas coronas sapientia cripiunt nouarum sententiarum osores.

Sed ab sponso ad sponsam gradum faciamus. 46.
Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. Pangit Hebr. Rex Psalm. 44. Psalm. 44.
de sponsa Maria. Quæ verba S. Basilius in eundem Basil.
Psalmum, ad sacram scripturam deflectit. Aurum innuit literalem sensum; versicolor vestimentorũ varietas, varias, ac multiplices Interpretũ sentẽtias denotat. *In vestitu deaurato, ait Basil. id est dogmatibus spiritualis intelligentia subtextis, sed horum species multimaria, vt quæ in se recipiunt sermones morales, & physicos, ob hoc vestem sponsæ indicat scriptura varietate picturatam.* Et Diuus August. pro sua innata ingenuitate fatetur, sacrarum scripturarum atcana Sacramenta haud quaquam penetrare potuisse. *Non solum in alys innumerabilibus rebus multa me latent, sed etiam in ipsis sanctis scripturis multo nesciam plura, quam sciam.* Epist. 119. ad Ianuarium cap. 21. Eiusdem sunt sententiæ S. Hieronymus in procemio epistol. ad Ephesios. Irenæus lib. 2. contra hæreses cap. 47. & D. Thomas opusc. cuius initium est, *Pertransibunt plurimi.* Quod si eiusmodi primæ magnitudinis Doctores, qui reliquis antistant, innumeræ quæstiones latuerunt, verissime proferre possumus, pleraque à veteribus Doctoribus ignorata fuisse.

Scriptura sacra tanquam regina veste multicolori ornata, id est nonnis & pluribus interpretationibus intertexta.

August.

Hieron. Irenæus. Thomas.

47. Primis illis nascentis Ecclesiæ temporibus paucissima de B. Virgine postetitati tradiderunt illius temporis scriptores; plura labentibus sæculis pro suo quisque in Dei Genitricem studio typis commendarunt. *Sed nunquid*, verba sunt Hieronymi citat. *aut Tertullianus B. Martyrem Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à scribendo.* Non vtique, sed in dies aurum vestis sponsæ Mariæ, videlicet eius multiplex gratiæ pulchritudo, sublimes dotes, specialissima priuilegia, nouitus scintillabit, nouumque iubar eiaculabitur, oouoque splendore perfundet nouiorum Doctorum ingenia, quo in oouas Dei Genitricis laudes assurgant, nouaque in eiusdem honorem volumina cudant, & & in lucem dedant. Et hæc multiplex opinandi varietas pulcherrimam Mariæ vestem exornat, ac venusta varietate circundat, cuius pulchritudinem deuenustat, & obscurat qui nouas recentiorum sententias ab scholis arcete satagit. Nec enim mioori laude digous fuit Isaac, quod nouos aquarum puteos aperuerit, quam ex eo quod semel à Patre Abrahamo apertos adinuenerit, quos excæcauerant Palæstini: itaque Isaac non contentus parentis sui puteis, amplioris nominis amans, labori non parcit, quia recentibus aquarum venis inhiabat, ideo noua crystallinarum aquarum fluenta rimatur. Per hos puteos intelligit Rupertus cum Glossa Interlineali, arcana sacrarum literarum sacramenta, ac veritatis mysteria, quæ Hæretici nostri temporis multiplici Glossemato offundunt: conueniant ergo Moderni Doctores, qui antiquorum Patrum vestigia terentes, horum salubrium laticum fontes aperiant, & vlterius progredientes recõditas vndarũ latebras adinueniant,

Hieronym.

Vestis Mariæ multicolor, scilicet multiplex gratia, & priuilegiũ in dies nouitus splendet per nouas Recentiorũ sententias.

Gen. 26. 18.

Glossa Interlin.

Veteres Doctores exhaurire nequiuerunt abstrusos scripturæ puteos, nec Mariæ priuilegia rimari, vtpote immensa.

nouos scaturientium aquarum riuulos detegant, nouas sententias in lucem edant, noua Dei Genitricis Mariæ priuilegia excudant, Marianas laudes amplificent, quæ nouitate sua animos oblectent, opinionum varietate exhilarent, sententiarum pondere mentes alliciant, styli pulchritudine appetitum rationalem sciendi titillent, & subornent; ac demum B. Virginis clientibus recentium scriptorum acumine, & inuentione blandiantur. Nemo itaque sibi persuadeat Abrahamum, licet Patrē excelsum, Deóque charissimum aquas omnes exhaurire potuisse; noui Isaaci, & recentes Doctores exsurgunt, nouos, & abstrusos aquarum riuos aperiũt, quæ & salubritate, dulcedine, & claritate cum aliis omnibus componi possunt. Opportunissime in rem præsentem facit Rupert. in prooemio commentarij in Apocal. *Sed dicat aliquis iam fas est, quod alij meliores & sanctiores inuenerunt, & scripserunt, temerarium est adijcere quidpiam ad ea, quæ à nominatis, catholicisque Patribus dicta sunt. Sed quis rectè indignetur, quod post vnũ, aut duos puteos, quos foderunt Patres precedentes, plures fodiant labore filij succedentes: Isaac alios puteos fodit, ergo nobis quoque concedant, post illos tractatus, quos tractauerunt Patres nostri, & alios fodere puteos venere ingenij, dummodo vinam & nos aquam reperire possimus, quæ nulli noceat viuenti, nulli scandalum, vel errorem faciat legenti.* Non igitur Maiores nostri omnium succedentium ingeniorum discursum exhauserunt, neque immensos sacrarum Literarum thesauros inuenire potuerunt, neque infinitum pene gratiarum mare Mariæ mentium suarum radiibus dimensi sunt.

Rupert.

48. Præsertim cum adhuc inter angustos naturæ cancellos videamus post tot labentia sæcula indefessam naturam nouos partus edere. Mare quidem immenso sinu suo victui Proauorum nostrorum foecundam piscium varietatem, lapillorumq; thesauros produxit. Aër per tot annos vsque ad delitias homines aluit, totque auicularum cantu mulsit. Tellus foecundior mater per tot annorum myriades, quos illis fructus non subministrauit? quos succos, quos odores, quos sapores non protulit in Maiorum nostrorum victum, vestitum, ac sensuum voluptatem? Quid ergo? Nũquid soli Progenitores nostri hac opipara naturæ mensa potiti sunt? Vel elementa auara in nos se præbuerunt? Anne tellus se nobiscum gessit parcius, in fructibus nostro æuo parandis? in animalibus procreandis? Quin potius nullis retroactis sęculis experti fuere Prędecessores nostri naturam adeo donis exuberantem, ac prodigam in producendis diuitiarum thesauris, in margaritarum, & adamantiũ lapillis edendis, siue aromatibus odoriferis, ac nos; quibus tellus nũ nouercam, sed matrem piissimam seipsam exhibet opimam in victu, in animalibus foecundam, in thesauris diuitem, in fontibus exundantem, prouidam in medicamentis, pulcherrimam in nouis venustatibus, variam ac multiplicem in florum, odorumque fragrantia, quibus appetitui blanditur, voluntatem rapit, sensus subornat. *Neque enim in giguendis optimis lassa est natura, & quasi effœta*: dixit Plinius Iunior lib. 3. epist. Si ergo in rebus naturæ quotidie mens nostra nouos partus admiratur; nihil mirum, si in scientiarum, ac sacrorum voluminum oecano, in dies mens nostra noua sensa rimemetur, nouos veritatis foetus in lucem edat, semitas à nemine tritas aperiat, neq; à veteribus adinuétas, qui licet stellæ primæ magnitudinis à nouiorum Doctorum luce, ac splendore superari potuerunt.

Natura post tot sæcula nouos partus edit.

Plinius Iun.

In cuius rei confirmationem, accipe illustre symbolum. Soluunt ab Oriente tres illi sapientes Reges nouæ cuiusdam stellæ radiis allecti recens Regē natum quæsituri. Sed quid singulare, ac rarũ in nouo illo sydere coruscabat, quod eos quasi occulta, ac potenti vi ad tam insolitũ & difficile iter aggrediendum adegit? Respondet D. Leo ser. 3. de Epiph. illam stellam luce, ac splendore reliquas antecelluisse. *Stella, ait, cæteris stella fulgentior.* Prodigio simile diceres, stellas omnes ab orbe condito lucere edoctas, ab vno sydere nouitio, toto cœlo teste, & admirante, superari? Profecto vt addisceremus, quandoque contingere posse, vt Antiquorum lucubrationes à nouiorum Doctorum scriptis, acumine, splendore, inuentione, & arte deuinci; stellarum enim nomine appellantur Doctores, Daniele teste c. 12. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Imo eadem allegoria ductus quispiam addere posset, ab aliquo nouiori sydere aliquo modo offundi, & obscurari Principis planetarum splendorem, & à moderni alicuius Doctoris in scribendo dexteritate antiquitatis Principes superari: cui asserto suffragium feret D. Chrysost. dum ait Magorum stellam cum sole de splendore contendisse. *Hæc vero stella ipsos etiam solis radios proprio quodam præcipuoque fulgore superabat, clarius illis apparens, atque in tanto eorum lumine magis ipsa resplendens.* Chrysostom. hom. 6. in Matth. signate autem huic placito fauet idem tom. 3. homil. de ferendis reprehensionibus, & conuersione S. Pauli, vbi ait. *Multa enim sunt, quæ magni, & admirabiles viri ignorant, quæ tamen parui abiectique scire solent. Humanam naturam multa latent, & sæpe abiectus quisque, & vilis inuenit, quod magnus & sapiens vir præterit.* Quod firmat ex Paulo ad Ephes. 3. ad illa verba: *Mihi omnium sanctorum minimo data est gratia.* Quæ verba ita versat homil. 7. ad Eph. & in Prologo in Ioan. *Si ergo principatus, & potestates, Cherubim, ac Seraphim hæc per Ecclesiam didicerunt, plane constat ipsos Angelos summa cum attentione eius se Auditores exhibuisse.* Itaque Cherubim ipsi tanquam Pauli scholares, ac discentes eius Gymnasium frequentarunt, & ab eius ore pendentes plurima didicerunt. Concludit ergo Chrysost. *Mihi datum est, ait Paulus, qui sum minimus: erat autem hoc quoque gratia, quod paruo maiora sunt credita, vt esset eorum Euangelista.* Itaque primi illi ex antiquitate Doctores, scientiarũm Primores, & Antesignani, sapientiæ Gigantes à minimis Doctoribus aliquando superantur dicendi methodo, elegantia, & splendore, neruosa argumentandi vi, verborum lenocinio, rationum acumine, sententiarum pondere, persuadendi robore, ita vt omnis veterum sapientia sibi gratulari, ac plaudere possit, quod nouo splendore ac gratia nouiorum Doctorum beneficio multo comptior, & elegantior se se in conspectum hominum exhibeat. *Adijce splendorem, gratiam, venustatem, per te posteritas intellecta gratulatur, quod ante vetustas non intellectum venerabatur.* Aiebat Vincentius Lyrin. commonit. 1. aduersus prophanas nouitates c. 27. Cui subscribit Melchior Cano in prooemio ad loca Theologica: *Atque hac vna re quantum animi mei coniectura colligere possum; Iuniores vel pares antiquis, vel etiam superiores reperiuntur.*

49. Matth. 2. S. Leo. *Noua Magorum stella reliquas fulgentior stellis.* Daniel. 12. *Nouiorum Doctorum scripta veterũ lucubrationes splendore, & acumine superare possũt.* Chrysost. Chrysost. Ephes. 3. Chrysost. *Angeli Pauli scholares eius Gymnasium frequẽtarunt.* Chrysost. Vinc. Lyrin. Canus.

Quod nos edocere forsan Christus Dominus voluit, cum aquas in vinum transtulit. Equidèm non possum non mirari Christi Domini omnipotentiam 50.

Iuniores Doctores e fluentis veterum epotantes, aquas in vinum conuertũ: quia iuniorũ scripta aliis præstant sicut vinum aquis, & forma materia, iuxta Canũ.

tentiam, ab aquis quasi auxilium deposcere ad miraculi illius patrationem, pari enim facilitate vinum ex nihilo creare potuisset, aqua illi nullam subministrante materiam; tunc autem maius fuisset prodigium, miraculosius portentum, si de nouo vinum ex nihilo produxisset, hoc quippe facto authenticum diuinitatis suæ testimonium hominibus exhiberet, cum creatio ex nihilo propria sit solius diuini Numinis: voluit tamen, vt præcederent aquæ plenæ hydriæ, sicque in vinum transeant. Cur ita? *Nam vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua, sic tamen facta sunt, vt origo maneret ex veteri, cum non ex nihilo vinum, sed ex antiquo aqua gignitur elemento.* Dixerat Gaudentius Brixiensis tractat. 8. Per aquas scientiæ adumbrantur apud prophanos, & sacros scriptores. Doctores igitur Iuniores è veterum fluentis epotantes, id est Antiquorum monumenta euoluentes, lucubrationes edant, quæ si cum veterum scriptis componantur, primas ferent, vt nobile vinum aquis præstat, & forma materiæ. Eleganter Cano in procemio ad loca Thologica: *Nam ex illis, nempe veteribus, quasi materiam; ex his scilicet Recentioribus formam disserendi mutuatus Theologus potens erit exhortari in doctrina sana.* Discrimen ergo quod nouit Philosophus inter horridam, & incultam materiam primam, omni viduatam forma, omni denudatam pulchritudine, & inter ipsam formam gratiis exornatam, lepore venustam, proprietatum satellitio comitatam, accidentium pulchritudine coruscantem, hoc etiam interest iuxta Canum, inter Veteres, & Iuniores Doctores.

Gaudent. Brixien.

Canus.

51. Quis autem eat inficias, quamplurimas nostro æuo veritates detegi, quæ prioribus sæculis omnino latuerunt. Nec raro in re scientiarum, & artium accidit, quod Petro piscanti, ac per totam noctem laboranti absque vllius piscis captura; cum autem in nomine Magistri retia in mare iactat; *In verbo tuo laxabo rete: & cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum, & annuerunt socijs, qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos, & venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt pene mergerentur.* Luc. 5. Plurima Veteres plurium vigiliarum indagine consequi nequiuerunt, quæ tamen à Nouioribus sunt adinuenta. Veritati siquidem nulla datur temporum præscriptio, nullum annorum priuilegium: prætereunt sæcula, labuntur anni, numerantur lustra, ipsa tamen veritas constans, & inconcussa perdurat. Bene Septimius Tertull. lib. de velandis Virginibus: *Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinium personarum, non priuilegium regionum.* Itaque æuo multo est potentior veritas. Stat etiam pro recentibus Doctoribus Radbertus Abbas in prologo comment. super Matth. *Quando, ait, philosophis sæculi tale quid post priorum studia videtur concessum, quorum Doctores, quanto iuniores fuere tanto que vtique perspicaciores.* Ideo inquit citatus Tertull. *Christus non consuetudo sed veritas nuncupatur, Ego sum via, Veritas, & vita.* Quia veritas semper suo fulcimento, ac firmitudine innititur inconcussa: at consuetudo, quæ idem est, ac antiquitas, solum tempore, ac plurium actuum serie constabilitur, patrocinante sæpe legum ignoratione; at vero aduersus veritatem præscribi nequit. *Ex his,* subdit doctus Afer, *omnis fere consuetudo ab aliqua ignorãtia sortita initium, sed Dominus noster Christus veritatem se, non consuetudinem cognominauit.*

Luc. 5. *Plura quæ veteres consequi non potuerunt à Nouioribus deteguntur.*

Tertull.

Radbertus. Abbas.

Tertull. *Christus veritas, non consuetudo nuncupatur: veritas semper inconcussa, consuetudo ignorantia, & errori aliquando obnoxia est.*

52. Animaduertistine quatuor Ezechielis animalibus quatuor tantum alas exhibitas fuisse. *Quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* Ezech. 1. At vero animalibus, quæ vidit Ioan. Apoc. 4. sex substitui pennas; sic enim habes: *Et quatuor animalia singula eorum habebant alas senas.* Vt innueret Spiritus diuinus, vltimis sæculis multo maiorem futuram rerum diuinarum, & naturalium cognitionem, quam præterito æuo. Ad rem D. Gregor. hom. 16. in Ezech. *Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æterna scientiæ aditus largius aperitur.* Ideo antiquitus Deus inter nebulas, & caligines apparebat, & loquebatur suis Doctoribus abstruso ænigmate: at in lege noua ignitis, ac splendentibus linguis. A Deo enim fuit facta promissio per Isai. c. 6. *Pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum.* Vbi Cyrillus Alex. æris ac ferri nomine Antiquorum cognitionem intelligit, nomine autem auri & argenti Iuniorum Doctorum scripta; quod ergo discrimen est inter eiusmodi metalla, idem est inter Antiquorum, & Recentiorum elucubratas vigilias.

Ezech. 1. Apoc. 4. *Animalibus Ezechielis quatuor alæ exhibitæ: at vero in Apoc. sex alæ quia vltimis sæculis maior scientiarum notitia.*

Isai. 6.

Cyrill. *Æris nomine Antiquorum cognitio, auri vero Nouiorũ cognitio venit apud Cyrillũ.*

53. Nec vero putandum est veteres scriptores omnia calluisse, neque in nullum erratum fuisse prolapsos, vel nunquam cæspitasse. Hoc enim priuilegium solum scriptoribus Canonicis cõcessum fuit, ait August. epist. 19. ad D. Hieron. *Ego enim fateor solis libris Canonicis hunc honorem deferri, vt nullum eorum aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserint, sed quia mihi vel probabili ratione, quod à vero non abhorreant persuadere potuerunt.* Consentit Hieronymus epist. ad Theophilum *Scio, ait, me aliter habere Apostolos, aliter reliquos Tractatores, illos semper vera dicere, istos in quibusdam, vt homines, aberrare.* Additque S. August. lib. 2. contra Donatistas c. 5. tom. 7. *In nullo aliter sapere, quam res se habet, Angelica perfectio est.* De solo scriptore Canonico pronunciat Ioannes Apoc. 11. *Et datus est mihi calamus similis virgæ.* Id est iuxta Rupert. ad eum locum: *Calamus similis virgæ facultatem scribendi significat cum magisterij authoritate; hoc tamen magisterium tantum est Apostolorum, vt de nulla illorum sẽtentia liceat cuiquam dubitare. Hanc vero authoritatem non habet quamuis sanctus sit, quamuis disertus sit post Apostolos.* Itaque communis est Patrum censio, ac Theologorum, nullius singularis hominis dictum, tantum pondus authoritatis habere, vt absque examine, & censoria virga, quia ipse dixit, ab aliis admitti necessario debeat. Humani sunt, deficiuntque interdum, ac mõstrum quandoque pariunt, vt dicebat Canus. Censeo tamen cum Salmerone tom. 12. tract. 24. §. quędam ex his. Canum lib. 7. de locis c. 3. temerario ausu illa protulisse verba, dum de S. Stephano verba faceret: *in longa narratione confuderit aliqua, & in quibusdam memoria lapsus fuerit.* Item audaciori calamo assero locutum Caietan. in Luc. dum scribit: *Ex generationibus vnam superflue numeratã ab Euangelista.* Censeo ergo neque D. Stephanum, nec scriptorem alium, cuius calamos ab Spiritu sancto dirigebatur, in aliquo errare, aut cæspitare potuisse. Reliquos alios Doctores quantalibet sapientia, & antiquitate donatos, nullatenus tantum authoritatis habere, vt absque examine, & cẽsoria virgula admitti oporteat. Quare nimiũ excessit Cõmentator Decretorũ dist. 9. c. noli. cum ait: *Loquitur secundum ea tempora, cum adhuc scripta Augustini, & aliorũ PP. non erant authentica: sed hodie iubẽtur teneri; vsque ad vltimum Iota, vt infr. 15. dist. c. vlt.*

August. *Priuilegium nunquam errandi solis scriptoribus Canonicis concessum.*

Hieronym.

August.

Apoc. 11. Rupert. *Calamus similis virgæ est facultas scribendi sine errore, qualis inest solis scriptori Canonico.*

Salmeron. Canus.

Caietan. *Caietanus, & Canus nimis audacter de D. Stephano, & D. Luca locuti.*

Comment. Decret.

Alph. de Castro. Canus.

Quod assertum Alphonsus de Castro lib. 1. aduersus hæreses c. 7. stultitiæ, & temeritatis insimulat; & tanquam erroneum damnant Melchior Cano lib. 7. de locis c. 3. Christophorus Gillius in 1. p. lib. 1. tract. 7. de locis Theologicis c. 11. Fassolus tom. 1. in 1. p. dub. 9. ad art. 8. quæstionis primæ.

CERTAMEN V.

Eadem thesis nouis Probationibus suffulcitur.

54. Exod. 25. *Duo Salomonis Cherubini scriptores referunt.* August.

APpositissimè quidē illi duo Salomonici Cherubini, Exod. 25. Doctores, ac scriptores effigiant, siue ipso nomine, siue munere, habitu, & dispositione. Quod recte expenderat August. q. 105. in Exod. *Creatura*, inquit, *rationalis in multitudine scientiæ, duobus ipsis animalibus significatur: ideo duo sunt, vt societatem charitatis commendent; ideo pennis suis Propiciatorium obumbrunt, quia Deo* (& Mariæ per propiciatorium adumbratæ, equidem adderem;) *non sibi tribuunt pennas suas, id est Deum honorant virtutibus, quibus præstant, & vultus eorum non sunt nisi in Propiciatorium; qui enicumque profectum ad multitudinem scientiæ, spes non erat, nisi in Dei misericordia.* Aduertas amabò, quale munus, & officium Cherubinorum, id est Doctorum, vel scriptorum pennis in Deum, siue in B. Virginis laudes volantium: pennas igitur intendunt, extenduntque, vt quæstiones implexas extricent, & elucident: faciem habent versam ad exteriorem domum Exod. 25. & 3. Reg. 6. Hoc est ad Ecclesiæ sanctæ obsequium, fideliumque commodum, ac profectum: addit sacer textus, *Et tangebant ala vna parietem; & ala Cherub secundi tangebat parietem alterum, alæ autem alteræ in media parte templi se inuicem contingebant.* Quippe vnus Doctor omnia captu suo assequi nequit, vnde opus est, vt alter attingat, & suppleat; vbi vnus scriptionem finit, ibi exorditur alter; sic ex omnibus Doctorum lucubrationibus, ac vigiliis integrum siue B. Virginis, siue Ecclesiæ sanctæ obsequium completur. Item *Extendebant alas suas Cherubim.* Quia scriptor suarum lucubrationum pennas in altum pro viribus expandit. Præterea licet vnus Cherub, siue Doctor omni brachio totoque conatu in altum alarum suarum remigio feratur, immensum sapientiæ hemispherium nunquam dimetietur, adeoque locus erit alteri, vt locus erit alteri, vt lucubrationum suarum alas sine alterius præiudicio expandat. Quis enim adeo arrogans Cherub latitudinem, altitudinem, longitudinem, ac profunditatem vastissimi scientiarum Oceani exhaurire, aut exæquare poterit. Porro ille Doctor Cherubini nomine prorsus indignus est, qui aliis Doctoribus aduersatur, illorumque scripta non protegere, sed obscurare satagit, qui pennis suis aliorum calamos quassare contendit, scripta pungere, scriptorem arrodere, & amarulentam bilem spargere nititur. Verum ais, Cherubinorum alas se se inuicem tangere. Sed bene quidem, quod vnius Doctoris penna tangat alterius pennam, cum opus fuerit, sed amico, & molli attactu, sed vrbane, & cum honore, non liuido dente, non lacerationibus, aut canino latratu, & vt aiebat August. lib. 2. contra Donatistas c. 5. *Nimis amando sententiam suam, vel inuidendo melioribus, vsque ad proscindendam communionem, & condendum schisma, diabolica præsumptio est.*

3. Reg. 6.

Nequit vnus Doctor captu suo omnia assequi.

Doctor ille Cherubini nomine indignus qui suis pennis aliorū scripta non protegit, sed pungit.

August.

55. Genes. *Toti Cherubinorum phalangi vnicus gladius exhibetur.*

Habes Gen 3. *Collocauit ante paradisum Cherubim, & flammeum gladium.* in Hebræo vox Cherubim est in numero plurali; quasi Cherubinorum aciem Deus ante paradisum collocaret, vt excubias agerent, & aditum inhiberent. Vox autem, Gladius, est in singulari; quasi vnicus gladius toti Cherubinorum Phalangi deseruiret; & omnes illi Cherubini vnico solum gladio dimicarent. Sed cur singulis Cherubinis suus non assignatur gladius: nempe quia gladius est Verbum Dei; & quidem omnibus Ecclesiæ Cherubinis, & Doctoribus vnicus è cœlo exhibetur gladius, quia eandem doctrinam assectari opus est, & in vnam sententiarum concordiā venire debent. Apte Origen. in illa verba Matth. 18. *Si duo consenserint super terram.* subdit ille, *sicut enim in musicis, nisi fuerit conuenientia vocum, non delectat audientem: sic & Ecclesia nisi consensum habuerit non delectatur Deus in ea.* Deus concordiæ & vnitatis amans sententiarum concordia delectatur, fugatur autem per vnitatis diuisionem, ac charitatis ruptionem.

Matth. 18. Orig. *Doctrina concordia in scriptoribus commendatur.* *Hæc Doctorū concordia Dei aures delectat.*

56. Luc. 5. *Recentiorum scripta, vinū nouum quod vtres veteres disrumpit.*

Luc. 5. ait Christus Dom. *Nemo mittit vinum nouum inter vtres veteres, alioquin rumpit vinum nouum vtres, & ipsum effunditur, & vtres peribunt.* Sic multi Doctores hoc æuo Recentiorum Doctorum scripta sugillant, forsan quia tanquam vinum nouum sua potenti actiuitate, ac virtute illorum captum superat, & absorbet. Vna eadémque veritas & Caiphæ, & Petro obiecta fuit, & longè dispares effectus peperit. Ait enim Christus Apostolis: *Quem dicunt homines esse Filium hominis*, cui Petrus intrepide respondit: *Tu es Christus filius Dei viui.* Matth. 16. vbi interiori quodam luminē Pater æternus Petro Verbi diuinitatem reuelauit, eamque Petrus placido vultu, ac interrito animo fassus est: eandem veritatem Caïphas ab ore Christi scire auet: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei? dicit illi Iesus: tu dixisti. Tunc autem princeps sacerdotum scidit vestimenta sua dicen.; blasphemauit.* Matth. 26. Petrus noua illa veritate cognita acquiescit, & gaudens illam excipit, ac propriam facit, audensque illam deprædicat. Eademque veritate Caïphas percellitur, commouetur, accenditur, & in furorem agitur vsque ad vestimenti lacerationem: Caïphas Doctores referebat Antiquitatis amantes, adeóque instar vtris vetusti generosam vini noui vim, & actiuitatem ob dispositionis defectum ferre non valens, disrumpitur; Petrus vero veritatis indagatores adumbrabat, qua inuēta, siue apud veteres, siue apud Iuniores Doctores, illam tanquā vtres noui, & integri omnino defœcatam asseruant. Audiendus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 57. *Eos qui in vetustate computruerunt, nouamque gratiam reiecerunt, vtres veteres Dominus appellauit, vt qui frangerentur, ne nouum regni sermonem effunderent; quo in genere fuisse Caiphas deprehensus est, nam cum à Domino audisset, Filius Dei sum, fregit vestimenta: at vero Petrus qui spiritus vitæ legem acceperat, non modo cum doceretur, verum etiam ad solam interrogationem confessus est, in hoc videlicet insitam veritatis cognitionem ostendens.* Hinc mellitus Abbas Bernard. animosior animos addit modernis Doctoribus, vt in dies nouas elucubrent vigilias, nouaque scripta cudant. *Instauretur*, ait, serm. ad Fratres de monte Dei, *hoc sancta nouitatis ornamentum, nouitatem dico propter linguas nequam, à quarum contradictione abscondat nos Deus in abscondito faciei illius, horum qui cum manifestissimum lumen veritatis obnubilare non queunt, de solo nouitatis*

Matth. 16. *Eadem veritas Caïphæ, & Petro obiectu longe dispares effectus parit.*

Matth. 26.

Isid. Pelus.

Bernar.

nitatis nomine cauillantur, veteres ipsi, & in mente veteri non valentes noua meditari: vtres veteres non capientes vinum nouum, quod si illis infunderetur, rumperentur; sed hac nouitas non est nouella vanitas.

57. Rectè Deiparam sapientium thesaurum nuncupabis, de quo omnis scriba Doctus noua & vetera in lucem profert: quippe *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei.* Quæ verba premens Ricardus de S.Laur. lib.4. de laudibus Virg. hæc habet: *Nec solum dicta sunt, sed etiam dicuntur quotidie, & dicentur vsque in æternum, Christus enim Mariæ Filius, qui antiquos inspirauit, vt de Matre sua sub ænigmatibus gloriosa prædicerent, ipse & quosdam Modernos illustrat, & etiam vsque ad finem mundi aliquos illustrabit, vt Matris præconio semper aliqua & gloriosa superaddant.* Vtinam & nos horum numerum adaugeamus. Sed animaduertendum est potiorem locum detulisse Christum nouitati, illámque antetulisse vetustati, quod ponderat Augustinus lib. 20. de Ciuit. c.16. vbi ait: *Non dixit vetera, & noua, quod vtique dixisset, nisi maluisset meritorum ordinem seruare, quam temporum.* Imo & S. Hieronymus in verba illa Matth. 13. 52. *Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum similis est homini Patrisfamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera.* Obseruauit eundem ordinem seruasse sponsam, prioremque locũ detulisse nouitati, non antiquitati, ait enim: *Noua & vetera seruaui tibi dilecte mi.* Cant.7.n 13. Quod si quid noui de Deipara quispiam proferat, nihil m rum videri debeat, cum S.Damasc. orat. 1. de Natiu. Mariæ illam vocet: *Miraculum omnium miraculorum maximè nouum, & miraculorum abyssum profundissimam.* In qua Vna multa, ac noua miracula delitescant, quæ tanquam in profundissima abysso nequeant penetrari, sed paulatim labente tempore per plurimos scriptores deteguntur. Subdit idem sanctus Doctor: *Sileat iam sapientissimus Salomon, nec iam nihil sub sole nouum esse affirmet: Ecclesiastes* cap. 1. nam Hieremias c.31. exclamat: *Creauit Dominus nouum super terram. Fœmina circumdabit virum.* & S.German. de Encomio venerandæ Zonæ Deiparæ hæc habet: *Non est reuera finis tuæ magnitudinis, ò purissima, non est vlla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum.*

Psalm. 86.
Ricard. de S. Laur.
Maria sapientium thesaurus, de quo scriba doctus noua, & vetera in lucem profert.
August.
Christus potiorem locum detulit nouitati, quam vetustati.
Matth. 13.
Cantic. 7.
Damasc.
Idem præstat sponsa.
In vna Maria plurima noua delitescunt.
Ecclesi. c. 1.
Hiere. c. 31.
S.Germ.

58. Insolens non nemini videri posset postulatio Elisæi à decedente Elia magistro ex hoc mũdo 4.Reg. 2. *Obsecro fiat in me duplex spiritus tuus.* Anne discipulus supra magistrum esse contendit? & quod magis mirere; Ambrosius serm. 2. de Elisæo, ob hoc audax postulatum laudibus euehit Elisæum: *De Elisæi, ait, meritis, quid dicamus, cuius hæc prima laus est, quod Patrem voluit superare, dum dari sibi amplius postulat, quam scit apud eum esse, qui possidet.* Inficias ire iure nemo possit veteres Doctores communes esse Magistros; quis tam audax, ac insolens, vt hos eruditione, ac doctrina præcellere posse præsumat? Alioquin merito in eum illud Eliæ retorqueri posset, rem difficilem attentasse. Verum si hæc tentare non liceat; enitendum tamen nobis est, vt aliquid Antiquorum magistrorum scriptis subijciamus, ac proprio Marte noui aliquid afferamus; sic Patrum nostrorum spiritus in nobis duplicabitur, dum ipsorum doctrinæ, proprio labore, & industria aliquid superaddamus, & de nouo excogitemus; quod præcipuè locum habet in excellentiis, ac priuilegiis Dei Genitricis Mariæ conscribendis. Tunc Ambrosij verba loco cit. in nos meritò deflecti poterunt: *O hæreditas pretiosa, in qua plus hæredi relinquitur, quam habetur; plus consequitur qui accipit, quam possideret qui largitur: pretiosa planè hæreditas, quæ dum à Patre transfertur ad filium, meritorum quodam fœnore duplicatur.* Et quidem grandis parentibus laus succrescit, cum filij nouos honorum auctus, nouumque famæ & honoris splendorem accumulant, quod potiori iure in rebus scientiæ, ac doctrinæ dici potest. Opus est ergo aliquid maiorum inuentis addere, nouas difficultates aperire, sensa nouiora propalare, lucubrationes ab antiquis Præceptoribus vel intermissas, vel intactas elaborare, quo Veterum Doctorum hæreditas nouorum filiorum industria multiplici fœnore augeatur.

4.Reg. 2.
Ambros.
Antiquorum scriptis aliquid noui addendum.
Ambros.
Grandis laus parentum, cũ filij nouũ famæ splendorẽ accumulant.

59. Quare cum Anastasio Synaïta lib.1. in Hexam. illud vsurpabimus: *Quod si aliquid nouum, & minus consuetum de Virgine Maria Dei Genitrice, nostra dictat oratio, obsecramus tam præsentes, quam futuros filios Ecclesiæ, ne inimico, inuido, malignoque animo, sed fraterno audiant, quæ dicuntur.* Siquidem in libris, non tam plurium lustrorum longæuitas in authoribus inspicienda est, quam doctrinæ soliditas, ac puritas, rationum pondus, ac robur, styli integritas, verborum proprietas, subtile scriptionis acumen, rectus dispositionis ordo, sine quibus quicumque editus liber quocunque æuo antiquiori natus, puluere, ac tinea corrosus, & squalidus tanquam inutilis apud Bibliopolas iacet: ex aduerso cum scripta illis ornamentis florent, ac vernant, licèt sint recentia, & hodie in lucem prosiliant, ab omnibus expetuntur, ac ex remotis regionibus multa sollicitudine vestigantur. Nouus profectò fuit mundus in sua prima molitione, noua lex Euangelica, noua Apostolorum doctrina. Monebat Iacobus Latomus, hos satyricos Aristarchos perstringens, ait ergo lib. de Inst. Monast. c. 1 *Quod igitur hoc monachorum genus nouum esse dicitur, si verum est, non parua laus est nostri temporis, non enim continuo bonum non est, quod recens est: recens fuit mundus, recens lux, recens Euangelij prædicatio.* Hos eosdem Censores sugillat Hieron. in Apologia contra Rufinum: *Quid igitur damnamus veteres? minime, sed post priorum studia in domo domini, quod possumus, laboramus. Nam cum nouas semper expetant voluptates, & gula eorum vicina maria non sufficiant, cur in solo studio scripturarum veteri sapore contenti sunt?* Eosdem carpit Saluianus in Procemio sui operis: *Siquidem, ait, tam imbecillia sunt iudicia hominum huius temporis, ac penè iam nulla, vt hi qui legunt, non tam considerent quid legunt, quam cuius legunt, nec tam dictionis vim atque virtutem, quam dictatoris cogitent authoritatem.*

Anastas. Synait.
In scriptis nõ authorum antiquitas, sed doctrinæ soliditas, ac robur commendatur.
Iacob. Lat.
Non ideo aliquid bonum non est, quia recens est, & nouum.
Hieronym.
Saluian.

60. Prodeant igitur plurium Recentium scripta, quæ hanc nostro æuo irrogatam iniuriam vindicent; nouos, ac fœcundos scientiarum partus edant, sapientiæ imperium protendant, veritatis regna vlterius dilatent, ac in Veterum scriptorum columnis illud nobile trophæum affigant, *Plus vltra.* Ad rem Picus Mirandulanus: *Profectò ingenerosum est, vt ait Seneca, sapere ex commentario, & quasi Maiorum inuenta nostra industria viam præclauseriat; quasi in nobis effœta sit vis naturæ, nihil ex se sapere, quod veritatem demonstret.* Abulensis item q. 5. Prologi in Matth. animosè pro Iunioribus Doctoribus decertat verbis illis: *Et communiter Antiqui, non ita bene, vere, & complete tradiderunt, sicut noui. Ratio est, quia noui potuerunt videre quidquid dixerunt veteres, & insuper multa potuerunt ex seipsis cogitare; & tẽpus quotidia*

Picus Mirãd.
Abul.
Stant pro Iunioribus Doctoribus
Abul. Cajet.

nouas tribuit inuentiones. Alia ratio eſt ſecundum quoſdam aſſerentes, ingenia nouorum eſſe excellentiora ingeniis Antiquorum, & hoc tenet Priſcianus in prologo maioris voluminis: iſtam tamen rationem nec improbo, nec approbo, quoniam à fructibus eorum cogneſcetis eam. Pro quibus etiam ſtat Caietanus in 1.2. q. 1. art. 7. Vbi ingenue confitetur recentiori ſeculo plures floruiſſe Doctores, qui antiquioris æui Doctoribus præſtarent, ac primas ferrent. *Quin etiam*, ait, *poſt Chriſtum vna ætas poſterior habeat Doctores in his, quæ ſunt fidei preſtantiores aliqua ætate anteriori, quamuis non omni: puta quod in ætate anni milleſimi fuerunt doctiores Doctores in fide, quã in ætate anni octingẽteſimi: quia etſi regulariter diuina doctrina procedat ſecundum propinquitatem ad Chriſtum, non tamen alligata eſt illuminatio eius ad ordinem iſtum.* Quod autem Caietanus aſſerit de Doctoribus anni milleſimi comparatione Doctorum anni octingenteſimi, nos eadem ducti ratione ad noſtri æui Doctores comparatione præteritorum protrahimus cum Bañes in 1. 2. q. 1. art. 7. *Nouimus*, ait, *ex narratione Patrum in ſchola Salmantina, imo in tota Hiſpania ab hinc annos ſexaginta minus peritos fuiſſe Theologos ſcholaſticos, donec glorioſa memoria Franciſcus Victoria Ordinis noſtri inſignis Magiſter ſcholaſticam doctrinam illuſtrauit.*

Caiet.

Bañes.

61. Et quidem liberi poſtremò nati plus parentum affectum acuunt, amoremque ſollicitant, vt patet in Beniamin. Ideo Synodus Conſtantinop. act. 1. ait: *Beatus qui prædicat verbum inauditum, ſcilicet nouum.* Sapienter Seneca lib. de Vita beata dixit: *Tritiſſima quaque via, & celeberrima maximè decipit; nihil ergo magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes non qua eundum eſt, ſed qua itur.* Aliquando enim veritas quæ tanquam Sacramentum ſub antiquitatis velamine deliteſcebat in nouitatis manifeſtatione retegitur, vt docet 6. Synodus: *Denuo appareat Sacramentum manifeſtationis veritatis.* Veritas itaque ſuo tempore in maturitatem componitur, & vt vere flores, æſtate ſpicæ, autumno poma matureſcunt; ſic ſcientiæ & veritates paulatim labente tempore reteguntur. *Quid ergo dicebas Minutius Felix in Octauio, inuidemus, ſi veritas noſtri temporis ætate maturuit.*

Liberi, ac libri poſtremo nati plus parentum affectum acuunt.

Synod. Conſtantinopol.

Seneca.

6. Synod.

Scientia, & veritates paulatim ſicut poma matureſcunt.

Minut. Felix.

62. Nec fas eſt Doctorũ ſcripta ex antiquiori annorum cenſu meliora cenſere, tanquam vina, quæ quo vetuſtiora, eo generoſiora, ac nobiliora habentur, ſicut & genealogiæ ingenuitas in nobilibus, qui quo longiori ſæculo à ſtipite recedunt, eo ſplendidius, ac nobilius genus trahunt. Feſtiuiſſimè Horatius lib. 2. epiſt. 1. pepigit.

Doctorũ ſcripta non ſunt tanquam vina annorum cenſu comparanda.

Horat.

Si meliora dies, vt vina Poemata reddit,
Scire velim pretium chartis, quotus arroget annus?
Scriptor ab hinc annis centum, qui decidit, inter
Perfectos, vetereſque referri debet, an inter
Viles, atque nouos.

Quo etiam dicendi genere vtitur S. Hieronymus in Apolog. contra Ruffin. *Periculoſum opus certè, & obtrectatorum latratibus patens, qui me aſſerunt in 70. Interpretum ſugillationem noua pro veteribus cudere, ita ingenium quaſi vinum probantes.* Ingens quidem error ingenia cum vinis componere, quæ quo recentiora, eo minus laudabilia, & generoſa reputantur. Subdit Horatius:

Hieronym.

Horat.

Si Veteres ita miratur, laudatque poetas,
Vt nihil anteferat, nihil illis comparet, errat.

Prudenter Seneca dictis ſubſcribens fatur ep. 33. *Quouſque ſub alio moueris? Aliquid & de tuo profer: Omnes itaque iſtos nunquam Authores, ſemper interpretes, ſub aliena vmbra latentes, nihil puto habere generoſi: memoriam in alienis exercuerunt; aliud eſt meminiſſe, aliud ſcire: meminiſſe eſt rem commiſſam memoriæ cuſtodire; & ſcire eſt ſua facere quæque, neque ab exemplis pendere, & toties ad magiſtros reſpicere, qui ante nos iſta mouerunt, non Domini noſtri, ſed duces ſunt.* Grandi ſane infamia ingentia noſtri æui ingenia dedecorat quiſquis putat omnia ab antiquioribus iam fuiſſe præmeditata, nihilque noui adinueniri poſſe: quare nos ſolum Maiorum ſcripta vel puerorum more memoria repetere, & literis conſignare; vel ſolius interpretis, & commentatoris eorundem munus obire poſſe. Et adiicit epiſt. 64. in Iuniorum Doctorum laudem, *Multum adhuc reſtat operis, multumque reſtabit, nec vlli nato poſt mille ſæcula præcludetur occaſio aliquid aliud adiiciendi: multum egerunt qui ante nos fuerunt, ſed non peregerunt.* Vaſtiſſimum ſcientiarum æquor panditur, immenſus Marianorum priuilegiorum Oceanus patet, cuius profunditatem nulla ſæcula exhaurire poterunt.

Seneca.

Seneca.

63. Profunde Tertul. de ſapientiæ incrementis fatus, eam cum fructibus, qui paulatim adoleſcunt, & ad maturitatem prouehuntur, componit: *Adſpice*, inquit, *ipſam creaturam paulatim ad fructum promoueri; granum eſt primum, & ex grano frutex oritur, è frutice arbuſcula enititur, deinde rami, & frondes conualeſcunt, inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquando, & infirmus paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem.* Loquitur Tertul. de ſapientia, quæ pedetentim mundum ingreditur, non vtique cum omnium ſcientiarum ſatellitio, neque cum omnium veritatum comitatu, quouſque hac noſtra aurea ætate, in magnificentiſſimo, ac triumphali curru ſedens victrix ouat. Quæ omnia Spiritu ſancto dirigente, & ductore peraguntur. *Quæ ergo eſt*, ſubiicit Septimius, *Paracliti adminiſtratio, niſi hoc quod diſciplina dirigitur, quod ſcripturæ reuelantur, quod intellectus reformatur, quod ad meliora perficitur.* Quemadmodum ergo ſemen paruulum terræ mandatum, moritur, & contumulatur, aſſurgit in fruticem, poſtmodum in arbuſculum euehitur, dilatatur in ramos, conualeſcit in truncum, protenditur in frondes, reſumptis viribus amplius excreſcit, ac vireſcit in folia, ſoluitur in flores, explicatur in fructus, qui principio guſtui acidi, ac rebelles, ſed paulatim ſolarium radiorum beneficio, & imbrium adminiculo matureſcunt, & emendantur, & in manſuetudinem erudiuntur; fiuntque oculorum illicium, appetitus prolectatio, guſtus blandimentum, ſenſuumque illecebroſa voluptas. Sic etiam hoc ipſum videre eſt in veritatibus adinueniendis: primum enim ſapientia veluti fructus, ſeu granum paruulum fuit, quod in arbuſtum excreuit, deinde in ramoſa multiplicis veritatis brachia protenſa eſt, robuſtiſſimis rationibus veluti in truncum ſolidata robuſtior aſſurgens, in eloquentium verborum foliis vernauit; acuminum & ſubtilitatum floribus exornata eſt, ac demum hac noſtra ætate tot fructibus ſapidiſſimis onuſta conſpicitur, quot ſunt ſenſa, & veritates, quæ à nouioribus Doctoribus in dies iugi induſtria, labore plurimo, ac elucubratis vigiliis adinueniuntur. Graui verborum pondere Hieronym. epiſt. 2. ad Nepotianum ſcribit: Antiquitatem labentibus ſæculis in pluribus veritatibus erudiri, ac copioſiſſimas fructuum meſſes demetere Modernorum Doctorum induſtria, & inuentione matureſcentium:

Tertul.

Sapientia fructus pedetentim in maturitatem componitur.

Hieronym.

rescentium: *Senectus*, ait, *ætate fit doctior, vsu temporis sapientior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit.*

64\. Agite ergo scriptores optimi, qui sanguinolentum bellum ignorãtiæ indixistis; nouarum veritatum indagatores, qui vestris pennis, tanquam hastis ignorantiæ monstrum transadegistis: contendite eisdem conatibus noua, ac gloriosa facinora adoriri: aggredimini noua trophæa sapientiæ domui inserere, nouos triumphos reportate. Fœcundo eruditionis vestræ cultu pulcherrimum scientiarum topiarium excolite, ac exundanti doctrinæ pluuia fœcundate vastum Musarum campum, ac eruditorum voluminum messibus Ecclesiæ horrea replete: nouas veritates venamini, quibus sapientiũ palatum titilletis, & Imperatricis sapientiæ gratiã & amicitiam subornetis. Nec vos auocent à tam præclaro, & virili facinore obtrectatorum linguæ, nec nouitatum inuentorum nomen, quo vos sugillant, exanimet; siquidem eandem subiere calumniã Sapientiæ Primares, quam iniuriam tanquam decus & ornamentum plurimi fecerunt. *Nos nouitatis architectos*, verba sunt S. Basil. lib. de hęres. c. 6. *& nouos Tractatores, & nouorũ inuentores, & quibus non probrosissimis nominibus appellant?* Verum hæc dicteria calcar addant cursui, non fræna iniiciant. Flatus sunt, qui magis scribendi flammam, & appetitum accendunt, quo lucidiori iubare splendeant. Themistius de primis Philosophiæ inuentoribus fatus orat. 4. inquit: *Nouitatis studium conuitium est primum in Socratem coniectum, deinde in Platonem, deinceps in Aristotelem, ac Theophrastum.* Hæ calumniæ quibus vos ad bilem accendunt, laudum vestrarum gloriam illustrant, & trophæa adaugent, cum vos in Sapientium album inserant, quos suspexit Antiquitas. Hoc idem probrum Augustino obiectum à Semipelagianis: imo D. Thomam nouitatum inuentoris nomine compellarunt Doctores Parisienses. Gentium Doctorem Paulum, nouitatum Concionatorem appellarunt plures: *Alij verè nouorum Dæmoniorum videtur annunciator esse, quia Iesum, & Resurrectionem annunciabat eis.* Actuum 17. Quæ verba sic transfert Lyran. *Nouarum sententiarum Prædicator.* Tertulliani Commentator quorundam versionem affert verborum illorum Danielis c. 9. *Vir desideriorum tu es*: qui ita legunt, & expungunt: *Nouitatum sectator, arcanorum diligens curiosus.* Quasi idem sit vir desideriorum, à Deo electus, à cunctis desideratus, & exambitus; ac nouitatum inuentor, nouarum opinionum indagator rationibus constabilitarum. Obstruat ergo ora horum maledicentium S. Bernardus epist. ad Fratres de monte Dei: *Sileant*, inquit, *qui in tenebris de luce iudicant, & vos arguunt nouitatis, ex abundantia malæ voluntatis, ipsi potius arguendi & vetustatis, & vanitatis.* Aues profecto nocturnæ, quæ audaci nisu solis radios ad examen vocant, lucifugæ noctuæ, quæ cum imbecillium, & lipporum oculorum sint, cum lyncibus de visu contendere audent.

Scriptores moderni ad noua opera cudenda animari debent.

Basil.

Themist.

Actuum 17. Lyran.

Dan. 9. Comment. Tertull.

Bernard.

65\. Audeant scriptores sacri noua elogia B. Virginis rimari, scrutentur de inexhausto gratiarum thesauro nouas Gazas adhuc inuisas: tantæ enim sunt Deiparæ prærogatiuæ, vt nemini vsque modo manifestæ sint, Deóque soli cognitæ dicantur. De ea enim ait cælestis Sponsus Cant. 4. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es absque eo quod intrinsecus latet.* Alij, vt alibi monuimus ita transferunt posterius hemistichion: *Præter silentium, vel taciturnitatem.* Ac si diceret sponsus, præter eas gratias, & excellentias omnino reconditas, soli Deo notas, cęteris creaturis ineffabiles, & insuspicabiles: sic commentatur præfata verba Ricard. à S. Laur. lib. 12. de laudib. Virg. *Quam pulchra es amica mea absque eo quod intrinsecus latet, soli Deo cognitum, nemini manifestum. Vel absque eo quod intrinsecus latet, id est absque interna virtutum pulchritudine, quæ omnes homines latuit, etiam seipsam.* Itaque tametsi plurima B. Virginis præconia grandia profecto, sublimiaque decantata fuerint ab Interpretibus, ac Doctoribus, pleraque eiusdem elogia Sanctorum Patrum monimenta posteritati commendauerint; reliqui etiam scriptores ex veteribus, & Iunioribus de eisdem Marianis laudibus multa excuderint volumina, & in lucem dederint: his tamen elogiis, ac laudibus adhuc non metitur, nec meratur immensus prerogatiuarum B. Virginis campus; alia quamplurima supersunt eximiarum gratiarum priuilegia, quibus Virgo Deipara præfulget, quæ nemini adhuc nota soli Deo cognita sunt. Quare auidius inquirant, ac peruestigent Doctores eiusmodi gratiarum thesaurum abstrusum, & in dies nouas Deiparæ laudes depromant, recentes Virgini Matri cantus modulentur. Nec dicas, nunc nihil opus esse hanc scribendi aggredi prouinciam hoc æuo scriptorum locupletissimo, in re præsertim à pluribus tentata, & quidem fœlicissimè: sat ergo erat Marianas voce, ac verbo publicare laudes; non opus est scripto, cum tot iam extent veterum, ac Iuniorum monumenta. Sed occurrit Trithemius in suo Chronic. *Maior*, inquit, *scriptoris est pietas officio prædicandi, quia illius perseuerat in annos multos annunciatio; istius cum tempore perit monitio. Prædicator loquitur dũtaxat præsentibus, scriptor etiam prædicat futuris; illius sermo semel auditus in nihilum regreditur, illius lectio millies repetita nunquã minuitur: cum prædicator deficit, cessat officium; scriptor etiam mortuus facit institutũ.* Quibus adfauet Gerson de laudibus Script. tom. 1. vbi hæc habet: *Scriptor Ecclesiam ditat; Scriptor Ecclesiam armat; Scriptor Ecclesiam custodit; Scriptor Ecclesiam honorat; Scriptor posteris sal sapientiæ administrat; Scriptor largitur, miseretur, & commodat.*

Cant. 4.

Ricard. de S. Laur.

Trithem. *Scriptoris labor præstat officio prædicandi.*

Illud vnum animaduertere oportet sine Virgine 66.
Deipara ductrice, nullum in scientia, neque in re virtutis progressum, nullam veritatem sine Maria inueniri posse. Hinc Cant. 5. dicitur: *Quò abiit dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? Quò declinauit dilectus tuus? & quæremus eum tecum.* Vbi ponderanda vltima verba. *Quæremus eum tecum.* Quasi sine Maria, vera sapientia non inueniri possit, ait Cardinalis Alanus inibi: *Benè autem dicitur, Quæremus eum tecum: quia sine gloriosa Virginis fide, qui Christum quærit, errare potest, proficere non potest.* Nec gressum vnum ad scientiam sine errandi periculo tuto conficies, quin ducatum præstet Maria. Sapiens profecto, ac de cœlo delapsum fuit consilium illud Iosepho præstitum Matth. 2. *Accipe puerum, & Mariam matrem eius, & fuge in Ægyptum.* Vbi per tenebricosa, & Ægyptiis tenebris spissiora, & obscuriora scientiarum dumeta iter paras, caue ne gressum aliquẽ sine Maria comite conficias, quia mille errorum caliginibus obrueris, nunquam Veritatis Regiam reperies. Hoc tamẽ sydere Mariano duce difficultatũ tenebras euolues, nodos extricabis, veram Iesu sapientiam offendes.

Cant. 5.

Card. Alan. *Sine Maria ductrice vera sapientia inueniri nequit.*

Matth. 2.

Sapientes illi Reges nec passum librare volunt 67.
ad veram sapientiam, nisi præeunte stella, *Vidimus stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. 2. Quam quia Iudæi nihil fecerunt; mille

errorum

errorum tenebris consepulti iacuerunt, teste Hesychio hom. 1. de Assumpt. Mariæ: *Iudæi*, inquit, *inflexibiles, vel potius obdurata ceruice ees, qui ministerio stella à longinquis regionibus erant adducti, neglexerunt imitari, vt cognoscere possent solem iustitia.* Mihi crede si fortunato, ac prospero euentu maximos in scientiis progressus efficere exambis, sub huius fœlicis syderis auspiciis gradere: quippe ipsi Christo intimatur, Psalm. 44. *Prosperè procede, & regna*, id est authore Ruffin. ad ea verba: *Prospere procede, prospere ex vtero virginali progredere.* Quasi à Maria in scientiarum progressu omne fœlix auspicium desumatur, & quia omnis ab errorum monstris triumphus per Mariam reportandus sit. Quare cum de te, ô communis scientiarum omnium Magistra, hæc qualiacumque scripta meditor, pij illius sapientis Idiotæ verba vsurpo lib. de contempl. cap. 1. tom. 3. Bibliothecæ Patrum. *Impetra, ò Domina, tuis assiduis postulationibus, vt te laudem, te glorificem, te benedicam, tuas virtutes enarrem, tua mirabilia nunciem, tuam exemplarẽ, & deificam vitam prædicem; scripta de te elucidem, vt habeam in laudibus tuis vitam æternam; imò in vita æterna laudes tuas, & superbenedicti filij tui concinam; quia scriptum est: qui elucidant me vitam æternam habebunt. Quod si de filio tuo, qui est Dei sapientia, id dictum est, de te etiam, quæ es eius superexaltata, & superbenedicta Mater, id negandum non est.*

Hesych. — *Quisque progressus in scientijs efficere exambit sub sydere Mariani auspicijs gradiatur.* — Psalm. 44. — Ruffin. — Idiota.

CERTAMEN VI.

B. Virgo suis cultoribus est vita omnis fœlix auspicium.

68. NOn sine arcano sacramento Virgo Deipara ab Ecclesia voce communi, Mater viuentium, decantatur; quia quidquid vitam halat, ab vna Maria deriuatur: vnde Mariæ nomen omen est vitæ fortunatissimum. È limo Deus hominem primum figulauit; verum caro illa, tametsi Dei manibus coagulata, & elaborata cito in corruptionem abiret, & in puluerem primæuum euanesceret, nisi ipse Deus in faciem inspiraret. *Inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ.* cap. 2. Genes. Ex adflatu igitur Dei constantiam ebibit Adamus, & vitam: *Factus est homo in animam viuentem.* Itaque ab anima à Deo per halitum infusa, caro illa cadauerosa vitam mutuauit: sic per Mariam in vita spirituali viuimus, & in hac vita perseueramus, & subsistimus, ita vt quemadmodum primus homo per adflatum diuinũ, quo in eum Deus spiraculum immisit, factus est in animam viuentem; sic Maria, inquit Idiota lib. contemp. c. 5. *Est spiraculum hominis, quia per te peccator respirat.* Profectò quisquis hoc Mariano adflatu caret interitui proximus est; sine Mariæ patrocinio cadaurascit, & cito in vermes abibit, conscientiæ fodicantes morsus experietur, adeò corruptioni obnoxius, ac fœtori.

Maria nomen omen est vitæ fortunatissimum. — Gen. 2. — Idiota.

69. Illud Psalm. 47. *Fundatus exultatione vniuersæ terræ mons Sion.* Plerique Interpretum B. Virgini adaptant; in Regiis Bibliis sic legitur: *Mons pulcher climate.* Sanè Maria mons optimi cœli, & salubris climatis, ac robustæ valetudinis, qui ergo sub vmbra, & climate huius montis degunt, morbos omnes procul abigent, perfectissimam sanitatem nanciscentur, vitam æternabunt. Huc spectat titulus ille, quo B. Virgo insignitur in Commemoratione Græc. 7. & 8. apud Buteonem. Vbi dicitur Altrix vitæ. O nimium fœlix vita tantæ Virginis pasta lacte, & Ambrosia innutrita: mentior si non in æternum prorogetur, melius quam si arboris vitæ fructibus aleretur. Plus iusto olim ab Ethnicis Poëtis decãtatæ fuerunt Penelopes, & Semiramis, quod auibus altæ, Paris vrsa, Cyrus canibus, formicis Mydas, luscinia Stesichorus lyricus, Romulus, ac Remus lupa: quanto fœliciori fortuna gaudet nostrum vita à tanta nutrice lactata, tali nectare pasta. Ergo apage mundus, iam in posterum à tuo lacte ablactatus, & à tuis vberibus auulsus, hoc deinceps lactor ab vbere, hac mammilla Regia lactabor, vt in æternum viuam. Olim Deam Isidem, authore Macrobio, circumcinctam mammis depinxit antiquitas; sed hoc symbolum longe aptius vertes in Mariam, quæ dulcem matris affectionem miserorum casibus tribuit, nec dies, nec quies vlla, ac ne momentum quidem tenue, eius transcurrit beneficiis otiosum.

Psalm. 47. — *Maria mons est salubris climatis.* — Commemoratio Græc. — *Maria altrix vitæ mammis circumcincta.* — Macrob.

Venuste satis Andreas Cret. ser. de Assumpt. vocat Deiparam, sustentaculũ vitæ, quasi Maria lubrici hominis vitam stabilimẽto firmet, & Prou. 8. ait Maria: *Meum est consilium, & æquitas*, in Hebræo pro *æquitate*, legitur, *essentia*, seu *subsistentia*, id est vitæ sustentaculum. Nulla vita diu subsistere potest sine hoc Mariæ fulcimento, siue sit vita naturalis, siue vita gratiæ: Quisquis ergo vitam prorogare, & in re virtutis diu persistere exambit, hoc vitæ sustentaculo fulciri satagat, hac virtutis subsistentia inniti contendat. Sciscitabitur non nemo, cur ab Euangelio, in quo recensentur duæ sorores Martha, & Maria, procul fratris Lazari ablegetur memoria. Nempe quia vbi Mariæ nomen insonat, mortis, ac corruptionis recordatio omnino abradenda fuit. Lazarus ad quartam lucem in sepulchro detentus corruptionis, & interitus imaginem referebat; dedecebat ergo, vt dum de Maria sermo est, demortui Lazari memoria refricaretur: noluit ergo Euangelista sermoni, quo Deiparæ triumphus agebatur, mortis mentionem interserere. Verum ais, nõne Lazari quatriduani memoria recensetur coram Martha, & Maria, cum Christus Dominus ad sepulchrũ illum suscitaturus aduenerat? Ita sanè est; sed inde noua asserto nostro lux affulget. Nempe quia nec salus, nec vita venit, non patrocinante Maria: Lazarum igitur suscitaturus Dominus, Martha se interserit, & Maria: Martha, quia Dominum excipiẽs hospitio, B. Virginem vtero suo Verbum diuinum excipientem adumbrabat; Maria Magdalena, quia erat materni nominis baiula. Floride Chrysolog. serm. 64. *Sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari: veniat cum Martha Maria, veniat materni nominis baiula.* Disquirunt Interpretes, cur Dominus in crucem actus, Matrem non Mariæ nomine proprio, sed communi mulieris vocabulo compellauerit? Nimirum expetebat Christus ardentibus votis totius humani generis reparationem, ac salutẽ morte sua consũmandam; ideoq; capitis demissione, veluti eam compellans, vt accederet satagebat; consulto autem à prolatione nominis Mariæ abstinuit, ne mortem perterrefaceret, & abigeret; ex prolatione enim nominis Mariæ non poterat non fugari mors, sicut sine Maria, nec vita poterat reparari. 70.

Andr. Cret. — Prou. 8. — *Maria vitæ nostræ fulcimentum, & quasi subsistentia.* — *Prolato Mariæ nomine mors omnis fugatur.* — Chrysolog. — *Christus in crucem actus B. Virginem non Mariæ nomine, sed mulieris vocans, ne mortem abigat.*

Idcirco crediderim Mária ex affinitate cum nomine Mariæ tam plurima viuentia in lucem edidisse. Canit enim Ecclesia in Hymno Feriæ 5. ad Vesperas: *Ex aquis ortum genus, partim remittis gurgiti, partim leuas in aera.* Vbi disquirit S. Anastasius Synaita lib. 5. Hexam. *Quam ob causam in aquis dictum est pluraliter: producant aquæ reptilia animarum viuentium, sic enim ipse legit*, Gen. 1. 20. *in omnibus quæ ex terra processerunt sexta die, non pluraliter* 71.

Ecclesia. — Anast. Syn. — *Maria ex cognatione cum nomine Mariæ multiplicem vitam edidarunt.*

pluraliter, sed singulariter imperat Deus verbum dicens: educat terra animam viuentem. Fœcundam sobolem edunt vndæ, & auibus, & piscibus grauidantur aquæ; quot vndis ac fluctibus agitatur mare, tot fœtus parturit, & cœlo, & aquis: anne Maria ex consortio cum nomine Mariæ, omnigena viuentia in lucem edere didicerunt. *Spiritus sanctus superueniet in te*, ait cœlestis Paranymphus Mariam alloquens Luc. 1. 35. At in prima orbis molitione dixit sacer Scriptor: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, Gen. 1. 2. & num. 8. *Congregationésque aquarum appellauit Maria.* Quasi nudæ literæ nominis Mariæ fœcunda redderent Maria, & in multiplicem sobolem erudirent. Auscultare iuuat Amadæum hom. 3. de laudibus Deiparæ: *Tu singulari, & speciali nomine appellaris Mater Dei, & ideo Mater salutis, Mater gratiæ, Mater misericordiæ, Spiritus sanctus superueniet in te, in vbertate, in affluentia, in plenitudine, & in effusione carnis, & animæ, cumque repleuerit te, erit adhuc super te, & super aquas tuas feretur, facturus in te quidpiam melius, & mirabilius, quam cum ferebatur super aquas à principio, vt materiam creationis in distinctionem formámque produceret.* Spiritus sanctus Mariæ currum deligit, vt expeditius ad opera vitalia accingeretur, vt vitas multiplicaret, ac viuentia distingueret. Maria enim cohibet in se, quasi omnium vitarum principia, & elementa, quibus omnia sanctitatis mixta coalescunt: est enim puella, innupta, Virgo, puerpera, vxorata, vidua, sanctimonialis Deo dicata, ita vt nullus sit status, ætas, ac viuendi norma, quæ non compingatur ex elementis virtutum, ac perfectionum Dei Genitricis Mariæ. Ingeniosè Cyrill. Hierosolym. affirmauit de aqua. *Vna pluuia in vniuersum descendit mundum, quæ alba quidem fit in spinis, rubea autem in rosis, purpurea in hyacinthis, ac in speciebus diuersis diuersa, & in omnibus fit omnia.* Aqua igitur omnium florum imbibit formas, cum vnius sit naturæ; in lilio albescit, fitque lilium, in rosa carneum induit calorem, punicat in viola, virescit in arbustis, in cariophilo rubet: sic prodigiosiori miraculo B. Virgo vna eademque cum sit, candicat in Virginibus, purpurascit in martyre, violaceum refert colorem in viduis, ac pœnitentibus, in vxoratis rubescit, & sic de aliis vitæ spiritualis generibus.

Maria ex cognatione cum nomine Maria multiplicem vitam ediderunt.

Luc. 1. 35.

Genes. 1. 2.

Amad.

Maria cohibet in se omnia vitarum genera.

Cyril. Hier.

Aqua omnium florum imbibit formas.

72. Hoc autem discrimine discernitur Mariana fœcunditas, ab vndarum feracitate; quod videlicet Maria viuentia fluida, ac cito transeuntia edat: verum Maria vitæ immortalis æternumque duraturæ Mater est; ideò non incongruè quispiam dixerit, Maria per breuem syllabam efferri, quia fœtus fluidos, ac breui duraturos edant. Maria verò mediam syllabam producit, quia vitam protrahit, ac fœtum in longissima tempora permanentem producit; id meditatus fuit Albert. Mag. in Mariali cap. 162. *Tertia diei, ait, opus, est congregatio aquarum in vnum locum, id est virginalem vterum, congregatio omnium gratiarum. Sed in hoc est differentia, quod congregatio aquarum appellatur Mária, media correpta: congregatio gratiarum appellatur María, media producta: illa congregatio aquarum breuis est, transitoria iuxta illud*, Apoc. 21. *Et mare iam non est. Hæc autem est perpetua, iuxta illud* Luc. 10. *Optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Quemadmodum ergo Mária ad generationem viuentium aquatilium, ac volucrium materiam subministrarunt, & ad regenerationis sacramentum, nempe baptisma, tanquam instrumentum assumuntur: sic Maria Mater vitæ omnis naturalis, & supernaturalis ritè à sanctis Patribus nuncupatur, S. Athanasius: *Ac proinde ista noua Eua Mater vitæ appellatur, variegataque permanet ad primitias vitæ immortalis omnium viuentium.* Vt sicut Eua fracto pudore, facta est mater vitæ corruptibilis; sic Maria, & Mater, & Virgo immortalitati primam parauit incorruptionem, quæ est proprium Virginitatis priuilegium. Ex his congruum sensum capient verba S. Damasceni orat. de dormit. Virg. vbi ait: *Nobis autem quemadmodum erit vita vitalis, si Mariam non habeamus, cum qua versemur?* Itáne Maria vita vitalis nostra asseritur? Anne est aliqua vita, quæ vitalis non sit? Profectò vita, quæ est citò labilis, & fluida non est compellanda vita vitalis, imò rectius vita mortalis dici solet: at vita, quæ à Maria prouenit, vita vitalis rectè nuncupatur, quia permanet, & in æternum durat.

Maria viuentia fluida: Maria vitæ immortalis Mater est.

Albert. Mag.

Apoc. 21.

Luc. 10.

Athanas.

Damasc.

Maria aptè nuncupatur vita vitalis.

Tritissima sunt, & vbique obuia verba illa Eccli. 24. *Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Quæ verba sunt Virginis Deiparæ in suarum laudum buccinatores, & scriptores, qui vel voce, vel calamo Mariana publicant elogia, & posteritati tradunt, quibus pro insumptis laboribus, ac vigiliis, salutẽ, & vitam floridam, semperque vernãtem rependit. Sed adhuc tenacius hæreo marinis aquis, quæ easdem cum Maria literas sortiuntur, & exinde nostram salutem, ac vitam in nos à Maria corriuatam auspicor. Exponitur Moyses infans, Deo ita volente, marinis vndis. *Exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* Exod. 2. vt ex aquis extractus Hebræis ingenti laborum, ac calamitatum pondere fatiscentibus opem ferret, eosque in meliorem fortunam restitueret. Itaque ab aquis Mariæ nomen præseferentibus, nam *congregationes aquarum appellauit Maria.* Hebræorum salus, ac vita nata est. Ad rem Augustinus serm. 89. de tempore: *A fluctibus mystica lingua Moyses nomen accepit, & Pharaonis necem, quam præparauerat in nomine, in flumine maris inuenit.* A nomine maris, quod Mariani nominis est baiulum, & mors Pharaoni obtigit; & Hebræis salus, ac vita exorta est. *Congregationes aquarum appellauit Maria*, ait Chrysol. sermon. 146. *& vt semper Maria humanæ præuia sit salutis, populum, quem vnda generatrix emisit in lucem, ipsa iure præcessit in Cantico.* Quid aptius nostræ roborandæ thesi dici posset. 73.

Eccli. 24.

Ab aquis Mariæ nomen præferentibus Hebræorum salus, ac vita nata est.

Exod. 2.

August.

Chrysol.

Ipsius B. Virginis vox illa est ad suos clientes, Prouerb. 8. *Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Vbi per verbum illud, hauriet, vitæ ac omnimodæ salutis affluentia innuitur; quà enim facilitate, & abundantia quilibet ex perenni, & exundanti fonte sitim extinguit; ita ex hoc vitæ fonte Mariano salutem, & vitam quisquis sibi hauriet. Huc pertinet Damasceni encomium, quo B. Virginem appellat, vitæ Antistitem orat. 1. de Natiu. Mariæ. Quisquis ergo aoet salutari vita, ac Deo dicata, & cultui diuino, ac sacris functionibus mancipata initiari, hanc vitæ omnis Antistitem adeat, è cuius nutu totius vitæ nostræ momenta dependent, sine cuius ductu, & ope nulla salus humana siue naturalis, siue supernaturalis diu permanere poterit; ideò Bern. serm. 2. super *Missus est*, nos monet quocumque morbo detentos, vt ad B. Virginem, sicut ad medicum accedamus, nostrarum omnium ægritudinum remedia consecuturi; & tanquam ab armario vitæ, sic vocat Mariam Chrysippus, salutis antidota depromemus, quibus vitam in æuum protendere possimus. 74.

Prou. 8.

Maria vitæ Antistes è cuius nutu totius vita nostra momenta dependent.

Damasc.

Bernard.

Chrysippus.

Vis

Maria semestris interstitio plurimorū annorum vitam dilargitur Ioanni. Theodor. Studita.

75. Vis ostendam quo modo Maria vitam infundat, ac breui semestris interstitio pluriororum annorum vitam dilargiatur : id suo suffragio firmabit Theodorus Studita orat. de Natali Præcursoris apud Metaphrast. *O Ioannes*, ait ille, *fœlix infans qui es in vtero, quomodo es in mundo? qui nondum es perfectus, quomodo es plenissimus? qui es semestris, quomodo multum habes tempus? qui loqui non potes, quomodo benè loqueris?* Reliqui homines implent vitæ tempus, cum ex hac vita, adimpleto vitæ curriculo decedunt. Ioannes autem, qui suam vitam fœlici Mariæ sydere hausit iam in semestri, vitæ tempus impleuit. Quod benè expenderat Ambros. in cap. 1. Luc. ad illud: *Elisabeth impletum est tempus pariendi*, (subdit ille,) *tamdiu mansit Maria, quamdiu Elisabeth pariendi tempus impleret: impletum est tempus vt pareret; impletum est tempus vitæ, cum sancti viri ex hoc vita curriculo demigrarent plenitudinem iuste vita haber.* Itaque Maria cito compleuit plenitudinem vitæ Ioannis, quia vitæ Antistes dispensauit in tempore, & vt in solo semestri vitam perfectissimam compleret. Quod vel ex eo coniectabis, quia Ecclesia anniuersario cultu Præcursoris natale festioa peragit pompa, cum reliquorum sanctorum obitum, id est, natalitia in B. vitam annoa celebritate recolat. Vtique quia Ioannes ex Mariæ consortio, adhuc in vtero delitescens longa cæterorum iustorum lustra dimensus est vitæ plenitudinem nactus. Huc digitum intenderat Card. Petr. Dam. serm. de S. Ioanne cum ait: *Nouit Ecclesia, quia melior est dies mortis die Natiuitatis, inde est quod Martyrum mortes, non natiuitates solemnizat. Huius verò, nempe Ioannis Natiuitatem sponsa Christi tanto securiùs beneuolentissima dignatione suscepit, quanto singularius eam veritatis Euangelica irrefragabilis commendat authoritas.*

(Ambrof. Luc. 1. — Petr. Dam.)

Ioannes Baptista Virginis Mariæ filius, & quomodo. Luc. 1. Chrysost.

76. Quod verò hi perfectissimæ vitæ celerrimi auctus Ioannes ex fonte vitæ Mariano ebiberit, ex Luca patere potest, cap. 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Quia baptismo flaminis respersus est Ioannes à Maria: non ergo Incongruè dices Ioannem fuisse filium Mariæ, ea filiatione, quæ per baptismum initur, authore Chrysostomo apud Bernardinom de Bustos part. 7. serm. 4. *Ioannes Baptista*, ait ille, *fuit Virginis filius per spiritualem baptismi regenerationem, ipsa enim eum baptizauit, non baptismo fluminis, sed flaminis; sicut dicit Chrysostomus: cum enim B. Virgo salutaret Elisabeth, vox salutationis per aures eius ingrediens ad puerum descendit, virtute cuius salutationis, puer Spiritum sanctum recepit; sicut prædixerat Angelus, Zachar. Luc. 1. Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Vitam igitur orditur Ioannes ex Maria, quare fœlix vitæ omen auspicatur. Indidit Maria vitam Ioanni, vitæque spiraculum, per vocis halitum, vt similitudinem, & imaginem in Adamo per transgressionem abolitam, in Ioanne resculperet, verbique diuini similitudinem, cuius vox futurus erat. Id innuebat Antipater orat. de S. Ioan. *Licebat*, inquit, *videre lumen salutari à figulo quem cum ex matrice aspexisset Ioannes exiliens natura terminos conatus est transilire. Video Dominum, qui imponit natura terminos, non exspecto tempus, quo solet fœtus gestari in vtero; tempus nouem mensium mihi non est necessarium.* Ioannes ergo naturæ terminos supergrediens vitam perfectam nanciscitur, in cuius signum exilit in vtero, & saltibus exultat. Præclare Chrysost. hom. 2. in Nat. Baptist. *Nouem mensium tempus in vtero non est mihi necessarium, in me est enim qui est æternus; sum tuba, proferam filij Dei in carne œconomiam Tuba canam. & vterum maternum viuificabo.* Talem vitam hausit Ioannes ex Maria, vt posset vterum maternum viuificare iam velut elanguidum, & emortuum. Hæc abundantioris vitæ specimina à Maria habitæ innuebant fontem sibi adesse salientem in vitam æternam, vitæque scaturiginem pleno gurgite in ipsum exundasse.

(Antipater. — Chrysost.)

Ex hoc eodem fonte Mariano ipsius B. Virginis Parentes vitales spiritus ebiberunt: siquidem in longam senectutem producti omnino exsuccidi, steriles, & infœcundi, ac omni generatiua virtute destituti à natura videbantur, auspice tamen Mariæ vitali nomine, vtrique virtus indita ad gignēdum, omni reclamante natura: sed enim Angelus Annam alloquitur, antequam sterilitatem exueret, verbis illis, quæ communi sensu Hieronymo tribuuntur, seu Sophronio, teste Fulberto serm. de Natiu. Virg. & D. Bonauent. in Psalterio. *Missus sum*, inquit Angelus, *ad te Anna, vt annunciem filiam nascituram, quæ Maria vocata super omnes mulieres erit benedicta.* En statim atque Mariæ nomen insonat auribus Annæ sterilitatem dispulit, sterilem vuluam fœcundauit, virtutem generatiuam instaurauit, ac vires aniles, elangnidas, atque penè emortuas exsuscitaoit, ac vitales spiritus indidit, vt ad prolem concipiendam accenderetur. Mariæ igitur nomen fons vitæ, fœcunditatem sonat, vitam præsefert, secum maternitatem importat, quia iuxta Ambrosium, idem est ac Deus ex genere meo; ideò Matth. 1. 18. ait: *Cum esset desponsata Mater Iesu Maria Ioseph.* Miror præproperam Mariæ Maternitatem. Itáne vix desponsata, & iam Mater nuncupatur? Nunquam Maria à Matris voce seiungitur, vt alibi fusiùs cum Chrysologo monemus. 77.

(*Maria fons vitæ.* — Hieron. — Math. 1. 18.)

Sed præstat thesim propositam in titulo huius congressus maiori auxesi firmare. Aio igitur, vel sepulchrum ipsius Christi, vitam parturire didicisse. De illo habes Luc. 23. *Et posuit eum in monumento excisso, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Ex hoc ergo algenti saxo, rigentique rupe, vbi mors triumphauerat, Christus Dominus suscitatur ad vitam immortalem: & sepulchrum nouum, quia Virgo, & à B. Virgine edoctum, virginitatem didicit, ex sepulchro, grandi prodigio, repente fit vterus, & vulua ex qua Christus immortalis prodiit. Rem eximiè expendit Ambr. ser. 48. de Dominica sepultura. *Vbique B. corpori defertur sanctitas, vbique Virginitas, purus illud venter concepit, nonus tumulus includit: Dominica ergo & Virgo vulua, & Virgo est sepultura. Quin potiùs ipsam sepulturā vulnam dixerim: sicut enim Dominus de Matris vulua viuus exiuit, & de Ioseph viuus sepultura surrexit.* Quod autē Christum rediuiuū ex sepulchro dederit Maria, nunc firmādum est; in cuius rei pleniorem intelligentiam disquiro an B. Virgo Christi Domini anastasim promeruerit? Ac sermo potest esse vel de resurrectionis acceleratione, vel de ipsa resurrectione quoad substantiam, vt loquitur schola. In qua re eadem mihi via ineunda est, quam iniui cum disceptarem de merito B. Virginis in ordine ad Incarnationem, cum debita proportione. 78.

(Luc. 23. *Sepulchrum Christi Domini vitam parturire didicit à Virgine Maria edoctum.* — Ambrof.)

Censeo ergo primò B. Virginem meruisse accelerationem Dominicæ Anastasis; tale enim meritum decuit dignitatem Matris Dei: sicut enim Christus meruit per opera in statu viæ gratiam aliis conferendam; potuit etiam id priuilegium suæ 79.

(*Maria meruit accelerationem Dominicæ anastasis.*)

ſuæ Genitrici deferre, vt per opera meritoria ipſius, accel erationem reſurrectionis Dominicæ, vel merito condigno, vel ſaltem ex congruitate per precum impetrationem promereretur. Et quidem quæ Doctores tradunt de merito B. Virginis quoad circumſtantias Incarnationis, potiori titulo protendi poſſunt ad reſurrectionis meritum, vtrobique enim ſimilis fieri poteſt ratiocinatio. Quis autem eat inficias, plura Theologos tradere de B. Virgine, probabili ſolùm ratiocinatione innixi abſque expreſſo vel ſacrorum librorum, vel veterum Patrum teſtimonio.

80. Cenſco ſecundò. Promeruiſſe B. Virginem filij ſui anaſtaſim quoad ſubſtantiam, quia potuit Chriſtus gratiam promereri ſuæ Chariſſimæ Parenti, vt ſuis votis, ac in Deum inſtantibus precibus Dominicam reſurrectionem in vitam immortalem promereretur: ergo decuit valde, vt reapſe id ita fieret. Nec dicas, hinc elici Chriſtum Dominum non reſurrecturum ex vi præſentis decreti, niſi B. Virgo filij reſurrectionem promeruiſſet; ſi enim reapſe Chriſti Anaſtaſis B. Virginis meritis attribuitur: ergo illis deficientibus, opus erat alio decreto. Sed hæc omnia libens admitto; ſicut omnes admittimus, deficiente B. Virginis merito, nec ita celeriter reſurrecturum Chriſtum, nec Incarnandum iuxta plures circunſtantias, quas Deiparam promeruiſſe admittunt omnes. Opera autem, quæ ad hoc meritum referebantur, ea vtique fuere, quæ poſt filij mortem exercuit, nempe deſideria, preces, obſecrationes, pluraque alia, quæ à Deo ſiue filij anaſtaſim in ſe, ſiue eiuſdem accelerationem extorſerunt.

Maria meruit filij anaſtaſim quoad ſubſtantiam.

81. Inſtas; nonne Diuinitas humanitatem ab carcere tumuli in vitam ſoluit? Potuitne creatura, licet immenſis onuſta meritis, rerum omnium Conditorem morte affectum, ac ſub duro ſaxo iacentem ad vitam reuocare? Potuit ſanè Maria inſtar leænæ generoſum Iudæ catulum ſuarum precum, ac votorum rugitibus exſuſcitare, iuxta illud Gen. 49. *Catulus Leonis Iuda.* Septuaginta tranſcribunt: *Ex germine fili mi aſcendiſti, recumbens dormiſti vt leo, & quaſi catulus leonis, quis ſuſcitabit eum?* In quæ verba D. Thomas à Villanoua Conc. de reſurrect. hæc habet: *Quis ſuſcitabit eum? Hæc igitur Virgo virtutibus ſuis Deum cœlo deduxit; hæc eum iterum ſuis clamoribus ab inferis reuocauit.* Sed ad noſtrum guſtum facundius Chryſol. ſerm. 75. fatur: *Venit Maria ad ſepulchrum,* (loquitur de Magdalena Mariani nominis gerula,) *Venit ad reſurrectionis vterum, venit ad vitæ partum, vt iterum Chriſtus ex ſepulchro naſceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre; & eum quem clauſa virginitas vitam protulerat ad præſentem, clauſum ſepulchrum ad vitam redderet ſempiternam.* Ex nominis Mariæ conſortio, ac vicinitate tumuli ſaxum ad fœtum vitalem efformandum eruditur.

Gen. 49.

Thô Vill.

Chryſolog.

82. Imò ex quo ſepulchrum inſtar Virginis virgineè edidit Saluatorem, vlterius nihil mortale, ſeu cadaueroſum ſecum admiſit, vt ait D. Auguſt. tract. 28. in Ioan. *Sicut ſepulchrum, vbi poſitum eſt corpus Domini, nec antea, nec poſtea quidpiam mortale concepit: ſic vterus Mariæ, nec antea, nec poſtea quidpiam mortale concepit.* De Magdalena habes, Ioannis 20. *Proſpexit in monumentum, & vidit duos Angelos vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum erat corpus Ieſu.* Hæc profectò mutatio dexteræ excelſi, & vnius Mariæ. Itáne ſepulchrum non iam pus fluentia, & oſſa cadaueroſa concipit, ſed horum vice incorruptibiles, & immortales ſubſtantias, quales ſunt Angeli: ſcilicet ex quo Chriſti ſepulchrum à B. Virgine edoctum ſine vlla ſui ruptione, ſeruato ſuæ integritatis ſigillo, quo ſigillatum fuerat, vt audis: *Signantes lapidem cum cuſtodibus.* Matth. 27. 56. Chriſtum Dominum peperit; iam quidquid putredinem, ac mortem redolet, procul abigit, ſolum vitales ſpiritus halat; meritò ergo dicat Aug. ſupra. *Nec poſtea quidquam mortale concepit.* Habes etiam Marc. 16. *Et introeuntes in monumentum viderunt iuuenem ſedentem in dextris coopertum ſtola candida.* Non ſenem decrepitum, mortis candidatum potuit ſepulchrum de Mariæ diſciplina edoctum aluo ſua concipere, aut parturire, ſed Iuuenem florida iuuenta ſplendentem, quod acumen fuit Hieronymi in illa verba: *Non ſenem,* ait, *non infantem, ſed iucundum ætate, vt dicitur: lætare ſterilis in adoleſcentia tua, imò quidquid vita eſt, quidquid reſurrectionis, & immortalitatis pre ſe iuuenis iſte ferebat.* Vident etiam mulieres iuuenem illum ſtola candida conſpicuum, quæ ſtola non ex mortali vellere, ſed ex virtute vitali fabrefacta fuit, illius inquam, aquæ mitiſſimæ, nempe Mariæ.

August.

Ioan. 20.

Sepulchrum Chriſti Domini de Mariæ diſciplina eruditum non oſſa cadaueroſa concepit, ſed immortales ſubſtãtias.

Matth. 27. 56.

Auguſt.

Marc. 16.

Hieronym.

Ex quibus elicies quamopportunè aduerſus graſſantem peſtilentiam, indictum fuerit Purificationis feſtum, authore Sigeberto in Chronic. ann. 542. in quo feſto partus virgineus colitur, quo mors omnino depellitur, corruptio penitus fugatur & vita editur immortalis: quaſi vterus Virgineus armamentarium foret, in quo Chriſtus obarmatus mortem aggrederetur. *O vterum,* exclamat Gregor. Thaumat. ſerm. 3. de Annun. *in quo confectus eſt noſtra libertatis libellus. O ventrem, in quo aduerſus mortem fabrefacta ſunt arma.* Ab vtero Euæ mors per cibum pranſum obarmata vitam debellatura egreſſa eſt: ab vtero B. Virginis egreſſa eſt vita in quo arma fabrefiunt, acuuntur enſes, expoliuntur arcus, parantur tormenta bellica, puluis turmentarius conficitur, ordinantur acies, conſtruuntur munitiones, & cunctus bellicus apparatus præmunitur ad mortem ſubigendam, corruptionem, & tabem debellandam, ſalutem inferendam, vitamque adſtruendam. *Sicut enim miles,* verba ſunt Richardi de S. Laur. lib. 2. de laudibus Virg. *pugnaturus armatur in tabernaculo, ſcilicet vt armatus exeat ad conflictum; ſic Chriſtus cum Diabolo pugnaturus pro ſponſa, in vtero B. Virginis velut in tabernaculo armaturam humanæ carnis ſibi adaptauit.* Non ſine acumine expendit Hieronymus illud Matth. 1. *Liber generationis Ieſu Chriſti filij David, filij Abraham, &c.* Plures ibi Teſſaradecadas inueniri: nimirum quatuordecim Reges, quatuordecim Patriarchas, quatuordecim Duces. *Omnes itaque generationes ab Abraham vſque ad David, generationes quatuordecim; & à David vſque ad tranſmigrationem Babylonis generationes 14. & à tranſmigratione Babylonis vſque ad Chriſtum generationes quatuordecim.* Matth. 1. 17. Quaſi orbis vniuerſus morbo ingraueſcente iam veluti deueniſſet ad quatuordecimum diem criticum, & ominoſum, in quo valde periclitari ſolet ægrotus. Tunc ergo concipitur, & naſcitur Maria, quæ mundo ſalutem inuexit. *Genitrix Domini,* inquiebat Auguſtinus alibi datus, *ſalutem intulit orbi.* 83.

Sigebert.

Vterus Marianus armamentarium, in quo Chriſtus obarmatus aduerſus mortem.

Gregor. Thaum.

Ricard. de S. Laur.

Hieron: Matth. 1.

Naſcitur Maria cum mundus ingraueſcente morbo peruenit ad quatuordecimum diem criticum.

Auguſt.

Curioſiùs hic non nemo diſquirat; an immunitas à corruptione, & vermibus in Chriſti Domini cadauere prouenerit, ex eo quod à carne incorrupta, & virginea Mariæ ortum duxerit: videlicet, an quia filius Mariæ Chriſtus Dominus exemptionem ab omni putredine, & ſqualore, ac tabo 84.

Chriſtus quia filius Mariæ exemptionem à putredine, & corruptione obtinuit.

Christus quia Filius Mariæ exemptionem à putredine, & corruptione obtinuit.
Psalm. 15.
Bernard.

post mortem adeptus fuerit, & à tam turpi humanæ naturæ dedecore immunis prodierit. In qua re affirmantem partem assectatur sanctus Bernard. serm. 35. in Cant. premens illud Psalm. 15. *Non dabis sanctum videre corruptionem. Haud dubium*, inquit, *quin de corpore dicat, quod in sepulchro iacebat; hoc enim sanctum, & Angelus qui nunciauit Virgini, locutus est dicens: & quod nascetur ex te sanctum. Quo ergo pacto sanctum poterat videre corruptionem, quando de incorrupti vteri perpetuo virore, vernantibus pascuis ortum, etiam auidos Angelorum in se figi posset obtutus, insatiabiliter oblectandos.* En tibi partitur Deus imperialem Christi in Anastasi triumphum, cum B. Virgine: siquidem Christi corpus ab horrore, sanie, ac pure tabifico immune seruatur, quia Filius Virginis Mariæ incorruptæ: at cum gloria, & Beatorum dotibus resurgit, quia Filius Dei.

85. Chrysip.

Amplius audet Chrysippus Presbyter Hierosol. hom. de S. Maria, dum tribuit Virgini Deiparæ, quod plura sanctorum corpora, Christo resurgente, è monumentis in vitam etiam immortalem resurgerent; sic enim fatur sub persona Luciferi: *Eripuit eos, quos ipse morti tradidi. Tandem etiam consiliis meis in crucem actus, multo me maiori verecundia perfudit, & meum denuo mortem, dum è cruce concussit, vniuersa quæ sunt in terra, ex morte patefaciẽs omnia, quæ sub terra iacebant, decerpens tam me hic quam mortem sibi resurgentibus cum mortuis. Horum igitur omniũ, quæ mihi causa est? Quæ alia prater eã, quæ genuit eiusmodi miraculorum opificẽ.* Vbi Mariæ arrogat defũctorum corporum floridam anastasim: & merito, si quidem opus fuit, vt granum emortuũ, quod ederat vterus Virginalis, crucisque aratro subactum, virgineoque lacte irroratum, terræque consepultum, non absque plurimo fœnore in opimas spicas multiplicatũ resurgeret. *Ipsa est*, inquit Epiphan. orat. de laudibus Virginis, *ager minimè cultus, quæ Verbum velut granum frumẽti suscipiens, etiam manipulum germinauit.* Quod iam olim illustri confirmauerat vaticinio sponsus Mariam alloquens: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Cant. 7. 2.

Corpora Sanctorum, quæ Christo resurgente surrexerunt, id per Mariam adepti sunt.

Christus granum tritici quod in opimas spicas aliorum sanctorum multiplicatum excreuit.

Epiphan.

Cant. 7. 2.

86. And. Hierosol.

Maria senescentem mundum in floridam iuuentã restituit.

Postremo senescentem mundum, & ad interitũ vergentem Maria in floridam, & vernantem iuuentam restituit. Ita Andr. Hierosolym. ser. de Annunc. *Hodie*, inquit, *summâ vniuersi Opifex potẽtiâ, conceptũ apud se iamdudum de rerum creatione consilium, ad finem perducit. Quia prior nostra effigies nouam figuram consequitur; & senio quasi confectus mundus, per Mariam peccatorum senectam exuit.* Nec enim alia ratione mundus senio conficitur, & ad interitum ruit, nisi per hominũ delicta. Tunc ergo mundus senescit, & interitui proximus est, cum vernant, & adolescunt peccata, cum turpitudo grassatur, fastus & arrogantia tument, auaritia regnat, & ditionis suæ fines protendit. Proh Deum immortalem! quam graui senio confectum inspiciebat orbẽ Deus, cum Maria illum instauratura venit. Quid libidinosius Herode? Quid Augusto Tiberio auarius? Quid Scribis, & Pharisæis arrogantius? Accedat ergo Maria vitæ Antistes, quæ mundum renouet & instauret, sua eum exuens senecta, nuncupato Virginitatis voto aduersus turpitudinem: per miram animi demissionem, & obedientiam, aduersus omnem fastum: per paupertatem, ac rerum omnium abdicationẽ, aduersus auaritiam. Tu ergo quisquis morbo immedicabili concuteris, ægritudinibus conflictaris, vel dubia valetudine ad casum, & mortem properas, ad Mariam accede omnis salutis Antidotum, vitæ promptuarium, ac omnis vegetæ valetudinis armarium: vel solum adspectus Mariæ est salutare vitæ pharmacum, & afflictæ valetudinis instantaneum remedium, & vt supra dicebat Damascenus, dicitur vitæ Antistes, quia ad Mariæ nutum omnis vitæ nostræ periodus annis, mensibus, & horis constantis, vertitur, & absoluitur. & eius voluntate, & arbitrio vel contrahitur, vel dilatatur: in cuius typum, Virginem Deiparam adspexit Ioannes Sole circumamictam, redimitam stellis, innitentem Luna, quasi Domina effecta omnium instrumentorum temporum, ac sæculorum, quæ ex Solis gyratione, Lunæ, stellarumque circumrotatione commensurantur.

Vita nostra periodus ad nutum Mariæ vel dilatatur, vel contrahitur.

CERTAMEN VII.

Reliqua bona temporalia à Virgine Maria in suos Clientes deriuantur.

INter alia quamplurima B. Virginis elogia, quibus à sanctis Patribus exornari solet, illud vtique 87.
solemnissimum est, quo Proclus orat. de Natiuit. Domini, vocat eam: *Salutaris reconciliationis Panegyrim.* Ait autẽ Dionysius Halicarn. Panegyrim, esse conuentum celebrem ad ludos. Chrysostomus orat. de S. Philogonio versans illud Pauli ad Hebr. 12. de Angelorum frequentia, vel vt est in Græco, Panegyri; docet, cætum cælestium virtutum ab Apostolo vocatum esse Panegyrim, tum ob earum multitudinem, tum ob communem lætitiam, omniumque bonorum affluentiam, subiicitque hæc verba: *Nec enim alia res facere solet Panegyrim, quam mercium venaliũ copiam, cum triticum, hordeũ, & omniiuga fructuum species, ouium greges, boum armenta, vestes, aliaque id genus plurima importantur; aliis quidem ementibus, aliis verò commercantibus.* Quæ facunda Chrysostomi explicatio magis patet ex voce illa addita ab eodem Proclo; nempe salutaris reconciliationis, vel vt in Græco legitur, synallagmatis: at apud Iurisperitos, synallagma idem est, ac contractus, siue obligatio vltro citroque suscepta; veluti emptio & venditio, locatio conductio, & quilibet contractus societatis. De quo videndus Vlpianus l. 19. ff. de verborum signific. & Aristoteles lib. 5. ethic. cap. 2. Ex quibus habemus intentum Procli, dum vocat Mariam, Panegyrim salutaris reconciliationis. Quasi diceret B. Virginem esse veluti commercium, seu nundinas spirituales omnium mercium gratiæ, & bonorum omnium animæ, & corporis, ad quas qui confluxerint, eius encomia, ac laudes verbo, vel scripto celebraturi, sibi in posterum necessaria parabunt. Eodem gustu Bernardus serm. 2. de Pentecost. vocat Mariam, Medium terræ omni bonorum genere affluentissimum, ad quod omnes populi auidissimè concurrant, sibi prouisuri per Mariam quidquid animæ, ac corpori opus fuerit. Et serm. in signum magnum, veluti emporium, ac forum spirituale nobis proponit Mariam, aut quasi locum nundinarum pietatis & misericordiæ. *Omnibus*, inquit, *facta est sapientibus, & insipientibus, copiosissima charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperuit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi; captiuus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, iustus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humanæ substantiam, vt non sit, qui se abscondat à calore eius.*

Proclus.
Dion. Halic.
Chrysost.
Hebr. 12.
Vlpian.
Arist.
Maria est commercium, emporium, seu nundinæ bonorum omniũ siue corporis siue animæ.
Bernard.

En

En tibi Panegyrim effectam Mariam, nundinas, & omnium bonorum emporium. Nec deest hic synallagma illud, seu cõtractus, quo vltro, citroque obligatio suscipitur: nam cultor Mariæ vigilias, lucubrationes siue verbo exhibitas, siue iugi labore, ac studio elaboratas, & suo qualicumque ingenio excultas ipsi B. Virgini dicat, consecratque; & ipsa vicissim, suarum laudum buccinatoribus, ac scriptoribus bonorum omnium merces rependit. Insuper Mariæ clientes sunt instar mercatorum pinguium, qui licet pro ipsius honore tutãdo, salutem, vitam, res familiares, ac famam exponant: sors tamẽ principalis salua manet; nempe consummatio vitæ in gratia, in eademque decessus; & vltra sortem, lucrum, & auctus multiplex. Id innuit Concilium Ephesinum, & Calcedonense dum vocat Mariam, *Theotocos*, quæ vox non solum significat Matrem Dei, sed etiam, Dei vsuras, seu fœnora; hoc est merces, quibus cum negotiamur, ac lucra cum magno fœnore nobis in dies comparamus, ac ditescimus.

Maria cultores instar mercatorum pinguium cuius sors principalis salua manet, & vltra sortẽ lucrum.

Conc. Eph. & Calced.

88. In hunc sensum collimant verba illa, Prou. 8. Vbi eadem Virgo iuxta plures Interpretes sic fatur: *Mecum sunt diuitiæ, & gloria, opes superbæ, & iustitia.* Quæ de temporalibus bonis plures interpretantur, quæ ad tria capita communiter referri solent, nempe diuitias, honores, ac voluptates. Et quidẽ de honoribus, perspicuis verbis id exprimit ipsa Deipara eodem cap. *Per me reges regnant, & legum conditores iusta decernunt. Per me Principes imperant, & potentes decernunt Iustitiam.* Vnde Marianę stirpi adscribit Matthęus Iudices, Reges, Duces, ac Dynastas, qui omnes propter vnam Dei Genitricem regnum, ac potentiam sibi compararunt. Ita Rup. in c. 2. Cant. Salaz. in hunc eumdem locum Prou. De diuitiis, vbi nos legimus. *Mecum sunt diuitiæ.* Transferunt Septuaginta. *Possessio multorum.* Alij vertunt. *A me sunt diuitiæ.* Quasi dicat, non solum mihi diuitiis ditor, sed etiam meo nutu illas aliis erogo, & his qui meo cultui se deuouerunt, liberali manu distribuo. Sicut enim plures viri de sponsis multum fidentes, expẽsarum curam domesticarum ipsis demandant, ac pecuniarum custodiã, & claues committunt; ipsi verò aliis curis intenti in grauiora negotia incũbunt: eadem ratione Deus huic dilectissimæ sponsæ plurimum fidens, rerum omnium temporalium, ac thesauri vniuersi claues tradidit; Ita vt quidquid in hac mũdi magna domo expendendum sit, B. Virginis arbitrio fiat, & omnia nutu suo dirigantur, ac moderentur: nullumq; bonum temporale, siue diuitiarũ, siue honorum cuiquam obueniat, quod non à B. Virgine corriuetur.

Prou. 8.

Diuitiæ, honores, & voluptates à Maria in nos deriuantur.

Rupert.

Salaz.

Nullum bonũ temporale est, quod à Maria non veniat.

89. De vita etiam pacifica, & cum voluptate coniuncta, quod etiam per eosdem B. Virginis tubulos ad nos deueniat, id perspicuum fiet, si verba illa iterum ad trutinam vocaueris: *Mecum sunt diuitiæ, & gloria.* Nam Theodot. transfert: *Substantia antiqua.* Aquila *substantia cum pace.* Antiquitas, sed enim ad durationem refertur immemorabilẽ, vnde possessio antiqua, & immemorabilis alicuius rei ex sola præscriptione omni lite caret, eiusque Dominus possessione illa pacificè gaudet, sine vlla lite, & contentione, siue strepitu iudiciali, quæ pacifica possessio cum maximo gaudio, ac voluptate coniuncta censetur, maximè si adsit vita diuturna, quæ est altera lectio Symmachi. Itaque sensus illorum verborum ex variis lectionibus erutus, hic erit. Diuitiæ & opes superbæ, id est magnæ; vita longior, nobilitas perantiqua, adeoque honores, principatus, regnum, & imperium, gloria denique omnis maxima cum pace, atque adeò & voluptate coniuncta, à B. Virgine nutu suo in sui cultores, laudumque suarum præcones deriuantur.

Prou. 8.

90. Memoriã euolue inusitatum Dauidis gaudium, quod in saltus, ac plausus adegerit, imò & ad choreas compulerit præ exultatione, dum ante Arcam stetit: profectò non alia ex caussa, nisi quia vel sub vmbra Mariæ protegebatur, si credimus Ambrosio serm. 80. *Dauid elatus gaudio in saltationem prorumpit; præuidebat enim in spiritu Mariam de germine suo Christi thalamo sociandam.* Vel sola Mariæ vmbra Dauidem gaudio cumulauit, quod expertus fuit antequam natus Ioannes, de quo ait Elizabetha, Luc. 1. *Ecce vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo.* In quæ verba Bern. serm. io Assumpt. ait: *Hæc est, nempe Maria, cuius salutationis vox, & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna viscera claudunt. Quod si paruuli, necdum nati anima liquefacta est, vt Maria locuta est, quid putamus, quanam illa fuerit cœlestium exultatio, cum & vocem audire, & videre faciem, eiusque frui præsentia meruerint:* Nullus teter carcer, nullum fæculentum ergastulum reperiri potest, vbi si Maria affulserit, lætitia, & gaudio non gestiat, omni horrore depulso, ac tenebris procul abactis. *Per eam nobis cum Deo magno plausu fuit reconciliatio, paxque & gratia donata, & simul cum Angelis choreas ducunt homines; & filij sumus effecti;* dixit S. Damascenus orat. in Assumpt. Mariæ.

Ambros.

Luc. 1.

Bernard.

Damasc.

91. Huc reuoca illud Andr. Cret. serm. de Dormit. Deip. vbi eam vocat, *perpetuam Angelorum choream.* Tantum enim gaudij ex visione Marianæ pulchritudinis Angelis accrescit, vt deficiente, si fieri posset, visione Beatifica, sola visio perfectionum, ac gratiarum B. Virginis, licèt illos non bearet, incredibili tamen gaudio vsque ad stuporem cumularet; de quo fusiùs alibi disputamus. Solent in Regum curia qui regi assident, & à consiliis sunt; variis negotiorum curis distenti, ac causarum pondere pressi ad animi leuamentum choreas, festiuos ludos, hastiludia, & alia id genus instituere: sic rudi nostro modo loquendi Angeli custodes, & intelligentiæ iugi orbium circumuolutione, hominumque regimine, veluti defessi, cum videant plures rebelles, ac contumaces sanctis illustrationibus nolle parere, ac diuinos afflatus procul respuere, animi recreandi gratia, illis Marianam pulchritudinem proponit Deus, quæ illis instar festiuæ choreæ sit ad animi laxamentum. Ex Maria gaudia proueniunt, lætitiæque plenitudo. Maria Prophetissa soror Aaron, Exod. 15. *Tympanum sumpsit manu sua.* Vbi Maria vera, vel adumbrata nobis adest, nequeunt deesse omnia instrumenta gaudiorum.

A[illegible]. Cret. *[illegible] perpetua Angelorum chorea.*

Exod. 15.

92. Ad rem S. Greg. Nyss. orat. de resurrect. Mariam appellat, *radicem gaudij.* Quisquis ergo voluptatibus inhias, gaudia rimaris, vitamque cum lætitia traducere percupis, frequenter huius pulcherrimæ arboris radices laborum ac vigiliarum tuarum obsequiis, tum & repetitarum precũ suspiriis, ac votis humecta, ab imo pectore ductis; & statim experieris non fugacium voluptatum frondes, ac mera, & inania gaudiorum terrestrium folia, sed flores vernantes erumpent solidissimæ voluptatis, qui in fructus veri gaudij, & exultationis soluantur; inuenta enim hac arbore Mariana inuenitur omne bonum iuxta, sapientẽ illum Idiotã. Imò si ipse Deus mœstitiæ, ac doloris capax foret, vna Maria deliciosus ipsi existeret Paradisus. Audisti primos parentes in paradiso enormiter deliquisse in Deum, & quidem infinita quodammodo malitia, qualis inest cuicunque

Greg. Nyss.

Maria deliciosus Deo paradisus.

que lethali delicto, quæ Deum, si fieri posset infinitè contristaretur: & tamen Deus paradisum petit. Gen. 3. *Maria omnis mœroris, ac tristitia obliteratio.* *Cum audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso.* Gen. 3. Cur locum Deus vbi tam atroci iniuria fuit ab homine lacessitus, repetit: latius foret ab eo procul abscedere, ne præteritæ offensæ recordatio, cuius recentia vestigia adhuc exstabant, refricare posset mœstitiæ, ac doloris sensum. Aptè ad intentum occurrit Procopius: *Vbi ipsi defecerunt à Domino, etiam ipse eorum consortium vitauit. Venit ipse Deus in secundum paradisum, Virginem dico.* Vt ergo mœrorem dispelleret, ac omnem doloris sensum propulsaret, in Mariam tanquã io deliciosissimam paradisumvenit, ibi deliciatur, ac voluptuosas inambulationes instituit, laxamenta captat; solaque vel Mariæ vmbra, ac recordatio ita Deum oblectat, vt possit omnem dolorem quamuis immensum ex infinita aliquo modo offensa ortum obliterare. Audi Damascenum orat. de Assumpt. ita cum Maria faorem. *Gaude inexhaustum gaudij pelagus, vnica mœroris obliteratio.*

93. Nusquam maiores, aut deliciosiores voluptates reperiuntur, quam in vna Deipara, cuius rei testes omni exceptione maiores adhibeo, nẽpe Angelos, qui in admirationem acti præ deliciis numquam ab illis in cœlo expertis, sicut in B. Virgine cœlos ingrediente, quasi rei maguitudine, & nouitate attoniti exclamaruut: Cant. 8. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto deliciis affluens?* Cant. 8. Ac si dicerent, præter communem ordinẽ gratiis, ac deliciis circumfluẽs. Deliciarum quippe vox sonat voluptates extra omnem exaggerationem: ac si Deus in Virgine Deipara exquisitiores gratiarum, ac bonorum omnium delitias præter communem legem congesserit. Mos inualuit apud Principes, & Dynastas vltra hortos arboribus consitos, florum pulchritudine, & varietate gratissimos; alud sibi speciale topiarium construere regali munificentia, ingenti sumptu, ad sui delitias, & leuamentum. Sic Deus vltra omnium sanctorum pulcherrima viridaria, Virginem Mariam, tãquam specialem paradisum sibi fabricauit, delitiis afluẽtem, fontibus salubribus conspicuum, floribus lectissimis pulcberrimum, nouarum fruticum varietate venustũ, arboribus electis consitum, vt ibi auram captet, deliriis circumfluat. De Maria Cant. 4. 13. ait sponsus, Cant. 4. 13. *Fons hortorum: emissiones tua paradisus malorum punicorum.* Quoties ergo pertæsus res humanas fastidis, ac mœrore obrutus contabescis, in has beatas Mariæ delitias te aduoco, viridantem hunc, ac semper vernantem, ac pomiferum paradisum ingredere. Quas, Deus bone, delitias hie captabis? quibus voluptatibus potieris? quam salubrem auram ebibes? quos latices sine discrimine salutis epotabis? Quæ poma veluti ab arbore paradisiaca, & à vitæ arbore decerpta mandes? De hoc inexbausto gaudiorum pelago ebibe; mehercle gaudiis innatabis, mœrorem omnẽ abiges. Omnis voluptas, quæ ab hoc paradiso nõ venit, sit tibi omnino suspecta, ac fallax: gaudia quæ ab hac arbore non pullulant ementita censentur; euanida, & ciro disparens lætitia omnis, quæ extra Mariã captatur.

94. Habes Prouerb. 8. Prou. 8. *Adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ.* Pro voce, *cardines*, Hebræi substituunt, *centrum*. Quæ verba plures Bernard. Interpretum Mariæ tribuunt, & S. Bern. ser. de tribus ordinibus, vocat Mariam, hominum centrum, *Maria Dei, & omnium nostrum centrum, & quies.* quod arcana, & innata quadam vi est rerum quies; & quidem res omnis extra suum centrum violentiam quandam patitur, discrimina plura subit, quæ omnia in amico centro deuitat, ibi quiescit secura, ibi à periculis seruatur immunis. Frustra ergo extra Mariã gaudiola quæritans oberres, solatia mendices, lætitiam & amicam quietem venẽris; quia Maria nostrum est centrum, & amica quies, sicut & Christi, qui de ore Dauidis sic Patrem alloquitur Psal. 21. *Quoniã tu es, qui extraxisti me de ventre.* Psalm. 21. Tertull. de carne Christi, c. 20. legit: *Tu es qui auulsisti me de vtero Matris meæ.* Tertull. Montanus. *Tu es quies mea.* Montan. Quod interpretatur de Natiuitate Christi, deque eius Incarnatione S. Cyril. Hierosolym. Cyril. Hier. Quod autem auellitur, vi extrahitur, ac violentia quadam: vnde Christus in Natiuitate auulsus dicitur ab vtero Materno, quasi à suo natiuo loco per vim extractus, & à centro suo. Nec solum Maria dicitur locus natiuus, & quasi Christi centrum, sed etiam omnium nostrûm. Ita Richard. à S. Laur. Richard. à S. Laur. lib 8. de laudib. Virg. *Maria centrum mundi, quod ex omni parte mundi omnes habent ad eam recurrere in omnibus suis necessitatibus, sicut omnes circumferentiæ recurrunt ad centrum.* O vtinam ŏmnes quasi quodam natiuo pondere, ac propensione ad Mariam, tanquam ad centrum, & amicam quietem obsequioso cultu ferremur.

Ipsemet Deus in Maria tanquam in centro pro- 95.
prio conquiescit, inquit Petr. Dam. serm. 11. *Numquid in Angelis voluptatem habet Altissimus, in quibus ipse reperit prauitatem? in stellarum scintillatione, quarum alia conuertuntur in sanguinem, alia cadunt de cœlo, alia in tenebris obscurantur? Numquid in aere, vel in igne, vel in ventis? Nequaquam; quia non in igne Deus, non in commotione Dominus, non in spiritu Dominus, si verus est ille qui in curru igneo, & equis igneis est assumptus in cœlum. Numquid in aquis, vbi furens, & tortuosus Leuiathan immoratur? aut in terra, quæ sub maledicto Adæ spinas emittit, & tribulos? Non est locus voluptatis, nisi vterus Virginis.* Pet. Dam. Quid elegantius? Plures Interpretum censent Euam die septimo fuisse ex costa Adæ conditam, & de hoc die, ait Scriptor sacer Genes. 2. *Compleuitque Deus die septimo opus suum, quod fecerat, & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat.* Gen. 2. Itàne cum Euam delicti primæui assertricem producit, requiescit Deus, qui in Angelorũ creatione, cœlorum eductione, hominis cõditione, ac in Vniuersi fabrica laborare dictus est. Profectò in Eua non illa præcepti diuini contemptrice, sed in adumbrata per eam requiescit Deus. *Surge Domine*, ait Chrysippus, *in requiem tuam, tua enim requies est Virgo, & vterus tua requies.* Chrysip. Itaque vel vmbra Mariæ nempe Eua refrigeria præstat Deo ab æstu humanæ culpæ, & à rerum omnium fabrica, gratumque leuamen. Hac in vmbra refrigeria capta quorusquisque æstu libidinis, ac peccati incentiuo agitatis. *Salutaris illa fœmina*, ait Bernard. ser. Bernard. de B. Mar. *in qua sola quæsitam in omnibus requiem quæsiuit.* Quieuit Deus septima die, nempe Sabbatho, qui sacer est dies Mariæ post tumultuarium laborem molitionis creaturarum.

In prima rerum omniũ conditione, aliqua boni- 96.
tatis diuinę scintilla in vnaquaq; creatura resplenduit; ideo dicebat Deus: *Vidit quod esset bonum.* Solus homo ante productionem Euæ, hoc diuino frustratur elogio. *Non est*, inquit Deus, *bonum, hominem esse solum.* Gen. 2. 18. Gen. 2. Verùm simul atque Eua in lucem editur, non solus homo, sed & cuncta, quę Deus fecerat, bonitatẽ, ac perfectionem nacta sunt. Sic enim habes Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. Quod expenderat Ambr. Ambr. in Hexamer. *Quando*, inquit, *quando solus factus est Adam, non dictum est, bonum fuisse factum Adam,*

quando

Prima fœmina omnium malorum inuentrix.

quando autem, & mulier ex eo facta est, tunc esse bona omnia comprehensum est. Bone Deus, fœmina quæ leuitate ducta tot mala in mundum inuexit, bonitatem, & perfectionem reliquis creaturis importare potuit? *Præsertim cum sciamus*, subdit Mediolanensis Præsul, *quod antequam fieret mulier, non errauerit Adam, postea autem virum suum traxerit in errorem.* Si per fœminã omne bonum exulauit ab orbe, qui potuit per illam bonitas adaugeri? Anne peccatum Deo arridere potest? Vel quo pacto quæ malorum omnium origo extitit, bonum intulisse mundo dici potest? Non ergo pronunciet Deus, edita in lucem Eua; *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Sed venisse in mundum rerum omnium destructricem, omnis calamitatis fontem exiliisse, malorum omnium inuentricem adfuisse, Gratiæ Aduersariam, mortis assertricem, commune orciniani carceris gaudium, cœli mœrorem ac luctum. Quæ igitur bonitas in Eua affulget, ex qua vna tot mala pullularunt? Et tamen dixit Ambrosius, statim atque Eua in lucem editur; totum orbem noua quadam bonitate, & absoluta perfectione conspicuum apparuisse. Haud dubiè primo, quia existente Eua genus humanum in plurès homines protenderetur, in quos Deus suam clementiam ostentaret. *Non est bonum hominem esse solum*, ait cit. Ambr. *nam maluit Deus plures esse, quos saluos facere posset, & quibus donaret peccatum, quam vnum Adam, qui liber esset à culpa.* Sed opportunius in rem nostram respondet 2. idem Ambr. quia Eua licèt tot ærumnas in orbem intulit, verum quia Mariam adumbrabat, in ea Deus sibi complacuit, ita vt eiusdem in mundum aduentu, res omnes creatæ nouam quandam bonitatem, ac perfectionem nanciscerentur. Rem absoluat sanctus Doctor. *Nam & si mulier prior peccatura erat, tamen redemptionem sibi paritura, non debuit abusa diuina miserationis excludi: salua enim erit per filiorum generationem, inter quos generauit, & Christum.* Quia Eua licèt post longissimam generationum seriem, paritura erat Mariam, quæ Christum nobis Redemptorem edidit, ideo per Euam creaturæ omnes ad omnigenæ bonitatis, & absolutissimæ perfectionis culmum peruenerunt.

Deus in prima fœmina sibi complacuit, quia vmbra Mariæ.

Ambros.

97. Quod si inter bona temporalia, esse fœlicem adnumeres, & vti secunda fortuna, quæ tanti ducebatur inter gentes, vt eam religioso cultu tanquam Deam maximam suspicerent. Habes in diua Maria secundam fortunam. Ipsa enim ait Prouerb. 8. *Meum est consilium, & æquitas.* Ex Hebræo alij transferunt: *Meum est consilium, & Fortuna.* Quasi dicat: à me consilium quoque optimum est, à me omnis secunda Fortuna deriuatur. Quisque ergo fœlix esse, ac secunda Fortuna vti peroptat, ita vt omnia pro voto accidant, ac cuncta prospere cedant, Mariam colat, suspiciat, obsequiis sibi deuinciat, seseque ipsius alumnum addictissimum profiteatur, ipsique se totum deuoueat, eius laudes ore verset, auribus lubentibus excipiat, lingua decantet, calamo exaret, & euulget. Idcirco Mariæ nomen plures Stellam interpretantur, qui ergo sub huius fœlicis syderis climate, & influxu degit, fortunatam vitam ducit, quia fausta prædicit, fœlicitatem portendit. Te ergo Mariano obsequio addice, erisque homo fœlici sydere natus; sub hoc fortunatissimo astro ortus Ioannes iam à matris vulua fœlicitatem omnem auspicatur, siquidem gratiam inuenit antequam luce frueretur, prophetiæ dono refulget, ac recens natus omnes in admirationem, ac stuporem rapit; vitaque eius ingens est portentum, ac miraculum, Christi præco, virtutis meta, Regum pauor, vniuersorum plausus. Profectò tot fœlicitatũ cumulus à Mariæ secunda Fortuna prouenit. Vnde ait Petr. Dam. ser. 25. *Ex ea nempe summæ fœlicitatis immensitas largius irrorauit.* Vtique per Mariam. Toto ergo nisu contende hoc secundioris Fortunæ charactere inuri, si cupis tibi fortunatum omen præsagire, quod quidem magno suo bono expertus fuit S. Dionys. Areop. vt ipse testatur in epist. ad Paul. *Fateor*, inquit, *coram omnipotẽtia Dei, & clementia Saluatoris, & gloria Maiestatis Virginis Matris eius, quoniam cum a Ioanne vertice Euangelij ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, tantus me splendor circumfluxit exterius, & plenius irradiauit interius, vt nec corpus infœlix, neque spiritus posset tanta fœlicitatis insigne sustinere.* Ex quo S. Dionys. sub hoc Mariano sydere vitam traducere incœpit, omnis fœlicitatis, ac secundæ fortunæ nota characteristica insignitus fuit.

Maria secunda fortuna.

Prou. 8.

Ioannes Baptista ortus sub Maria sydere fœlicissimo fœlicitatem omnem auspicatur.

Petr. Dam.

Dionys. Areop.

98. Ad extremum omnis respublica, omnis cœtus, imò cunctus orbis, quo tempore Maria non extitit, omnibus caruisse bonis perhibetur; in cuius rei typum Elias 3. Reg. 18. fatus ad suum puerum ait: *Ascende supra verticem Carmeli, & prospice contra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait: non est quidquam.* Qui cum idem sæpiùs præstitisset, tandem ait: *Ecce nubecula parua quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* Ioannes Hierosol. cum aliis, in illa nubecula, ait, signatã fuisse Virginem Mariam, & subdit: *Et quia nubecula illa, scilicet B. Maria, non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mũdi, ideo puer dicit, non est quidquam.* Vides quam verissimè Eliæ puerum ex præalto Carmeli monte latas cœlorum terrarum, mariumque dimensiones circumspiciẽtem, nihil prorsus vidisse; nempe quia nullum Mariæ vestigium vidit; quare audacter, & verè pronunciat: *Non est quidquam.* Scilicet omnis cœtus, ac respublica, imò vniuersus orbis, in quo Mariæ vestigium non agnoscitur, tametsi benigno cœlo fruatur, placidisque syderum influxibus, quæstuosa maris negotiatione exuberet, vbertimis terrarum fructibus abũdet pro voto; nihilo secius verissimè, & confidenter pronunciabis de illa republica, ac cœtu, non esse quidpiam boni in illa, quia nubecula nempe Maria non fuit à puero visa nasci in illa prima ætate mundi in illo cœtu, & republica. Mehercle communitas quælibet, quæ Mariæ cœlesti affluxu caruerit, omni destituetur bono, in illa non erit quidquam boni; nihil honoris, famæ, scientiæ, ac sapientiæ consequetur, omnem secundam Fortunam procul amandauit, ac bonis omnibus denudabitur.

3. Reg. 18.

Ioan. Hier.

Cœtus, ac respublica, quæ sub sydere Mariano non degit nihil boni reperitur in illa.

CERTAMEN VIII.

Ad omnes spectat Marianorum priuilegiorum elogia, vel voce, vel scripto propalare, quia omnium nostrum Mater est.

99. HOnor filij in Matrem delatus multiplici fœnore exundans in filium redundat, quia vt inquit sapiens Eccli. 3. 5. *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat Matrem suam*; & Prou. 1. *Ne dimittas legem Matris tuæ, honora illam, si vis ab ipsa honorari, & in bonis ditari.* Ex aduerso filius debitum honorem Matri non deferens à Deo maledictione feritur Eccli. 3. *Maledictus est à Deo qui exasperat Matrem.* Quisquis ergo amat locupletem bonorum omnium thesaurum sibi cõparare, summos sibi honores adsciscere, Matrem suam Mariam summo in honore habeat, laudibus euehat, excel-

Eccli. 3. 5.

lentias prædicet, priuilegia publicet, posteritati commendet, eiusdemque virtutum exempla sibi, & aliis im anda proponat.

100. Sed antequam probem B. Virginem Mariam communem omnium nostrum Matrem esse, præmittere oportet ex Glossa in principio Instit. de Adoptionibus, tripliciter considerari filiationem, nempe naturalem, legalem, & spiritualem. Filiatio naturalis est, qua quis per carnalem generationem in lucem editur. Legalis quæ fit per adoptionem iuxta legum præscripta. Spiritualis est, quæ fit per spiritualem baptismi regenerationem, vel per confirmationis Sacramentum, vt habetur in Decretal. tit. de cognatione spirituali, & eod. de cognat. legali. Iuxta hanc filiationis partitionem, B. Virgo tres dicitur filios habuisse, nempe Christum Dominum per naturalem generationem, Spiritus sancti ope; Ioannem Euangelistam per adoptionem à Principe Iesu institutam per illa verba: *Mulier ecce filius tuus.* Ioannem etiam Baptistam, per spiritualem Baptismi regenerationem, non Baptismi fluminis, sed flaminis, vt supra dixit Chrysostomus. Cum enim Deipara Elisabetham salutauit, verba salutationis hausta ab auribus m is in puerum effectiue Spiritus sancti gratiam contulerunt, iuxta illud Luc. 1. *Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.*

Glossa.

Ioan. 19.

101. Nunc assero B. Virginem plures habere filios adoptiuos, quorum Mater iure ipsa vocatur. Ita D. Bonauent. in spec. cap. 8. *Sed nunquid filius Christi Mater est Maria: Imo certè quod iucundissimum est, Maria non solum est Mater Christi singularis, sed etiam Mater omnium fidelium vniuersalis.* Vnde benè Ambros. *Si Christus est credentium frater, cur non ipsa, quæ genuit Christum sit Mater? Eia charissimi omnes nunc gaudeamus, nunc omnes gaudendo dicamus: Benedictus frater, per quem Maria est nostra Mater: & Benedicta Mater, per quam Christus est noster frater.* Et D. Bernard. serm. de Assumpt. *O homo securum habes accessum ad Deum, vbi Matrem habes ante filium, & filium ante Patrem. Mater pro te ostendit pectus, & vbera: filius ostendit Patri latus, & vulnera.* Id ipsum probari potest ex sacris voluminibus. Cant. 4. *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum.* Vna fuit conceptio, & emissio Christi; cur dicuntur emissiones in plurali? verum ita vnum edidit Maria Filium, vt in illo plurimos parturierit, vt bene explicat Guilielmus ad præfata verba; & Cant. 7. ait sponsus de Maria: *Venter tuus sicut aceruus tritici vallatus liliis:* Quæ verba sic premit Ambrosius de instit. Virg. *Vnum granum frumenti fuit in vtero Virginis Christus Dominus, & tamen aceruus tritici dicitur, quia granum hoc virtute continet omnes ele os, vt ipse sit Primogenitus in multis fratribus.* Ambrosio consonat Salmeron tom. 4. tract. 9. *Venter, ait, comparatur aceruo tritici, quod vterus in muliere grauida eleuatur, & tumidus reddatur instar acerui tritici: ita B. Virgo, quæ illum concepit, qui granum frumenti dicitur, quod quia vim habet producendi infinita grana, meritò illud vnum concipiens dicitur aceruum tritici continere, id est multitudinem electorum, qui tritico comparantur, sicut paleis reprobi.*

Bonauent.

D. Bernard. Maria omnium nostrũ Mater.

Cant. 4.

Cant. 7.

Ambr.

Salmeron.

102. Quod verò fideles in filios adoptauerit Deipara, & quidem per Christi Principis rescriptum; patet illis verbis: *Mulier ecce filius tuus: vnde ex illa hora accep eam discipulus in sua.* Ideo non eam nomine compell proprio, sed generali voce discipulum vo a vt d , filius est Mariæ; vnde ad que bet, qui se Chri i discipulum profiteatur, verba illa extendi possunt. Quod suo firmat suffragio S. Bernardin. tom. 1. serm. 55. de Passione Dom. cap. 5. *Mulier, ait, ecce filius tuus; vt excisa omni superfluitate verborum secretum mysterij penetremus: mysticè igitur intelligimus in Ioanne omnes animas electorum, quorum per dilectionem B. Virgo facta est Mater. Filius enim in Græco, nomen amoris est; magisque Virginem habeat Matrem, quam illam, quæ illum ex peccato damnatum, mundo sub cepto se nune peperit.* Suffragatur Cardin. Tolet. super Ioan. 19. *Omnes nos* inquit, *cura B. Virginis, & protectioni eius commendauit, vt tanquam ad Matrem, & Dominam dilectissimam in omnibus confugeremus Ioannes enim nos omnes repræsentabat.* Si ergo vis illam erga te bonam, ac benignam experiri Matrem: filius erga illam bonu ac pius esto; in quo nobis præit exemplo Chr us Iesus filius eius naturalis. De quo Guarricus Abbas serm. 3. de Annunc. *In hoc tibi, ait, præterea sit exemplo Iesus conceptus, & gestatus in vtero, qui etsi grauidauit, non tamen grauauit vterum Mariæ: sic te non sentiat grauem vterus Ecclesiæ (equidem adderem, vterus eiusdem Mariæ,) qui te tanquam membrum Iesu etiam gestare dicitur. Caue ne illam pœniteat te concepisse, sicut Rebeccam pœnituit, cum aiebat: si sic mihi futurum erat, quid nece e erat concipere? Si de aliquo nostrum sic conqueri contigerit vi era Matris nostræ, timeo ne melius fuisset, si conceptus non esset homo ille; ipse Deus in nobis, si qui tales sunt, emolliat cor lapideum, ne quatiant vi era Matris, ne fatigetur eos qualescunque suos portare, d ec formetur in eis Christus.* Illi autem præcipuè B. Virginis vterum torquent, & viscera excruciant, qui instar Iacobi, & Esau in vtero materno inuicem colluctantur, ac mutuis odiis, & simultatibus inter se congrediuntur.

Ioan. 19.

Bernard.

Tolet.

Guar.

Illi vterum matris Mariæ torquent, qui mutuis odijs colluctantur.

Rursus sicut Pater æternus, quia Christum hominem amisit, dum moritur, nos omnes sibi filios adoptauit. Adoptio a Iuri pe s definitur: Acceptio creaturæ extraneæ ad hæredit tem; sic ad bonorum cœlestium hæreditatem mortem filij naturalis omnes fideles sibi filios adoptiuos asciuit. Eadem fermè ratione cum B. Virgine peractum est, cum enim tantum filium in cruce deperderet, nos omnes in filios adoptiuos accepit. Imò sicut sub Spiritus sancti obumbratione Virgo, & Mater fœcunda effecta est: sic etiam & sub filij in cruce pendentis vmbra omnium nostrum Mater efficitur in Ioanne, cum eam Christus alloquens ait: *Mulier ecce filius tuus.* Ioan. 19. Sed vesti abis, qua ratione poterat Ioannes esse Mariæ filius, cum suum m, & hum tatem iam à matre hauss naturali. Verum pr ad filiationem quæ per adoptionem fit, i p non est. Deinde dici posset, humanita m hausisse à matre naturali Ioannem; at verò quod Virgo esset ac permaneret, id à Virgine Matre ille. sub cruci ergo vmbra maternitatem nostram nanciscitur Virgo B. sicut sub mbra Spiritus sancti fœcunditatem in ordine ad Christum filium naturalem. Hinc est quod Virgines pariat, ac nutriat Maria: præclarè Galfridus apud Tilman. in Allegoriis. *Quodammodo Ioannes Virginis Matris in virginitate filius fuit, cum i a, si non carnem, carnis tamen integritatem edidit, & filium si non hominem, tamen Virginem genuit. Cæterum quam multos hodie parit sanctissima illa, fœcundissimaque virginitas, quam fœlix eiusmodi generatio, fœcunda & irreprehensa posteritas.* Iure igitur Ioannes, ac reliqui Virgines filij B. Virginis nuncupantur, cum relationes maternitatis,

103.

Ioan. 19.

Galfrid.

Ioan. Euang. filius Mariæ non carne, sed virginitate.

&

& filiationis inter Virgines, & Virginem Matrem intercedant.

104. Vlterius reliquæ matres cruciatibus anguntur cum liberos in lucem edunt: ita & B. Virgo, quæ in Christi partu omnis fuit expers doloris, cum nos in gratiam parturiuit, doloribus cruciata fuit, vt inquit Rupert. lib. 13. in Ioan. cap. 19. *Proinde quia ibi dolores vt parturientis in Passione Vnigeniti, omnium nostrum salutem B. Virgo peperit, plane omnium nostrum Mater est.* Itaque vt esset Mater nostra multis cruciatibus sibi comparauit. Habes enim Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in cœlo mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens clamabat parturiens, & cruciatur vt pariat.* Si ergo Virgo B. Christum sine dolore peperit, vt quid dolores partus meminit. Proculdubio ibi sermo est, non de Christi partu, sed de reliquorum filiorum, vt aiunt plures ex Interpretibus: ideo enim Dei Mater efficitur, vt plures alios filios Deo pareret. Quo de partu aiebat Paulus ad Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Sed cur ita, dum cruciatur vt pariat diademate fulgenti redimitur? nempe quia gaudium, & corona Mariæ est plures Deo peccatores parere. Rursus cur hic ex stellis splendentibus corona contexitur Mariæ, quæ in Cant. 4. ex ferarum exuuiis serto coronatur, ait enim sponsus. *Veni de libano, sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis, de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Hic truculentorum quadrupedum spoliis coronatur Mariæ, quæ in Apoc. astrorum iubare tempora cingit. Anne sæua animantia Marianis meritis in sydera transferuntur? Profecto Chrysostomo teste homil. 23. ad populum Antioch. homines vitiis irretiti efferis bestiis assimilantur. *Nec enim, ait, os homo, si manifeste possum videre, cum tanquam asinus recalcitres, lasciuias vt taurus, tanquam equus post mulieres hinnias, ventri tanquam vrsus indulgeas, & vt mulus carnem impingues, & malum memoria teneas tanquam camelus, rapias vt lupus; vt serpens irascaris, feras vt scorpius, sis subdolus vt vulpes; nequitia vero tanquam aspis & vipera venenum serues, quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te natura cum non intuear signa?* Hæc autem effera animalia, dum se Mariæ patrocinio deuouent, commutantur in sydera æternùm in cœlis splendentes radios eiaculatura, vt acute meditatus fuit Ricard. de S. Laur. lib. 3. de laudibus Virginis. *De cubilibus Leonum, & de montibus Pardorum. Et nota quod Apoc. 12. dicitur Maria coronari de stellis: hic promittit ei filius, quod coronabitur de feris, & quid est hoc, nisi quod feræ per gratiam, & orationes Mariæ sunt stellæ, vt conueniant capiti tantæ reginæ, & hæc est mutatio dexteræ Excelsi.* Accedat ad Mariam quisquis instar leonis rugit & excandescit, instar equi phalerati superbe intumescit, & inflatur, lasciuit vt taurus, & vt scorpius virulentam euibrat linguam; & postmodum de vicinitate Mariæ in cœlestia signa leonis, scorpionis, ac tauri transferentur.

Rupert.

Apoc. 12.

Galat. 4.

Gaudium, & corona Mariæ plures Deo peccatores parere.

Cant. 4.

Hominis efferi in astra commutantur per Mariam.

Richard. de S. Laurent.

105. Ad hæc hic Matris titulus adeo Virgini B. arridet, vt dolores huius partus hoc solo nomine leniret, imo paradisi loco fuit ipsi; vnde nihil est quod queri possit, quod latroni promiserit paradisum, ipsi vero Christus Ioannem demandauerit non enim minus iucundum extitit Mariæ verbum illud *Mulier ecce filius tuus.* quam latroni illud: *Hodie mecum eris in paradiso.* Quippe Maternitas, & patrocinium erga homines est Mariæ instar delitiosi paradisi: siquidem peccata nostra ansam præbuerunt, vt B. Virgo ad tantam gloriam assumeretur. Ita vt fas sit dicere. O fœlix culpa, quæ talem, ac tantam Matrem Deo, & nobis comparauit. Gaudet ergo Maria, ac sibi gratulatur, quod peccatorum parens sit, & dicatur. *Propterea*, ait Bernardus ad verba illa signum magnum. *Velut alterum solem sibi induit: quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur, super iustos & peccatores, sic ipsa quoque prætérita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates materno miseratur affectu.*

Ioan. 19.

Mariæ patrocinium erga nos instar delitiosi paradisi.

Bernard.

106. Nos ergo tanquam filios in vtero portauit Maria, ac parturientibus doloribus peperit in Christi Filij passione, vbi omnium Mater effecta est. Ideo dicitur Luc. 2. Filium primogenitum peperisse, non quia alios naturales filios genuerit, sed quia nos omnes spiritualiter parturiuit. Vnde Paulus ad Rom. 8. ait: *Vt sit ipse Primogenitus in multis fratribus.* Recte Richard. de S. Laurent. lib. 6. de laudibus Virg. *B. Maria etsi carnaliter genuit vnicum filium, in eo tamen spiritualiter Mater effecta est magnæ multitudinis filiorum, quorum Primogenitus Christus: vnde signanter dictum est, peperit filium suũ Primogenitũ: sicut enim Eua dicta est Mater omnium viuentium vita naturæ Gen. 3. Sic Maria Mater omnium viuentium vita gratiæ.* Ex quibus elicit Bernardus serm. de Annunc. Christum Dominum esse fratrem nostrum ex vtroque latere. *Puto, inquit, quod me non potest spernere Christus, quia os de ossibus meis, & caro de carne mea; nam maior fraternitas est inter nos, & Dominum, quam inter Dominum & Angelos, nam fraternitas Angelorum est ex parte Patris tantum ratione creationis, inter nos vero, & eum, est fraternitas ex parte Patris, & Matris; ex parte Patris, ratione creationis, ex parte Matris, ratione susceptæ humanitatis.* Quod in maximam omnium nostrum dignitatem, solatium, & confidentiam cedit, quia cum D. Bonauent. ex Anselmo confidenter asserere possumus: *Ô anima mea cum magna mentis fiducia: exultabo, & lætabor, quia quidquid iudicabitur de me, pendet ex sententia Matris, & Fratris mei.*

Luc. 2.

Rom. 8.

Richard. de S. Laur.

Christus frater noster ex vtroque latere, ex quo grandis nobis fiducia.

Bernard.

Anselm.

107. Grandis profecto inde spes nobis aperitur pinguissimam hæreditatem adeundi. Siquidem moris est apud humanos parentes nobiles, vt Primogenitus maioratum percipiat, nempe hæreditatem Patris ac maiorum suorum; inter reliquos autem filios dos materna partiri solet, quæ quia tenuior plerumque, & angustior est, etiam minoribus filiis tenuis sors contingere consueuit. Sed ô nos ter quaterque Beati, quibus nostræ Mariæ dos pinguissima obuenit. Primogenitus ergo Filius Mariæ hæreditatem Patris adit, nihil sibi de materna dote assumit, sed nobis minoribus fratribus relinquit. Vis scire numerosissimam nostræ Matris dotem, audi Chrysologum serm. 140. *Ad Virginem Deus Aligerum ponitorem mittit, qui iam dat arrham, dotem suscipit, qui fert gratiam, fidem refert, & tradit munera virtutis, quibus mox virgo consensu resoluit sponsiorem.* Sed luculentius huius dotis valorem expendit Epiphanius de laudibus Virginis dum ait: *Quomodo Virgo inuenitur cœli ... sponsa, & Mater, quæ donorum antenuptialium nomine Spiritum sanctum accepit, dotis vero gratia cœlum & paradisum.* Epiphanio consonat Ildephonsus serm. 2. de Assumpt. *Hodie peruenit ad thalamum æterni regis, ad eiusdem nuptias, quæ in vtero sunt*

Christus primogenitus Patris maioratum percipit, nos vero ad nos matris Mariæ pinguissimam nanciscimur.

Chrysol.

Epiph.

Ildeph.

 dedicatæ

dedicata, pro quibus arrhas accepit sponsa Christi, in dotis titulo, & pignus hæreditatis æternæ, Spiritum sanctum. Vides opulentam dotis summam, diuitem arrharum thesaurum, nempe gratiæ plenitudinem, & ipsummet Spiritum sanctum, cœlorum regna, paradisi possessionem, quæ omnia dotis nomine veniunt, ac proinde nobis filiis minoribus partienda.

108. Animaduertas amabò, quibus oculis Principem regni hæredem breui tempore futurum inspicimus, quali obseruantia colimus, quæ ei obsequia deferimus, ipsius nutui paremus, ac voluntati obsecundamus, & officiis illum nobis subornare satagimus, quia tandem regno donandus, diademate rediminendus. At quibus officiis, qua obseruantia, quo studio ille prosequendus erit, qui regni cœlestis hæreditatem aditurus est, qui æternæ beatitati est destinatus, qui inter electos, ac Dei filios est iam de præsenti adnumerandus. Hic autem filius Dei adoptiuus censendus est, Filij naturalis imaginem præseferens: sicut ergo filius Dei naturalis Prædestinatorum caput constituitur, & filius naturalis Mariæ efficitur: ita electi omnes filij adoptiui Dei censendi sunt, & simul filij adoptiui Mariæ, vt sint Christi fratres ex parte Patris, & etiam ex parte Matris, nempe Mariæ.

109. Restat ergo vt nos erga tantam Matrem debitum amorem, reuerentiam, gratiarum actionem, fiduciam, virtutum imitationem, & obsequia exhibeamus. Quæ omnia conciso sermone perstrin-
Psalm. 47. git Solymæus Rex Psal. 47. verbis illis: *Circundate Sion, & complectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda vestra in virtute eius, & distribuite domos eius, vt enarretis in progenie altera, quoniam hic est Deus Deus noster in æternum.* Ac si diceret, Virginem Deiparam, cœlestem Dei ciuitatem obambulate circumeundo; id est singulares illius prærogatiuas alta mente meditamini, speciali amore, ac cultu eam prosequimini, fastigiatas ipsius turres, nimirum protectionem, patrociniumque omnibus paratissimum extollite, ac laudibus
Cant. 4. 4. in cœlum vsque euehite; de quibus Salomon. *Collum tuum sicut turris Dauid; collum tuum, sicut turris, quæ respicit contra Damascum. Vbera tua sicut turris.* Eximia ipsius priuilegia per totum terrarum orbem & voce, & scripto posteritati commendate, editis in lucem libris, ac commentariis in ipsius laudes euulgatis. Ponite corda vestra in virtute eius; hoc est, omnem vestram spem, atque fiduciam in hanc vnam Matrem vestram abiicite, tanquam in omnium potentissimam auxiliatricem,
Psalm. 59. quam enixe exambibat Dauid Psalm. 59. *Quis deducet me in ciuitatem munitam.* Radix autem bonorum omniũ in Maria innuitur verbis illis: *Quoniam hic est Deus Deus noster in æternum.* nempe Christus Dominus carnem ex illa sibi induens.

110. Vis autem tanta Matre dignior filius effici; opus est vt à cunctis mundialibus bonis te subducas, imo & ipsis parentibus naturalibus nuncium remittas, ac totus in possessionem Spiritus sancti abeas. Sic enim de Ioanne habes. *Et accepit discipulus in*
Ioan. 19. *sua.* Ioann. 19. Quippe omnia reliquerat, & retia pro Christo: ideo ad tantum filiationis fastigium euectus est. Ita quisquis filius Mariæ dici auet, cunctis perituris longum valedicat. Sed cur ait Ioann. eam accepisse in sua. qui nihil possidebat. Imo Dei gratiam & ipsum Spiritum sanctum possidebat: dixerat enim Christus: *Accipite Spiritum sanctum.* Ioann. 20. Bene quidem quod Virgo B. in possessionem Spiritus sancti adeat Opportu-

Qui filius Mariæ esse, & dici auet, cunctis perituris longum valedicat.

Ioan. 20.

ne Ambrosius præfata versans verba, ait: *Quid est in sua, cum reliquerit Patrem: quæ sua habebat Ioannes, qui sæcularia non habebat? Bonus Verbi sapientiaque possessor, bonus receptor gratiæ. Audite quæ Apostoli a Christo acceperant: accipite Spiritum sanctum: neque enim Mater Domini migraret nisi ad possessionem gratiæ.* Quisquis ergo grandi hoc elogio compellari cupit, nempe filius Mariæ instar Ioannis rebus omnibus se abdicet, solum Dei gratia cum virtutum satellitio contentus viuat, etiam vtrumque parentem naturalem nesciat: *Ideo, addit Præsul Mediolanensis, illam Dominus de cruce discipulo tradidit, qui dixit Matri, ac Patri suo, Non noui vos: huic ergo traditur Virgo, qui suos nesciat.* Fœlix ista cõmutatio, in qua pro parentibus carnalibus vna Maria sufficitur, quæ nostri Mater est Redemptoris, ac bonorum omnium post Deum scaturigo. Ambr.

Ob exiguam in hanc Matrem nostram reuerentiam, & amorem plures à via veritatis deflexerunt. Ob nimium in obsequio erga B. Virginem torporem, ac socordiam plures in profundum scelerum barathrum prolapsi sunt: ita vt in illos illud Psalm. 106. iactari possit: *Viam ciuitatis* Psalm. 106.
habitaculi non inuenerunt. & illud Psalm. 105. *Pro* Psalm. 105.
nihilo habuerunt terram desiderabilem. Olim ciuitates refugij Deus prouiderat, in quibus salui esse possent qui ad illas properarent Exod. 21. Modo autem vnam Virginem Deiparam nobis prouidit Deus, maxime peccatoribus in ciuitatem & asylum, in qua & ab hominum incursibus, & à Dei ira vindicante se subducere possint. Quod ipsa de se testatur apud S. Ioan. Damasc. serm. de Dormit. Damasc.
Virg. *Ego, inquit ciuitas refugij ad me confugientibus.* Quicunque ergo deliquerit ad hanc ciuitatem properet, Virgineo se munimine protegat; sed opus vt à Babylone procul abeat, virtuti se dedat. Et quemadmodum ad illas ciuitates refugij omnino expeditum iter parabatur; ita via ad Mariam cuique obuia, & expedita est. De ipsa ait Salomon Prouerb. 4. *Viam sapientiæ monstrabo tibi,* Prouerb. 4.
ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. De illis ciuitatibus sic habet Oleaster ex Hebræorum magisterio in cap. 35. Oleast.
Numer. *Viæ quæ ad eas ducebant complanatæ erant, vt nullum esset obstaculum, quod homicidam in via impediret.* Eodem modo via, quæ ducit ad Mariam omnino complanata est; nullum offendiculum, quod ad eam properantem retardare possit, reperitur.

111.

CERTAMEN IX.

Inter præcipua Prædestinationis signa annumeranda obsequia in B. Virginem à suis Clientibus præstita.

Plures ex interpretibus cum Ecclesia capiunt 112.
de B. Virgine verba illa Prouerb. 8. *Beatus ho-* Prouerb. 8.
mo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei, qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutẽ à Domino. Quasi studiũ, & obsequium in B. Virginẽ sit nota characteristica Candidatorũ æternæ beatitudinis, qua subsignantur B. Virginis clientes, teste D. Bonau. in Psal. 10. Bonauent.
Qui acquirunt gratiam Mariæ, agnoscentur à ciuibus paradisi, & qui hunc habuerit characterem adnotabitur in libro vitæ. Vbi affirmat, Mariæ cultorem

Amor & obsequium in B. V. character prædestinationis.

torem ſecum ferre B. Virginis inſigne, ac Marianæ militiæ notam; ac proinde poſt huius vitæ curſum, & nauigationem, cum portum cœleſtem appulerit, feſtiuis acclamationibus excipitur. *Si portum,* ait Anſelmus (Anſelm.), *ſalutis volumus apprehendere, Dei Genitricis Conceptionem dignis obſequijs celebremus.* Deinde ſicut Catholicus per baptiſmum ſpeciali quodam charactere inuitur: ſic etiam Mariæ cultor Prędeſtinati nota ſubſignatur. Ille character Baptiſmalis vocatur, hæc autem cœleſtis character nuncupatur; quod ſi baptizatus in libro Baptiſmi inſcribitur; ſic Mariæ cliens in libro vitæ, & prædeſtinationis adnotatur.

113. Quod quidem antiquitus iam Deus ſpoponderat ſub typo Tabernaculi Leuit. 26. (Leuit. 26.) *Ponam, inquit Deus, Tabernaculum meum in medio veſtri, & non abijciet vos anima mea.* Hoc Tabernaculum in myſtico ſenſu eſt Maria; qui ergo eam obſequioſo cultu ſuſpiciunt, eamque in medio cordis per ſingularem affectum deferunt, à Deo non proijcientur. Proh Deum Immortalem! quot homines, qui flagitiis obruti obſorduerant, à Chriſto Domino audire meruerunt, propter hanc in B. Virginem clientelam, quod Abiathar audiuit à Salomone 3. Reg. 2. (3. Reg. 2.) *Equidem vir mortis es, ſed hodie te non interficiam, quia portaſti Arcam Dei coram David Patre meo.* Arca hæc myſtica eſt Maria apud Patres. Meritò ergo Anſelmus (Anſelm.) apud S. Antonin. 4. p. tit. 15. cap. 14. §. 7. audacter illa protulit verba: *Impoſſibile eſt, quod illi, à quibus Virgo Maria oculos ſuæ miſericordiæ auertit, ſaluentur; ita neceſſarium eſt, quod hi, ad quos conuertit oculos ſuos, pro eis aduocans, iuſtificentur, & glorificentur.* Quemadmodum ergo B. Virginis ortus in vniuerſum terrarum orbem gaudium ingens inuexit, Chriſti enim aduentum à ſæua peccati ſeruitute, atque tyrannide homines liberaturi prænunciabat: ita etiam cum eiuſdem Virginis affectus, & deuotio in alicuius corde exoritur, ipſum gaudio afficit, & oblectatione perfundit, eſt enim veluti pignus quoddam, & aurora prænuncia Solis Chriſti eum in perpetuas æternitates colluſtraturi.

114. Hoc ſenſu ait ſponſus ſponſæ Mariæ Cantic. 1. (Cant. 1.) *Paſce hœdos tuos iuxta tabernacula Paſtorum* Quaſi dicat, vt curam gerat præcipuam de peccatoribus, hœdorum enim nomine impij veniunt. Apte Guillelmus Anglicus (Guill. Angl.) præfatum locum verſans ait: *Attendite Mariæ addicti ex toto corde, ait enim ſponſus: paſce hœdos tuos, ſuos quippe vocat, quia non hœdi omnes vocantur Mariæ, ſed qui Mariam colunt, ac venerantur, licet ſceleribus attaminati; qui enim peccatis irretiti ſunt, nec B. Virginem ſpeciali aliquo obſequio proſequuntur, nec preces aliquas in ipſius cultum fundunt, vt vel tandem aliquando reſipiſcant, hœdi profectò ſunt, non vero Mariæ, ſed ad ſiniſtram iudicis ſiſtendi, æternas inferorum flammas ſubituri.*

Quinam dicantur hœdi Mariæ.

Iure igitur vocantur ſui, qui cum ſcelerati ſint intercedente Mariæ ſuffragatione, & patrocinio, ex hœdis in agnos & oues transferuntur, ad dexteram Iudicis conſtituendi; qui tametſi flagitiis præpediti, pertinent tamen ad peculium Mariæ, quia illi ſe deuouent, ipſius feſta obſequioſo venerantur cultu, precarios globulos in ipſius obſequium percurrunt, in ipſius honorẽ ieiunia inſtituunt, alioſq; ſpõte cruciatus perferunt, ipſius elogia gratantibus auribus excipiunt, ore prædicant, ſcriptis exarant, poſteritati tradunt. Qui tamen dubio procul Mariæ tutela deſtituti, & paſtu, tanquã hœdi palantes à veritatis via aberrarent, & in truculentã luporũ, hoc eſt Dæmonũ rabiem inciderent excarnificandi.

Sed cur Mariæ traduntur hœdi paſcendi; nempe 115.
quia hœdi reliquos greges celeritate ſuperant, ac montium cacumina tenent cœlo proximiores: ita qui ſe Mariæ addicunt, eique obſequuntur, hœdorum imitantur ingenium, indolem referunt, montium vertices amant, ac reliquos iuſtos per compendium in via virtutis prætergrediuntur. *In altis grex iſte paſcitur, audax in monte, vbi alijs præcipitia, ibi capris nullum periculum; vbi alijs periculum, ibi gregis huius alimentum, ibi cibus dulcior, ibi fructus electior.* monebat Ambroſ. (Ambroſ.) itáque ſponſæ fœtus aſſimilantur hinnulis caprarum, Cantic. 4. (Cant. 4.) *Capilli tui ſicut greges tonſarum, omnes gemellis fœtibus.* Conferuntur Mariæ clientes cum caprarum fœtibus, quia curſus agilitate montium prærupta conſcendunt, & vbi aliis præcipitia, hœdis oblectatio & quies; vbi aliis minantur pericula, ibi gregis huius dulcis paſtus & alimentum. Alia animalia gaudent planitie camporum, ibi paſcuntur, imiſque delectantur paſcuis: non ſic Mariæ clientes, ſed inſtar hinnulorum in montium apicibus commorantur, vbi purius, & copioſius rore cœleſti perfunduntur, ac ſapidioribus paſcuis aluntur, vbi luporum incurſus eſſe non poſſunt, nec ſæui leonum aſſultus aſcendunt.

Suffragium ſuum ferat noſtræ theſi roborandæ 116.
S. Auguſt. vocans Mariam ciuitatem Hieruſalem, de qua fatus Dauid Pſalm. 68. ait: *Qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.* (Pſalm. 68.) Ille ergo cœleſtem illam Hieruſalem incolet, qui Mariam obſequiis ſubornare ſtuduerit, ac peculiari quodam affectu, & teneritudine ſuſpicere. Confirmat id ſancta Catharina Senenſ. apud Bernardinum Villegas in libello quem inſcribit: *Fauores Virginis.* cap. 4. quæ vt hauſit à B. Virgine, nullum quantalibet ſcelerum mole oppreſſum, ſi ſub Mariæ vmbra, ac patrocinio delituerit, peſſum iri dicebat: quia Deus Maria tanquam hamo vtitur, quo peccatores expiſcetur. Ideo plures Patres Mariam cum Arca Noëtica componunt, quia ſicut illi ſolum qui illa incluſi ſunt, ab vniuerſali cataclijſmi naufragio incolumes euaſerunt, ita qui ſub Mariano patrocinio degunt, reliquis pereuntibus, ſalui fient, hoc diſcrimine, quod animalia ex arca prodiere in eadem ſpecie, in qua fuerant ingreſſa, taurus ingreſſus eſt arcam, & taurus egreſſus, leo incluſus, idemque leo prodiit, & ſic de reliquis: qui autem myſticam hanc Arcam ingrediuntur, ferinos exuũt mores, quique animantium naturam referebant, depoſita feritate, humanam, & Angelicam naturam induunt. Meritò Deipara in Iacob inhabitare dicitur Eccli. 24. (Eccli. 24.) *In Iacob inhabita, & in Iſrael hæreditare, & in electis meis mitte radices.* Iacob enim prædeſtinatorum ſymbolum præſefert iuxta illud: Rom. 9. 13. *Iacob dilexi, Eſaũ autem odio habui.* Vbi ergo ſedem figeret Maria, niſi in electorum cordibus, & vbi altas ageret radices, niſi in illis, qui Deum æternum ſunt viſuri. Hæc eſt ergo Mariæ Virginis hæreditas. Tu ergo auge electorum numerum, Virginem Mariam ſuſpice, ac toto conanime contende, vt amor, & obſequium erga eam in te radicitus inſideat: ſic honores, vitam, voluptates tibi comparabis; qui enim Mariæ ſe totos addicunt, inter primores populi annumerantur iuxta illud: *Et radicaui in populo honorificato.* Eccli 24. 16. (Eccl. 24. 16)

Mariæ cultor obſequioſus cæleſtem Hieruſalẽ incolet.

Qui ſub Mariæ patrocinio degunt, reliquis pereuntibus, ſalui fiunt.

Maria in prædeſtinatis mittit radices.

S. Ambroſius per columnam illam Hebræorum 117.
in terram promiſſionis ductricem adumbrari Mariam putat in Pſalm. 118. quia Virgo Deipara homines è dæmonum faucibus ereptos per huius viæ

auia

auia in cœlum ducit: & quidem columna illa nubes erat in modum columnæ ſolis æſtus attemperans, & ignis etiam ſpeciem teferebat, quo tepor, & torpor imperfectorum incaleſceret, & accenderetur in re virtutis. Ducit Maria in die, id eſt viros ſanctitatis ſplendore conſpicuos; & per noctem, hoc eſt, homines vitiorum caligine ſuffuſos, vt nemo deſperet, ſi Marię tutelę ſe dedat. Sed cur Maria non inſtar lunæ candicat populo Iſraelitico? cum ſit pulchra vt luna, cur inſtar ſolis radios ſuos nõ euibrat? quæ electa eſt vt ſol; vel ſaltem, cur non ſicut ſtella ſplendet? cùm ſit ſtella matutina.

Pſalm. 118. Zeno.

Iſraelis populus, ait Zeno Veron. apud Lippom. *miſeratione Dei, duce Moyſe iuſſus eſt proficiſci, huic non cerentem ſolis per diem, ſed colũna nubis, non candicat luna, ſed ignis columna per noctem iter pandebat ignitum.* Nempe cometa ille nitens Mariam adumbrabat: at colũna ædificij molem ſuſtentat, quia quiſquis in cœlũ greſſus dirigit, hoc Mariano columine ſuffulciri oportet, & ſimul in Maria lucem præferet: ita vt ſit vna lumen, refrigetium, & ſuſtentaculum; lumen, vt homines recta via in cœlum deducat; nubes, vt ab æſtu libidinis & iracundiæ refrigeret; columna quæ ſuſtentet, ne laſſemur eundo. Quo reſpiciebat Bernard. dum vocat Mariam *vehiculum in cœlum*, nec defatigemur in via. Sane Mariæ clientes curru ac lectica vehuntur in cœlum. Id ſonant verba Venantij Fortunati B. Virginem ſic alloquentis: *Ad cœlos facta es ſors, via, porta, rota.* Quaſi qui Mariam ductricem habent ſorte bona, ac ſecunda fortuna potiantur. Via eſt, quæ ad patriam nos ducit, porta per quam in patriam patet ingreſſus: nomine autem rotæ per ſynecdochen, currus venit, quia eſt peregrinantium currus: vel ſi mauis rotæ nomen gruem architectonicam denotat, qua lapides immenſæ molis in ſublime eleuantur, vt in ædificio collocentur. Maria ergo mirandum eſt artificium ad extollendos quoſcumque peccatores, qui tanquam ſaxa rigentia in flagitiis obduruerunt, immenſa ſcelerum mole prægrauati; & hac media Mariana grue in cœlorum faſtigium ſubuehuntur, vt inibi collocentur tanquam pars ædificij cœleſtis illius Hieruſalem, quæ viuis ex lapidibus conſtruitur.

Maria eſt lumen, refrigerium & fulcimentum.

Ven. Fortun.

Maria rota architectonica ad ſubleuanda in cœlum rigentia peccatorum ſaxa.

118. Quod priuilegium fuit ſingulariſſimum in Maria, nimirum quod prodigioſo artificio homines in cœlum euehat. Non ſic reliquæ fœminæ, quæ ſemper viris caſus, & ruinas ſtruunt: quis enim à fœminarum conſortio caſum vitauit, A Maria, & per Mariam homines aſtra conſcendunt, & ab aliis fœminis venit, quod homines per vitam cœleſtem, quaſi in cœlis degentes, miſerabili caſu præcipites acti corruant, & cœleſtia omnia abiurent. Duplicem Chriſti genealogiam habes apud Matth. vnam, apud Lucam alteram. Matth. ſic attexit cap. 1. *Abraham genuit Iſaac, Iſaac autem genuit Iacob, Iacob autem genuit Iudam, & fratres eius. Iudas autem Phares & Zaram de Thamar &c. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth &c. Dauid autem genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vria.* In hac ſtirpe quinque memorantur fœminæ. Lucas autem diuerſimode lineam Progenitorum Chriſti recenſet, ait enim cap. 3. *Qui putabatur filius Ioſeph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui &c. qui fuit Adam, qui fuit Dei.* In qua proauorum ſerie nulla alicuius fœminæ mentio fit; nullam ob aliam cauſam, opinor, niſi quia Lucas per Chriſtum tunc recens baptizatum, innuebat hominem per Baptiſmum regeneratum, omni obice depulſo, ac terrenis cupiditatibus proculcatis in Deum tendere, cœleſtia ſolum contemplari. At Matthæus Ieſum nobis demonſtrat è cœlis in terras deſcendentem; at in quolibet hominis deſcenſu è cœlis in terras, fœminæ interueniant, opus eſt, quarum interuentu fieri non poteſt, vt homo quantumuis cœleſtis è cœlis in terras non corruat. Quod recte expendetat Origenes homil. 28. in Luc. *Nec enim*, ait, *eadem perſona ſunt in generatione Ieſu, quando deſcendere dicitur, & quando conſcendere. Qui enim fecit eum à cœlis tibi deſcendentem: mulieres non quaſlibet, ſed peccatrices, & quas ſcriptura reprehendit, introduxit. Qui vero Baptizatum narrat, nullius mulieris facit mentionem.* Itaque cum Chriſtus oſtenditur è cœlis deſcendens, in Progenitorum ſyllabo fœminæ memorantur, à quibus hominum caſus omnis, & præcipitium parari ſolet. Sola Maria præ omnibus habet artificiũ prodigio ſimile homines terrenos ad cœlum prouehendi.

Matth. 1.

A reliquis fœminis omnis hominum caſus, & ruina.

Luc. 3.

Orig.

Ad cœlum itaque ductrix eſt Virgo B. ne palabundi exerremus per vitiorum auia. *Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis.* Aiebat ſponſus Cant. 1. Adiunge te huic ductrici præeunti, vt precipitia declines, vt inoffenſo gradiaris pede. Quæ verba Paraphraſtes Chaldæ. ita vertit: *Quia pulchri ſunt greſſus Iſrael, quando aſcendunt, vt appareant coram domino.* Quaſi totus Iſrael, & omnes prædeſtinati Mariæ ducatu viam carpant in cœlum. Sub cuius ſymbolo Maria Aaronis ſoror Hebræis iter agentibus per inuiam ſolitudinem in terram Promiſſionis, lepra candens, & infecta ſecernitur ſeptem diebus extra caſtra, & poſtea reuocatur. Et ſubdit ſacer textus Numer. 12. *Excluſa itaque eſt Maria extra caſtra ſeptem diebus, & populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria.* Merito adſtupeat aliquis cur populus expectet Mariam ſeptem diebus? nonne poterat iter incœptum proſequi ſine Maria? Tantúſne exercitus propter vnam fœminam tot diebus pedem ſiſtit, immonis manet. Pergat vtique vniuerſus populus, gradiatur exercitus, maneat vna fœmina, quæ recuperata valetudine properabit ad populum. Sed neutiquam id condecebat, ſine Maria nec greſſum vnum populum conficere, qua itur ad terram promiſſionis, nempe cœlum. Pulchre Nicolaus de Lyra ibi: *Et populus non eſt motus de loco illo, donec reuocata eſt Maria. Ex quo patet impedimentũ itineris ex reuerẽtia ad Mariam.* Vt & hinc intelligamus, neminem greſſus commode dirigere poſſe in terram Promiſſionis, ſcilicet in cœleſtem Hieruſalem, niſi cum Maria ſimul incedat. Videlicet Iſraëlitæ nec pedem ad promiſſionis terram mouere tentant ſine Mariæ ductu, recteque ſibi cauent itineris diſcrimina, tam longæ peregrinationis anfractus, ac præcipitia, adeoque Mariam comitem, ac ductricem volunt: quaſi mallent immoti conſiſtere, quam ſine Maria viæ ſe committere. Mehercle celerius quis in cœlum properabit immotus conſiſtens cum Maria, quam velocius feſtinans, licet in cœleſtem plumeſcat volatum ſine Maria: ſi enim immobilis maneas iuxta Mariam, de via patriam tibi facies. Scitè Bernardus hom. 3. ſuper Miſſus eſt. *Mariam cogita, Mariam inuoca, non recedat ab ore, non recedat à corde, ipſam ſequens non deuias, ipſam cogitans non erras, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis.* Et ſicut Diana apud Ethnicos præficiebatur viis, ac proinde in biuiis, ac triuiis collocabatur, vt peregrinantes admoneret, ac dirigeret, ne Viatores, temere errarent: ita Maria fatur Prou. 8. *Dominus* 119.

Cantic. 1.

Parap. Chal.

Numer. 12.

Sine Maria nec greſſum vnũ conficies ad cœlum.

Nicolaus de Lyra.

Immotus cũ Maria celerius properabis in cœlum quam volans ſine Maria.

Bernard.

Prouerb. 8.

poſſedit

4

possedit me in initio viarum suarum. Vel vt transferunt Septuaginta. *Dominus creauit initium viarum suarum.* S. Athanasius ad decreta Nicenæ Synodi ita legit: *Dominus præfecit me vijs suis.* Vnde subdit Maria eodem loco: *Nunquid sapientia non clamitat, & prudentia dat vocem suam? in summis, excelsisque verticibus supra viam in medijs semitis stans.* Vt nos viam veritatis edoceat, gressus dirigat, ac per virtutum semitas in cœlestem patriam perducat.

Athan. Prouerb. 8.

120\. Argute notat noster Cornelius in cap. 6. Cant. sponsam initium sumpsisse ad laudes sponsi à capite, & finem fecisse in pedibus; cum tamen sponsus c. 7. ex aduerso exordiatur elogia sponsæ à pedibus, finemque faciat in capite: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia Principis.* Nisi fallor, quia caput encomiorum Deiparæ, ac præcipua eius laus sunt vestigia Mariæ, cum nobis ea ad imitandum proponimus, eiusque virtutes imitatione exprimimus. Primo ergo pulchri Mariæ gressus commendantur ab sponso, eiusque imitanda vestigia, in ipsius laudum panegyri initium ducunt, quæ infinitos propemodum homines palabundos, & errantes in cœlum direxerunt. Quare cum Bernard. serm. 7. de B. Virgin. *Amplectamur Mariæ vestigia, & deuotissima supplicatione illius pedibus prouoluamur. Teneamus eam, nec dimittamus, donec benedixerit nobis.* Ideo ergo sponsus laudes Marianas à pedibus auspicatur, vt eorũ illicio, ac pulchritudine ad eiusdem vestigia premenda excitemur. Si ergo Solis Christi luce nimium perstringeris, teque territat eiusdem premere vestigia, vtpote Dei, qui Gigantæis passibus virtutis iter dimetitur; sydeream Mariæ lucem saltem non detrectes, quæ reflexo suo fulgore humaniùs, ac suauius oculos tuos perfundet. Ad rem Absalon Abbas serm. 28. fatur: *In ipsis tenebris tuis, eo quo potes respectu B. Mariam intuere, in lectulo tuo illam cogita, & tene in memoria cordis tui: quoniam & res, in quam directe radius solis non dirigitur, ex repercussione luminis, quandoque irradiatur, & infirma conscientia, quæ radio aspicientis gratiæ non tangitur per vitam sublimium, & exempla bonorum operum quandoque mutatur in melius.* Huius stellæ Marianæ luce perfundere, eius vestigia preme, gressus imitare, sic mutaberis in melius, sic per viam salutis in æternam fœlicitatem peruenies. Pulchros vocat sponsus sponsæ gressus, sed addit, in calceamentis, quæ vestigia imprimunt, quibus insistens anima per imitationem per salutis viam iter carpit ad cœlum.

Cornelius. Cantic. 7.

Præcipua laus & obsequium in Mariam, est eius vestigijs insistere.

Bernard.

Absal. Abb.

121\. Vlterius addit sponsa Cant. 1. *Trahe me post te, curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Vbi animaduerte in singulari dixisse prius Mariam. *Trahe me.* Et statim in plurali loquitur: *curremus.* Cur in tam breui verborum interstitio numerum mutat? forsan vt innuat, si semel vna Maria ad Deum nobis præeat, postmodum reliquos homines ad Deum trahendos vnà cum ipsa, acceleri cursu iter ad Deum arrepturos. *Curremus*, ait Philippus Abbas ad verba præfata Cant. *in odorem vnguentorum tuorum: pluraliter dicit, curremus, cum singulariter præmiserit. Trahe me. Si me ad te traxerit affectus, & gratia specialis iam non sola ego munere spirituali, sed mecum Adolescentulæ gaudebunt quodam beneficio generali, vt me scilicet præcurrentem pro suo modulo deuotius imitentur, & post me quem diligunt mecum vnà currere prædicentur.* Si facem præferat Maria, si vexillum atollat, si signum leuet, nullus adeo iners, & ignauus erit, qui præeuntem non sequatur. Facem igitur, ô Virgo Deipara præfer, vexillum attolle, iter præmonstra tanquam Ductrix, & omni oscitantia depulsa per viam virtutis totus mundus accurret, vniuersus terrarum orbis ad te dirigetur, tuaque vestigia præmet.

Cantic. 1.

Præeunte Maria reliqua hominũ turba trahitur, & allicitur ad Deum.

Philip. Abb.

122\. Nulla salus, nullum bonum, nulla Beatitudo nobis nisi à Maria ex Iesu obueniunt. De Hebræis ex Ægypto egressis per quadraginta duas mansiones, ait sacer textus Numer. 33. *Transierunt ad campestria Moab supra Iordanem contra Hierico.* Prope Iordanem ergo absoluta fuit Hebræorum peregrinatio, iamque promissæ terræ deliciæ apparebant, æternæ beatitudinis vmbra. Si vero scire aues, cur æternæ salutis auspicium fœlicissimum appareat, & adumbretur ad Iordanem peractis quadraginta duabus mansionibus, respondet Hieronymus epist. ad Fabiolam: *Nec mirum si in illo numero Sacramento perueniamus ad regna cælorum, sub quo Dominus atque Saluator à primo Patriarcha peruenit ad Virginem, quasi ad Iordanem.* Videlicet tot B. Virginis Proauos numerabis apud Matthæum, & Lucam, quot mansiones recensentur. Vnde merito aduentus populi Israel ad Iordanem, accessum Dei ad Mariam adumbrabat, de cuius consortio salus humano generi promissa apparere cœpit. Accedat Deus ad Mariam, & qui tanquam Iudex seuerus expectabatur, non iam Iudex, sed sponsus mitis, & humanus apparebit. *Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem, sic erit aduentus filij hominis.* aiebat Christus Dominus Matth. 24. Fulgurum splendore marinæ conchæ perstrictæ, ac circunfusæ gemmas, & vniones in imperatorum delitias, ac diultem thesaurum educunt: sic Verbum diuinum de cœlo tanquam fulgor prosiliens, & in Marianam concham purissimam descendens, eamque circumfundens diuitias hominibus parit, ac gloriam humano generi parat. Pulchre Damasc. orat. 1. de Natiuit. Virgin. *Commoueatur, inquit mundi mare, in ipso enim concha gignitur, quæ cœlitus ex diuinitatis fulgetra in vtero concipiet, & Christum ingentis pretij Vnionem pariet; ex qua rex gloriæ carnis purpura connestitus ad captiuos se conferens remissionem, ac veniam prædicabit.* Ex concha Maria, & fulgure Christo vniones, ac gemmæ enascuntur, adeoque peccatorum remissio, cœlestiumque bonorum affluxus.

Num. 33.

Hieronym.

Deus ex Maria mansuetem hausit.

Matth. 24.

Damasc.

123\. Fortunatus ille qui cum Virgine Matre ac filio imminenti occurrit morti. Iesum in corde in sacra Eucharistia sumptum tutissimum æternitatis Viaticum; deinde inuocet Mariam opitulatricem, eiusque nominis patrocinio præmuniatur; quæ recte per Moysis virgam adumbratur, quia per Virginem Matrem mortis æquor in duas diuisum partes ingreditur, Pharaonis quadrigæ submerguntur, hostiumque turmæ absorbentur, procul Dæmones abiguntur, ac per salebrosum mortis mare expeditius iter arripitur, & itur ad cœlestem & promissam patriam lacte, ac melle exuberantem, ita vt iam liceat moribundo hilari vultu pangere cum Psalmographo Psalm. 22. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Id est, vt commentatur Petrus Dam. sermon. de Assumpt. *In Virgine virga, & baculo cruce miserorum spes, & consolatio continetur; est enim Virgo Dei Mater virga illa, qua retunduntur impetus aduersantium Dæmoniorum; virga per quam fiunt signa, & mirabilia, baculum crucis intellige, quo non solum verberatus est, sed occisus ille insatiabilis homicida, qui mortibus hominum pascitur, & nutritur.* Hac virga Maria, & hoc crucis baculo, Luciferi caput confringes, & aduersarias quascumque

Psalm. 22.
Petr. Dam.

quaſcumque poteſtates conteres, ac ſalſum mortis æquor ſicco veſtigio tranabis.

124. Iterum bene Virgo Deipara innuitur per virgam Ieſſe, qua hoſtes malignos in fugam damus. Sic enim habes Numer. 24. *Conſurget Virga de Iſrael, & percutiet duces Moab.* Id eſt, Dæmonem litigantem, Moab enim litẽ ſignificat, & Moabitę, litigantes: Dæmones ergo litigãtes aduerſus moribũdum, hac virga Mariana percutiuntur, ac procul eliminantur. Ideo ait S. Bonauent. in ſpeculo c. 5. *Eſt virga virtutis Maria contra inimicos infernales, quibus magna virtute dominatur.* Huius rei accipe perilluſtre ſymbolum in Iacob Patriarcha, de quo ait Paul. ad Hæbr. 11. *Fide Iacob moriens ſingulis filiorum Ioſeph benedixit, & adorauit faſtigium virgæ eius.* Quia credidit Chriſtum ex virga Ieſſæa, & Iſraelitica, nempe Maria naſciturum, iam tunc de longe ſalutans, ac religioſo cultu ſuſpiciens, illam inuocabat; nos edocens, vt iam morti propinqui Mariæ auxilium toto cordis affectu imploremus, ſi Dæmonum technas ſuperare, ac eludere velimus. *Horrent*, inquit Bernard. *Principes tenebrarum Mariæ deuotam inuocationem, quæ in circuitu eius acies valida innumerabilium ſpirituum Beatorum ſibi deuotos defendentium innotitur.*

Num. 24.
Bonauent.
Hebr. 11.
Morti vicinus Iacob virgã Ieſſæã adorauit, Mariæ umbram vt ſalutis viã curſum abſolueret.
Bernard.

125. Olim nomen Iouis in lamina expreſſum geſtabant Ethnici ad collum in tutelam & ſubſidium aduerſus mortis periculum, teſte Tertull. At vero iam ad Chriſti fidem conuerſi nomen Iouis in nomen Ieſu transferẽbant. Sed cum S. Ephræmus vocet nomen Mariæ Reſeramentũ portarum cœleſtis paradiſi. Et S. Bonauent. Teſſeram noſtram, ſeu characterem, vt à ciuibus paradiſi dignoſci poſſimus, cum ex hac vita diſceſſerimus; tunc profecto hoc nomen opus eſt ſæpius ingeminare, & in corde impreſſum habere, vt cœli valuæ reſereotur. *Glorioſum*, ait D. Bonauent. *& admirabile eſt nomen tuum Maria, qui illud retinent non expaueſcent in hora mortis, ab inuocatione nominis tui trepidat ſpiritus malignus, pax multa obſeruantibus nomen tuum.* Quam inani ac vana fiducia priſci illi Gentiles argenteum numiſma in os demortui ingerebant ad perſoluendum Charonti naulum, quo proſpera, ac ſecunda fortuna ſtygia vada traiiceret; & lætus, ac hilaris ad campos Elyſeos appelleret. Nęniæ, ac meræ fabellæ: ſed ipſa veritas eſt, nomen Mariæ eſſe commeatum, teſſeram, ſymbolum, ac numiſma, nempe nomen hoc medullitus in hora mortis inuocare, quo ſcilicet Ianitores illi cœleſtes maxime ſubornantur; ac mox fores illas cœleſtis palatij adaperiunt. Iogens ſanæ pondus habet in ſupremo mortis diſcrimine auxiliaris huius Mariani nominis imploratio. Alphonſus Rodriquez è ſocietate Ieſu vir pius ſanctitate, & miraculis conſpicuus magno ſui ſolatio ſub mortem ingeminabat: *Ieſu, Maria, dulciſſimi mei amores.* Iuſtus Lypſius hoc noſtro æuo propter miram ingenij eruditionem clariſſimus, morti iam vicinus, in altum oculis, manibuſque ſublatis, in illa verba prorupit: *O Maria Dei Mater, & Virgo, tuum nomen imploro, adſis mihi famulo tuo cum tota æternitate decertanti, & non me deſeras in hac hora, à qua pendet animæ meæ ſalus, aut interitus ſempiternus.* Ita Ioſephus Geldolphus Abbas S. Gertrudis in varia commentaria de cultu ſancti nominis Mariæ.

Maria nomẽ reſeramentum portarũ cœleſtis paradiſi.
Bonauent.
Nomen Mariæ eſt commeatus, & teſſera, & veluti Viaticum ad cœlum.
Alph. Rodr.
Iuſtus Lypſ.

126. Itaque vt vltimam vitæ noſtræ periodum recte abſoluamus, opus eſt Mariano patrocinio, ſine quo audaci temeritate quiſque vitam conficeret, rationem rerum geſtarum, ac verborum, imo & cogitationum redditurus coram iudice integerrimo. Sapienter quidem Licurgus in mortis confinio ad Deorum Matris Aſylum confugit, ſub cuius tutela ſatagebat iudicibus ſiſti, rationem rerum a ſe geſtarum exhibiturus. *Cum vero*, inquit Photius in ſua Bibliotheca fol. 1486. *instare mors videretur, ſe in Matris Deorum delubrum, ad ſenatum deferri iuſſit, cupiens rerum à ſe in republica geſtarum, rationem reddere; vbi cum ibi accuſaret nemo, domum eſt relatus, ac mortuus.* Addiſce ô Chriſtiane, ab homine Gentili, antequam ſupremum ſubeas iudicium, ad veri Dei Matris tutelam confugere, eiuſque opem precibus ſollicitare, eiuſque patrocinium egregiis ſubornare, factis & obſequiis in Mariam impenſis deuincire: ſic te accuſare audebit nemo. Imo ipſe Ieſus Matre ſemper comitatus, dum viueret, iam acturus animam, ipſam etiam comitem delegit iuxta crucem ſtantem, quam alloquens pene ſupremum clauſit ſpiritum. Ioann. 19. *Dicit Matri ſuæ: Mulier ecce filius tuus.* Noluit vltimum vitæ halitum haurire, niſi verbo reſonante Matrem, quod rite adnotauit Guarricus ſermon. 4. de Aſſumptione. *Cæterum cum dilexiſſet eam Ieſus, in finem dilexit eam, vt non ſolum propter ipſam, finem viuendi, verum & in ipſam finem pene faceret loquendi; dum velut inter vltima verba teſtamenti, curam Matris, cuius debitorem ſe agnoſcebat cariſſimo tranſcribit heredi.* Nec ſolum poſtremum vitæ ſpiritum ſub Matris cariſſimæ nomine exhalare in votis erat; ſed etiam in eiuſdem vlnis mori ambibat. Quod innuit illud Ioann. 19. *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Cur animam exhalaturus, in terram potius, quam in cœlum oculos intendit, quò profecturus erat: nempe ſtabat Maria iuxta crucem, cuius ad brachia ire auet, ibique ſub patrocinio Matris vitam finire peroptat. Quod pie meditatus fuit Philippus Abbas lib. 1. in Cantic. cap. 25. *Vidit*, inquit, *Ieſus ſtantes iuxta crucem, Matrem, & diſcipulum quem dilexit: & ſuperſtites, quos Spiritus ſanctus obumbrabat, eo gratius, quo ſuauius requiemit, & ſolo ſitus aſſnante, inclinato capite ad iſtam tradens ſpiritum, obdormiuit.* Vt iam in poſterum nemo in mortem ire præſumat ſine Maria comite, & Patrona.

Licurgus.
Licurgus in mortis confinio ad delubrum Matris Deorum ſiſtit eius opem implorans.
Photius.
Ioan. 19.
Chriſtus acturus animam Matrẽ alloquitur.
Guarr.
Ioann. 19.
Animam exhalaturus Chriſtus potius in Matrem, quã in cœlum oculos intendit.
Philip. Abb.

Cuius rei exſtat luciſſimum exemplar in Ioſue c. 10. Dum enim victoriam ſibi ab hoſtibus reportare meditatur, non ſolius ſolis curſum inhibet, ſed & Lunæ. *Steteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis.* Per Solem Chriſtum, per Lunam, Virginem Mariã capiunt plures ex Interpretibus. Ex quo ediſcet Chriſtianus, vt in poſtremo mortis conflictu triumphum à tartareis poteſtatibus reportet, opus eſſe, vt non modo ſolem Chriſtum ſibi ſiſtat, hoc eſt illius patrocinium depoſcat, ſed etiã & Lunã Mariam precibus ſollicitet. Quò reſpiciebat Paulus ad Gal. 4. *Cum autem venit plenitudo temporis miſit Deus filium ſuum factum de muliere.* In quæ verba, hæc alia ſubiicit Irenæus lib. 5. aduerſus hęreſes. *Cur*, inquit, *de muliere? neque enim iuſte fuiſſet victus inimicus, niſi ex muliere homo eſſet qui vicit eum. Per mulierem enim hominĩ dominatus eſt ab initio, ſemetipſum contrarium ſtatuens homini. Propter hoc & Dominus ſemetipſum filiũ hominis confitetur.* Sicut ergo inimicus humani generis imbecillitate mulieris vſus Adamum ſibi ſubiecit, ita etiã Chriſtus, vt hoſtẽ adoriretur, eiuſq. potentiã contereret, non ſolus illum aggreditur, ſed cũ fœmina Maria. In Ieſu, & Maria, hoſtes, dæmonũq; cuneos proſternemus, ac omnes nobis triumphos apparabimus. 127.

Ioſue 10.
Morti vincimus in Ieſu & Maria dæmonum cuneos proſternimus.
Gal. 4.
Irenæus.

Verba

128. Verba illa Psalm. 115. *O Domine quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* censet Rabbi Salomon intelligenda esse de ipso Dauide, nempe ex meritis Genitricis suæ deposcente pretiosam sibi iustorum mortem obtingere. Præmiserat enim ipse Dauid in eodem Psalmo illa verba: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* At vero Dionys. Rikelius, verba illa deflectit in Christum ea proferentem ad æternum Patrem, nomine autem ancillæ subintelligit B. Virginem cum Lyra, & Hugone, quia hoc nomine se compellauit B. Virgo cum fatur ad Angelum: *Ecce ancilla Domini &c.* sed quis non miretur Christum Dominum ab æterno Patre meritis B. Virginis innixum subeundæ mortis opem implorare; ac si diceret, Pater optime, ne me tot tantisque cruciatibus circumcinctum, quasi derelictum habeas, quippe filius vnicus sum Mariæ Virginis, quam inter omnes fœminas in Parentem carissimam mihi destinasti. Ea enim est Mariæ Virginis eximia laus, ea vis, & potentia ad mortis discrimina subeunda, vt ipsemet Christus Deus homo in peracerba morte ob tantæ Virginis merita, Dei Patris patrocinium exposcat.

Psalm. 115. Rabbi Sal. Dion. Rik. Lyra. Hug. *Christus animam exhalaturus à Patre meritis B. Virginis opẽ implorat.*

129. Qui ergo recto ad cœlum tramite gradiuntur, Dei Matrem in votis habent. *In me gratia omnis viæ, & veritatis.* Monebat Siracides Eccli. 24. itaque in Maria est gratia omnis docendi viam, per quam ad veritatem, veramque gratiæ, & beatitudinis vitam adeundum est. Sic exponit hunc locum Palacios: *Ego intrame habeo omnes gratias viæ, veritatis, & vitæ, vt nemo eas possit habere, nisi per me.* Adeo vt in hoc itinere periculis pleno, nisi attenti simus ad Mariæ ductum; *Clausum sit nobis totum itinerarium Dei*, vt aiebat Cardinal. Petrus Dam. *Siquidem pietas*, & honor in B. Virginem ingens est diuinæ prædestinationis argumentum. Sic enim habes Cantic. 1. *Recti diligunt te.* Recti ergo, quique rectæ rationis præscripto conformantur, Mariam diligunt, honore prosequuntur, suspiciunt, iugiter eam in ore gestant, corde expetunt, cogitatione versant, preces, studia, vota, & obsequia ipsi vni dicant, ac consecrant; in ipsius laudem scripta exarant, volumina cudunt, & euulgant. Ex aduerso qui à diuina amicitia repulsi Mariæ memoriam exuunt, magnum suæ reprobationis argumentum præseferunt. Apte S. Georgius Nicom. Antistes serm. de Præsentat. Virgin. Mariam cum prato componit per hæc verba: *Virgo Dei Genitrix est pratum, & pratorum maxime odoriferum, & varium, & incorruptione coronans eos, qui decerpunt.* Pratum est Virgo Deipara, in quo omnium gratiarum, ac donorum flores vernant, odores suaueolentes adflantur, & fructus exuberant. Hic Verbum diuinum diademate illo pulcherrimo humanitatis redimitum fuit: & omnes Prædestinati vernantibus virtutum corollis ornantur, à Marianis virtutum floribus decerptis. Pratum hoc omnium gratiarum varietate picturatum perambula, frequenter inuise, flores carpe, deliciare, sic coronam tuæ prædestinationis attexes. Lustra mentis gressibus sanctorum choros, ac veluti ostiatim gratiæ stipem exposce: at in primis à Deipara, cuius illam dispensandi, & erogandi à Deo commissum est. Quæ velut Materfamilias in domo Dei misericordiæ scrinia, ac claues illa reserandi secum defert: voces ingemina, clamoribus cœlum tunde, vlcera ostenta, nuditatem, & inopiam expone: profecto rubore te suffundi oporteret, quemlibet mendicum ardentius egestatis suæ remedium efflagitasse, quam tu auxilij diuini suffragium in remedium indigentiæ tuæ spiritualis deposcas.

Eccli. 24. Palacios. Pett. Dam. Cant. 1. Georg. Nic. *E floribus Marianis prædestinatorum corollæ texuntur.*

Ad extremum, nullus cœtus, nulla communitas, 130.
nullus homo ditatus est in spiritualibus opibus, qui Virginem Mariam sibi obsequiis non deuinxerit. Huc aduocari possunt verba Psalmi 44. *Et filiæ Tyri in muneribus deprecabuntur omnes diuites plebis.* Ac si diceret, vniuersæ Respublicæ, & oppida opulentissima, Te, ô Virgo regia, suis muneribus sibi conciliare satagent, vt amplius diuitiis crescant, ac donis cœlestibus cumulentur. In hunc sensum explicat prædicta verba S. Athanasius. Et quemadmodum lapis est quidam nomine Selenites, qui Lunam æmulatur, & crescente Luna crescit, illa decrescente decrescit: eadem ratione B. Virginis cultores, dum erga illam cultu, ac pietate per noua obsequia succrescrunt, pari passu eorundem salus, honos, ac reliqua bona augentur: & quo magis affectus & amor erga Mariam decreuerit, eo etiam magis eorum bona tum temporalia, tum cœlestia decrescunt, & imminuuntur. Addit S. Anastasius Synaita lib. 4. Hexam. *Crescente corpore Lunæ, simul etiam crescunt, & multiplicantur aquæ.* Ita ne quo magis Luna orbe pleno luce circumfunditur, ac splendet, eo etiam magis mária, & vndæ suum protendunt imperium, ac per nouos auctus dilatantur? sed longe verius affirmabimus regna, prouincias, populos, ac cœtus qui per aquas significantur iuxta illud: *Aquæ multæ populi multi.* Quo maiori honore, ac pluribus obsequiis Virginem Mariam, quæ melioris orbis Luna decantatur ab sponso, *Pulchra vt Luna*: prosecuti fuerint, sibique deuinxerint, eo magis fines suos, ac ditionem suam protensuros, rerum omnium affluentiam consecuturos, pacemque per plura lustra firmaturos.

Psalm. 44. Athan. *Quo magis accrescit amor, & pietas in Mariam, eo magis augentur bona in cultoribus Mariæ.* Anast. Syn.

PALÆSTRA II.

Deiparæ Virginis electio antecedit omnem creaturam.

NONDVM orbis à suo conditore in lucem editus, nec condi decretus fuerat, quando Virgo Deipara æterni Patris menti obuersabatur. Nam eo æternitatis puncto, quo ante omnia Christus Dominus prædestinabatur vt verus filius, & vnicus Mariæ, simul & ipsamet ante omnem creaturam prædestinata fuit, ob indiuiduam, ac necessariam connexionem, quæ inter Matrem, eiusdemque filium intercedit. Ac proinde primo, & maximo, præ omnibus creaturis amore à Deo Virgo Deipara pro-

Damasc. secuta fuit, quia in veram Verbi diuini Matrem fuit destinata, vt bene Damascenus orat 1. de Natiu t. Mariæ. *Quia decretum, inquit, prædestinationis ex amore, vt ex prima radice oritur, te ille rerum omnium Deus dignam pranoscens amauit, amatam prædestinauit.* Quod si Dei amor erga Mariam, & primus, & maximus fuit, ergo & prædestinatio illius primo loco post Christum decreta fuit.

CERTAMEN I.

Virgo Deiparens omnium prædestinatorum Primiceria statuitur.

131. VIRGINEM Dei Genitricem Mariam cũ sua sobole in antiquiori Dei decreto resplenduisse, vel ex eo facile deduci potest, quod scilicet statim post Spiritum sanctum, absolutis diuinis emanationibus ad intra, ante omnes creaturas diuinæ menti proponebatur, quia nulla persona creata vicinior, ac proximior Spiritui sancto sit illa. Hinc Hebræorum Antiquissimi ac doctissimi Magistri, teste Cornelio à Lapide cum Galatino lib. 7. cap. 3. & 4. Illum Lapidem primarium, de quo Zachar. cap. 4. interpretantur de Matre Messiæ, quæ excellentiâ primarius dicitur lapis cœlestis illius ædificij viuis ex lapidibus extructi; ideoque primus homo, primáque creatura recte nuncupatur Maria: quam ob causam Christus dicitur filius hominis per antonomasiam. Est ergo Maria in intentione Dei Prima creatura, prima in dignitatis gradu, virtutum, gratiarúmque prærogatiua.

Maria primus homo, & prima omnium creatura nũcupatur.
Com. à Lap. Galat. Zachar. 4.

132. Idcirco Spiritus sanctus Virgini Mariæ omnium primæ patefieri exambit. *Spiritus Sanctus, ait Luc. c. 1. superueniet in te.* vt recte expendit Rup. in c. 1. Matth. *Ab hoc loco, inquit, primum insonuit auribus nostris hoc reuerendum insigne vocabulum proprium, & absolutum. Spiritus sanctus.* Nimirum quia post Spiritum sanctum antiquiori decreto præfinita fuit, vt rite excogitauerat S. Ioann. Damascen. lib. 4. de Fide Orthodoxa c. 15. *Ipsa, inquit, auo omni antiquiori, ac præsciente Dei consilio prædestinata, variisque Prophetarum imaginibus, ac sermonibus per Spiritum sanctum adumbrata, atque antè prædicata.* Itaque Maria Virgo omnium rerum præfinitione antiquior post Trinitatem in Dei præfinitionibus fuit; & prima post Trinitatem Persona, vel si mauis cum Salmerone alibi à me producto; numero quarta persona prædicatur; per quam reliquæ omnes creaturæ conditæ fuerunt. Hinc edisces, cur Spiritus sanctus à primis nascentis mundi incunabulis, aquis quas Mária nuncupauit, incubaret; nempe quia post Spiritum sanctum, Maria per Mária adumbrata proximior aderat, per quam reliquæ creaturæ in lucem edendæ erant, ac ipsius meritis recreandæ. Quem sensum amant verba illa Andr. Hierosolym. alibi cit. *Virgo ipsorum Seraphim ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, Prima Natura proxime accedens ad Deum opificem omnium generationum.* Cum audis primam naturam, ne intelligas naturam B. Virginis esse nobiliorem Angelica, cum sit eadem cum natura humana; sed sensus est B. Virginem esse primam & proximiorem Deo in ordine ad prædestinationem.

Luc. 1. Rupert. Damasc.
Maria prima post Trinitatem persona.
Andr. Hier.

133. Eiusmodi autem B. Virginis primatus inter prædestinatos, & inter omnes creaturas variis sacrorum voluminum testimoniis constabiliri solet à nouioribus Theologis, congestis; quæ quia eleganter, & erudite ab ipsis exenterantur, vt videre est in nostro Ferdinando Quirino de Salaz. tom. de Concept. ne actum agam, ab ipsis supersedeo. Equidem vnum aut alterum producã, quibus hunc Marianum inter omnes creaturas primatum suffulciã. Virginem ergo Mariam singulari Dei beneficio nactam fuisse, in æternitatis Dei consilio, hoc primum subsellium Deo vicinius, proximioremque situm Spiritui sancto subindicauit Paranymphus Gabriel Luc. 1. Virginem alloquens: *Inuenisti, inquit, gratiam apud Deum.* Præpositio illa, *apud*, coniuncta cum nomine Dei, æternitatem mihi insonat, sicut penes Ioan. cap. 1. *Et Verbum erat apud Deum.* Sicut ergo Verbum diuinum per naturam, eandem cum Patre nanciscitur æternitatẽ, proximamque ad Patrem amat circũsessionem: ita eiusdem Verbi Parens, ac Genitrix Maria per gratiam, eandem æmulatur æternitatem, situmq; Deo viciniorem, subselliumque Spiritui sancto propinquius habere satagit: quippe in primo æternitatis signo iam Maternitas Mariæ in ordine ad Verbum diuinum destinabatur. Rem autem præmeditatus est Alb. Magn. sed nunc se ipso maior in Mariali c. 236. *Ipsa, scilicet, Virgo, inuenit gratiam propinquiorem, quam aliquã alia creatura, non tamen simpliciter æqualis situs potuit esse cum Deo, impossibile est enim in situ, vel in aliquo, creaturam æquari Deo. Oportet ergo si dicitur quoad aliquid esse apud Deũ, quod hoc sit respectu aliarum creaturarũ &c. vel sicut dicitur Filius esse apud Patrem, & Verbum erat apud Deum, propter identitatem naturæ: sic etiam dici potest, esse apud filium propter identitatem naturæ, in qua vnum est.* Rursus c. 237. hæc serit idem Doctor. *Hæc omnia inuenisti apud Deum, apud, dico propinquissima similitudine, dignitate, familiaritate, naturæ vnitate.* Est ergo Virgo Deipara omnium creaturarum Prima, quia antiquior præ omnibus in præfinitionibus diuinis, prima item quia in situ, & positione Filio, ac Spiritui sancto propinquior existit dignitate, & perfectione; prima denique qui eundem cum Patre Filium habitura, identitatemque naturæ cum Filio sortita est.

Maria vicinior Spiritui sancto omnibus creaturis.
Luc. 1. Ioan. 1. Alb. Magn.

Eundem sensum reddunt verba Venerabilis Bedæ lib. 4. in Luc. c. 49. *Inde quidem Beata eadem Dei Genitrix, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis, sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat æterna.* Expende tempus illud imperfectum, manebat, quod æternitatem redolet iuxta illud. *In principio erat Verbum.* Vox, *erat*, iam diu per æternitatem Verbum diuinum extitisse apertissime declarat. Non sic Moyses Genesim orditur. *In principio creauit Deus cœlum & terram,* Gen. 1. creauit, inquit, non creabat, quia Ioannes existentiam ab æterno Verbi diuini descripsit: Moyses vero actionem temporalem rerum creatarum adsignificat. *Quid prohibuit,* ait Chrysost. in illa verba, *Ioannem eodem modo exordiri; in principio creauit Deus Verbum. Cum Moyses de terra loqueretur, non dixit: in principio erat terra; sed in principio creauit Deus terrã.* Dilucidius Caiet. in c. 1. Ioannis, discrimen expressit ad rẽ nostrã: *Hæc duo, inquit, simul iuncta esse æternum à parte ante significant. nã ex hoc, quod res aliqua in initio durationis erat, optime infertur nunquã incœpisse eius durationẽ, si enim incœpisset eius duratio, ergo in principio non durationis erat, quia nõ præcessisset initiũ durationis,* 134.

Beda. Ioan. 1. Gen. 1. Chrysost. Caiet.

quæ

Maria in primo æternitatis signo ante omnes creaturas præfinita.

qua incepit. Ab æternitate ergo à parte ante contradicentes Iesum inchoasse ex tempore, directè incipit Ioannes, & describit eam, non à negatione, sed ab affirmatione; In principio erat; tam breuiter & formaliter, vt vere monstretur Spiritus sanctus locutus in Ioanne. Licet ergo Maria æterna quoad existentiam non fuerit, tamen iuxta Bedam æterni Verbi custos manebat æterna, quia in æternitate obiectiue intentionaliter ad Verbi productionem concurrit, atque adeo in primo æternitatis signo ante omnes creaturas præfinita. Idem intentum innuere videntur verba illa Genes. 2. *Faciamus ei adiutorium simile sibi.* Quæ verba Bonauent. & Rupert. in Christum referunt, & Mariam. Chaldæus loco illius particulæ, *simile sibi*, habet: *Quod sit iuxta ipsum.* Hoc est, quod in primo decretorum Dei signo proximiùs Christo adhæreat, & post Christum primam sedem occupet: ita vt Deipara non solum dignitate, & excellentia inter reliquas omnes creaturas principem locum teneat post Christum, quem solum superiorem, & excellentiorem agnoscit; sed etiam in decretorum diuinorum serie vicinios Christo subsellium obtinuerit.

Gen. 2. — Chald.

135. Nouum thesi propositæ stabilimentum addes ex Matth. 1. Vbi de Christi generatione sic fatur: *Christi autem generatio sic erat, cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de spiritu sancto.* Premo voculam illam, *erat*, cum de temporali Christi generatione ex Maria, fatur Euangelista. Ad rem Chrysologus sermon. 146. *Non dixit, sic facta est, sed sic erat; quia Christi generatio erat apud Patrem, quando generabatur ex Matre. Quod erat, semper erat, quod factum est hoc reddebatur; erat Deus, reddebatur homo &c. cum esset desponsata Mater eius Maria, virginitate sponsa, fœcunditate Mater: Mater viri nescia, partus conscia. Aut quomodo non ante conceptum Mater, quæ post partum Virgo Mater: aut Genitrix quando non, quæ sæculorum generauit Authorem.* Quid opportunius in rem nostram excogitari poterat. Apte ergo Euangelista, dum Christi generationem ex Maria exponit, vtitur verbo substantiuo, *erat*; quia quæ in tempore generauit sæculorum authorem, & Dei Genitrix aliquando facta est, merito Maternitatis Dei iure præficitur omnium creaturarum princeps, ita vt ab æternitate nunquam non Dei Genitrix nuncupari possit. Quasi Virgo Deipara æternitatis æmulatrix, ac principatum sæculorum tenens, sit instar virtutis, de qua aiebat Philo, *Virtus caret tempore. Ipsa enim*, inquit Ricard. de S. Laurent. lib. 7. de laudibus Virgin. *est signum aui insigniens omnem ætatem præsentem, præteritam, & futuram.* Dicat ergo Matthæus de generatione Christi ex Maria: *Christi autem generatio sic erat.* Vt innuat hanc Christi generationem in tempore ex Maria æmulam existere generationis æternæ ipsius Verbi ex Patre, de qua ait Ioannes cap. 1. *In principio erat Verbum.* Vbi Ioannes per Verbum substantiuum, *erat*, generationem Verbi diuini ex mente Patris exprimit; sicut Matthæus per idem verbum generationem Christi in tempore ex vtero Matris ostendit.

Matth. 1. — Chrysol. — *Generatio Christi ex Maria æmulatur generationem æternam Verbi ex Patre.* — Richard. de S. Laur.

136. Huc inflecti possunt verba Luc. 1. 35. *Et quod nascetur ex te sanctum.* Græce est de præsenti, nascitur. Vt innuat Euangelista natiuitatem Verbi incarnati ex Maria, æmulam esse Natiuitatis Verbi ex Patre, quæ explicari etiam solet per verbum de præsenti; ideoque aliquo modo æternam esse primam, sicut & secundam. De quo Salmeron tom. 3. fol. 86. Quod subodoratus fuit Regius Vates Psal. 109. Vbi de æterna Verbi generatione fatus, ait: *Ex vtero ante Luciferum genui te.* Quæ verba capiunt etiam de temporali Christi generatione ex Maria, Iustinus, Tertul. Eusebius, Hesych. August. & alij apud Lorinum. Alij apud eundem Lorinum ita transferunt præfata verba: *ex Aurora, vel ab aurora, vel præ aurora, vel ante auroram.* Illud difficultatem ingerit non paruam apud interpretes, quod Christus Deus, qui ex aurora vel de aurora Maria nascitur; nasci etiam dicatur præ aurora, siue ante auroram. Anne qui ex vtero Patris progignitur ante auroram Mariam in æternitate; iam tunc in ipsa æternitate ex aurora, & de aurora Maria progigni dicendus est? ita vt Maria seipsam anteuertat æternitatis æmula; vel quia æterna Verbi diuini generatio sit typus temporalis generationis eiusdem Verbi ex vtero B. Virginis? Vel quia Virgo Deipara ab æterno ordinata, & inaugurata Dei Genitrix, & prope ipsum Dei nutrix asseritur, ab æterno in Maternitatis Dei fastigium euecta? Non quod ab æterno extiterit, quæ post plurima lustra in tempore condita fuit; neque quod ab æterno concursu reali in Verbum diuinum influxerit, sed quia influxu intentionali concurrerit, vt explicuimus.

Luc. 1. — Salm. — Psal. 109. — Iustin. — Tertul. — Euseb. — Hesych. — August.

Hunc primum Mariæ, post Christum locum in Dei prædiffinitionibus innuit constans illa B. Virginis iuxta crucem statio, reliquis Discipulis fugam capessentibus. *At illi relicto eo fugerunt.* ait Matth. 26. dum de Maria inquit Ioann. 19. *Stabat autem Mater Iesu iuxta crucem.* Sed quid hæc militaris statio portendit; nisi quod in primo Dei decreto propinquius cruci locum, & stationem fixit: nam post Christum Primipila, Vexillifera, & Antesignana inaugurata fuit, quam reliqui omnes Prædestinati in præuisione subsequerentur, ipsius Christi Domini & Virginis Deiparæ meritis in gratiam, & gloriam acciti. Hinc forsan vbi noster Vulgatus Cantic. 6. habet: *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Alij ex Hebræo fonte transferunt: *Terribilis vt vexillata.* Quasi ex vicinitate crucis specialissimam Dei protectionem hauriret, & Redemptionis vexillifera in ordine prædestinationis reliquis omnibus anteiret. 137.

Matth. 26. — Ioann. 19. — *Maria prædestinatorum vexillifera.* — Cant. 6.

Dictis subsidium fert Michæas cap. 5. dicens: *Egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Vbi vox, *egressus*, est in plurali, id est *egressiones*, vt videre est in Hebræo, & Græco contextu. Vnde Galatinus libr. 4. de arcanis catholicæ veritatis cap. 13. Arias Montan apud Castro in Michæam opinantur nomine egressus, intelligi duas Christi processiones, duasque natiuitates, de quibus ait Athanasius in symbolo: *Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus, & homo est ex substantia Matris in sæculo natus.* Hieronymus item in prædicta verba Michææ eandem affectatur interpretationem, ait enim: *Anne putes eum de genere Dauid tantum esse, carnis assumptio diuinam non impedit maiestatem; de Patre enim natus est ante omnia sæcula; & idcirco egressus eius ab initio à diebus æternitatis; mox subdit: quia de Bethlehem egressus est Christus, & egressus eius non eo tantum fuerat tempore, quo visus in carne est, sed ab initio æternitatis, siue ab initio sæculi, quia semper ipse locutus est per Prophetas.* Nunc negotium facessit, quod asserat Michæas egressum Verbi 138.

Mich. 5. — Galat. — Arias Mont. — Castro. — Athan. — Hieron.

diuini, vt à Matre Virgine, fuiſſe etiam ab initio à diebus æternitatis, ſicut egreſſus, ſeu emanatio à Patre. Verum tametſi generatio Verbi diuini, quâ *Maria in æterna Patris præfinitione vt Mater contemplabatur.* à Matre, fuerit temporaria, quia in tempore filium generauit, quia tamen in æterna Patris præfinitione iam præiuit vt Mater, non quia illum in æternitate genuerit reali, ac phyſico influxu, ſed quia iam in primis Decretorum præfinitionibus menti Patris obuerſabatur tanquam omnium prima prædeſtinatorum poſt Chriſtum, imo vt alibi oſtendam, quia obiectiue, & intentionali influxu generationi æternæ ſubminiſtrauit. Itaque in ipſa æternitate à Matre Virgine Verbum diuinum exambibat oriri; ac in prima præfinitione, & decreto ſe totum Matri deſtinauit, tanquam Prædeſtinatorum Principi poſt Chriſtum, ſe etiam totum hominibus deuouit.

139. Quod etiam eleganter deſcribit Ioann. Apoc. 1.
Apoc. 1. *Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cælo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis.* In quibus verbis Verbi diuini de cœlo deſcenſus in vterum Virgineum adumbratur. Sed diſquiro, cur cum nos attentos velit ad Dei aduentum in tabernaculum ſuum, ſcilicet Virginem Mariam; protinus ſe ſe oculis obiiciat, non Deus ſolum, ſed numeroſiſſima hominum multitudo ſimul cum Deo deſcendens: nonne Deus ſolum in Virginem Mariam illabitur, cur frequentiſſima hominum corona, inſtar ciuitatis oculis exhibetur. Nempe Deo ad Virginem Matrem aduentante, ſtatim ciuitas hominum frequentiſſima apparet, quia ſimul atque Deus Virginem Mariam in Matrem ab æterno præfiniuit, illam omnium prædeſtinatorum Primiceriam delegit, qui cœleſtem illam Hieruſalem incolent. Gratulor
Ansbert. Anſberto apud Viegas in comm. 3. Apoc. com. 2. ſect. 5. qui ſenſum hunc venuſte protulerit. *Multitudo electorum,* inquit, *cum Chriſto in vtero Virginis prædeſtinata deſcendit.*

140. Imo ex ipſorum Hebræorum arcanis, id ipſum Iudæi fateantur, neceſſe eſt. Ex luto ergo aurum eruamus. Probatur ergo Cabaliſtica ratione ad
Hierem. 33. Rabbinorum cerebrum compacta ex Hierem. 33. Vbi ſic loquitur Propheta ex ore Dei: *Si irritum fieri poteſt pactum meum cum die, & pactum meum*
Rabbi Hac. *cum nocte.* In quæ verba hæc habet Rabbi Haccados apud Galat. lib. 7. cap. 2. *Niſi pactum meum eſſet, id eſt ſi amore mei Ieſu, & Maria diem & noctem leges cælo, & terra non poſuiſſem, hoc eſt*
Rab. Ankel. Gen. 1. *mundum non creaſſem.* Et Rabbi Ankelos in Gloſſa Chaldaica in illa Gen. 1. verba. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Hæc habet: *Propter ſapientiam creauit Deus cælum, & terram. Propter ſapientiam, hoc eſt amore intemeratæ Virginis, quæ eſt mundi ſapientia creauit Deus hunc mundum, & amore Meſſiæ filij ſui, cui in diuinis ſapientia tribuitur.* *Propter Mariam omnis ſcriptura, & totus mundus factus eſt.*
Bernard. Cui cenſioni adſtipulatur Bernardus ſer. 3. in *Salue* ita ſcribens. *Et vt breuiter concludam de hac, & ob hanc, & propter hanc, nempe Mariam, omnis ſcriptura facta eſt; propter hanc totus mundus factus eſt.* Subſidiatur huic cogitatui Corne-
Eccli. 24. Cornelius. lius à Lapide in cap. 24. Eccli. v. 6. ad illa verba: *Ego feci vt in cælo oriretur lumen indeficiens.* Quæ verba ad literam intelligit de Virgine Deipara: ac ſi diceret; propter me Deus lumen edidit, cœlos, mare, flumina, totumque vniuerſum in lucem protulit, quippe totius orbis molitio in ſanctorum iuſtificationem directa fuit per Chriſtum, ac B. Virginem factam: ſiquidem ordo naturæ ſubſeruit ordini gratiæ, quia ergo B. Virgo Mater extitit Dei hominis, ac ex conſequenti noſtræ redemptionis medium, ac totius ordinis gratiarum à Chriſto Domino inſtituti: hinc pariter cauſa finalis conſtituitur totius molitionis vniuerſi: nam vniuerſi finis Chriſtus eſt, eiuſque Mater, ac proinde cauſa finalis conditionis vniuerſi extitit Chriſti, & Mariæ prædeſtinatio. Nec ſolum Chriſtus Dominus, & B. Virgo fuerūt cauſa finalis vniuerſi, ſed etiam cauſa formalis extrinſeca, id eſt exemplar, & idea; quia gratiarum ordo, in quo primus eſt Chriſtus, & Maria, idea eſt, & exemplar, iuxta quod diſpoſuit Deus, & inſtituit ordinem naturæ, & totius vniuerſi. Qui autem fieri poterat, vt orbis vniuerſus propter Virginem Deiparam conderetur, quin ipſa ante omnes creaturas in æterno conſilio, ac decreto præfiniretur. Propter Meſſiam ergo, & eius parentem Mariam rerum omnium *Maria abacus diuinæ omnipotentiæ.* molitio vti ad finem à Deo intenta fuit; & hic eſt communis Doctorum Rabbinorum ſenſus. Addit Rabbi Haccados lib. qui inſcribitur, Speculator Rab. Hacc. arcanorum in ea verba Pſalm. 79. *Perfice eam,* Pſalm. 79. *quam plantauit dextera tua.* Vel vt ipſe vertit: *Abacum quem plantauit dextera tua.* Et quidem Abacum refert Meſſiæ Mater, inquit ille, quemadmodum enim abacus eſt armarium, quod Principes conficere ſolent, vt pretioſiſſimam auri, argentique ſupellectilem oſtentent, ac gloriam, & opes euulgent: ita Meſſiæ Mater abacus à Deo conſtructus aperitur, in quo maieſtatis ſuæ gloriam propalet, omnipotentiæ gazas patefaciat, ac diuitias bonitatis ſuæ & Angelis, & hominibus manifeſtet.

CERTAMEN II.

Eadem veritas & Patrum teſtimonijs, & rationibus conſtabilitur.

IVuat nunc eandem theſim & Patrum ſuffragiis, 141.
& rationibus firmare. Adſit primo Chryſoſto- Chryſoſt.
mus homil. de interdictione arboris ad Adam: *Seductio,* inquit, *Eua attulit mortem, conſenſus Maria peperit à ſæculo ſaluatorem.* Premo illud, *à ſæculo*, ac ſi diceret, à ſæculo iam ſaluatore fœta nobis apparuit: nec mirum cum ab initio, & ante ſæcula condita dicatur: nunquam ergo non Mater exſtitit; quod ſuo roborat calculo Bernardus Bernard. ſermon. de Circumc. ad verba illa: *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt ab Angelo priuſquam in vtero conciperetur.* Obiicit ergo ſibi Bernard. cur nomen Ieſus ab hominibus vocatum poſt Virginis partum, ab Angelis autem antequam in vtero conciperetur iam diu nuncupatum fuerit? Et reſpondet: *Nempe Angeli ſaluator, & hominis, ſed hominis ab incarnatione, Angelis ab initio creaturæ.* In hoc igitur appellatio- *Maria nunquam non Mater.* nis diſcrimine innoteſcit ſalus hominibus allata tempore poſt longam ſæculorum ſeriem præſtituto. Ideoque poſt Ieſum natum, eo cum nomine homines compellant: Angeli vero ab initio creaturæ, primo ſuæ creationis momento. Nihil ergo mirum, ſi ante partum illi Ieſum vocent, & inuocent. Eodem pacto de Mariæ dignitate dicendum: ante partum, & conceptum Mater Ieſu prædicabatur, & nunquam non Mater prædicanda, quia à ſæculo dicitur ſaluatorem peperiſſe: & ipſi Ieſus filius futurus ſaluator extitit in primo præfinitionum

finitionum diuinarum decreto, præ reliquis omnibus, quia illam prædestinatorum Vexilliferam iam à primo æternitatis puncto delegit.

142. Hieron. Psalm. 96.

Id ipsum sonant S. Hieronymi verba in Psal. 96. in illud Isai. vaticinium: *Dominus veniet in Ægyptum super nubem leuem.* In quæ verba hæc subiungit S. Doctor: *Nubes ista leuis quæ est? videtur mihi sancta Maria nullo humano semine prægranata; ista nubes leuis venit in mundum, & secum portat mundi creatorem.* Itaque dum concipitur B. Virgo in Annæ vulua, dum mundum ingreditur, iam Deo fœta venit, mundique creatorem secum adsportat, quia ab æterno cum filio præfinita in prædestinatorum omnium Antesignanam, quod fuerit in Dei puerperium delecta.

Cum Virgo venit in mundum ab vtero Annæ iam Saluatore fœta.

Adfauet huic menti Glossa à S. Bernardino producta tom. 1. serm. 61. art. 1. cap. 4. Vbi sic habet: *Propterea conqueritur* Dominus de B. Virgine Cantic. 4. dicens: Vulnerasti cor meum Soror mea. Vbi Glossa, *pro amore tuo carnem assumpsi, & vulneribus primis in cruce vulnerasti cor meum. Et subdit sanctus: nam Primogenita filij tui fuit, plusque pro ea redimenda in mundum venit, quam pro omni alia creatura.* Ac si diceret sponsus Christus Matrem alloquens: pro te Genitrice mea, ab omni æternitate cuncta præuidens, & vniuersa prouidentiæ oculo prospiciens, iam tunc æterno Patri primos crucis cruciatus, & tormenta litaui, prima vulnera, primosque sanguinis riuulos spontanee deuoui, vt ex præuisis crucis meritis Parentem meam optimam prædestinatorum Primiceriam constituerem. Accinit Bernardino S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 14. *Dignitate quoque est Mater, quia Primogenita est ante omnem creaturam, nobilior enim est, & perfectior gratia & gloria omni pura creatura. Quod autem est primum in vnoquoque genere, est quasi causa aliorum.* Et ibidem post alia subdit: *Ipsa enim ante sæcula prædestinata est, vt esset principium, ex quo recreandum fuit omne creatum, & sic dicitur de ea: Dominus possedit me in initio viarum suarum, id est, vt sine Prima omnium creaturarum, quæ pura creatura sunt.* Quæ verba ita dilucide intento subsidiantur, vt nulla egeant declaratione.

Bern. Sen. — Antonin.

143. Damasc. Ildeph.

Suffragantur plures alij Patres S. Damascenus oration. 3. de Natiuitat. Virgin. vocat Mariam massæ nostræ primitias. S. Ildephonsus serm. 1. de Assumptione ait B. Virginem esse primam omnium inter primos: *quæ vadit post agnum proximior quocumque ierit.* Eodem sensu ab aliis Redemptionis primiceria decantari solet. De quo Georgius Venetus in sua Harmonia Cantic. 2. tom. 3. Primicerius autem inter milites dicebatur, qui primo in tabellis ceratis conscribebatur, inde Primicerius, quasi primus in cera scriptus: cum ergo Deipara in libro vitæ, in quo omnes prædestinati adnotantur, videlicet in Dei præscientia omnium prima conscripta sit, hinc omnium prædestinatorum Primiceria recte nuncupatur. Imo ipsa Deipara ceram subministrauit, in qua reliqui omnes prædestinati conscriberentur, quod innuit Ricardus de S. Victor. in illud Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quæ verba sic commentatur prædictus Doctor: *Flos Christus factus est nobis medicina, ex illo mel, & cera: medicina in redemptione; mel & cera in glorificatione.* Ex hoc pulcherrimo Flore Deipara tamquam apis argumentosa immortalitatis fauum construxit, ex quo cera confecta est, in qua Electorum nomina conscriberentur. Mos percrebuit apud Veteres ante papyri inuentum, vt in pugillaribus, siue cereis tabulis literas exararent. Hinc dictum in prima cera, in secunda cera, in ima, seu vltima cera; id est in prima, vel secunda, vel vltima parte scripturæ, seu testamenti. Vnde Suetonius in Cæsar, hæc habet: *Qu. Padium ex quadrante heredem instituit, reliquos in ima cera.* Idest in vltima parte testamenti. Flos Christus è paradisiaco solo Mariæ erumpens, materiam suppeditauit, nimirum merita sua tanquam succum roriferum, quo ceram construxit Apis Maria, in qua regia Prædestinatorum nomina sigillarentur.

Georg. Ven. — *Maria Prædestinatorum Primiceria.* — Isai. 11. — Richard. de S. Victor. — *Maria sicut apis ex Flore Iesu mel, & ceram, in qua electorum nomina conscriberentur, construxit.* — Sueton.

Rationibus etiam agendum ad hanc firmandam veritatem. Primo ergo suaderi potest, quia Virgo Deipara est coniuncta cum filio arctissima præ omnibus creaturis necessitudine, ergo rationibus eisdem, quibus Theologi innituntur, vt asserant Christum Dominum primas inter prædestinatos tulisse, probari vtique potest Virginem Deiparam, primatum post filium inter prædestinatos obtinuisse. 2. Deipara reliquis creaturis præstantior est, quæ autem perfectiora sunt, primò eliguntur in diuina prædestinatione, & electione, tametsi non eo ordine in lucem prodeant: sicut ergo Dei Genitrix Virgo rerum omnium conditarum Regina futura erat, ergo sicut omnibus dignitatis amplitudine præficiebatur, etiam in præfinitionibus Dei, reliquis præferenda erat; & vt supra dedimus, vniuersus mundus propter Christum, eiusque dinam Parentem conditus est; & propter eandem, Deiparam Deus primum hominem post peccatum cum vniuersa posteritate funditus non euertit, vt perspicue tradit S. Bernardinus tom. 1. serm. 61. artic. 1. cap. 2. *Adam, inquit, & Eua ex propria transgressione, non solum mortis, sed & annihilationis exterminium meruerunt, sed propter præcipuam reuerentiam, & singularissimam dilectionem, quam habebat ad Virginem, præseruauit; quia eam ab æterno super omnes creaturas Deo non vmerdas, quæ creanda erant superexcessiuè dilexit. propterea præseruati sunt Protoplasti, nec vt merebantur in nihilum sunt redacti: Ratio huius est, quia hæc benedicta puella in lumbis erat Adæ secundum seminalem rationem.* Et infrà in eodem capite amplius subiungit. *Omnes liberationes, & indulgentias factas in veteri Testamento, non ambigo Deum fecisse solum propter huius benedictæ puellæ reuerentiam, & amorem, quibus eam Deus in suam prædestinationem præhonerandam cunctis operibus suis ab æterno præordinauit.* 144.

Per Mariam mundus post peccatum à Deo nō destructus. — Bernard.

Roboratur amplius hæc secunda ratio. Virgo Deipara perfectione reliquas omnes creaturas superat, ergo oportuit, vt primum locum in mente, & præuisione Dei obtineret: ex eo enim Deus seipsum ante omnes res conditas cognoscit, & amat, quia reliquorum omnium entium absolutissimum est, ac perfectissimum; cum ergo omnium post Deum entium perfectissimum sit Deipara, ipsa igitur erit post Deum, obiectum primum suæ cognitionis, & dilectionis ante reliquas omnes alias res conditas. Et confirmari potest: ideo enim Deus seipsum prius diligit, quia bonitate, & perfectione creaturis omnibus immenso interuallo antistat, ergo eo ordine creaturas diliger, quo se inuicem bonitate excesserint; atqui Deipara 145.

Maria post Deum primū obiectū cognitionis, & dilectionis diuinæ.

Virgo plus hausit ex diuinis perfectionibus, quam reliquæ simul creaturæ in vnum coaceruatæ: ergo non solum plus reliquis omnibus, sed etiam prius à Deo cognosci, ac diligi, ac proinde & præfiniri oportebat ante reliquas omnes creaturas.

Maria quia prima in prædefinitionibus diuinis, primatum in omnia creata nacta est. Ambrof.

146. Ex hac antiquiori Deiparæ præfinitione præ reliquis creaturis rectè inferes primatum ipsius in omnia creata, & quod per illam condita, & instaurata fuerint. Inde Ambrosius lib. 3. Hexam. c. 6. arguit aduersus gentes; Solem vtique non esse diuinum aliquod numen, nec diuinos illi honores deferendos; nempe quia sol non prior fuit terra, nec antiquior virgultis, sed posterior: non ergo sol solaribus suis radiis fouere potuit terræ germina, hæc enim ante solem conditum, iam erant in rerum natura. Nunc audiemus mellitam Ambrosij elocutionem: *Solent plerique dicere, nisi clementior solis calor tepefecerit terram, & quodammodo radiis suis fouerit, non potest germinare terra: & propterea gentes diuinum honorem deputant Soli, quòd virtute caloris sui terrarum penetret sinus, sparsaque foueat semina, vel rigentes gelu venas arborum relaxet. Antequam solis fiat luminare, herba nascatur, antiquior sit eius prærogatiua, quam solis; ne error hominum conualescat. Germinet prius terra, quam fotus solis excipiat: sciant omnes solem authorem non esse nascentium; iunior est herbis, iunior fœno.* Benè ergo è contrario sensu elicit Ambrosius mox citandus, Virginem Deiparam in Dei prædefinitionibus primatum tulisse, quia redempturus Deus mundum, opus fuit operationem inchoaret à Matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima in præfinitionibus anteiret.

Sol non est quid diuinum quia non fuit prior reliquis creaturis.

147. Ambrof. Tertia itaque ratio ex verbis Ambrosij in Luc. ad illa verba: *Ecce ancilla Domini*, Construi potest; quæ sic se habent: *Nec mirum, si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à Matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Quia ergo Deipara gratiam omnem exoratura erat reliquis prædestinatis; & suis, ac Christi meritis impetratura; necessario omnium prima præfiniri oportebat. Quod ipsa Virgo Deipara Prou. 8. fatetur, dum ait: *Dominus creauit me initium viarum suarum.* iuxta aliquorum versionem, vt monuimus certamine vlt. Palæstræ Procemialis: ac si diceret, ideo me primam prælegit, quia ab ipso fui destinata in operum suorum instaurationem. Ideo B. Virgo idea creaturarum ab Idiota sapienti nuncupatur. Et à D. August. serm. de Natiu. Dei idea, & forma. *Si formam Dei te appellem, digna existis.* Ponunt Theologi in Deo formas, & ideas creaturarum, quæ sint tanquam exemplaria ad ipsarum rerum molitionem: ac proinde ideæ semper præcedant, oportet, rebus quarum sunt ideæ: cùm ergo Virgo Deipara rerum omnium idea, & exemplar constituitur, necessum est, vt in mente Dei, eiusque præfinitionibus, ipsa præiuerit. Huc respiciunt verba S. Epiphanij serm. de laudibus Mariæ, dum illam compellat *Cœli terræque mysterium.* Hoc est, creaturarum omnium compendium, & anacephaleosim; quia rerum omnium perfectiones, excellentiæ, ac virtutes in vna Deipara tanquam in eminentissima quadam omnium perfectionum idea cohibentur. Ergo necessarium fuit, vt ante omnes creaturas præuideretur, ac præfiniretur; cùm Deus ad creaturarum omnium conditionem veluti accinctus, hunc illarum omnium typum, ac perfectissimum exemplar sibi ante oculos proposuit, vt eas his perfectionibus cohonestaret, quas longe ante in hoc absolutissimo exemplari longè eminentiori penicillo depinxerat; vt iam verissimè affirmare possit Arnoldus Carnotens. *Maria creaturis constat omnibus, quidquid enim singulis distribuitur iustitia contulit, Matri adornanda congessit.*

Prou. 8. — Idiota. — August. — *Maria creaturarum idea, & ideo prior illis extitit.* — Epiphan. — *Virgo Deipara omnium creaturarum perfectiones cohibet.* — Arnold. Carnotens.

148. Quartò, ab incommodo nostra Thesis firmiores aget radices. Si enim B. Virgo solum occasione arrepta ex peccato, ac proinde illo præuiso, præfinita fuit, & decreta in Dei Genitricem, necessario fatendum est, Deum sicut maluisse peccatum non esse, quam esse, ita etiam satius ducturum ipsum Deum Virginem Mariam non fore in rerum natura, quam fore, quod quàm à pietate, & à veritate abhorreat quisque facile perspicere potest.

149. Postremo idem intentum probari solet ab aliquibus, quia vt plures Theologi iuniores adstruũt, in eodem instãuri rationis, quo Deus præfiniuit Christum D. cum omnibus circunstantiis, præfiniuit etiam & B. Virginem iñ Verbi diuini Genitricem: quippe Filius, & Mater correlatiua sunt, quæ iuxta Philosophum sunt simul natura, & cognitione: vnde sicut Christus D. vocatur à Paulo primogenitus in multis fratribus, ita Deiparens Maria dicitur Primogenita. Eccli. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui Primogenita ante omnem creaturam.* Dices rem nouam videri, & inauditam, vt duo Primogeniti eidem attribuantur Parenti, qui tametsi plures liberos progignere queat; vnus autem Primogeniti nomen sibi adsciscit: cum ergo Christus D. sit Primogenitus Dei Patris, in cassum Deipara sibi Primogenitæ nomen arrogauit. Sed libeat respondere, sub diuersa ratione nullum esse inconueniens vtrique nomen Primogeniti aptare in æterna præfinitione; Christus siquidem prædestinatus fuit Filius Mariæ: hæc vero in Verbi diuini Genitricem fuit prælecta. Verum ex hucusque dictis grauissima exoritur difficultas; si enim verum est, B. Virginem præfinitam fuisse, ac prædestinatam ante omnes electos, imò & ante omnes creaturas: ergo necessario dicendum est, primum Dei decretum, & in primo signo fuisse volitionem absolutam Christi passibilis, ac Redemptoris. Quod sic ostendi potest: quia B. Virgo præiuit in præuisione Dei ante omnem creaturam, vtique electa in Dei Parentem, & ad tantam gratiam, ac gloriam propter dignitatem Maternitatis Dei: ergo per merita Christi, non vtcumque, sed vt Redemptoris, mortemque in cruce tolerantis, vt infra latè ostendimus: ergo in primo signo præcessit volitio Dei efficax Christi passibilis, ac Redemptoris, quod tanquam absurdum plures Doctores explodunt: inde enim fieret, velle Deum aliquo pacto peccatum; nam ante præuisionem peccati absolutè futuri, Deus decerneret efficaciter Christi passionem, & redemptionem, quæ necessario connectitur cum peccato. Sed hæc disceptatio vtpote grauissima, ac difficillima opportunius certamine sequenti, non perfunctorie exagitabitur.

Eccl. 24.

CERTAMEN III.

Vtrum electio Deiparæ Virginis antecesserit in Deo præscientiam peccati originalis, an subsecuta fuerit?

IN præsenti controuersia sunt validissimi Propugnatores pro vtraque parte. Inficiantur ergo Decretum Dei efficax Christi passibilis, ac Redemptoris in primo signo Vasq. tom. 1. in 3. p. disp. 11. cap. 4. 150.

Vasq.

Suar. Petr. Hurt. Bernard. Card. Lug. Salaz.

cap.4. Suar.tom.1.in 3 part. disp.5. sect.3. Petrus Hurtado de Incarnat.disp.13.Bernard.ibid.disp.18. Cardinalis Lugo ibid. disp.7.sect.1.& 2. Salaz.de Concept.cap.9.§.4. E contrario alij opinantur primum Dei decretum in primo signo esse potuisse volitionem absolutam Christi Redemptoris per crucem, & mortem sua merita consummantis; & id quidem duplici via: alij enim existimant id fieri potuisse ex vi scientiæ conditionatæ, qua via graditur maior Doctorum pars: alij id decretum admittunt cum præscientia absoluta peccati, hanc partem tuentur plures Doctores ex recentioribus.

Molin. Iac. Pinto. Granad. Albert. Lucero.

151. Propugnant voluntatem in Deo absolutā Christi Redemptoris per Passionem suam ex vi scientiæ conditionatæ Ludouic. Molina 1.p. quæst.23. art.4.& 5. disput.1. membr.7. & 8. Iacobus Pinto tom.1.de Christo crucifixo, lib.2.tit.1.loco 1.n.14. Granado de Concept. disp.3.cap.28. & tract.3. de Incarnatione, disp.1.sect.4. Albertinus tom.1. corol.1. & 6.quæst.1.punct.4. Gundisaluus Sanchez de Lucero, tract. de Concept. qui hunc sentiendi modum ita stabilit, & propugnat: admittit primum scientiam futurorum cōditionalium in Deo, qua posita diuinorum decretorum seriem hoc modo coordinat. Priusquam Deus Adamum, eiusque posteritatem absolutè decerneret, præuidit scientia conditionata, si Adamus existeret, & in ipsius voluntate omnium posterorum salus collocaretur, futurum esse vt Adamus delinqueret, ac proinde in sui delicti consortium omnes posteros venturos. His ita à Deo prænisis per futurorum conditionalium scientiam, in primo signo decreuit Deus Christi Domini futuritionem in statu passibilitatis. In secundo signo Virginem Deiparam præfiniuit, eamque ex Christi passibilis, ac Redemptoris meritis ad dignitatem Maternitatis Dei, & ad tantam gratiam, & gloriam euocauit. In tertio signo propter Christum, & Mariam vniuersum mundum, Adamum, ac reliquos posteros, & ex his B. Virginem extra causas ponere decreuit. Rursus in 4. signo Deus scientia conditionata præuidens Adamum iustitia originali munitum, in peccatum prolapsurum; ad pacti cum illo de transfusione gratiæ ineundi conditiones deueniens, sic statuit, vt si Adamus in iustitia originali permaneret, sibi, ac posteris iustitiam originalem seruaret: si verò in peccatum rueret; non sibi solum, sed & posteris eandem iustitiam deperderet. Sed cum hæc omnia plena essent discrimine, ac Deus præuideret Adæ lapsum, ac posterorum ruinam sub conditione; meritis Christi in primo signo præuisis, Mariam Deiparam ab vniuersali lege exemit, & ex alio eminentiori titulo, eam gratia, aç donis, & priuilegiis communiuit, quibus eam gloriam, ad quam in secundo signo fuit euecta, capesseret. Demum per scientiam absolutam, Adami lapsus, ac posterorum ruina præuisa sunt, & à Deo decretum, vt Christus passionem, ac mortem, quæ in primo signo præuisa fuit in communis lapsus remedium, statuto tempore subiret.

Coordinatur decretorum series.

152. Quod autem hic opinandi modus nullam secum afferat contradictionem, & facilè sustineri possit, ex eo præcipuè constare potest: etenim Aduersarij hanc obtendunt repugnantiam, videlicet quod volitio illa efficax Christi Redemptoris in primo signo ante omnes alias creaturas, necessariò connectitur cum peccato: ergo aliquo modo diceretur, & esset volitio peccati, ne igitur decretum efficax de Christo passibili, ac Redemptore irritum, & frustraneum redderetur, necessariò teneretur Deus peccatum non solum permittere, sed velle voluntate efficaci, alioquin decretum illud non sortiretur effectum. Verum hanc ab Aduersariis prætensam repugnantiam sic arceo per argumenti in Aduersarios retorsionem: siquidem etiam scientia visionis in Deo præuidens peccatum Adæ absolutè futurum, dicit necessariam connexionem cum peccato, quia sine illo nequit consistere, cum tamen possit dari, & de facto datur in Deo displicentia de peccato, & complacentia de scientia illa. Firmatur hæc ratio, præuisa futuritione peccati absoluta, Deus efficaci voluntate absoluta decernit Christum passibilem, ac morti obnoxium, hæc autem voluntas efficax absoluta necessariò connectitur cum peccato, quod omnino Deo displicet, licet in illa voluntate efficaci sibi complaceat; quid ergo prohibere potest, quominus possit Deus velle primo Christum Redemptorem, quin censeatur velle peccatum, licet cum illo necessariam habeat connexionem. Quod autē in vtroque euentu peccatum futurum supponatur, nihil officere potest, vt non censeatur Deus peccatum inuehere; siquidem actus complacentiæ fertur ad obiectum modo existens, modo futurum: & saltem vtraque ratio assignata rectè concludit decretum illud de Christo Redemptore non essentialiter, & per se inducere peccatum, vt Aduersarij contendunt; nam si decretum efficax de Christo Redemptore per se causa censeretur inductiua peccati, longè à Deo omni tempore relegandum esset, adhuc præsupposita futuritione absoluta peccati, adinaton enim est, Deum posse velle causam, quæ per se necessariò peccatum inuehit. Hinc enim nostræ scholæ Doctores à Deo procul amouent qualitatem physicam peccati prædeterminatiuam; imò inficiantur etiam posse à Deo infundi habitum vitiosum in animam, dedecet enim omnino Deum in subiecto habili qualitatem, vel aliquid aliud producere, quod per se ad peccatum inclinet, & inducat. Atqui communis omnium censio est, semel admissa futuritione absoluta peccati, efficaciter à Deo fuisse decretum Christum passibilem, ac Redemptorem, sibique in tali decreto complacuisse, tametsi alioquin longe peccatum detestaretur; ergo malè inferes illud decretum esse inuectiuum peccati; cum extra omnem sphæram volitionis prosecutiuæ diuinæ absolutæ procul oberret. Quemadmodum obiectum sensationis externæ, nimirum lux, quæ essentialem respectum habet cum Deo, & cum aliis causis à quibus dependet necessariò, terminat actum visionis corporeæ, quin hæc visio attingere possit nec Deum, nec alias causas cum quibus necessariò connectitur talis lux, videlicet quia nec Deus, nec illæ causæ ingrediuntur sphæram adæquatam potentiæ visiuæ externæ: ita similiter cum obiectum peccati longe sepositum sit extra sphæram adæquatam volitionis absolutæ efficacis diuinæ, poterit admitti in Deo decretum efficax absolutum de Christo Redemptore, quamtumuis peccatum detestetur, licet alioquin dicat ordinem necessarium tale decretum cum peccato.

Potest Deus velle primo Christu Redemptorem, quin censeatur velle peccatum, licet Christus Redemptor necessariam habeat cōnexionem cum peccato.

Falsò autem quidam autumant per decretum illud efficax de Christo Redemptore, coactum esse Deum ad ponendam peccati existentiam. Quod sic ostendo; nam Christus vt Redemptor necessariò respiciebat existentiam peccati, Christum cruci suffigentium Iudæorum, cum quo rectè componitur decretum Dei de Christo Redemptore merita sua per mortem consummante, antequam absolutè 153.

præuideretur peccatum Iudæorum, vt plures ex aduersariis admittunt; inde tamen malè quispiam inferret Deum coactum esse, inuehere peccatum Iudæorum: ergo similiter dicendum in præsenti euentu. Instabis mortem Christi absolutè decretam à Deo secundum se, antequam præuideretur peccatum Iudæorum, vt absolutè futurum; hac autem ratione mors Christi necessariò non connectebatur cum peccato Iudæorum. Verum falsum assumitur, Deus enim ita decreuit Christi mortem, vt Christus Dominus illā reapse perpessus est, videlicet, vt iniquo animo ab Hebræis inflictam, ac proinde necessariò respiciebat enormia Hebræorum scelera, scilicet ludibria in Christum, contumelias, tormenta, verberum, & clauorum cruciatus, & alias illatas iniurias, quæ si considerentur vt actiones, proculdubio ab obstinata, ac peruersissima Iudæorum malitia ortum habebant. Deus itaque non decreuit Christum Redemptorem in vniuersum, sed in particulari per hanc mortem peruerso animo à Iudæis inflictam, sicut reipsa contigit; siquidem cognitio abstractiua rerum ex imperfectione intellectus nostri prouenit; nequit autem cadere in mentem diuinam omnia sicut in se sunt timantem. Mors igitur Christi cum prauis Iudæorum actibus connexa efficaciter à Deo decreta fuit.

154. *Decretum Dei efficax de Christo passibili simul stare poterat cū permissione peccati in gloriam Dei.*

Postremò nouum accipit robur nostra sententia, ex eo quod simultaneè poterat Deus decernere volitione efficaci Christum passibilem, & velle permissionem peccati in gloriam Dei, & hominum vtilitatem, ac in virtute progressus; siquidem tunc decretum illud, neque esset volitio peccati, neque cogeret Deum, vt peccatum induceret, neque apparet aliqua repugnantia in hoc decreto ita explicato, scilicet decerno Christum Redemptorem in peccatorum ablationem, quæ solum permitto in ingentem mei gloriam, & animarum lucra. Quis autem non videat, illud diuinum decretum non solum non esse inductiuum peccati, imo potius esse ipsius expulsiuum, licet enim sit permissiuum peccati, est tamen omnino ipsius destructiuum per Christum, quia est volitio efficax Christi peccata destruentis ex positione simultanea permissionis peccati: ergo nequit esse volitio peccati. Quid quod volitio illa Christi Redemptoris non est absolutè volita, vt quid independens, imò omnino dependenter à permissione peccati; sicut ergo permissio peccati iuxta omnium sententiam dici non potest Deum compellere ad inducendum peccatum, nec est volitio absoluta peccati; ita similiter illa volitio efficax Christi Redemptoris ex suppositione simultaneæ permissionis peccati; nec vocanda est volitio absoluta peccati; nec Deus ex vi illius rectè dicetur compelli ad inductionem peccati: Christus ergo ex vi illius decreti est volitus cum dependentia à permissione peccati, non vero absolutè; ac proinde non maiori connexione, respicit peccatum, nec magis esse potest causa illius, quam ipsa peccati permissio: Iuxta hanc igitur sententiam, Christus passibilis, ac Redemptor prædefinitus est simul cum permissione peccati, non verò ante illam, & simul cum illius præuisione conditionata, non absoluta.

155. Ex his nullo negotio aduersariæ partis fundamenta conuelles. Primum est, Christi Redemptio, & ex consequenti existentia Virginis Deiparæ, non est obiectum per se diligibile, sed solum vt remedium peccati: iam ergo supponitur peccatum, eiusque permissio, priusquam præfiniretur Christi Redemptoris ex B. Virgine existentia: ergo Christus Redemptor ex B. Virgine decerni non potuit in primo signo, nec ipsa B. Virgo. Verum vtraque consequentia deneganda est; permissio enim peccati simul coextitit cum decreto Christi Redemptoris ex B. Virgine oriundi: imò & futuritio peccati absoluta, præeunte scientia conditionata, ante præuisum peccatum absolutè futurum, non prius, sed simultaneè coextitit cum volitione Christi passibilis ex B. Virgine. Instas, qui voluntate efficaci aliquid vult, dicitur etiam velle necessariò, saltem voluntate interpretatiua, quidquid cum illo necessariò connectitur, nisi illud antecedenter supponat, sed Redemptio Christi ex B. Virgine necessariò connectitur cum peccato, neque illud antecedenter supponit: ergo nequit decerni redemptio Christi ante absolutam præuisionem peccati, quin censeatur Deus velle aliquo modo peccatum. Respondeo, Christi Redemptionem solum esse volitam à Deo ex simultanea suppositione permissionis peccati, & dependenter ab illa; vnde non magis connectitur cum peccato, quam ipsa peccati permissio, sicut ergo peccati permissio non est volitio adhuc interpretatiua peccati, ita neque decretum efficax Christi Redemptoris, simul coëxistens cum permissione peccati, & ab illa dependens: & ratio est, quia Christi Redemptio decreta est non tanquam finis independens ab alio, sed vt medium, nimirum vt per illam peccatum omnino aboleretur.

Secundum fundamentum aduersariæ partis illud est: nequid Deus ex sola scientia conditionata permotus remedium peccati decernere; sin minus eadem ratione dicere aliquis posset ex sola sciētia conditionata boni vsus liberi arbitrij duci Deum ad dilargiendam gratiam, reclamantibus Theologis cum Augustino. Et confirmari potest, quia rectè præsciuit Deus eadem scientia conditionata, futurum vt Protoparentes in gratia permanerent, si ab ipso vberioribus auxiliis præmunirentur; ergo potuit, & debuit permoueri Deus ex hac scientia ad decernendum Christum immortalem potius, quam cruci, ac morti addictum. Hoc fundamentum dirues si asseras, Deum gratiam conferre propter bonum vsum liberi arbitrij, inuoluere causam meritoriam, ad quam non sufficit conditionata scientia, vt rectè Theologi adstruunt cum S. August. aduersus Hæreticos. Nos autem in decreto efficaci Christi Redemptoris ex B. Virgine cum simultanea permissione peccati, nequaquam scientiam conditionatam admittimus ad causam meritoriam. Ad confirmationem affirmamus, idem posse dici de voluntate permittendi peccata, videlicet ex scientia conditionata, qua præsciuit Deus futura peccata Protoparentum, ac posterorum, non vero futura, si efficacioribus auxiliis tali tempore, ac loco protegerentur; cur ergo non potius ex ista scientia permotus fuit, vt Christum immortalem, & impassibilem decerneret? Quocirca in his, & aliis similibus euentibus confugiendum nobis est ad inscrutabilem, ac profundissimam Dei sapientiam, hunc potius rerum ordinem eligentis, aliis infinitis sepositis, ob fines altissimos nobis ignotos. 156.

Tertiò insurgit Herice disp. 30. de Prædest. n. 32. 157. *Herice.*
Ante decretum efficax de Christo Redemptore ex Maria, solum erat peccatum conditionatè futurum, posito illo decreto, iam est absolutè futurum: ergo ex vi illius decreti efficacis, omni alio secluso, peccatum quod solum erat sub conditione futurum

transit

transit ad statum absolutè futurum; ergo decretum illud aliqua est volitio peccati saltem interpretatiua. Verum opus est distinctione vti in secunda parte antecedentis, ne laborer æquiuocatione: peccatum ergo quod erat solum conditionatè futurum, post illud decretum efficax Christi Redemptoris, est absolutè futurum, quia homo illi liberè consentiet, seque ipsum spontaneè determinabit ad peccatum; est verissimum; non verò quia decretum illud efficax suo influxu, & efficacia reddat peccatum absolutè futurum, cum potius sit destructiuum peccati per Christi crucem, ac merita ipsius, & B. Virginis: quod vel ex eo quisque perspicere poterit, nimirum quia illud decretum iam imbibit secum peccati permissionem; ergo præsupponitur iam voluntas hominis in peccatum consentientis, & alia requisita, quæ ad futuritionem peccati desiderari poterant. Ex quo falsitas consequentiæ iam patet; non enim omnia alia secluduntur, cum decretum illud efficax claudat in se permissionem peccati, qua posita homo liberè peccato consentiet: quod & ipse Herice fateri tenetur; nam ante permissionem peccati in ipsius sententia solum est peccatum conditionatè futurum, posita autem permissione, est absolutè futurum, sed non ex sola permissione, omni alio secluso, potest transire peccatum ad statum absolutè futurum, sed quia permissio peccati iam supponit voluntatem creatam liberè se determinaturam ad peccatum, quod & nos fatemur.

158. Restat nunc, vt componamus decretum efficax Christi Redemptoris ex B. Virgine cum præscientia absoluta peccati, quod duplici via fieri potest. Primò in eorum sententia, qui inuehunt futuritionem aliquam in decretis diuinis, quam latè propugnant plures ex Recentioribus doctissimi: aiunt ergo Deum cognoscere sua decreta vt futura antequam illa cognoscat vt actualia, nempe in aliquo signo priori in quo; ac proinde Deum cognoscere, vt futura omnia obiecta decretorum, quia iam sunt futura per decretum illud antecedens futurum. Quare ante actualitatem exercitam decretorum, virtualiter nouit Deus futurum absolutè hunc mundum, hunc rerum ordinem, Adami lapsum, œconomiam Incarnationis Verbi diuini ex Virgine Maria.

159. *Perlin.* *Potuit decretum diuinum in primo signo terminari ad Christum Redemptorem ex Maria.* His ita constitutis censeo cum Perlino part. 1. Apologiæ dist. 4. cap. 14. potuisse diuinum decretum in primo signo decretorum terminari ad Christum passibilem, ac Redemptorem ex Virgine Maria. Suaderi potest, ex eo enim aduersariæ partis Doctores denegant decretum illud primum efficax de Christo Redemptore, quia opus est, vt supponat scientiam absolutam peccati, ne censeatur decretum illud esse volitio peccati; sed actualis existentia huius decreti iam supponit scientiam absolutam peccati futuri: ergo nihil obstare potest, quominus admittatur tale decretum. Firmatur hæc ratio: scientia illa absoluta peccati sufficiens est, vt moueat Deum ad decernendum remedium peccati absolutè futuri: ergo ex illa scientia rectè decerni potest Christus Redemptor in primo signo. Confirmo, scientia conditionata peccati est sufficiens ad mouendam voluntatem diuinam conditionatam in ordine ad remedium ipsius peccati: ergo eadem ratione scientia absoluta peccati sufficiet ad mouendam voluntatem absolutam in ordine ad remedium peccati, nempe per Christum Redemptorem. Roboratur, quia prædicta scientia absoluta peccati, si alia decreta subsequantur iuxta aduersarios, sat est ad decretum Christi Redemptoris: ergo eodem modo tametsi antecedat omnium decretorum actualitatem, sat erit ad mouendam voluntatem diuinam, vt decernat Christum Redemptorem; hæc enim scientia absoluta peccati antecedens omnia decreta, idem omnino obiectum repræsentat, quod respicit alia scientia, quæ omnia decreta subsequitur. Si vero obiiciat aliquis: Decretum de Christo Redemptore actuale est primum: ergo etiam in statu, siue signo futuritionis erit primum; atqui in eo signo habet connexionem cum peccato absolutè futuro absque permissione, vel scientia absoluta peccati antecedenti: ergo & decretum actuale. Verum occurro asserens, in eodem signo, in quo decretum de Christo Redemptore est futurum, esse etiam futuram permissioné, & peccatum, & esse simul scientiam absolutam peccati: & ratio est, quia decretum fit actuale dependenter à permissione peccati, & à peccato futuro, & à præuisione absoluta eius: hæc ergo omnia in eodem signo saltem futura esse debent, non tamen opus est, vt futuritio peccati antecedat futuritionem decreti, & permissionis, hæc enim omnia simul esse possunt.

Verum enim vero huius nostræ sententiæ veritas non solum per angustum hunc tramitem graditur, sed regia etiam via incedit: rectè igitur componi poterit decretum efficax de Christo Redemptore ex Maria, licet denegemus decretorum diuinorum futuritionem, adeoque & prioritatem in quo inter ipsa; quod perspicuitatis gratia sic ostendi potest. 160. *Alia via ostenditur decretū efficax in primo signo de Christo Redemptore ex Maria.* Licèt scientia Visionis in Deo omnium obiectorum sit simul in quo, cum voluntate diuina eorumdem, prior tamen est à quo scientia Visionis ipsa volitione Dei, & obiectis, nullo autem pacto posterior illis à quo; vnde poterit scientia Visionis dirigere diuinam voluntatem ad decernendum de illis obiectis. Quod exemplo clariùs innotescet. Scientia Visionis, per quam Pater, & Filius Spiritum sanctum existentem cognoscunt, dirigit volitionem diuinam, qua vterque Spiritum sanctum spirant; estque prior aliquo modo, & volitione Spiritus, & ipso Spiritu: sic in nostro euentu, scientia Visionis peccati, & Christi Redemptoris sunt simul in quo, cum permissione peccati, & cum decreto Christi Redemptoris, hæc autem simultanea existentia in quo, sat est, vt illa scientia possit dirigere, ac mouere diuinam voluntatem ad decernendum Christum Redemptorem; eadem autem scientia Visionis peccati futuri, est prior prioritate à quo, & permissione peccati, & decreto Christi Redemptoris: atque adcò licet denegetur prioritas in quo, potuit decretum Dei in primo decretorum signo terminari ad Christum Redemptorem, quoniam decretum hoc efficax de Christo Redemptore præsupponit scientiam absolutam peccati futuri prioritate à quo, qua scientia præmissa, Deus haudquaquam censetur velle peccatum, sed eius destructionem per decretum efficax Christi Redemptoris. Falsò ergo contrariæ sententiæ assertores adstruunt volitionem diuinam cum ipsius obiecto aliquo modo præcedere debere scientiam Visionis, vt patet in exemplo adducto scientiæ Visionis, qua Deus cognoscit Spiritum sanctum, quæ sufficit ad dirigendum, & mouendum voluntatem diuinam ad spirandum eundem Spiritum sanctum. Quod si opponas, non dependere futuritionem peccati à futuritione Redemptoris: ergo neque decretum permittens peccatum erit dependens à decreto futuritionis Redemptoris:

ptoris: ergo permissio peccati antecedit decretum Redemptoris. Occurro tamen distinguens antecedens, si enim intelligatur de futuritione peccati secundum se, & ratione sui, verum est, falsum vero si intelligatur de futuritione peccati, vt de facto permissum est à Deo, quia permissum est eodem decreto, quo Christus Redemptor decretus est, cum quo decreto connexionem habuit, tanquam cum ipsius peccati medicina simul à Deo volita.

CERTAMEN IV.

In primo signo decretorum Christum Dominum fuisse decretum simul cum Virgine Deipara, diluculus ostenditur.

160. Hic prælibare oportebit, Virginem Deiparam, ac reliquos omnes quotquot ad beatitudinem electi sunt, non modo ex Christi meritis, passione, ac morte consummatis, gratiam, & gloriam in executione consecuturos, sed etiam in ipsa intentione propter eadē merita prædestinatos fuisse, vt plura sacræ paginæ testimonia contestantur. 2.

2.Timoth.1. ad Timoth.1. *Vocauit nos*, ait Paulus. *vocatione sua sancta, non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum; & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.* & ad Ephes.1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.* Quæ verba perspicuè ostendunt omnes electos prædestinatos esse per Christum Redemptorem ante decretum mundi; nam illa verba *ante mundi constitutionem.* nequeunt intelligi de sola antecessione ab æterno ante actualem existentiam mundi: hoc enim modo ipse mundus esset decretus ante constitutionem mundi; qua ratione nihil speciale de Christo honorificum Paulus protulisset: quare intelligenda sunt de antecessione in ipso ordine intentionis.

Ephes. 1.

161. His prælibatis, semper nobis arrisit Iuniorū Doctorum sententia, asserentium primum decretum diuinum absolutè fuisse de Christo Redemptore, ac proinde hoc ipso decreto comprehensam B. Virginem, & in Dei Matrem prælectam; ita vt primario decretus fuerit Christus morti obnoxius tanquam caput hominum, & Angelorum, eorumdemque causa finalis, & exemplaris, post Christum autem Virgo Deipara etiam tanquam causa quodammodo, quæ post Christum influeret in omnes prædestinatos meritis suis impetrando ipsis omnes gratias, ac dona, quæ ad veram salutem & vitam æternam nanciscendam conducerent. Vtraque conclusionis pars à nobis stabilienda: & quidem de Christo D. ex locis adductis D. Pauli sufficienter ostendi potest; eisdemque de B. Virgine suadetur; si enim ibi sermo instituitur de Christo Redemptore, vt communi interpretum suffragio constat; idque innuit nomen Iesus, ait enim Paulus cit. *Secundum propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora secularia.* Ergo loquitur Paulus de Christo Redemptore, id enim indicat nomen Iesus: ergo simul cum Christo præfinita fuit Virgo Deipara, ex qua carnem passibilem assumpturus erat. Perperam enim quis assereret Paulum locutum de Christo abstractè sumpto, vt loquuntur Logici, sed prout de facto reapse conditus est, videlicet conceptus, ac natus de Virgine Maria.

Maria decernitur cū Christo in primo signo decretorum Dei.

162. In hanc sententiam conspirant Patres: de Christo D. id conceptis verbis affirmat S. Cyrill. Alex. lib. 5. Thesauri cap. 8. in illa verba Prou. 8. *Ante secula fundauit.* Quæ tam de incarnata Sapientia, quam de B. Virgine capi possunt. *Præfundatus*, ait Cyrill. ante nos Christus, *& in ipso nos omnes superædificamur, idque ante initium mūdi in præscientia Dei, vt cum ordine diuino benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, & seruitutem Diaboli adoptionis libertas, possit natura humana, superatis malis, quæ interim acciderunt, in pristinam per gratiam Christi, qua fundauit eam in bonis, dignitatem recurrere.* Vbi perspicuè satis Cyrillus defert Christo prioritatem in prædestinatione Dei; nam ex mente huius Doctoris non solum ea, quæ supernaturalia fuerunt in Adamo, sed etiam ea quæ naturalia fuerunt superædificata sunt in Christo: ergo ab ipsa æternitate præmissum fuit, & decretum Adamum superædificandum in Christo: vnde Adamus quoad naturam etiam in Dei decretis præsupponit Christum: ibi enim Cyrillus sermonem instituit de fundatione naturę humanæ ante præuaricationem Adæ. Adstipulatur Rup. lib. 13. in Matth. de gloria, & honore Filij hominis, vbi ait: *Et quæ causa est, propter quam Deus omnia creauit, nisi iste filius hominis? religiosè dicendum, reuerenter est audiendum, quia propter hunc filium hominis, gloria, & honore coronandum, Deus omnia creauit.* Idemque expressit de Virgine Deipara Cardin. Pet. Dam. serm. de Natiuit. Virg. *Hæc eadem Beatissima Virgo ante constitutionem mundi in consilio æternæ sapientiæ electa, & prælecta.* Huc aduoco Dauidem 44. Psalmo. *Adducentur Regi Virgines post eam.* Hieronymus transtulit. *Adducentur Regi, Virgines post eam.* Quia B. Virgo ante alios omnes per merita Christi in primo decreto de Christo Redemptore ipsi Christo adducta fuit; ac si B. Virgo foret chori sanctorum Ductrix, ac Præcentrix. De quo certamine primo huius Palæstræ plura congessimus.

Prou 8.

Rupert.

Pet.Dam.

Psalm. 44.

Hieron.

Huius autem nostræ sententiæ veritas ex aliarum confutatione magis elucescet. Et primum Christus D. non fuit decretus in primo signo præscindendo ab statu passibilitatis, & impassibilitatis, vt vult Soarius tom. 1. in 3. p. disp. 5. sect. 1. & 1. p. lib. 2. de causa prædest. c. 24. n. 21. cum Scoto, & aliis. Primò quia hoc decretum non est connaturale in Deo, status enim ille non est Christo connaturalis, neque possibilis, decretum autem passibilitatis Christi est ipsi naturale, & status ille possibilis: ergo hoc admittendum, illud respuendum. Et vrgetur argumentum aduersus eosdem Doctores, quia ex ipsorum sententia fieret, Christum de facto independenter à Passione, cruce, ac morte meritum nostræ redemptionis peregisse, quod tanquam absurdum repellunt Doctores, vtpote contra Paulum ad Hebr. 10. vbi ait: *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Illatio autem illa suadetur ita; nam merita illa futura Christi præcisa ab statu passibilitatis, & impassibilitatis, exempli gratia, amor Dei in Christo est omnino independens à Christi passione, ac morte: ergo independenter à cruce, & morte Christi nostra prædestinatio decreta fuit. 163.

Soar.

Hebr. 10.

P. Soarius vt huius argumenti vim elidat, ad suam illam distinctionem confugit: ait ergo, merita Christi præcisa causam esse nostræ prædestinationis independenter à passione, & morte Christi ordine intentionis, non vero ordine executionis. Contra tamen insurgo, hinc enim fieret, Christum D. propter nostram electionem, & prædestinationem ordine intentionis, neque crucem, ne- 164.

que

Distinctio illa ordinis intentionis, & executionis exploditur.

que mortem subiisse: ac proinde prędestinatos ante Christi passionem, ac mortem præuisam, ad gratiam, & gloriam efficaciter electos fuisse; vnde parum Christi passioni nbæratos esse, saltem quoad electionem illam efficacem ad gloriam; quamuis enim Christus non pateretur ex vi illius electionis efficacis, iame raut beatitudinis candidati infallibiliter, & in gratia permansuri vsque in finem. Deinde si electio Virginis Deiparæ ad gloriam ante præuisionem peccati, & passionis Christi constituitur: ergo Christus Virginis B. electionem in Matrem suis meritis nequaquam obtinuit. Rursus hi Doctores quo fundamento nituntur ad asserendum Mariam Virginem statim post Christum ante præuisionem peccati electam in Matrem, cum semel seclusa culpa, quæ morti Christi, & Natiuitati ex fœmina ansam præbuit, nihil solidi fundamenti maneat, cur Christus paruulus, & infans nasceretur ex fœmina, cum hæ sint naturæ imbecillitates; satius foret, sicut Adamus in virili ætate, Christus etiam conderetur.

165. Sed libet adhuc vrgentius aduersus Suarium insurgere; nam illa prior volitio, quæ ab ipso vocatur ordinis intentionis, est efficax in ordine ad gloriam sine vlla dependentia à Christi passione, & morte: ergo iam aliqua gloria nostra, & gratia est futura à parte rei sine dependentia à meritis Christi passibilis: ergo aliqua gratia, & gloria reipsa datur independens à passione, & morte Christi. Hæc illatio probatur, non enim est futurum reipsa, nisi id quod aliquando existet extra causas. Prior consequentia suadetur, quia actus efficax, vt sic exhibet obiecto futuritionem, siquidem iam respicit obiectum, vt futurum, in quo solum differt ab actu inefficaci: ergo efficax decretum diuinum independens ab aliquo merito dat obiecto futuritionem sine dependentia ab ipso merito: ergo decretum efficax gratiæ, & gloriæ nostræ, & B. Virginis independens à merito passionis, & mortis Christi exhibet futuritionem nostræ gratiæ, & gloriæ, tum & B. Virginis, sine vlla dependentia à passione, & morte Christi.

166. Secundò aduersus eandem distinctionem sic arguere possumus: Prior illa volitio, item gloria, & merita in ordine intentionis ex vi primi decreti ita sunt indepēdentia à decreto passibilitatis Christi, vt hoc deficiente, adhuc prima illa volitio suum sortiretur effectum, quia efficax est: ergo ex vi eius futura est gloria B. Virginis, & aliorum per merita illa vt sic præcissa sine decreto Christi passibilis: ergo independenter à meritis Christi passibilis, imò & ante præuisionem eius: ergo reapse ponitur in tempore gratia, & gloria B. Virginis, & aliorum prædestinatorum sine vlla dependentia à passibilitate Christi, eiusdemque morte. Ex quo fit secundum illud decretum ordine executionis à Suario admissum, solum id efficere, vt eadem gratia, & gloria B. Virginis, aliorumque prædestinatorum, alio diuerso titulo reipsa ipsis conferatur.

167. Refellitur item Vasquez 1. part. disp. 95. c. 3.
Vasq. dum docet, decretum fuisse Christum passibilem, & Redemptorem, præuiso solum originali peccato in solo primo Parente. Nam ante decretum prædestinationis Christi, præcessit in Deo scientia sufficiens omnium peccatorum originalium, vt supra monuimus; hac igitur posita scientia, non est maior ratio, cur propter solum Adæ peccatum, & non aliorum posterorum Christus decerneretur, præsertim cum in eo signo ante decretum, præuisum fuerit peccatum Adæ, vt peccatum capitis: ergo præuisa sunt etiam peccata posterorum; siquidem peccatum Adæ prout imminet aliis, iam non est peccatum personale, sed etiam capitis, in quo omnes posterorum voluntates moraliter existebant. Deinde displicet hæc sententia, quia in ea defendi nequit sententia negans debitū proximum incurrendi originale in B. Virgine, de quo infra.

Exploditur etiam nouiorum Theologorum assertum, qui cum Salaz. de Concept. cap. 24. adstruunt, 168.
Salaz. decretum fuisse Christum Redemptorem post decreta aliorum hominum, post permissionem peccati originalis, & eiusdem præuisionem, vt iam à posteris omnibus contracti. Primò, quia plurium hominum conceptiones ex pręuisis Christi mortis habitæ sunt, vel quia sancti Viri preces ad Deum fuderunt per merita præcedentia ex gratia Christi, quo modo à Deo filios impetrarunt; quæ quidem impetratio inficiari nequit fuisse ex meritis Christi passibilis, ac Redemptoris: ergo decretum harum generationum, ipsorumque peccatum originale, quod supponit generationem, etiam supponet decretum Christi Redemptoris, cum illæ generationes, quæ fuerunt ex meritis Christi passibilis illum supponant. Displicet autem Salazar asserens primum decretum hominum solum terminatum fuisse ad substantias hominum futurorum, non vero ad generationes, quæ post Christi mortem præuisam, decretæ fuerunt; quia ipsemet Salazar inuehitur in Suarium, quod admittat decretum efficax in Deo de Christo præscindente ab statu passibilitatis, & impassibilitatis: & merito, quia decretum efficax Dei simul attingit entitatem termini, cum determinata actione, at ipse Salaz. cit. §. 3. docet ex eo ordinem intentionis attingere entitatem sine actione, quia entitas termini non habet connexionem essentialem cum determinata actione, & causa: imò potius potest variis actionibus, & à variis causis produci: ergo bene poterit attingi entitas sine actione, & causa determinata; sed vt sibi constans esset Salazar dicere oportebat, Christum ordine intentionis præfinitum esse decreto efficaci determinato ad entitatem Christi, sine hac numero actione ex Virgine Maria procedenti; postea vero præuiso peccato, ordine executionis, decreuit Deus Christum passibilem, ac Redemptorem per hanc numero actionem, quod ipse impugnat in Suario.

Vterque igitur impugnatur denuo primo, quia 169.
prior est in quo, & prior concipitur volitio executionis, quam merita futura: ergo merita futura supponunt Incarnationis executionem, eiusque actionem, & causas determinatas, atque adeò nequit illa actio decerni propter dicta merita. Assumptum patet, quia decretum ordinis intentionis nequit esse reipsa sine ordine executionis, & sine decreto actionis, & causæ determinatæ, potest vero esse reipsa sine vllo merito futuro: ergo decretum primum est dependens à secundo, & independens à meritis: ergo merita sunt posteriora in quo, decreto primo; & secundum decretum simul erit cum primo; & ideo prius est, & concipitur decretum secundum, quam merita, ac proinde non poterit esse propter merita. Secundò impugnatur; licet enim entitas Incarnationis nullam habeat, ratione sui, connexionem cum actione determinata, eam tamen habet decretum efficax ex natura sua: ergo non poterit attingere terminum Incarnationis, quin simul attingat actionem, & causam determinatam: nam decretum efficax non potest ferri in terminum, quin aliquo

aliquo modo in actionem feratur, sed non in actionem in communi, neque vage, & indeterminatè, scilicet in hanc, vel illam: ergo fertur in hanc numero. Maior propositio ostenditur; nam decretum efficax fertur in entitatem à causis extrahendam: ergo attingit extractionem eius: ergo aliqua extractio à causis est futura; extractio autem formaliter est actio, siue causalitas: ergo iam decretum efficax attingit actionem; nequit enim per decretum efficax attingi terminus, vt futurus extrahendus à causis, quin extrahatur per actionem etiam futuram; præsertim cum res ex vi decreti efficacis accipit nouum statum, nec iam permanet in statu meræ possibilitatis: ergo recipit esse futurum, extra causas ponendum, quod prouenire nequit, nisi media actione: entitas enim futura alicuius rei est actus secundus futurus, nullus autem actus secundus futurus reperiri potest sine actione futura. Minor autem probatur de actione in communi, Deus enim non fertur immediatè in actionem in communi, ea enim cognitio dedecet Deum cognoscentem omnia perfectissimè; cognitio autem in communi est confusa valde, & imperfecta: quid quod actio in communi nequit existere reipsa; at obiectum decreti efficacis reapse existit extra causas, vel inde infertur omnem actionem in indiuiduo ex vi illius decreti esse futurā. De actione vaga eodem ferè modo philosophandum: Deus enim res vage non cognoscit, & talis cognitio imperfectionem claudit. Et confirmari potest; ex eo decretum diuinum terminatum ad entitatem non attingit actionem determinatam per vos, quia entitas non deposcit eam actionem determinatè; atqui neque entitas deposcit actionem indeterminatè, & vage: ergo decretum quod fertur in entitatem, non fertur in actionem vage; entitas enim ex seneque dicit respectum essentialem ad actionem in statu vago, nec deposcit suam futuritionem media actione indeterminata, & vaga, plus quam media actione determinata in indiuiduo; nec magis petit decerni cum actione vaga, quam cum determinata: cur ergo adiudicanda est entitati futuræ actio vaga, cum qua nequit esse futura, neque extra causas constitui; non verò actio singularis determinata, media qua extrahenda est à suis causis. Rursus nequit reipsa dari futuritio actionis vagæ: ergo Deus nequit eam decernere. Assumptum declaratur: futuritio duo claudit, & carentiam existentiæ in hoc instanti, & realem positionem, & existentiam in aliquo instanti: sed actio vaga nunquam reapse potest existentiam sortiri: ergo neque futuritionem realem, sed imaginatiam. Denique in nostra sententia rectè componitur decretum efficax entitatis futuræ cum actione determinata, & singulari. Deinde multo maiorem proportionem seruat existentia absoluta actionis eum existentia absoluta termini, quam existentia actionis vagæ, etiamsi dari posset.

Decretū Dei efficax nequit ferri nisi in terminum, & actionem determinatam, non vagam.

170\. Nec minus displicet Cardinalis Lugo tom. de Incarnat. disp. 8. sect. 7. & alij recentes Doctores cum eo, qui censent Christum Dominum prædefinitum esse in statu tantum virili, actione à Deo solo proueniente, & vt miraculosè viuentem, siue ex defectu cibi, qualem habuit in eremo, siue ex doloris magnitudine, qualem in horto, & in cruce tolerauit; nisi enim Deus miraculosè concurreret, vita priuaretur. Aiunt ergo in eo primo signo præuisum esse Christum, vt existentem actusque meritorios exercentem independenter à B. Virgine: postea verò propter ea merita decretum fuisse à Deo, vt B. Virgo Maternitatem Dei promereretur. Hic sentiendi modus impugnatur primo, quia sine fundamento constituit primam Christi existentiam miraculosam decretam; siquidem naturalis existentia admitti potest, vt mox videbimus. Secundò nam voluntas exhibendi concursum miraculosum supponebat aliam in Deo voluntatem: ergo non fuit prima. Assumptum constat, quia illa voluntas concursus miraculosi solum habita est ad Christi vitam seruandam aduersus concursum causarum naturalium exigentium in illis euentibus Christi destructionem: ergo præuidit prius Deus in Christo causas exigentes Christi destructionem, nempe inediam, & cruciatus: ergo supponebatur Christus præuisus, ac proinde aliud decretum de Christo: si enim nullus foret concursus prædictarum causarum naturalium; vel si non fuisset præuisus Christus inediam, ac dolores sustinens, profectò non esset opus aliquo concursu miraculoso: ergo præuidebatur Christus ieiunans, ac cruciatibus exagitatus. Quod firmari potest, quia ante illam voluntatem præparantem concursum miraculosum, necessarium fuit, vt intellectus proponeret voluntati illius concursus necessitatem, & alienius volitionis conseruandi Christum aduersus exigentiam causarum naturalium: ergo proposuit illi futurum esse, vt Christus illam necessitatem incurreret: ergo præuidit Deus antea Christum esurientem alriori concursu indigere, vt conseruari posset contra exigentiam causarum naturalium, adeoque præuisus fuit Christus iam antea existens in rerum natura. Tertiò impugnatur hic opinandi modus. Ex eo enim fieret, Christum non redemisse mundum, nec promeruisse nobis, nisi quadraginta dierum ieiunio, ac doloribus in horto, & cruce perpessis, quod dici nequaquam potest; quia meruit omnibus actibus, peregrinationibus, ac totius vitæ laboribus: illatio vero sic suadetur; nam per primum illud decretum præfinitus est Christus Redemptor hominum, in eo autem signo solum poterant præuideri Christi merita iam adulti ieiunanris in eremo, & in cruce patientis, vt hæc sententia docet.

Card. Lug. Decretum Dei efficax de Christo in statu tātum virili refellitur.

171\. Petrus Hurtado de Incarnat. disp. 18. sect. 2. subsect. 6. Herice disp. 29. cap. 5. n. 44. affirmant Christum de facto productum fuisse duplici actione totali, quarum vna à Deo solo dependeret, altera verò à Deo, & à B. Virgine: quæ sententia ex eo reiicitur relictis aliis, quia supervacanea omnino est duplex actio: tum quia docet primum decretum attigisse Christum Redemptorem sub conditione, & absolutè substantiam Christi; ostendimus autem supra, illud primum decretum potuisse attingere Christum Redemptorē etiam absolute. Deinde hæc sententia nequit componere Virginis Deiparæ immunitatem à debito peccati originalis, cum meritis Christi passibilis, quia in eo signo, in quo Virgo B. fuit exclusa à pacto Adami, adhuc non fuerunt absolutè præuisa merita Christi passibilis iuxta hunc opinandi modum: imò quod præcipuum est, neque gratia prima sanctificans B. Virginis fuisset ex meritis Christi passibilis, & morte consummatis; si Virgo Deipara decreta fuit ante decretum Christi passibilis, vt aliqui ex aduersariis autumant.

Petr. Hurt. Herice. Decretum Dei efficax de producendo Christo duplici actione totali refellitur.

172\. Ex dictis illationes aliquot deducuntur. Infero itaque primo motiuum decernendi Incarnationem in Deo, fuisse etiam remedium peccati. Ita aliqui ex recentioribus Doctoribus; suaderi potest primo, quia motiuum decreti Christi passibilis cōplectitur remedium

Motiuum decernendi Incarnationē in Deo fuis etiā remedium peccati.

remedium peccati, & necessario cum illo connectitur. sed primum decretum fuit de Christo passibili, ac Redemptore, vt pluribus supra ostendimus: ergo primum motiuum decreti diuini includebat remedium peccati. Secundò, quia ex sententia Suarij motiuum primi decreti fuit gratia, & gloria hominibus per Christi merita conferenda, sed non per Christi merita à passione, & morte independentia, vt iam fusè monuimus: ergo fuit decreta gratia, & gloria B. Virginis, & aliorum hominum dependenter à meritis Christi cruce, ac morte consummatis, atque adeo cum dependentia à peccato eiusque medicina. Tertiò, potuit Deus primò decernere Christum, & bona omnia ex illo prouenientia propter remedium peccati, & dependenter ab illo, vel saltem in ordine ad remedium peccati propter gratiam, & gloriam hominibus conferendam, sed nullum est fundamentum ad asserendum decretum fuisse Christum independenter à peccato, eiusque remedio: ergo de facto motiuum decernendi Incarnationem, fuit etiam remedium peccati, & cum dependentia ab illo. Quod perspicuè tradit

1. Timoth. 1. Paulus 1. ad Timoth. 1. *Christus Iesus venit in hunc*
Galat. 4. *mundum peccatores saluos facere.* & ad Galat. 4. ait:
Matth. 18. *Vt eos qui sub lege erant redimeret.* & Matth. 18. ait Christus Dominus. *Venit Filius hominis saluos facere, qui perierant.*

173. Infero 2. motiuum decreti primi Incarnationis fuisse dignitatem capitis Christi respectu hominũ, & Angelorum; gloriam, & dignitatem B. Virginis, gloriam & iustificationem Angelorum, & hominum; hæc tamen cum dependentia à peccato, eiusque permissione Et ratio est, quia omnia hæc motiua exprimuntur ab Scriptura, & Patribus: tum quia Deus non ita decreuit Christum in remedium peccati, vt solum voluerit per illum expelli peccata, sed etiam voluit, vt à Christo tanquam capite, & à Maria tanquam collo omnes gratiæ in homines proficiscerentur: ergo non solum remedium peccati, sed etiam B. Virgo, tum & omnia alia bona per Christum Dominum, & B. Virginem in homines promanantia fuerunt motiuum primi decreti Dei. Quod confirmari potest, quia nullam gratiam, seu donum voluit Deus de facto conferri, nisi per Christum Redemptorem, & B. Virginem corredemptricem, ac Prædestinatorum Primiceriam; sed hæc omnia dicunt connexionem cum peccato, eiusque permissione: ergo & alia omnia.

Motiuum decreti primi Incarnationis fuit dignitas capitis Christi & dignitas B. Virginis.

174. Tertiò infero, illud decretum terminatum ad Christum attigisse hanc humanitatem cum hac numero materia, forma, actione, & vnione, tum à tali Matre Virgine ortam. Ex parte autem Christi passibilitatis, voluit illud decretum in indiuiduo omnes actus passionis Christi ab instanti Incarnationis vsque ad mortem; non enim poterat Deus illos confusè attingere, aut decernere; at plures ex his actibus dicebant ordinem ad B. Virginem, vt puta verba illa in nuptiis Chanaam. *Quid mihi, & tibi mulier, nondum venit hora mea.* Tum & illa: *Mulier ecce filius tuus.* Et alij plurimi actus, & actiones Christi meritoriȩ, quȩ connexionem cum B. Virgine habebant: ergo illud decretum etiam attingebat B. Virginem, eiusque dignitatem Matris.

Decretum primum terminatũ ad Christum attigit hanc humanitatem, hanc allusionem ab hac Virgine ortam.

Ioan. 19.

175. Infero quartò, decretum Christi Redemptoris, ac B. Virginis eius Adiutricis in officio redemptionis, fuit etiam volitio efficax saltem indirecta omnium hominum, & Angelorum, & omnium entium naturalium, & supernaturalium, quæ in hoc ordine rerum futura erant. Probatur, quia Christus Dominus fuit caput, & finis simul cum B. Virgine, propter quos vniuersus mundus conditus est: ergo non poterant attingi Christus Dominus, & Virgo Deipara, sine respectu ad illa omnia; ac proinde vniuersus mundus efficaciter est volitus per illud decretum; caput enim & finis est conceptus respectiuus, quia alicuius debet esse caput, & finis tum quia causa vt sic, nequit attingi sine ordine ad effectum: ergo neque causa finalis attingi potest, vt sic, sine effectu, sed vniuersus mũdus est effectus causæ finalis Christi Domini & Virginis Deiparæ: ergo indirectè saltem vniuersus mundus attingebatur decreto illo, quo Christus Dominus & Virgo Deipara præfiniebantur: fieri enim non potest, vt medium attingatur, vt sic, sine fine; res autem omnes creatæ sunt medium, Christus vero Dominus & B. Virgo finis, ob quem omnia sunt condita. Hic velim animaduertas, dum dicimus primum Dei decretum attigisse Christum Redemptorem, id intelligendum de primo saltem negatiuè, ante quod aliud non sit, qua ratione loquuntur plures Theologi, quo minimè excludant aliquod aliud decretum simul cum illo existens: non autem repugnat idem Dei decretum formale habere plura motiua partialia, sicut in nobis id experimur; præcipuè quando attinguntur vt connexa, vt in nostro euentu: licèt enim aliqua ex illis obiectis sint ex se independentia, habent tamen connexionem extrinsecam ex parte Dei volentis illa ipsa existere, vt vnum dependeat ab alio, & non alio modo.

Omnium rerũ creaturum finis est Christus, & Maria.

Obiectabunt aliqui primo. Adamo in statu innocentiæ reuelatum fuit mysterium Incarnationis, eiusdémque aliquod motiuum, cum tamen non 176.
oportuerit in eo statu prænoscere remedium sui peccati, vt docet August. lib. 11. de Gen. ad literam cap. 18. ergo reuelatum est illi motiuum à peccato independens; idémq; dici posset de Angelo, cui hoc mysterium in via reuelatum fuit, vt plures Theologorum, ac Patrum tenent, cùm docent, huius mysterij occasione per superbiam, & inuidiam cecidisse Luciferum. Verum admitto id omne quod argumentum intendit. Quid inde? Licèt enim Adamo, & Angelis patefactum fuerit Incarnationis mysterium cum aliquo motiuo ex iam dictis, & remedium peccati eosdem celaretur, rectè potuit ipsis detegi aliquod motiuum, quod ratione sui non connecteretur cum peccati medicina; vt si illis manifesta fieret gratia, & gloria per Christum conferenda, non tamen passibilem, ac Redemptorem.

Obiicies secundo, si Christus Redemptor, & 177.
Virgo Deipara sunt primo decreti tanquam causa finalis rerum omnium: ergo si neuter existeret, neque mundus conderetur ex vi præsentis decreti, quod falsum videri debet; nam etsi Adamus non peccasset, gratia & iustitia originalis adhuc transfunderetur in posteros: ergo ex vi præsentis decreti, & pacti initi cum Adamo independenter à peccato futurus esset mundus, atqui non existente peccato, neque Christus, nec Virgo Deipara essent futuri, ergo licet neuter exsisteret, adhuc futurus esset mundus. Facilè tamen præcluditur obiectio, si asseramus mundum cum creaturis duplici decreto de facto à Deo esse volitum, altero efficaci, & absoluto propter Christi, & B. Virginis gloriam iuxta ea, quæ initio huius certaminis dicta sunt, ac proinde dependenter à præuisione peccati futuri; altero conditionato dependenter à carentia peccati. Quod duplex decretum deducitur ex dictis toto hoc certamine: deinde secundum

decretum deducitur vlterius ex pacto, quo gratia prima dilargita fuit Adamo, vt eam transfunderet in posteros, si Adamus constans in gratia persisteret. Ex quibus elicies, maiorem propositionem argumenti veram esse ex vi præsentis primi decreti absoluti; falsam vero ex vi secundi decreti conditionati.

178. Tertiò Argumentaberis; Angeli boni de facto prædestinati sunt ad gloriam independenter à peccato Adami; at Christus, & Virgo Deipara non fuerunt prædestinati independenter à peccato: ergo Christus Dominus & B. Virgo nō fuerunt prædestinati tanquam causa meritoria Angelorum. Verum falsum est Angelos de facto prædestinatos esse independenter à Christo Redemptore, & ab existentia, & fututitione B. Virginis; gratia siquidem, quæ exhibita fuit Angelis dependebat à Christo, & B. Virgine, quia in via in ipsos credidetunt, quo actu Angeli dispositi fuere ad gratiam, quam consecuti sunt: quare gratia, & gloria collata fuit ipsis dependenter à Christo, & Virgine Deipara. Si vero instes, sublato peccato, & non veniente Christo, nec B. Virgine, adhuc Angelos prędestinandos iri: Respondeo tunc assignandum aliud decretum conditionatum terminatum ad Angelos dependens à carentia peccati primi Parentis, & à carentia passionis Christi, vt supra monebamus de hominibus.

CERTAMEN V.

Prædestinatur Virgo Deipara ad gratiam, & gloriam, & ad dignitatem Matris Dei ante eius merita præuisa.

179. Controuersia hæc est de electione ad æternam gloriam, quæ dici solet gratia consummata; non de electione ad gratiam præcise, nam electionem istam præcurrere præuisioni meritorum compertū est, cum doceat vera fides aduersus Massilienses, non dari gratiam propter fidem, aut credendi volūtatem, aut aliquod aliud, quod ex parte hominis gratiam præcedat, sed solum ex libera Dei voluntate; cuius dogmatis vera ratio est, nam illud præuium, ratione cuius gratia conferretur esset supernaturale, aut naturale, neutrum autem dici potest; non supernaturale, quia hoc superat naturæ vires, atque adeo esset supra id, quod ipsi debetur, & per consequens erit gratia, ergo iam non præcederet gratiam: non esset naturale, hoc enim nullam habet proportionem cum bono supernaturali, qualis est gratia. Dum autem inquirimus, vtrum electio Deiparæ præcedat eius merita, sermo est de prioritate rationis, non de duratione reali; constat enim omnes actus Dei tum necessarios, tum liberos ab æternitate esse, siue tales liberi actus sint formalitates Deo intrinsecæ, siue formaliter consistant in terminationibus ad extrinseca, siue in quouis alio. Quam æternam existentiam electionis in Deo, & omnium actuum, qui Deo competūt omnino postulat Dei infinita perfectio, cui nulla denominatio potest aduenire in tempore, nisi quæ sumitur ex actuali effectione, & existentia creaturarum, vt docēt Theologi. Non autem vestigamus, an electio B. Virginis ad gloriam, & ad Maternitatem Dei præcedat scientiam simplicis intelligentiæ, cum enim hæc sit omnino necessaria, electio vero libera, certum est electionem liberam subsequi scientiam simplicis intelligentiæ. Nec sermo est de scientia conditionata; quia licet istius obiectum potuerit aliter se habere; tamen hæc scientia conditionata non est Deo libera: cum autē electio omnino libera sit, aperte illam subsequetur. Quocirca solum esse potest disceptatio, an electio præcedat præuisionem meritorum absolutam, quæ dici solet scientia Visionis: Nec item est quæstio an voluntas dandi gloriam sit prior voluntate dādi gratiam finalem; non enim vestigamus præcedentiam inter actus voluntatis, sed inter vnum actum voluntatis, & alterum intellectus. Secundò lis solum potest moueri, præcedat ne electio præscientiam meritorum, an eam sequatur, non autem an comitetur. Quia inter actus intellectus, & voluntatis præcipue circa obiecta inter se subordinata non potest esse simultanea actuum coexistentia, & concomitantia, at electio est voluntatis, præsciētia autē intellectus, ergo nequeūt actus cōcomitanter se habere. Titulus ergo præsentis certaminis maioris claritatis gratia ita proponi possent. An Deus efficaciter elegerit B. Virginē ad gloriam, & Maternitatem Dei prius ratione, an posterius, quam absolute præuidisset ipsius B. Virginis merita.

His prælibatis duplex est principalis sententia. 180.
Prima affirmat efficacem electionem ad gloriam (idemq; dicendum de dignitate Maternitatis Dei) esse ante merita B. Virginis absolute præuisa. Hanc sententiam amplectuntur plures ex Thomistis cū S.Th. Scotistæ cum Scoto in 1. dist. 41. q. 2. Abul. in Matth. 20. q. 25. Bellar. lib. 2. de gratia & libero arbitrio c. 15. Suar. to. 2. in 3. p. disp. 1. sect. 3. Ochā. in 1. dist. 41. Catharinus opusc. de Prædest. lib. 1. c. vlt. & lib. 3. c. 1. & 2. Herice disp. 23. & 24. à n. 36. Vbi docet Deum prælegisse B. Virginem ad tantam gloriam, vt præmium per merita comparandū, ipsi præparando auxilia congrua ab instanti sui conceptus vsq; ad finē vitæ ex vi illius præelectionis efficacis, qua voluit Deus non solum B. Virgini conferre gloriam, vt præmium per merita, sed etiam vt series illa meritorum nunquam interciperetur per aliquod peccatum: vnde B. Virgo sic efficaciter præelecta non solum fuit confirmata in gloria, sed etiam in gratia ex voluntate efficaci Dei conferendi auxilia congrua ad merita respondētia mensuræ tantæ gloriæ. Ex vi autem huius voluntatis efficacis Dei necessario Deus denegaturus erat concursum generalem ad peccandum; ex quo capite deducitur in B. Virgine impossibilitas ad peccandum, quæ tāquam in radice nititur decreto Dei prædefinitiuo conferendi gloriam B. Virgini per merita non interrupta per peccatum siue graue, siue leue: tunc autem B. Virgo sic pręelecta determinata fuit ad non amittendam gloriam, neque gratiam, ac proinde ad non eliciendū actum peccati grauis, vel leuis, imo neq; actū indifferentem, sed solum ad actus bonos morales, & meritorios; non fuit autem determinata ad hos actus, vel illos, neque secundū speciem, neque secundum intensionem, & alias circumstantias; solum ergo adstricta fuit ad eliciendos actus meritorios ex parte rei; at indifferens fuit ex parte modi: determinata item ad habenda merita in tanto valore, quæ responderent prædefinito gradui gratię & glorię. Hæc autē determinatio non obstat libertati B. Virginis, neq; libertas eiusdem in his actibus officere poterat efficaci electioni Dei; sicut in Christo D. cuius voluntas per Vnionem hypostaticam determinata erat ad actus bonos, & meritorios per decretū Dei efficax, & tamen Christi voluntas libere elicuit actus illos meritorios.

S. Thom. Scot. Abulens. Bellarm. Suar. Ocham. Cathar. Herice.

Secundus opinandi modus est prædictam gloriæ electionem in B. Virgine, & in reliquis prædesti- 181.

natis

natis esse posteriorem præuisione meritorum. Ita
Alb.Magn. in 1. dist.40. art.12. Alens.1. p. q.28.
Alb.Magn. membru 3. artic. 3. Guillelmus de Rubione in 1.
Alens. dist.41. q.1.art.1. Aloysius Turrianus opusculo de
Rubione. voluntate efficaci dandi gloriam dubit.9 Vasq. de
Ludou.Tur. Vaz. prædest.disp.89.cap.2.& tom.1.in 3. part.disp.23.
Becan. cap.6.Becanus 1. part. c.14. q.4. Moncæus disp.4.
Moncæus. cap.4. Quæ quidem sententia quoad eam partem
quæ docet electionem ad gloriam in reliquis prædestinatis, demptis Christo Domino & B.Virgine,
de quibus infra agendum; esse posteriorem præuisione meritorum, mihi est probabilissima, &
propugnatu dignissima, quia magis consona modo suauissimo agendi Dei cum creatura rationali,
tum excitandis quorumcumque hominum cordibus ad virtutum opera exequenda, & coërcendis
nostri temporis Hæreticis.

Quare censeo electionem ad gloriam in reli-
182. quis prædestinatis, dempto Christo & Maria, non
Electio ad gloriam in reliquis prædestinatis, dempto Christo, & Maria, non fuit prior præuisione meritorum. esse priorem præuisione meritorum, sed posteriorem: prætermissis autem pluribus sacræ Scripturæ
testimoniis, quæ videri possunt apud Leonardum
Lessius. Lessium disp.de prædest.probat.1. Equidem vt verum fatear, vnum Matthæi caput vigesimum quintum hanc veritatem illustrat quasi per gradus
quosdam; in prima quidem parte quasi auroræ
Luce subobscura; in secunda eadem veritas clarius
emicat; in tertia meridiana luce splendescit. Primo
ergo Christus inducit decem Virginum parabolam, & de prudentibus ait textus: *Venit sponsus, &*
Matth.25. *quæ paratæ erant intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua.* Videlicet imparatis. Vbi disquiro, cur prudentes admissæ? nisi quia paratæ; sicut aliæ exclusæ, quia imparatæ. Ideo subdit Christus: *Vigilate ergo, quia nescitis diem, neque horam.* Incipit autem immediate: potest Christus Dominus talentorum parabolam proponere. Cum
autem priores duo serui duplicatis talentis Domino occurrerent, vtrique dictum. *Euge serue bone, & fidelis &c.* Clarius hic adæquata ratio iam redditur; *quia in pauca fuisti fidelis.* Non quia ego
ante tuam fidelitatem absolute præuisam efficaciter decreui, vt in meum intrares gaudium; sic
enim iners seruus perpetuis addicitur tenebris,
quia ignauus fuit: sicut ergo inter homines nullus est, qui ante merita reipsa posita, velit efficaciter alicui præmium; sic nec Deus illud alicui
prædecernit efficaciter ante ipsius merita absolute
præuisa. Quibus parabolis, quasi præambulis,
viam sternit Dominus sequentibus verbis, quibus
sententiam pro iustis fert: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi*, id est ab æternitate: *esuriui enim, & dedistis mihi manducare &c.* Vbi vides tam gloriæ
Matth.25. 34. ab æterno præparatæ, quam in fine temporum
exhibitæ, vnam hanc assignari rationem, nempe
iustorum merita præuisa. Quod roboratur ea altera parte sententiæ, quam idem iudex in impios
pronunciat: *Discedite à me maledicti in ignem æternum: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare &c.* Ex quibus sic efformare libet argumentum: sicut redditur ratio, cur præparatum sit
malis supplicium; sic redditur ratio cur præparatum
sit iustis regnum, atqui reprobis non fuit præparatum supplicium ante præuisa demerita, sed post;
183. ergo nec iustis præmium, nisi post merita præuisa.

Occurrunt Aduersarij distinguentes duas in
Deo volitiones efficaces dilargiendi regum cœleste: vnam ordine intentionis, qua Deus efficaciter decreuit his gloriam impertiri, antequam
absolute videret in illis merita futura; alteram
vero per quam, visa in eisdem meritorum futuritione, rursus efficaciter decreuit eisdem gloriam
conferre propter merita iam præuisa; in locis autem adductis, & aliis, dicunt sermonem esse,
non de præparatione priori, & ordine intentionis; sed de posteriori, & ordine executionis. Infringitur tamen hæc distinctio, Primo, quia sicut
Christus Dominus ait electis: *Possidete regnum, esuriui enim &c.* Impiis autem sic interminat:
Discedite à me maledicti, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare. Sed in hac parte sententiæ redditur totalis ratio damnationis, nec
siletur aliquid pertinens ad ordinem intentionis,
ergó & in priori parte totalis redditur ratio, neque aliquid prætermittitur. Secundo, quia in præmiis quæ princeps humanus distribuit, talis locutio, & distinctio est inaudita, cur ergo in Deo illam
admittemus? præcipue cum Sacræ paginæ Deum
nobis proponāt instar Agonothetæ certamina proponentis, & victoribus præmia distribuentis.

Sed obiiciunt Aduersarij illud Christi testi- 184.
monium Ioann. 15. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos.* Ioan.15. Sed Pater dilexit, & elegit
Christum ante præuisa merita, ergo & reliquos,
qui gloriam consequuntur. Hoc tamen argumentum nimium probat, nempe prædestinatos
non esse electos ad gloriam, vt ad coronam: quare particula illa, *sicut*, non significat æqualitatem, sed varias analogias, inter quas vna est,
vt sicut Pater quamtumlibet dilexerit Christum,
voluerit tamen eum pati; sic etiam voluerit,
vt nos Christum in perpetiendis laboribus imitaremur. Cum autem ait Paul. ad Ephes.1. *Elegit* Ephes.1.
nos in ipso, scilicet Christo, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate, qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ. Certum est non agere de
electione mere liberali, & meritorum præuisionem antecedenti, vt liquet ex verbis illis, *Vt essemus sancti.* Etquidem ab initio illius capitis ad
medium totus est Paulus in gratiis Deo agendis,
quod Ephesios ad gratiam Euangelicam elegerit,
vocauerit, atque perduxerit, & in ejus beneficij
magnitudine commendanda. Vel etiam dicere
possumus, Paulum loqui de electione ad gratiam
Euangelij; vt exponunt Hieronymus, & August.
ad quam gratiam sine vllis meritis electi sumus,
quia prima saltem vocatio absque meritis fuit. De
quo videndus Cornelius à Lapide in prædictum
locum. Cætera autem testimonia ab aduersariis
adducta, vt suam suffulciant sententiam, faciliorem explicatum habent.

Nunc nostram assertionem plures ex sanctis PP. 185.
tutantur, quos referunt Salmeron in c.9. epist.ad Salm.
Rom. & in 1. ad Ephes. Toletus, & Iustinianus Tolet.
ibidem. Vasq. de prædest. disp.89.cap.3. Moncæus Vaz. Moncæus
disp.4.c.4. Nos solum vnum, aut alterum producemus. Ambr.
Audiamus Ambr. lib.5.de fide cap.2. in illud
Pauli ad Rom. 8. *Quos præsciuit, & prædestinauit. Non tamen subdit Ambrosius, ante prædestinauit, quam præsciret; sed quorum merita præsciuit, eorum præmia prædestinauit.* Vbi perspicue negat
Ambrosius electionem ad præmium esse præuisis
meritis priorem, & affirmat esse posteriorem. Idemque sanctus Doctor in expositione Pauli, quæ habetur tom.5. suorum operum, explanans eundem
Pauli locum sic habet: *Quos præsciuit futuros sibi deuotos, ipsos elegit ad promissa præmia capessenda:* in

quibus verbis in eadem perſiſtit ſententia. Libet etiã rationibus idem aſſertum ſtabilire. Primo quia conuenientius dicitur decretum efficax dandi gloriam, fuiſſe ſolum eo modo, qui nobis ex ſcriptura ſacra, & Patribus conſtat; at ex ſcriptura, & Patribus ſolum conſtat, eos qui gloriam, vt coronam aſſequuntur electos eſſe ad illam poſt præuiſa merita: ergo conuenientius dicitur decretum efficax dandi gloriam eſſe ſolum poſt præuiſa merita. Illatio eſt legitima, & vtraque præmiſſa ex dictis apparet.

186. Secunda ratio, quamuis Deus poſſet eligere cunctos homines ad gloriam, prius ratione quam in eis merita, vel demerita præuideret; tamen quoſdam ſic elegiſſe, non eligendo alios, incredibile apparet; ſi enim quidam hoc modo fuiſſent electi, cæteri ex vi iſtius electionis excluſi eſſent procul dubio à gloria ante præuiſa demerita, quod dicere nefas eſt, ergo neque illud. Aſſumptum oſtenditur, quia per illam electionem dicuntur ſeligi creaturæ rationales, ex quibus Deus vult cœleſtẽ ciuitatem conſtare, nec plures, nec pauciores, ſicut ſeliguntur tot lapides ad ædificium, tot conuiuæ ad prandium. At hoc ipſo cæteros poſitiue excludi quiſque perſpicit. Nam in primis poſitiue excluduntur à numero electorum, fatentur enim Aduerſarij Deum ante præuiſa illorum demerita, hunc habere actum efficacem, nolo iſtos ad meam gloriam eligere: ſic autem poſitiue eos à gloria excludi, patet primo aduerſus eos, qui docent, electionem diuinam eſſe neceſſariam ex parte effectus ad gloriæ aſſecutionem; cùm ergo reprobis ante præuiſa eorum demerita negetur poſitiue electio ad gloriam, præcluditur omnino aditus ad illam. Secundo patet, nam poſita illa quorundam electione, & aliorum poſitiua non electione, veluti inſidiabitur Deus ſaluti relictorum, illiſq; eo fine auxilia inefficacia procurabit, vt effectum non ſortiantur, ne ſcilicet in gratia decedant, & ſuperent numerum ab ipſo electorum. Inde enim fieret, vt poſita quorundam electione, & negata aliorum electione, ſtatim illis omnibus, quibus negata eſt electio decernerentur tales auxiliorum ſeries, in quibus nullus eorum cum gratia deceſſurus eſſet: Nonne Deus conſulto id faceret, nequis à ſe non electus ſalutem conſequeretur?

187. Quod ſi reſpondeas, Deum quidem velle quoſdam eligere, & alios non eligere, non tamen velle, vt iſti non aſſequantur gloriam, ac proinde non illis procurare auxilia, vt inefficacia, eo animo vt inefficacia ſint ad gloriæ aſſecutionem, ſed ſolum quia Dominus eſt ſuorum bonorum, & poteſt ea pro libito diſtribuere. Hanc tamen reſponſionem ſic impugno; quia iſti ipſi qui electi ſunt ad tantam gloriam, haberent finalem gratiam pari prorſus gloria dignam, ſi conſtituerentur in aliis, & aliis infinitis ordinibus, in quibus plurimi non electorum finalem etiam gratiam haberent; vnde ergo oritur, vt Deus cunctos iſtos infinitos ordines declinet, eumque ſolum eligat, in quo electos ſaluandos, & non electos non ſaluandos eſſe prænouit, niſi quia contendit, nequis à ſe non electus gloriam aſſequatur. Deinde impugnatur eadem reſponſio: aut electio Iudæ ad gloriam ante meritorum præuiſionem eſt ad ſalutem Iudæ æternam, neceſſario prærequiſita ex parte Dei, ſcilicet vt Deus perfectiſſime operetur; vel non eſt neceſſaria: ſi hoc ſecundum, cum alioquin ex parte effectus neceſſaria non ſit, vt oſtendimus; qua ratione oſtendent Aduerſarij ſimilem electionem de facto conſtituendam? Si autem ex parte Dei prærequiritur, ergo cum Deus ante præuiſum Iudæ demeritum efficaciter decernat eum non eligere, ſane vel ſe exponit periculo agendi cum imperfectione, nempe dandi Iudæ gloriam ſine electione ante præuiſa merita, vel ſibi neceſſitatem imponit efficaciter impediendi, & nullo modo permittendi, vt Iudas gloriam finaliter mereatur, ne ſcilicet Deus imperfectionem illam incurrat: ac proinde Iudam ante præuiſa demerita poſitiue excludit à ſua gloria.

Tertiò noſtrum probatur aſſertum: decretum diuinum efficax beandi D. Petrum non fuit voluntas de conferenda Dei Viſione in cõmuni, nẽpe ſecũdum ſolam rationẽ cõmunem Viſionis; nec fuit voluntas de conferenda Viſione vage, & diſiunctim, nẽpe hac vel illa, ſed de cõferenda hac numero Viſione; ſed hæc numero Viſio decerni nõ poteſt ante præuiſionem meritorum S. Petri, ergo decreta non fuit ante præuiſionẽ meritorum. Major propoſitio conceditur ab aduerſariis, & in ſimili probata manet in ſuperioribus. Minor vero oſtenditur, quia hæc numero Viſio habet pro obiectis in Deo viſis actus D. Petri nobiliſſimos, nempe martyrium tali tempore, & loco pro Chriſti fide ſuſceptum; nam quilibet Beatus ex vi Viſionis intuitiuè videt creaturas illas, quæ ad ſuum ſtatum in ingreſſu beatitudinis maxime pertinent. De quo videndus Suar. 1. p. tract. 1. lib. 2. c. 28. Granado de Viſione Dei tract. 6. diſp. 1. ſect. 8. & 9. Inter eas autem creaturas, quas Beati ſic intuentur, numerantur illæ, quæ ad cuiuſque Beati curam, decus, & honorem maxime ſpectant, ſcilicet grauiſſimi labores exantlati, & actus nobiliſſimi, quibus ſuam quiſque gloriam promeritus eſt: huius autem rei ratio ea eſt, nam ſi Princeps Apoſtolorum in ingreſſu beatitudinis conſpexit ſtatum totius Eccleſiæ tunc militantis, eo quod ad ſuam curam, & honorem ille ſtatus pertinebat, quis neget vidiſſe ſuũ martyrium, cum ad illius decus & gloriam magis pertineret ſpectatio ſui nobiliſſimi agonis & triũphi, quam ſpectatio martyrij Stephani. Ex quo fit decretũ dandi D. Petro hãc Viſionem, eſſe decretum, vt Petrus in Deo videat hos actus ſuos meritorios, vt tali tempore, & loco exiſtentes; ergo antequam iſti actus futuri eſſent exiſtentes pro tali tempore, & loco, non potuit à Deo decerni Viſio ipſorum, vt ſic exiſtentium, patet conſequentia: nam obiectum cognitionis, vt obiectum ipſius eſt, præcedit ratione ipſam cognitionem, ergo cum Viſio Petrum beans habeat pro obiecto ipſos actus Petri meritorios, vt tali tẽpore exiſtentes, ſane in ſigno illo quo decernitur, ſupponit eos vt tali tempore exiſtentes. Roboratur amplius hæc ratio, poſito enim hoc decreto huius Viſionis, antequam vllum aliud ſequatur, intelligitur hæc Viſio vt pro tali tempore exiſtens, & terminata ad tale obiectum vt exiſtens, ergo tale obiectum intelligitur, vt præexiſtens, non vi decreti decernentis Viſionem; tum quia illud formaliter, & in recto non eſt decretum niſi Viſionis; tum quia ſicut obiectũ vt exiſtens eſt prius Viſione ſui vt talis, ſic decretum obiecti vt exiſtentis ſupponi debet ante decretum Viſionis, ergo intelligitur vt exiſtens illud obiectum ex vi alterius decreti præexiſtentis, ac proinde merita D. Petri futura præcedant decretum efficax conferendi D. Petro hanc Viſionem. In quolibet ergo ſigno concipiatur hæc Viſio, concipi debet vt poſterior obiecto, ergo in quolibet ſigno decernatur debet ſupponere decretũ aliud de obiecto. Et quidẽ conuenientius eſt ipſis naturis rerum, vt prius ſit decretũ obiecti decreto Viſionis; cum inter decreta diuina de rebus 188.

Decretum efficax beandi D. Petrum nõ fuit voluntas de conferenda Dei Viſione in communi, vel vage, & diſiunctim, ſed de conferenda hac numero Viſione.

Suar. Granad.

ſub

subordinatis idem sit ordo virtualis, qui inter res ipsas formalis est.

189. Aliqui ex Aduersariis, vt vim huius argumenti elidant, supponont primo, creaturas vt existentes non videri à Beatis in Dei omnipotentia, sed io aliqua ratione Deo libera, vt in scientia Visionis. Secundo scientiam Visionis constare variis repræsentationibus formalibus virtute distinctis inter se pro distinctione obiectorum. Tertio prædictas repræsentationes formales ita esse necessario in Deo, vt non intelligantur ei tribuere proprium effectum formalem, seu reddere Deum formaliter cognoscentem talia obiecta, quousque sint futura ex vi decreti diuini; nam Deus de facto habet plures repræsentationes formales creaturarum, quæ futuræ essent in alio ordine rerum, si eum Deus elegisset; & tamen nunc per eas repræsentationes non cognoscit creaturas illas vt futuras, nam noo stante futuritionis decreto, futuræ non sunt; si autem Deus decreuisset eas creaturas producere, cognosceret eas per easdem repræsentationes sine vllo additamento, quia iam ex vi decreti diuini tales creaturæ futuritionem sortirentur. Quibus præmissis respondent, absolute decretam fuisse D. Petro in primo signo prædestinationis hanc numero Visionem, quam de facto habet, ita tamen vt in illo primo signo non intelligeretur terminata ad hos actus Petri secundum existentiam eorum futuram, sed in alio signo posteriori, in quo iam præuidit Deus illos absolute futuros, quia licet in primo signo decreta fuerit Petro hæc Visio, vt terminata ad has repræsentationes formales meritorum ipsius, tamen sicut istæ repræsentationes in illo signo nequeunt reddere Deum formaliter cognoscentem talia merita vt futura, quia nondum supponuntur futura ex vi decreti diuini, ita pro illo signo non sunt medium sufficiens, in quo cognito per Visionem Petri videantur eius merita vt futura; quia tamen in alio signo posteriori iam futura sunt, in eo signo cognoscuntur à Deo formaliter vt futura per illas repræsentationes; & illæ sunt mediom sufficiens, in quo per eandem Visionem cognoscantur merita Petri vt futura. Quod illustrari potest exemplo; si Deus alicui Beato concederet Visionem, qua videret repræsentationem formalem scientiæ Visionis alicuius creaturæ, quæ futura esset in alio ordine rerum, quem Deus decernere potuisset, talis Beatus per eam Visionem, non videret eam creaturam vt futuram, qoia ipsa futura non est: at si tali Visione posita in Beato, decerneret Deus per impossibile, producere talem creaturam in hoc ordine rerum, iam tunc ille Beatus per eandem Visionem intrinsece inuariatam, videret eam creaturam vt futuram, vnde licet in primo signo, quo prædestinatus est Petrus, non intelligatur per Visionem Beatam sibi decretam, vidisse sua merita vt futura, in alio tamen posteriori signo recte intelligitur illa vidisse per eandem Visionem, quia tunc iam erant futura ex vi decreti diuini, & ex parte Visionis, & medij, nihil derat ad illa videnda.

190. Hæc tamen licet subtilius fuerit excogitata; contra tamen primo, nam quod hæc visio exprimat hanc rem vt futuram, non est extrinseca denominatio in hac Visione, sed ipsissima eius entitas, ergo si in primo signo decernitur Petro hæc Visio, decernitur vtique, vt exprimat hanc rem vt futuram, quia repræsentare hanc rem vt futuram, est effectus formalis huius Visionis; sed in posteriori signo non intelligitur aduenire noua forma partialis, aut totalis, nec noua informatio, nec nouus influxus actiuus, vel passiuus huius potentiæ, ergo si in primo signo non intelligebatur hæc Visio repræsentare hanc rem vt futuram, neque in secundo intelligi potest. Quod si dicas; formalitas scientiæ Visionis diuinæ non intelligitur in primo signo terminari ad hanc rem vt futuram; & in posteriori signo intelligitur terminari sine augmento nouæ formalitatis, ob solam existentiam noui decreti; ergo similiter dici potest de Visiooe D. Petri. Cœterum cum antecedens sit vnum ex imperceptibilibus diuinitatis mysteriis, etiam si aliqua esset rationis similitudo, nullo modo illatio admittenda esset, nec abstrusum hoc mysterium in res creatas deriuare. Licet enim Deus in primo signo æternitatis intelligatur amare necessario seipsum, & omnia possibilia propter se ipsum, & postea sine formalitate nnuitus adueniente intelligatur etiam libere propter seipsum velle Petrum existentem; non ideo concedemus fieri posse, vt Petrus in quodam signo amet seipsum, & cunctos actus sibi possibiles propter seipsum, & in signo sequenti sine accessione nouæ formalitatis amoris, propter seipsum amet hos, & illos actus vt existentes.

Restat nunc aliquibus contrariæ factionis argumentis occurrere. Primum est; nihil est in illa cœlesti vrbe, nisi efficaciter à Deo præintentum: ergo ciues omnes ante omnem præuisionem meritorum iam erant efficaciter electi; præsertim cum tota Dei gubernatio eò tendat, vt illa ciuitas in hoc mensura, numero, & pondere compleatur, vnde completo electorum numero cessabunt generationes; ergo signum est hunc numerum fuisse à Deo efficaciter præintentum. Sed occurro distinguens antecedens; nihil esse debet nisi efficaciter à Deo præintentum antequam sit, aut futurum sit, concedo; antequam meritum eius futurum sit, falsum est; nec item est verum talem Dei gubernationem eo dumtaxat tendere, vt compleatur prædestinatorum numerus, nam si completo isto, nondum extiterint aliqui reproborum, progredientur generationes, quia Deus voluit tot homines condere, & illis exhibere auxilia sufficientia. 191.

Secundò argumentantur alij: voluntas finis prior est electione mediorum: sed Beatitudo est finis, quem Deus intendit, & ad quem eligit merita tanquam media: ergo in Deo voluntas dandi gloriam prior est electione, atque adeo & præuisione meritorum. Totus syllogismus verus est; iam enim præcedit voluntas simplex dandi gloriam, licet conditionata, & inefficax. Instant; electioni efficaci debet præire intentio efficax: sed in Deo est voluntas efficax, seu electio meritorum vt mediorum: ergo hanc præcedere debet intentio efficax gloriæ. Hæc tamen instantia probat non potuisse Deum velle efficaciter dare gloriam, nisi efficaciter electis ante meritorum præuisionē; & proinde cunctos, qui damnantur, fuisse efficaciter exclusos à gloria ante demeritorum præuisionem, cū ante hanc sit illis efficaciter negata illa efficax electio. Quare respondeo cum Moneæo, Vaz. Lessio, Herice & aliis: in eo qui vult sibi consequi finem debere præcedere efficacem eius intentionem electioni efficaci mediorum, non tamen in eo, qui finem alteri proponit consequendum; discrimen est, quia finis quem aliquis sibi proponit consequendum, exempli gratia, æternum præmium, cum eius proprie intersit, & in eius libera sit volun- 192.

tate illud efficaciter procurare, & efficacitas mediorum ab ipsu pendeat; in eo prærequiritur efficax voluntas, vt efficaciter imperet, & exequatur electionem mediorum, qua efficaciter imperata, & executioni mandata, finis infallibiliter sequitur. Secus est in eo, qui finem alteri proponit, eiusque assecutionem determinationi ipsius permittit; vt si humanus Princeps, qui certantibus præmia proponit, & media omnibus exhibet, quæ physice spectata sunt ad victoriam aptissima, in quo principe ante præuisam victoriam solum est simpliciter voluntas dandi præmium huic, aut alteri, cum ipse nondum decernat efficaciter, vt aliquis decertet, nedum vt hic, vel ille præmium consequatur.

193. Tertiò, insurgunt Aduersarij, nempe fieri ex nostra assertione, discretionem prædestinatorum à reprobis, incipere à libertate eorum. Probatur, quia non discernitor Augustinus à Manichæo per efficacem Dei electionem, circa Augustinum, visis meritis priorem, hanc enim negamus; nec discernitur per voluntatem simplicem, qua Deus vult omnes homines saluari, quia per eandem voluntatem eodem simplici modo respiciuntur Augustinus, & Manichæus: nec discernitur per voluntatem conferendi auxilia intensiora, aut quolibet modo physicè perfectiora; nam forsan diuina voluntas respectu Manichæi decreuit auxilia physicè perfectiora, quam Augustino; & quidem negari non potest, quin multis reprobis decreuerit Deus physicè intensiora, & perfectiora auxilia, quam pluribus prædestinatis; si ergo post voluntatem conferendi Augustino hæc auxilia, quæ de facto contulit, discernitur Augustinus à Manichæo, nam iam est perseueraturus, est autem perseueraturus per determinationem eiusmodi auxiliorum ab ipso liberè faciendam: ergo fit ex nostra sententia, prædestinatos per seipsos primo discerni à reprobis, & ex consequenti iam prædestinatio incipiet ab ipsorum prædestinatorum consensu. Occurrendum tamen est huic obiectioni discretionem prædestinatorum à reprobis à Deo incipere, quia vult ea auxilia exhibere prædestinatis eo tempore, & loco, quibus scit per scientiam mediam prædestinatos illis auxiliis rectè vsuros.

194. Nunc censeo 2. B. Virginem Deiparam electam fuisse ad maternitatem Dei, & ad eximiam gratiam electione formali antè præuisa merita, & electione virtuali ad eximiam gloriam ante eiusdem merita præuisa. Ita Lessius disp. de prædestin. sect. 5. n. 56. Herice disp. 23. c. 23. & disp. 24. cap. 3. Bernal. tract. manuscripto de Prædest. Suadetur primo, quia eius priuilegia modum omnem superant, & ad nullum alium sunt extendenda, vt ex professo infra ostendemus peculiari certamine. 2. Vt similis in hoc priuilegio, sicut in aliis pluribus euaderet filio; sicut ergo Christus Dominus ante præuisionem omnem meritorum, electus est ad gratiam Vnionis, & diuinæ filiationis; ita & B. Virgo ad gratiam eximiam maternitatis Dei, & consequenter ad gloriam. Quæ quidem sententia & probabilissima est, & propugnatu dignissima. Ratio autem à priori est diuina voluntas, per quā voluit Christo Domino, & B. Virgini Deus antè præuisa merita efficaciter decernere filiationem Dei ipsi Christo, & maternitatem Dei ipsi Virgini Mariæ: sicut ergo Humanitas Christi Domini electa fuit ante præuisa merita ad vnionem Hypostaticam, & consequenter ad gloriam: ita B. Virgo ad Maternitatem Dei, & ad eximiam gratiam, qua eam insigniuit, ac cumulauit, & consequenter ad gloriam præelecta fuit à Deo ante eius merita præuisa. 3. Quia B. Virgo fuit ante omnia merita vocatione quadam præuenta, & gratia quadam singularissima, quæ proculdubio ex speciali illius præelectione processit: ergo iam illa præelectio antecessit omnia ipsius merita, imò fuit causa ipsorum meritorum. Et roborari potest, quia per illam speciale gratiam iam prædestinabatur B. Virgo, vt congrue, vel condignè disponeretur ad concipiendum Deum: ergo illa singularis gratia, iam supponebat electionem ad tantum munus: ergo hæc electio non cecidit sub meritum, sed potius ipsum meritum ab illa ortum duxit: Quod luculenter tradunt sancti Patres dum aiunt Verbum diuinum Matrem sibi selegisse, eamque sola sua voluntate prædestinasse. Ita D. Aug. de peccatorum remiss. lib. 2. c. 25. Bern. hom. 2. in *Missus est*, Cyprianus serm. de Natinit. Christi.

Maria Virgo electa fuit ad maternitatem Dei, & ad eximiam gratiam electione formali ante ipsius merita præuisa, & electione virtuali ad tantam gloriam. Lessius. Herice. Bernal. August. Bern. Cypr.

195. Sed ex hic dictis inferri videtur absurdum; si enim B. Virgo efficaciter præelecta fuit ad eximiā gratiam, & ex consequenti ad gloriam ante præuisa merita: ergo postea in executione liberaliter donanda est, atque independenter à meritis. Sed distinguendum est antecedens; aliud enim est decernere efficaciter conferre gloriam independenter à meritis; aliud decernere efficaciter conferre gloriā vt coronā per merita, vt ex hoc decreto iam incipiat esse futura, tū gloria, tum merita; cùm ergo primo modo Deus decernit dare gloriam liberali donatione, nequit postea in executione voluntate remuneratoria largiri. At secundo modo nihil est incommodi, Deum simul indiuisibili actu gloriam exhibere vt coronam per merita. Solum ergo fit ex hoc decreto B. Virginem sic præelectam non esse liberam ad amittendam gratiam per peccatū, non autem præcluditur via meritis. Quod dupliciter defendi potest. Primò, si Deus Maternitatem Dei exambiret Virgini Mariæ, non tamen voluntate absoluta, sed conditinnali, efficaci tamen ex parte Dei; vt si Deus apud se ita cogitaret; si hanc Virginem præ reliquis fœminis, eximiis naturæ donis insigniuero, quibus liberè, & iuxta rectum rationis præscriptum vsa fuerit, si in prima ipsius formatione gratiam illi, & auxilia exhibuero, quibus eius liberum arbitrium præuentum, & excitatum, iam in primo sui conceptus momento mei amore exarserit, ac per reliquum vitæ tempus præcelleuti sanctitate floruerit, ac Gabrieli in Incarnationem assensum præbuerit, ex nunc efficaciter destino ipsam in Verbi Dei Genitricem, in eximię gratię portionē & ex consequenti ad tantam gloriam eueho. Qua posita voluntate antecedenti efficaci ex parte Dei, conditionata tamen ex parte obiecti, absolutè decreuit Deus B. Virginem omnium naturalium donorum supellectili exornare, innocentia, & sanctitate originali munire, eidemque specialissima auxilia conferre, quibus in dies omnium virtutum exercitamento proficeret, ac Maternitatis Dei dignitatem sibi meritis nanciscetetur; cuius meritis prçuisis decreuit apud se Deus B. Virgini absoluta, & efficaci voluntate Dei Maternitatem dilargiri, & ad tam præcellentem gratiam euehere. Ex quo pronum est deducere quo pacto prima Virginis Deiparæ formatio ex Dei ordinatione ad Dei Maternitatem destinari potuerit: tum etiam qua ratione dignitas Maternitatis, quæ temporis decursu ipsi B. Virgini demandanda erat propter eius merita præuisa, iam tunc à primo formationis momento, ipsam B. Virginem tanto decoramento

Maria iam à primo sui conceptus instanti maternitatis honore, ac iuribus gauisa fuit.

mento insignierit, vt illius dignitatis honore, ac iuribus, a primo illo conditionis instanti gauisam fuisse credendum sit.

196. Salaz. Secundo modo id ipsum defendi posset ex Salaz. de Concept. cap. 23. ita vt Deus in eodem signo quo præuidit Adæ peccatum, omniumque posteriorum infectionem, Christi Domini Incarnationem in peccati remedium efficaciter decreuerit, cuius meritis præuisis, ac reiectis reliquis omnibus fœminis Adæ macula infectis, decreuit nouam fœminam, alioquin nullo pacto in rerum natura futuram filio in Matrem efformare, & ad tam eximiam gratiam prouehere, & ex consequenti ad illiud gloriæ fastigium illi gratiæ respondens, dependenter tamen à Christi meritis, & ipsius B. Virginis; quia statuit Deus ipsi Virgini conferre Maternitatis decus, gratiamque illam eximiam, ac gloriam tanquam coronam propter merita; ideoque sanctitate, & iustitia originali, vberrimis etiã gratiæ subsidiis illam cumulare statuebat, quibus tantæ dignitatis decus suis meritis sibi adsciscere t. Ea igitur ratione, qua id Deus apud se statuit, ita opere, & executione compleuit, & B. Virgo in prima sui præfinitione à reliqua fœminarum turba selecta, ac seiuncta fuit, scilicet ab his, quæ simul in eodem signo cum ipsa aliquando futuræ erant per electionem ad iustitiam originalem, & ad Maternitatis Dei decus secernebatur; ab illis verò, quæ solum intra possibilitatis statum latitabant, solum per futuritionem discriminabatur. Quocirca iure quidem optimo sola B. Virgo præ omnibus aliis iure Maternitatis Dei aggaudebat; & à puncto sui conceptus iam Maternitatem quasi in radice sortita fuit. Quo forsan Isai. 11. respexit dum ait: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quæ hæc virga, nisi Virgo B. quisnam flos, nisi Christus Dominus. Nonne flores ex ramis erumpunt? cur modo ex radice solui dicuntur? Nempe vt intelligeremus Maternitatis Dei decus à radice prima, hoc est à primo suæ conditionis instanti insurgere cœpisse; ac proinde à suo conceptu virgineo tantæ dignitatis priuilegiis, ac prærogatiuis B. Virginem fuisse gauisam. Cumque sæculorum generauerit authorem, eiusque filius Deus esset, antequam prodiret ex illa, ab æternitate existens iam Virgo Deipara ad illum ordinem dicere potuit, vt mater ad filium, & ipse Dei filius iam Matrem suam respicere, & ad eam referri vicissim exambibat.

Isai. 11.

CERTAMEN VI.

B. Virgo prius destinatur ad Matrem Dei, quam ad tantam gratiam, & gloriam.

197. TAmetsi ex præcedentibus certaminibus hæc disceptatio facilè decidi possit, hoc tamen speciali certamine eam exagitandam suscipio, ex eius enim decisione feracissimus Marianorum priuilegiorum campus aperitur. Optimæ igitur rationi valde conforme, & Sanctorum Patrum placitis consonum esse semper existimaui cum Suar. tom. 2. in 3. part. disp. 1. sect. 3. §. *secundò dicitur*. Beatissimam Virginem, prius à Deo fuisse præfinitam ad Maternitatis Dei dignitatem, quem ad tantam gratiæ, & gloriæ portionem. Ideo enim B. Virgo ad tantam gratiam euecta fuit, & tantæ gloriæ fastigium attigit, quia in Matrem Dei prius præelecta fuit; nam executionis ordo ordinem intentionis propalat, vt latè differit Euerardus in sua Centuria, in loco, à virtute finis; atqui tanta gratiæ, & gloriæ portio exhibita fuit B. Virgini, vt ea animi, & corporis dispositione eluceret, quæ tantam Dei Matrem condecebat: ergo ex eo in tam eximiam gratiam, ac gloriam fuit præfinita, quia scilicet in Matrem Dei destinata fuit. Quod perspicuè tradidit S. Bernardinus serm. 51. c. 4. inquiens: *Tu ante omnem creaturam in mente Dei prædestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem procreares.* Et ex eo roborari potest, quia cum omnia B. Virginis priuilegia, quibus à Deo cohonestata fuit, cunctarumque virtutum supellex, qua condecorata, omnique gratiarum, ac donorum pompa, qua præ aliis creaturis exornata splendescit, in eum vnicum finem ipsi collata fuerint, vt digne ad tantum Maternitatis Dei decus conscenderet; rationi profecto consentaneum fuit, vt electio debitum seruaret ordinem, vt finis prius præfiniretur, quam media, quæ ad talis finis assecutionem præstruebãtur.

Suar. *Maria prius præfinitur ad Maternitatẽ, Dei quam ad tantam gratiam, & gloriam.*

Euerard.

Bernardin.

198. Quin potius nisi prius Virgo B. ad Matrem Dei præfiniretur, nihil magnum, nihil illustre, & sublime de tanta Virgine efferretur: vnica enim causa, propter quam tot tantaque priuilegia in B. Virginem Patres, ac Doctores accumulant, vtique sola est in Dei Matrem electio, ob quam etiam immunitas ab originali noxa ipsi attribuitur: si autem dixerimus, prius ad gratiam, & gloriam, deinde in Dei Matrem fuisse præelectam: ergo prima sanctificatio, & immunitas ab originaria labe non ideo illi exhibita fuit, quia futura erat Mater Dei, nondum enim Mater Dei futura præuidebatur, quo ergo titulo illam Deus à communi lege reliquorum hominum exemit; satius ergo est affirmare, Virginem Deiparam prius in Matrem Dei fuisse præelectam, ac proinde immunitatem à peccato originali ipsi delatam, & reliqua priuilegia, gratiarumque dona congesta. Imò ex præfinitione dignitatis Matris Dei, dona cuncta, etiam naturalia, quibus Deipara reliquas omnes creaturas antecellit, ipsi exhibita fuere; videlicet eximia corporis pulchritudo, ac valetudo corporis præstantissima ex aptissima primarum qualitatum temperie, reliquorumque humorum concordia consurgens, vitium integritas, animi robur, sensuum perspicacia, intellectus acumen, ac cæterarum potentiarum præstantia: nihil enim ex his, quæ ad præstantissimam indolem, vel ad absolutissimam perfectionem, tum animi, tum corporis conducere poterat, in tanta Virgine defuit. Quæ omnia tanquã riuuli ex fonte, videlicet Dei Maternitate promanarunt; hæc enim cuncta prærogatiuarum priuilegia tantam Matrem condecebant. Præcessit ergo in Deo præfinitio B. Virginis in Matrem Dei, ex qua electione dona omnia supernaturalia, & naturalia, generatio eiusdem B. Virginis, eius substantia, animæ creatio, ac corporis compositio deriuata est. Primum ergo Deus ex Virgine nasci decreuit, ex qua intentione Deus iam Mariæ existentiam præfiniuit, ingentibus donorum supernaturalium thesauris cumulatam, tali animi, & corporis præstantia, quæ absolutissimam temperiem, pulchritudinem, ac nobilissimas alias qualitates secum afferret.

199. Salaz. Sed insurgit aduersus præsentem thesim Salaz. de Concept. cap. 6. num. 6. Hinc sequi duo perabsurda incommoda. Alterum est Christum Dominum eam Mariæ electionem in Matrem suis meritis nequaquam obtinuisse, quod & falsum est, & aliqua censura inurendum: si enim electionem

illam efficacem ad Maternitatem Dei, & ad gratiam, & gloriam, quæ non potest non effectum sortiri, Christi meritis subtrahere liceret, vix B. Virgo aliquid illis se debere existimaret; siquidem illa voluntas efficax, licet Christi nulla merita intercederent, vtcumqoe tamen suum sortiretur effectum. Quod autem ex nostra sententia illud sequatur incommodum, probatur, quia si electio Virginis B. efficax ad Maternitarem Dei, constituatur ante præuisionem gratiæ, & gloriæ eiusdem Virginis, necessariò talis electio præcedere deberet merita Christi passibilis: ergo fateri oportet B. Virginem absolutè sine Christi meritis ex Dei liberalitate præelectam fuisse, & euectam ad maternitatis Dei decus. Nec satisfacit Suar. lib. 2. de causa Prædest. c. 24. dum ait, B. Virginis electinnem in eo signo factam propter merita Christi in vniuersum præuisa neque includēdn, neque excludēdo passionem, solum quatenus esse possuot in quolibet opete talis personæ: vel vt aliter docet, præfata merita præuisa fuisse, vt innixa eximio Christi amore, qui amor in carne passibiii haberi poterat, per quem de facto Christus nobis promeruit, & non tantum per opera passionis, licet per hæc fuerit redemptio consummata. Vtraque tamen responsio displicet, & rectè ab eodem Salaz. refellitur. Prima, quia, vt in certamine 2. & 3. huius Palestræ ostendimus, Deus Christi merita in communi nequaqnam attigit, dedecet enim diuinæ cognitionis perfectionem imperfectus hic cognoscendi modus, sed cognoscit res omnes singillatim, vt in se sunt; cognitio enim abstractiua rerum vniuersalium ex imperfectione oritur nostri intellectus, vnde in diuinam cognitionem recidere nequit; sicut ergo nulla fuerunt Christi merita reapse, quæ à Christo passibili præscinderentur; ita neque intellectus diuinus illa potuit attingere: neque eius voluntas illis excitari ad aliquid efficaciter eligendum. Secunda similiter deficit, quia nullum extitit Christi meritum, quod Christi passione non fuerit perfectum, & consummatum, attestante Pauln ad Hebr. 10. *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.*

Suar.

Hebr. 10.

200. Alterum absurdum, quod ex nostra thesi inferri obiicit Salaz. est, ipsam B. Virginem sibi Matris dignitatem minimè promereri potuisse; si enim B. Virgo prius efficaciter In Matrem Dei ab ipso Deo præelecta fuit, antequam ad gratiam, & gloriam: ergo ante eius merita præuisa: ergo non potuit illa dignitas per merita nancisci, vt probat Vasquez tom. 1. in 1. part. disp. 91. & disp. 89. cap. 9. n. 82. Vbi reprobat eorum sententiam, qui adstruunt B. Virginem prius fuisse electam, vt esset Mater Dei, quam eius merita præscirentur, si semel admittamus, hanc dignitatem meritis obtinuisse, vt omnes fatentur. Neque obstat, addit Vasquez modus ille loquendi: Christus præfinitus est, vt sanctificaremur, & glorificaremur; & B. Virgo sanctificata fuit, vt esset Mater Dei, vbi particula, vt, innuit causam finalem, quæ in intentione prior esse debet; nam cum finis sit comparandus in reipsa propter merita, & donatio in tempore facienda sit dependenter ab ipsis, solum finis erit volitus prius ordine intentionis voluntate simplicis affectos, & inefficaci, quia ille, qui alteri talem finem optat, illum solum proponit sub conditione, si bonis operibus illum promereatur; & sicut in reipsa finem illum nemo consequetur, nisi ex meritis; sic etiam in sua præfinitione Deus nunquam efficaci decreto dare decernit, nisi per merita.

Vasq.

Verum vno ictu vtrumque incommodum transfossum corruet; si dixerimus Deum efficaciter decreuisse largiri huic Virgini præ aliis Maternitatis Dei munus, sed haudquaquam independenter à meritis. Itaque efficaciter statuit Deus euehere B. Virginem ad Maternitatis Dei dignitatem, non liberali donatione largiendam, sed tanquam coronam suis meritis acquirendam: ita vt ex illo efficaci decreto sortiantur suam futuritionem in eodem signo tam Maternitas Dei, quam merita B. Virginis; potuit ergo Deus vno indiuisibili actu Maternitatem velle B. Virgini, vt coronam per merita consequendam. Quæ omnia dilucidius intelliges ex dictis toto certamine superiori. Præuidentur ergo in illo signo merita Christi futura, per quæ B. Virgo præ aliis ad tantum Maternitatis decus assumitur, non tamen independenter à suis meritis, quæ iam futura sunt in eodem signo. Vt autem nouum nostræ thesi robur accrescat, illud nobis cum nobilibus Theologis statuendum est, videlicet Verbum diuinum non solum ex cognitione possibilium progigni, sed etiam ex futurorum cognitione, ac proinde non solum ex scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam ex scientia Visionis procedere. Consule Neotericos, qui huius rei probationes vsque ad nauseam suppeditahunt. Deinde statuo cum S. Damasceno orat. 1. de Dormitione Deiparæ, B. Virginem præfinitam fuisse à Deo Patre in Dei Matrem. *Pater, inquit, prædestinauit Mariam, Spiritus prærigauit, & Filius demum in ea commoratus est.* Cui censioni fauet Dionys. Carthus. lib. 2. de laudib. Virg. ex Henrico de Hasia, vbi ait: *Quoniam omnium artifex Deus ad ipsius, nempe Virginis, formationem in vtero supernaturaliter concurrens filio suo dignum habitaculum fabricaturus, eam intrinsecus omnium gratificantium charismatum, & dignificantium habituum plenitudine adornauit, vt etiam in exteriori eius effigie gratia diuina tam copiosè, efficaciterque luceret.* Cum ergo opera ad extra, quale est B. Virginis formatio toti Trinitati à Theologis tribui soleat; cur potius Pater æternus fertur incubuisse huic Marianæ molitioni? Anne quia Pater suæ notionis indolem in B. Virginem refudit? videlicet, quia Pater, vt sic totus constituitur in ordine ad filium: eodem modo B. Virgo præfinita est à Patre æterno, vt tota in generationem filij Dei destinaretur. 201.

Damasc.

Dionys. Carthus.

Quod vt clarius eluceat, animaduertendum est, Patrem æternum in primo rationis signo, simolatque Verbum diuinum sine Matre progignit, iam Matrem ipsi Verbo in tempore futuram præfiniuisse. Æterna igitur Verbi generatio quamuis à Patre sine Matre procederet, tamen menti Patris iam Virgo B. obuersabatur, tanquam Mater futura in tempore, cum generatio Verbi diuini procedat etiam ex futurorum cognitione: at inter omnes creaturas futuras B. Virginem primatum nactam fuisse, certamine primo huius Palestræ fusiori calamo firmauimus: ac proinde prima quæ menti Patris generationi Verbi incumbentis se obtulit, fuit Virgo Deipara, qoa Mater Dei aliquando futura: ergo iam ab æternitate in primo rationis signo, aliquale Matris munus subibat, videlicet intentionali concursu influens, & influxum obiectiuum ad æternam filij generationem subministrans, quia erat terminus primarius, & nobilissimus omnium creaturarum futurarum cognitionis generatiuæ in Patre; ita vt in aliquo signo antecedenti rationis, nullò modo præcederet in Deo præuisio gratiæ, & gloriæ B. Virginis: prius enim 202.

Maria ab æterno in primo rationis signo aliquale matris munus subibat, videlicet intentionali concursu influxe ad generationem Verbi diuini.

concipitur

concipitur Pater, vt Genitor, quam præuidens res futuras, illasque decernens, sed Pater vt Genitor, Mariam in Matrem Verbi præfiniuit, ex eius enim cognitione tanquam primatum tenentis inter omnes creaturas futuras filium progignit Pater, vt supra monuimus; deinde vt ostendimus ex Damasceno B. Virgo præfinita fuit ab æterno Patre: ergo dicendum est, B. Virginem prius ad Maternitatis Dei munus euectam, quam ad gratiam, & gloriam præfiniretur. Quod subindicat S. Aug. tract. 8. in Ioan. verbis illis: *Antequam de illa natus esset in prædestinatione nouerat Matrem, & antequam ipse ipsam Deus crearet, de qua ipse homo crearetur, nouerat Matrem.* Ita vt cum gigneretur Verbum in æternitate, licet sine Matre, iam tamen tunc Mater auspicabatur, quia ex cognitione B. Virginis futuræ Matris, à Patre Verbum diuinum progignebatur; non quod verè aliquo influxu physico generaret Verbum in æternitate, sed quia aliquando Virgo B. conceptura, ac paritura erat Verbum Dei.

August.

203. Athanas. Hanc per antiquam Maternitatem Dei in B. Virgine subodoratum reor S. Athanasium Dialogo 4. de Trinit. dum ait: *Hominem igitur genuit Maria? nudum, & dumtaxat hominem? nequaquam, sed Deum, qui hominem indueret. Primum enim Dominus fuit cum ea diuinè, & tum demum infantulus ex ea œconomicè. Quamobrem etiam Deipara est Maria.* Expendenda sunt verba illa: *Primum fuit cum ea diuinè*; ac si diceret, B. Virgo ab æternitate munus sortita est Maternitatis Dei, quia in primo rationis signo Mater Dei præfinita fuit, siue quia Verbum diuinum in ipsa æternitate appetebat Mariam in Matrem. Vnde Verbum diuinum se totum Matri deuouit, & vicissim Virgo Mater à Patre æterno in Maternitatis Dei munus destinata est. Addit S. Doctor: *Vt infantulus ex ea Verbum œconomicè prodiret.* Scilicet cum B. Virgo ex purissimis sanguinibus Verbum diuinum hominem effecit: quasi ex intentionali concursu, & obiectiuo, quo Maria ad generationem æternam Verbi diuini influit, iam lineamenta ductaret, seque ad generationem eiusdem Verbi tempore faciendam accingeret, ac si præluderet, dum intentionali concursu influit ad generationem æternam Verbi, vt postea in tempore verè, ac reapse in generationem eiusdem Verbi incumberet: ita vt prius intellectuali modo cum Patre in æternitate à B. Virgine simul Verbum proueniat; & in tempore per Incarnationem ab ipsa Virgine Matre, non intentionali, & obiectiuo influxu, vt in æternitate, sed reali, & physico concursu progignatur.

204. Epiph. Huc verto verba illa Epiphanij in Anchorato: *Saluator ipse, qui in officina Virginis salutem nostram operari dignatus est, qui ex Maria rursus genitus est per Spiritum sanctum.* Anne Beata Virgo bis Verbum progenuit? haudquaquam. Cur ergo ait Epiphanius, ex Maria Verbum diuinum rursus genitum fuisse: nimirum, quia Pater æternus Verbum ex cognitione B. Virginis, quam sibi in sponsam præelegerat, genuerat, ipsa concurrente intentionali influxu; & postea in tempore ipsum Verbum tanquam vera Mater produxit: ideò ex Maria iuxta Epiphanium, Verbum diuinum rursus genitum fuisse affirmatur. Quod etiam innuebat Ioan. dum ait, cap. 1. *Et Verbum caro factum est.* Vbi consulto non ait, Filius caro factus est, sed Verbum, vt Mariæ iam ab antiquo concursum intentionalem circa Verbi diuini generationem indicaret. Nam prius Verbum mentis concipitur, quam fœtus ventris producatur: ac si diceret Ioannes, idem Verbum diuinum, quod ex Patris cognitione terminante ad Mariam iam aliquando futuram progignitur, fuisse in tempore ab eadem conceptum in ventre, quod iam excogitauerat Albertus in cap. 1. Ioan. *Et Verbum caro factum est, non autem filius caro factus est, vt dicit Chrysostomus; ne carnalem, quæ exclusa est à diuinis, æstimes generationem:* & infr. *sic Verbum sibi carnem vniuit in vtero B. Virginis; iste autem modus facturæ non importatur nomine filij, & ideo non dicit, filius caro factus est.*

Quo sensu dicatur Maria bis genuisse Verbum diuinum.

Ioan. 1.

Albert. Mag.

205. Bernardin. In eundem sensum recidunt verba S. Bernardini tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 1. *Sanè Deus ipse æternus sic illam benedictam Matrem suam talem condidit, & sanctificauit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua æternitate, & talem tam nobilitate naturæ, quam perfectione gratiæ condidit Matrem, qualem eam decebat habere suam gloriosissimam Maiestatem; quia in ea, & de ea debebat sumere quod in æternum sibi erat vnitum vnitate personæ.* Sed qua veritate illa verba proferre potuit Bernardinus, nempe, quia de ea, & in ea debebat sumere, quod in æternum sibi erat vnitum vnitate personæ. Nunquid fuit ab æterno vnitum cum Verbo diuino, quod solum in tempore de Maria assumpsit? nequaquam: sed quia in æternitate gliscebat Verbum diuinum iam Virgineæ carni adglutinari, & ex ea carnem assumere; vt hinc antiquum Maternitatis Dei munus subodoreris. Inde etiam intelliges cur in festo Conceptionis Virgineæ iam illa verba Ecclesia decantet: *De qua natus est Iesus.* Nempe quia ex antiquitate filij antiquitatem Matris venaremur: ob eandem causam Euangelistæ Mariæ parentes, & ortum silent, cunabula non memorantur, nec recensentur puellaria crepundia, sed Filij solum natiuitas publicatur, quo Maternitatis Dei dignitas decantatur, sine qua neque eius primus in mundum ingressus intelligi potest, neque eius conceptus concipi; quia tota Maria generationi Verbi diuini in carne nostra mortali destinata fuit ab æternitate.

Matth. 1.

PALÆSTRA

PALÆSTRA III.

Exagitantur aliqua ad immaculatum Beatæ Virginis conceptum conducentia pro defensione immunitatis Magnæ Matris à noxa originaria.

206. VPERATIS in superiori Palæstra plurium difficultatum montibus, iter complanauimus, ac viam strauimus ad latissimum, ac feracissimum Virgineorum priuilegiorum campum, quorum primum, ac specialissimum est Immunitas à primæua Protoparentis labe, quæ potius hic à nobis supponenda, quam exagitanda erat, cum iam vniuersus fidelium cœtus agmine facto in sententiam magis piam conspirauerit; ita vt iam exhorrescant piorum aures audire, B. Virginem Deiparam ea peccati macula contabuisse, tali delicti monstro adorsam, à quo præcipites agimur in profundissimam iræ abyssum, & maledictionis diuinæ caueam, regni cœlestis hæreditate nudamur, æternæ damnationi deuouemur, satanæ seruituti mancipamur. Hæc insuper infecta veneno mortifero rabes omnes Adæ posteros mille perturbationum, ac cupiditatum aconitis inficit; voluntatem venenifera malitia deprauat, liberum arbitrium infirmat, ac debilitat; intellectum plurima ignoratione, fœdisque erroribus obnubilat, beneficiorum reminiscentiam ex animis obliterat, & abradit: vastissimum demum malorum pelagus, quo miserandum genus humanum funditus submergatur, inuehit. Hæc omnia turpia, inhonora, ac probrosa de immaculata Virgine palam effundit, dum eam macula originaria infectam fuisse contendit aduersariæ factionis sententia. Ideò Ludouicus de Turri author grauis, ac vetustus in tract. de Concept. Virg. audenter dicit, B. Virginem potius electuram in inferno degere, quam offensam Dei incurrere per peccatum originale. & electuram potius in nihilum redigi, quam esse per peccatum Deo inuisam, & inimicam? ita Dei Mater ab omni culpa etiam originali abhorrebat. Hæc prædictus Author.

Varia epitheta peccati originalis.

Ludouic. de Turri.

CERTAMEN I.

Deipara Virgo ab infectione originariæ maculæ vindicatur, ex Cant. 4. verbis.

207. NE igitur hanc controuersiam omnino intactam relinquamus, aliquas probationes producemus ex sacris voluminibus, ex Ecclesiastica huius festi celebratione, tum ex rationum armamentario depromptas, pro ardentissimo meo in B. Virginem affectu, quas conciso calamo perstringemus. De authoritate autem Sanctorum PP. hanc veritatem contestantium nihil dicemus, quia hac de re multum desudarunt nouiorum Doctorum ingenia.

Cant. 4.

Salomõ aperte stat pro immunitate Beatæ Virginis à peccato originali.

Iuuat in hoc certamine veritatem hanc ostendere, ac constabilite ex verbis sponsi, Cant. 4. vbi Mariam alloquens iuxta vniuersum interpretum chorum, ita fatur: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Huic autem propositioni absolutæ & vniuersali: *Macula non est in te*; opponitur contradictoriè hæc alia: *Macula est in te*; quæ verissima esset absolutè, si Virgo Deipara originali næuo maculata fuisset. Quod vt penitius calleas, & germanam huius loci interpretationem eruas, stavt Deiparæ Virginis decus redundet, sic sunt paraphrastice expungenda. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te peccati originalis.* Quem sensum esse genuinum, & literalem, ac proinde ab omnibus amplectendum, ex eo probari potest, quia optima est regula intelligendi sacram Scripturam à D. Augustino tradita, quam etiam omnes vtriusque scholæ Theologi tuentur, quæ sic se habet: *Sensus literalis sacræ Scripturæ ille est proprius, & grammaticalis, quem verba faciunt, nisi ex illo sequatur aliquod inconueniens contra fidem, aut bonos mores.* Ita habet D. August. lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. & 19. & lib. de vtilitate credendi, c. 3. 5. & 15. & super Gen. in imperfecto, c. 2. Qua regulá admissa, sic probari potest intentum. Quia verba illa, *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*, propositionem indefinitam, & absolutam continent, ac proinde æquiualet propositioni vniuersali, iuxta Summularum canonem. Propositio autem æquiualens est: *Tota pulchra es amica mea, & nulla macula est in te.* Ex eiusmodi autem explicatione nihil contra fidem, & bonos mores resultat: ergo talis declaratio pro sensu literali proprio, & genuino tenenda est: quod autem Ecclesia oppositam sententiam sustineri permiserit, nihil obstat; non enim hic contendimus piam sententiam fide diuina tenendam, sed fidei, & rectæ rationi valde consentaneam. Eximiè in hanc rem aiebat Seneca epist. 33. *Non est formosa mulier, cuius crus laudatur, aut brachium, sed illa cuius vniuersa facies admirationem singulis partibus abstulit.* Sic ineptè proferret sponsus de Maria: *Tota pulchra es amica, & macula non est in te.* Si deformi originariæ culpæ næuo deuenustaretur, ac fœdissima eiusdem litura macularetur.

August.

Seneca.

In cuius piæ sententiæ probationem, ac propositæ interpretationis prædictorum verborum confirmationem, non grauabor ex Iuniorum Theologorũ pharetra in aduersariæ partis fautores deprompta spicula contorquere. Et prius duo sunt fundamenta 208.

menta iacienda. Primum est, de Christo Domino intelligendum duplex sacræ paginæ testimonium, Isai. 13. 1. Petr. 2. alterum desumptum ex Isaia cap. 13. & ex 1. Petri cap. 2. vbi sic habetur; *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Aliud desumitur Ephes. 5. ex Paulo ad Ephes. 5. *Eum qui peccatum non nouit, pro nobis peccatum fecit*, id est hostiam pro peccato. Deinde supponimus ratiocinationem, quam mox subiicimus, esse legitimam, atque fide diuina tenendam, nempe: caro Christi olim circumcisa fuit: ergo olim Christus circumcisus fuit: ergo Deus olim circumcisus fuit. Quæ omnia verissima sunt per communicationem idiomatum; ea enim quæ sunt propria cuiusuis naturæ in Christo, dicuntur de altera, & è conuerso, quod constat Conc. Eph. ex Concilio Ephesino can. 12. *Si quis*, inquit, *non confitetur Dei Verbum passum carne, crucifixum carne, anathema sit.* His ita suppositis, expositio illa paraphrastica prædictorum verborum à nobis tradita probanda est vnica ratione, quæ robusta est, quæque ducit ad impossibile, explicabitur tamen quatuor ratiocinationibus, quas hic subiicio.

209. Prima est; si enim B. Virgo fuit originaria labe fœdata: ergo fuit peccatrix toto illo tempore, siue instanti, quo sanctificata non fuit, adeoque post sanctificationem verum fuit affirmare; caro Beatæ Virginis fuit olim peccatrix; & caro quam Verbum diuinum assumpsit fuit olim peccatrix; & caro Christi fuit eadem numero, quam Verbum assumpsit: ergo caro Christi fuit olim peccatrix: ergo Christus olim peccatum nouit; quod est aduersus primum fundamentum à nobis praiactum. Et simili ratione infertur; ergo Deus olim peccatum nouit, iuxta ea, quæ in secundo fundamento protulimus; quæ vtraque illatio falsissima est, adeoque & antecedens, ex quo infertur. Quæ quidem ratiocinatio similem seruat formam, ac illa alia: caro quam Verbum assumpsit fuit olim circumcisa, & caro Christi eadem numero fuit, quam Verbum assumpsit: ergo caro Christi fuit olim circumcisa: ergo Christus fuit olim circumcisus: ergo Deus olim circumcisus fuit. Quæ ratiocinatio omnino legitima est: ergo & ratiocinatio nostra etiam erit legitima. Secunda ratiocinatio sic se habet: impossibile est carnem B. Virginis non fuisse aliquando peccatricem, si supponamus labe originaria fuisse infectam: id enim quod semel fuit, impossibile est non fuisse. Item impossibile est, carnem Christi non fuisse carnem Mariæ: ergo impossibile est, carnem Christi non fuisse peccatricem, ac peccatum non nouisse: ergo ex consequenti, impossibile est Christum peccatum non nouisse, ac peccatorem non fuisse; quod aduersatur priori fundamento superius iacto. Eademque de Deo proferri poterunt per communicationem idiomatum. Tertia ratiocinatio: si sermo sit de primo Incarnationis momento, verum fuit affirmare, caro ista, quam Verbum assumpsit, peccatrix fuit, & caro Christi fuit caro, quam Verbum assumpsit: ergo caro Christi recenter concepti peccatrix fuit: ergo Christus peccator fuit, & peccatum nouit. Quarta ratiocinatio; impossibile est carnem B. Virginis, quam Verbum assumpsit, non fuisse peccatricem, vt diximus; & impossibile est carnem Christi non fuisse illam, quam Verbum assumpsit: ergo impossibile est carnem Christi non fuisse peccatricem, eademque est caro Dei: ergo impossibile est carnem Dei non fuisse peccatricem. Quibus addo, si Verbum vniuit sibi carnem, quæ olim fuit peccatrix: ergo assumpsit illam, quæ olim fuit filia Diaboli, & gehennæ digna, ex quo quot inferantur absurda aliis altius meditanda relinquo.

Ex quadruplici incommodo probatur non fuisse in peccato conceptam Mariam Virg.

Opponat quispiam; cum omnis præcedens ratiocinatio vnico tantùm innitatur fulcro desumpto ex identitate materiæ, siue carnis B. Virginis, & Christi filij, cumque vt ex philosophiæ principiis constat, eadem identitas materiæ temporum decursu tota immutetur, aliaque succedat: hinc infertur communicationem idiomatum solum locum tenere in his quæ totum compositum respiciunt. Respondeo primò, quidquid sit de partibus materiæ sublatis, & absumptis; & aliis substitutis, semper tamen manere eundem numero hominem, non physice, sed moraliter. Quid quod hac de re alibi latius differemus, quibus facile hoc obiectum præcluditur. Deinde semper manet eadem hypostasis, idemque suppositum, quod sufficit ad identitatem requisitam, vt locum habere possit idiomatum communicatio. 210.

Opponės secundò aduersus dicta; quemadmodum enim ex illo sensu paraphrastico à nobis allato nullum sequitur inconueniens; similiter etiam nec sequitur si verba illa Cantic. intelligantur de conceptione spirituali B. Virginis, nimirum de ipsius sanctificatione. Sed dicendum est hunc sensum, & doctrinam omnino fuisse explosam à Sixto IV. per Extrauagantem. *Graue nimis*, vbi Sixtus IV. hæc habentur: *Nos igitur motu proprio assertionis prædictorum, & aliorumlibet, qui affirmare præsumerent sanctam Romanam Ecclesiam de spirituali dumtaxat conceptione, & sanctificatione eiusdem Virginis festum celebrare authoritate Apostolica præsentium tenore reprobamus, & damnamus.* Post quod decretum nequit pro cuiusque arbitrio pro conceptione sanctificatio substitui. 211.

Ex quibus adhuc alterum assertum suffulcire libet; nimirum, impossibile videri Virginem Deiparam originarij delicti labe fuisse maculatam; quod sic probo: si enim B. Virgo in originali noxa fuisset concepta, duæ contradictoriæ propositiones darentur simul veræ; vt patet, quia hæ duæ propositiones contradictoriæ sunt. Christus peccatum nouit, Christus peccatum non nouit. Quarum vltima fide diuina tenenda est, vt ex Isaia, & Petro constat. Quod verò prima propositio etiam vera sit in aduersariorum sententia ex iamdictis sufficienter patet; quia caro B. Virginis peccatum nouit, & caro Christi fuit caro B. Virginis: ergo caro Christi peccatum nouit; qui syllogismus legitimus est; siquidem maior propositio vera est ex iam concessis, minor etiam verissima in vera Philosophia, & Theologia, & Patres passim inculcant, vosque eam fusius infra ostendemus: ergo illatio legitima, & verissima est. Quod si caro Christi peccatum nouit: ergo & Christus peccatum nouit, iuxta ea, quæ num. 208. statuimus: ergo propositio hæc, Christus peccatum nouit, vera est, quod probandum suscepimus: quare admittendæ erunt duæ propositiones simul veræ, si asseratur originariæ labis macula fœdatam fuisse Beatam Virginem. Ex quibus quiuis gradum faciet ad alias contradictorias veras vestigandas, vt puta, Verbum diuinum peccatum nouit; Verbum diuinum peccatum non nouit. 212.

Obiiciat non nemo aduersus ratiocinationem, qua probatur in contradictoriis veritas propositionis affirmatiuæ: quia syllogismus ille, caro B. Virginis peccatum nouit, sed caro Christi fuit caro 213.

B.

B. Virginis: ergo caro Christi peccatum nouit, non continet consequentiam formalem, quæ concludat legitimè, & in simili forma; vt videre est in subsequentibus syllogismis: *Caro Christi fuit vnita Verbo diuino, & caro Mariæ fuit caro Christi: ergo Maria fuit vnita Verbo.* Item, *caro Mariæ fuit concepta sine peccato, & caro Annæ fuit caro Mariæ: ergo caro Annæ fuit concepta sine peccato.* Sicque abire possemus vsque ad primos parentes, quod fidei diuinæ ac rectæ rationi valde aduersatur. Verum respondeo propositionem illam; Caro Mariæ fuit caro Christi, hoc est à Christo accepta, falsam omninò esse, imò & impossibilem, nullum enim fuit, aut esse potuit tempus, quo caro illa desierit esse caro Christi, vt esset caro Mariæ, sicut falsum est asserere, caro pueri fuit caro senis, aut caro Patris fuit caro filij; ita etiam falsum est affirmare: *Caro Mariæ fuit caro Christi.* Et ratio est, quia caro nequit retrocedere à filiis ad parentes, bene vero è contra potest procedere à parentibus ad filios: quocirca caro filiorum fuit caro parentum, non è conuerso. Eodemque pacto responderi potest ad secundum syllogismum: nam caro Annæ transfusa est ad Mariam, non tamen caro Mariæ ad Annam, vnde illa propositio: caro Annæ fuit caro Mariæ. Falsa omnino est; & per consequens inerme prorsus argumentum aduersus præsatam nostram ratiocinationem. Replicabis adhuc: caro quæ fuit Christi fuit vnita diuinitati, & caro quæ fuit Mariæ fuit caro Christi: ergo caro quæ fuit Mariæ fuit vnita diuinitati; qui syllogismus est omnino similis illi primo à nobis constructo, & tamen non est legitimus; nam in isto datur antecedens verum, & consequens falsum: ergo ille primus non continet consequentiam formalem, nec rectè concludit secundum formam syllogisticam in simili forma argumentandi. Sed distinguendum est consequens; si enim intelligatur de tota Virginis carne, falsum omnino est, vt per se patet: si vero intelligatur in ordine ad Christum de parte illa carnis, seu sanguinis, quæ subministrata fuit à B. Virgine Christi corpori formando, & coagulando, ita vt hunc reddat sensum: ergo aliqua pars carnis, vel sanguinis Mariæ, quatenus fuit caro, vel sanguis Christi vnita fuit diuinitati; tunc verissima est consequentia, & nos alibi eam fusè propugnamus. Constat ergo veritas prioris syllogismi à nobis efformati.

214. Hæc ex scholastico puluere prælibauimus. Nunc autem vt vlterius verum sensum prædictorum verborum depromamus, nempe *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Animaduertere oportet, veteres illos philosophos, omne corpus pulchrum tripliciter distinxisse cum Philosophorum Principe Platone. Triplex ergo est pulchritudo, alia est positiua, alia motiua, negatiua altera. Pulchritudo positiua rectam membrorum proportionem seruat, cæsariem, & capillamentum grato dispositum errore concinnat, frontem dilatat, ac læuigat, pilis supercilia vestit, & in arcum efformat, oculos tanquam rerum speculatores in eminentiori loco ponit, genas liliorum, rosarumque foliis spargit; nasum à superciliorum confinio prodeuntem, & quasi æquali porrectum iugo vtramque aciem & discernentem, & munientem interiicit, labia roseo cocco flammantia venustat, os modestè diducit, dentes ordine, candore, minurie, & æqualitate dispositos firmat, collum grauiter erectum, ac proportione compositum perpolit, & detornat, pectus manusque niueo colore suffundit, le-

Pulchritudo trifariam diuiditur.

Cant. 4.

Pulchritudinis positiua descriptio.

pidam circumducit formam, corpori elegantiam adiicit, gratam denique partium omnium cum lepôre dispositionem, & concinnitatem adaptat. Pulchritudinem motiuam, ipsam corporis elegantiam, ac iucundum adspectum, venustate decorum, ac grata quadam coloris temperie compactum vocamus; dicitur autem motiua, quia potenti vi voluntatem permouet, corda deuincit, oculos in se allicit, captiuos trahit affectus. Pulchritudo negatiua procul à se propellit omnem deformitatem, quemcumque defectum auersatur: Quas omnes pulchritudines in vna Virgine Deipara congestas reperies: & primum pulchritudine positiua creaturas omnes rationales longè antecellit, quia virtutum omnium proportione, & concinna gratiarum harmonia cæteros omnes superauit. Si motiuam pulchritudinem quæris, illud Gabriëlis ausculta, gratia plena, quia vniuersa gratiarum congerie, à paterno sinu Verbum diuinum in sua viscera allexit. Nec defuit ipsi pulchritudo negatiua, quia nullo actuali næuo, nec originali macula infecta fuit. Quapropter verissimè protulit sponsus: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Illud *tota pulchra*, pulchritudinem innuit positiuam. Per illa verba, *Amica mea.* Pulchritudo, & elegantia motiua denotatur, & tandem illud; *macula non est in te*, siue vt Ambrosius transfert, *reprehensio non est in te*, pulchritudinem negatiuam adsignificat.

Triplici prædicta pulchritudine decoratur Maria.

Ambros.

Sed mirum est, quod cum protulerit Sponsus de Maria: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Idem subdat c. 6. Cant. *Pulchra vt Luna.* Vbi animaduersione dignum est, ex omnibus cœlorum pulchritudinibus, quæ nos in sui amorem alliciunt, solam Lunæ pulchritudinem maculatam credi. Pulchrum visu est firmamentum, nullos tamen in se peregrinorum impressionum defectus, seu variationes admittit. Pulcherrimum est cœlum Empyreum, augusta Beatorum sedes: *Domine dilexi decorem domus tuæ.* Psalm. 23. 8. nulla tamen vnquam macula deuenustari potest. Habes enim in Apoc. *Nihil coinquinatum intrabit illuc.* Pulcher est Sol, & splendentibus radiis circumamicitur. Pulchræ sunt Stellæ, nunquam tamen splendens illorum iubar aliquam vel leuem maculam contraxit. Vnius Lunæ pulchritudo maculata creditur, & apparet: cur ergo Mariana pulchritudo cum Lunæ pulchritudine confertur? cur pulchra vt Luna decantatur Maria? Profectò Luna nescio quas in se maculas contraxisse creditur. Stoici somniabant, authore Plinio lib. 2. Histor. c. 19. Lunæ maculas, sordes quasdam esse vnà cum terræ vaporibus sublatas, ac Lunæ, quia terræ vicinior est, adhærentes. Mirum sane quod eiusmodi maculos halitus, siue terrestres, siue aquatiles vapores per ignem elementarem traiici vsq; ad concauũ Lunæ, neque tamen absumi. Alij Megistanes nuncupati, macularum adspectum in Luna, oculorũ hallucinationi tribuunt inani quadam, ac falsa circumuentorum specie. Sed qui fieri potest, quod hæc hallucinatio oculorum nunquam emendata fuerit, vel saltem immutata. Quidam Philosophi nomine solum & toga, ac barba oblonga, Lunæ maculas, vallium, montium, atque opacorum in terris locorum imagines esse autumant, indeque velut ab speculo refractæ ad nos resilire: stulta cogitatio philosophis indigna, à vera philosophia procul aberrans. Verior itaque Astronomorum philosophia docet; quæ videntur in corpore lunæ maculæ, reipsa maculas non esse, sed partes rariores ipsius 215.

Cant. 6.

Cur cum pulchra decantatur Maria, cum Luna despicitur, quæ maculas habere creditur?

Plin.

ipſius Planetæ, quæ tametſi æquè locem à Sole mutuentur, ſed propter raritatem in ipſis, non ita lux addenſatur, nec ſplendet, ſed ibi maculæ nullæ ſunt. Ita prorſus Mariana pulchritudo à primo ſui conceptus momento gratiæ theriſtro reſplenduit, nullo vnqoam inſtanti alicuius labis lituta deturpata fuit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* At in primo ſui conceptus exordio pulchritudo, & decor B. Virginis cum pulchritudine Lunæ componitur, quia nonuulli propter oculorum imbecillitatem, eam Adæ maculis iofectam adſpiciunt. Verum enim vero ſicut in Luna, quæ apparent maculæ, reapſe maculæ non ſunt: ſic etiam Virgo B. in primo ſui conceptus inſtanti ab omni primæui delicti macula immuuis fuit, gratiæ peplo circumamicta reſpleuduit, nullius culpæ lituram agnouit, tametſi quorumdam iudicio protoparentum maculis infecta videatur, ſed reipſa ſyderum ſplendóribus redimi-

Reliquorum ſanctorũ ſerta ex lapidis, Maria corona ex ſtellis componitur.

tur. Reliquorum ſanctorum diademata ex lapillis electis, ac ſummo in pretio habitis contexuntur iuxta illud: *Poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.* Pſalm. 20. 4. in his autem ſemper remanet aliquid detrahendum, elaborandum, ac perpoliendum. Aſt caput Mariæ ſtellarum corona circumcingitur. *Et in capite eius corona ſtellarum duodecim.* Apoc. 12. in quibus nihil eſt quod addas, aut detrahas, nihil quod denuo elaborandum, ac perpoliendum ſit; ſicut neque in Maria, quæ ab inſtanti ſuæ conditionis omnibus ſuis numeris abſoluta, vndeqoaque elaborata, ac omnino perfecta in lucem edita fuit.

Pſalm. 20.

Apoc. 12.

x16. *Luna excellentia rectè Mariæ adaptari poſſunt.* Hieron.

Niſi forſan Maria ab ſponſo cum Luna conferatur ob eximias laudes, quibus Luna à priſcis Doctoribus, à ſacris voluminibus, tum & à Patribus decantari, ſolet, quæ omnes rectiſſime B. Virgini adaptari queunt. Eximie protulit Hieronymus de Maria: *Sicut Luna ſuper mare; ita Maria ſuper totum mundum. Vnde Pſalm.* 88. *dicitur: Tu dominaris poteſtati maris.* Vbi ab Hieronymo Mariæ imperium, ac dominatus defertur in omnium gentium, ac populorum Mària. Subdit Palacio in Eccleſiaſticum 43. ad ea verba: *Luna in omnibus in tempore ſuo oſtenſio temporis, & ſignum æui. hæc alia: Magnam verba hæc continent Philoſophiam, & ſummas Lunæ laudes; ſenſus enim eſt; inferiora hæc fere omnia Lunæ ſubeſſe imperio, atque ab ea velut à prudentiſſima directrice gubernari.* Quæ omnia multo verius in Mariam cecidunt; quæ de ſe ait: *Per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt.* Prouerb. 8. 15. ſicut enim ob Mariam omnia hæc ſublunaria condita fuere vt oſtendimus certamine 1. Palæſtræ 2. ita etiam ipſius ductu, & directione conſeruantur, reguntur, ac moderantur. In eiuſdem Lunæ laudibus diffunditur Ambroſius in Hexam. *Luna*, inquit, *eſt decor noctis, Mater roris, humorum miniſtra, dominatrix maris, temporum menſura, æmulatrix ſolis, mutatrix aëris.* Ariſtoteles lib. 4. de generat. cap. vlt. vocat eam minorem Solem; & Moyſes Luminare minus. Quę omnia rectè in B. Virginem quadrant, vt ex toto hoc opere patebit. Plutarchus ait Lunam eſſe Terram cœleſtem. Alij dicunt eam eſſe ſymbolum beneuolentiæ, cuius proprium eſt non beneuolo ſolum aſpectu terras adſpicere, ſed & celerius ſuorum influxuum ſubſidia præſtare, quæ rectè congruunt cum his, quæ ſpeciali certamine in Palæſtra de ſacro Mariæ nomine protulimus. A priſcis Romanis dicta eſt Luna genitrix orbis, noctis oculus, cœli regina, ſic enim habes Ierem. 7. *Filij colligunt ligna & Patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas Reginæ cœli.* Vbi Hieronymus, ait, Reginæ cœli, id eſt Lunæ. Maria non ſolum cœlorum Regina, ſed & totius orbis Imperatrix à Patribos decantatur. Maria Luna eſt, quæ ſuppoſita Eccleſiæ apud Ioannem Apocal. 12. Baſis ipſius eſt, & fulcimentum, quo ipſa Eccleſia innititur, ac ſuſtentatur. *Luna*, ait Plinius, *ſuper omnia pura*: Sic Maria ſub Deo omnibus creaturis purior. Idea Margaritarum dicitur Luna, & Maria, vt vidimus, omnium creaturarum idea, & exemplar prædicatur. Luna vlterius Solis ſponſa vocatur à Georgio Veneto, quia à Sole accipit virtutem vt in res ſublonares agat, ita vt nihil producere videatur Planetarum princeps ſine ea adiutrice Luna. Cuius rei ſymbolum ſatis appoſitum nobis exhibet ſacer ſcriptor Deuter. 33. in benedictione Ioſeph; vbi poma omnia, & fructus terræ dicuntur eſſe Solis & Lunæ. In Hebræo eſt, *de fructibus Solis, & Lunarum*; licet enim vna ſit Luna, quia tamen inſtar multarum eſt ob multiplicem influxuum varietatem, ac virtutem in numero multitudinis profertur, quod nulli alteri planetæ competit: in loco vero Deuteron. citató, vbi Hieronymus vertit, *poma*; vox Hebræa non poma tantum ſignificat, ſed etiam quidquid pretioſum eſt, ac optimum tam in fructibus, quam in auro, & argento: & quidem omnis virtus Solis nihil nobis prodeſſe poſſet, niſi quaſi per Lunæ manus tranſiret. Vides accuratam Mariæ imaginem in Luna effigiatam, quæ à Deo influxus vitæ noſtræ ſpirituali, imo & corporali fouendæ in ſe ſuſcipiens, ita eos quaſi ſinu materno confouet, nobiſquè attemperat, vt non minus ea fautrice, ac moderatrice indigere nos, quam ipſius Dei ope videamur. Xenophanes apud Ciceronem lib. 4. Academ. qq. opinatus homines habitare in Luna, eamque eſſe terram vrbium, montiumque plurimorum; cui aſſentitur Plutarch. *Ego* inquit, *iſtos qui in Luna incolunt, multo magis mirari exiſtimo cum terram intuentur.* Fabellæ meræ; ſed ipſiſſima veritas in Maria Luna Myſtica, in qua habitant eius clientes tanquam ſub climate optimo; quæ omnes ad ſe confugientes incolas ſuſcipit. Quod prædixerat Dauid Pſalm. 86. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Et Pſalm. 68. *Qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.* Demum Eccli. 43. de Luna habes: *A Luna ſignum diei feſti.* A Maria in nos fœlicitas, ac feſtiuitas promanat. Hæc de Luna in B. Virginis elogium, quia ad id nobis anſam præbuerunt præfata ſponſi verba, feſtinanti calamo produximus. Nunc ad theſim noſtram propoſitam conſtabiliendam lentiori paſſu progredimur. Vide alium locum D. Pauli Palæſtra 23. certamine 3. in fine, vbi Apoſtolus aperte ſtat pro immaculata B. Virginis Conceptione in ſenſu litterali.

Eccli. 43. Prou. 8. *Lunæ laudes.* Ambroſ. Ariſt. Ierem. 7. Hieron. Deut. 33. Xenoph. Cicero. Plutarch. Eccli. 43.

CERTAMEN II.

Eadem veritas ex Alijs ſacrorum voluminum teſtimonijs ſtabilitur.

HAnc immunitatem Marianam in inſtanti ſui conceptus ab omni Protoparentum labe, inde etiam depromere libet, quod ſanctitas Virginis Deiparæ æterna dici & prædicari poſſit 217.

Quomodo sanctitas Deiparæ æterna dici possit.

secundum durationem: quod vt vt penitius calleas, animaduertendum est, in illo Angelorum Trisagio in Dei honorem pacto, æternam Dei sanctitatem, plures ex Interpretibus subodorari, quæ trinam temporis differentiam cohibet, nempe præteriti, præsentis, & futuri. Ideo cum apud Isai. Deus ter sanctus à Seraphinis acclamatur, Dei æternitas innuitur apud translationem Chaldaicam, quæ sic se habet: *Sanctus in sæcula, & in sæcula sæculorum Dominus exercituum.* Quod firmari potest ex Apoc. 4. Vbi post Trisagium illud, statim subiicitur: *Qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Ex quo patet, sanctitatem tribus vicibus ab Angelis decantatam in Deo sanctitatem æternam propalare. Nunc iam ad sanctitatem Marianam te adooco, quam per ternarium numerum Gabriël nobis exposuit; quippe Mariam ter gratia splendentem salutauit. Primo dum ait: *Aue gratia plena.* Luc. 1. iterum cum protulit. *Dominus tecum.* ibid. Nempe per gratiam specialissimam nulli creaturæ concessam. Ac demum tertio adiicit. *Inuenisti gratiam.* Vides vt trina repetitione sanctam, ac Deo gratam decantet cœlestis Aliger, vt non solum ingens sanctitatis cumulus in Maria patefieret, sed & alicuius æternitatis compotem esse gratiam Virginis Mariæ ostenderetur; ita vt nullo vnquam tempore fuerit gratia, & sanctitate vidua, nulla temporis futuritione, præsentia, ac præteritione, amicitia Dei orba; sed antequam in lucem ederetur, aut conciperetur, dum in futuritionis statu delitescebat, nunquam primæuæ noxæ debito obnoxia fuit, neque originariæ noxæ tributum aliquod pependit; semper sancta, vbique gratia coruscans, & per totam æternitatem Dei amicitia conspicua pro omni statu siue præterito, siue præsenti, ac futuro sanctitate vernans. Sic enim decebat futuram Dei Genitricem, vt eius sanctitas nullo temporum spatio, ac ne momento quidem interciperetur. Huius cogitationis nobilem Patronum subiicio S. Bernardinum tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 1. *Tertia,* inquit, *fuit sanctificatio maternalis, & hæc remouet culpam originalem, & confert gratiam: hæc fuit in B. Virgine. Sanè Deus ipse æternus sic illam benedictam Matrem suam talem condidit, & sanctificauit in tempore, qualem eam sanctam elegit in sua æternitate, & talem iam nobilitate natura, quam perfectione gratia condidit Matrem, qualem eam decebat habere suam Maiestatem, quia in ea, & de ea habebat sumere, quod in æternum sibi esset vnitum vnitate persona.* Vbi scitè Marianam sanctitatem æternitatis æmulam decantat. Nam in æternitate cum adhuc sub futuritionis statu contemplabatur, & toto deinceps spatio, siue imaginario, siue reali fuit sanctitatis decoramento insignita; neque à Deo, neque ab Angelis præcognita in quocumque statu, in quo sanctitatis peplo non splenderet, aut gratia non coruscaret. At vero si instar reliquorum atra protoparentum culpę fuligine deformata fuisset, non semper sancta in æternitate pro omni differentia temporis, siue à Deo, siue ab Angelis præcognosceretur. Nouo igitur, & insolito laudis elogio applaudit S. Bernardinus Marianæ sanctitati, quæ ab hæreditaria transgressione omnino exsors fuit, vtpote quæ cum æternitate contenderit, nec temporum vicissitudini subiacuerit. Deinde prius præeligitur Maria à Deo in Deiparam, quam ad sanctitatem, & gratiam, vt superiori Palæstra monitum fuit: ergo decreta fuit in eximiam sanctitatem, qualis decebat Dei Genitricem: ergo in æternitate gratia exornata fuit, quam nunquam amitteret: si verò in aliqua differentia temporis, vel momento solum, originario delicto subiacuisset, antequam sanctitas delicti fuliginem dispelleret, non potuisset Maria in Deiparam decerni. Quid quod per æternitatem in illo statu futuritionis originarij piaculi macula, quæ in momento conceptionis contractura erat, deturpata conspiceretur à Deo, ac proinde sancta non fuisset pro omni differentia tēporis, quod expressè S. Bernardini verbis aduersatur, vt vidimus.

Apoc. 4.

Luc. 1.

Maria pro omni differentia temporis addictatur splendens, adeoque nunquam originali macula deturpata.

Bernardin.

218. Idcirco Deus longè antequam conderetur Maria sanctitatem hanc æternitatis æmulam, adhuc in statu futuritionis multipliciter in prima rerum conditione prælusit. Disquitat non nemo, cur aquas Spiritus sanctus in sui lecticam delegerit non aërem, non terram, non firmamentum? Ob duo ni fallor. Primò ob huius elementi puritatem, & munditiem ac perfectionem, quibus reliquis elementis in illo primo mundi incunabulo antistabat: quando enim cuncta plusquam cymmeriis tenebris oboubebantur, horridum chaos orbem occupabat, terram atra fuligo tegebat; firmamentum astrorum splendore viduum suffuso pallore turpe, rude & informe apparebat; in hac communi rerum iniuria, elementorumque squalore, ac turpi totius orbis caligine, solum aquarum fluenta purissima, perfectissima, crystalloque simillima iam tunc existebant; & merito, quia iam in Dei vectabulum, currumque triumphalem struebantur. Insigniter Tertul. lib. de Baptis. hoc inter vndas, & reliqua elementa discrimen meditabatur cap. 3. ait enim: *Nam & tenebra tota adhuc sine cultu syderum informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude; solus liquor semper materia perfecta, læta, simplex, de suo pura dignum vectaculum Deo subiiciebat.* Si ergo vndæ quia Dei gerulæ semper puræ, ac perfectæ in mundi nascentis exordio; cum reliqua omnia fœdo tenebrarum dedecore turpabantur, quid de Dei Genitrice, quæ vterum Deo præparauit, purissimis sanguinibus coagulauit, suo lacte nutriuit, dicendum erit? Vtique semper etiam in sui conceptus exordio, pura, immaculata, ac perfecta merito decantatur, & pro omni temporis differentia Sancta prædicatur.

Priuilegium vndarum inter reliqua elementa.

Tertul.

219. Deinde vndas Spiritus sanctus in sui currum delegit, ob singulare aliud priuilegium, quo reliquis elementis præiuit, nimirum splendore quodam pellucido. Sic excogitauerat Theophilus Antioch. lib. 2. ad Autolicum, vbi ait: *Vnum quidem spiritum lucis, qui formam obtinet inter aquam & cælum, constituit medium, vt tenebra communicarent cum cælo, quod proximum Deo est, antequam ipse diceret, fiat lux.* Itaque cum reliqua elementa horridis consepulta tenebris iacebant, solum aquæ lumine superfuso nitebant, quod etiam subindicat Hieronym. in epist. ad Oceanum 83. *Rudis mundus nec dum sole rutilante, nec pallente Luna, nec astris micantibus, incompositam, & inuisibilem materiam abyssorum magnitudine & deformibus tenebris opprimebat. Solus Spiritus Dei in auriga modum super aquas ferebatur.* Ne ergo arbitreris vndas communem cum reliquis elemētis tenebrosum horrorem subire, sed Spiritus sancti iubare irradiari, quia vndæ erant Spiritui sancto vectaculum suffecturæ. Clarius pro hoc singulari aquarum priuilegio stat Gregor. Nyssen. in Hexam. vbi hæc habet: *Spiritus Dei natura idem est cum ipso Deo, quod sit vna natura Dei, & Spiritus, atque lumen est Deus, lumen prorsus fuerit etiam spiritus Dei.*

Aliud vndarum priuilegium.

Theoph. Antioc.

Hieronym.

Ab vndarum puritate, & splendore pulcherrimum sumitur argumentum pro immunitate Mariæ à peccato originali.

Porro

Porro lumen efficit, vt in lumine prorsus versentur illa, super qua fertur: igitur aqua super quam Spiritus Dei ferebatur, in lumine prorsus, & à caligine seiuncta erat. Si ergo vndæ quia Spiritus sancti sedes à reliqua creaturarum turba arcendæ erant, & ab atro reliquarum rerum nigrore amouendæ: quid æquum erit, ac rationi conforme de Maria cogitare, quæ instar vndæ pellucidæ per tot Progenitorum aquæductus effluxit, in quam Spiritus sanctus superuenturus erat: profectò cùm densa caligo reliquos homines suffuderat, ac tenebræ delicti vniuersos Adami posteros inuaserant; sola B. Virgo ab hac communi strage immunis superno Spiritus sancti splendore, nempe gratia in primo sui conceptus exordio coruscabat, quia Verbo diuino sedes, ac lectica destinabatur.

210\. Huius etiam Marianæ immunitatis vmbra præcessit in prima orbis molitione. Habes enim Genes. 1. *Fiat lux.* Quæ verba premens S. Vincentius Ferrer. sermon. 2. de Natiuit. aptat ea lucidissimæ Mariæ Conceptioni per hæc verba. *Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebris culpa facta est &c. Et coniunctio Ioachim & Anna luminosa fuit.* Quorum verborum sensum, vt melius emedulles, animaduertenda est doctrina Magni Basilij lib 1. in Gen. vbi disquirit rationem, cur cum Deus solem constituturus esset patrem totius lucis, ac præsidentem dierum, illum tamen quarto die condidit, cum tamen prima die lucem fecerit: nonne maior nobilitas ab antiquiori, & vetustiori origine depromitur? sarius ergo foret, vt qui aliis præficiebatur, ac omnis lucis, ac dierum præses inaugurabatur, omnem aliam lucem antiquitate præcelleret. Rem dirimit sanctus Præsul, nempe id ita factum non sine arcano mysterio; quia oportebat creaturam omnium lucidissimam qualis est sol, non ortum duceret à tam obscuro genere, ac parente, quales sunt tenebræ; non quia planetarum princeps, ac mundi oculus minus promicaret, licet à tenebris proficisceretur, sed quia multum dedeceret adeo pulcherrimum Planetam à tam deformi, & obscuro natali originem trahere. Quare consultissime sol non à tenebris, sed à luce ortum habeat, & si aliquid antiquitatis deperdat. Nunc ergo dicat Vincentius de Mariano conceptu fatus, quia generatio eius fuit vt lux. Condidit ergo Deus hanc lucem Marianam gratia splendentem, ex qua sol Christus oriturus erat; dedeceret autem, si tantus Sol ortum duceret à Matre aliquando obscura, ac primæui delicti tenebris consepulta. Ad rem Anselmus lib. de Conception. Virg. cap. 8. *Quamuis*, inquit, *de mundissima Virgine conceptus sit, non tamen necessitate, quasi de peccatrice parente, iusta proles generari nequiret; sed quia decebat, vt illius hominis conceptio de matre purissima fieret.* Addit S. Vincent. sermon. 2. de Natiuit. Virgin. sermonem de immaculato B. Virginis conceptu attexens: *Non credatis quod fuerit sicut in nobis, qui in peccato concipimur, sed statim postquam corpus fuit formatum, & anima creata tunc fuit sanctificata &c. & statim, quia facta est lux sanctificationis in ea Angeli in cælo fecerunt festum Conceptionis.* Aiunt Astronomi nouæ lunæ splendorem prima nouilunij die videri in cœlis, secunda die in mari, tertia in terris: ideo forsan, vt res adumbrata vmbræ assimiletur, nouæ huius lunæ vel Marianl conceptus festum valde sero terris indictum fuit, ac festiuo cultu celebrari cœpit, quod tamen in cœlis ab Angelis ingenti plausu, & acclamatione, statim atque iubar eius affulsit, & corpus eius formatum, animaque creata in gratiæ splendore, concelebratum fuit.

Gen. 1.
Vincen. Fer.
Maria semper lucis splendore corusca, quia ex illa sol Christus exoriturus erat.
Basil.
Ansel.
Vinc. Ferr.
Angeli à principio in cælis festũ Mariani conceptus celebrarunt.

221\. Audisti nondum Deum creaturarum ornatum absoluisse, & Spiritum sanctum aquis superuectari, vel vt plures ex Hebræorum interpretibus vertunt: *In modum gallina incubantem super eas, & calore fouentem.* Insigne profectò amoris argumentum, si quidem Christus Dominus vt ingentem erga suum populum amorem ostenderet, metaphora gallinæ incubantis super oua vsus est. Matth. 23. 37. *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas.* Sed quænam sunt hæc amoris indicia, beneuolentiæque specimina spiritus diuini erga vndas præ reliquis elementis? *Quia*, inquit Alcuinus ad illum Gen. locum. *terra maledicendum erat, non aquis, quia homo de fructu terræ contra vetitum manducauerat, non de aquis.* Dedecebat tantam spiritus diuini munditiem, elemento superuectari, quod aliquando diuinæ maledictioni futurum erat obnoxium. Ergo non minus dedeceret Verbum diuinum sedem figere in Maria, si eam aliquando primæui flagitij maledictiõ feriret. Sed cur ita Spiritus sanctus non sibi lecticam apparat ex igne micanti, vel ex velociori vento structam? Solum erga vndas omnem affectum, beneuolentiamque ostentat. Proculdubio quia labentibus annis vndæ manus congressuræ erãt aduersus culpam originariam, ab eaque triumphum reportaturæ, quod iam exinde meditabatur. Quare aquas sibi in currum triumphalem spiritus diuinus deligit; quod suspicatus fuit Septimius Tertullian. lib. de Bapt. cap. 4. *Itaque*, ait, *de Spiritu sancto sanctificata natura aquarum, & ipsa sanctificare concepit.* Si ergo Spiritus sanctus vndas præ reliquis elementis adamat, quia videlicet bellum intestinum in originariam culpam indicunt, ergo opus fuit, vt Verbum diuinum Mariam sibi præ reliquis fœminis in Matrem deligeret, quia ea sola aduersum primorum parentum delictum certamen initura erat, caputque serpentis contritura.

Aliud vndarum priuilegium nempe fuisse lecticã Spiritus sancti.
Gen. 1.
Matth. 23.
Alcuinus.
Aqua peccato originali bellum indicunt, ideoq; à Spiritu sancto in lecticam seliguntur.
Tertull.

222\. Quem triumphum prædixerat sponsus Spiritus sanctus Mariæ sponsæ, dum ait Cantic. 1. c. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Vel vt Rupert. vertit, in similitudinem serpentis. Quod ornamentum sponsæ, aliqui vt Iustus Vrgelitanus, volunt esse capitis, ita vt super humeros non sine gratia, ac venustate decideret: at iuxta Hieronymum, & Rupertum sponsæ collum instar monilis exornabant eiusmodi Murenulæ aureæ; iuxta Bernardum non collum, sed aures tamquam inaures pretiosissimæ. Clemens Alexandr. pedum siue calceorum fuisse ornamentum singulariter opinatur; cui tamen adfauent verba sponsi, gressus sponsæ in calceamentis dilaudantis: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* Iuxta primam expositionem dicimus Virginem Mariam sibi nimium gratulari, & tanquam corona redimire tempora, quod serpentis caput, & originarij delicti Draconem attriuerit: quare sicut quondam Hercules, deuicto Leone Nemæo, pellem eius tanquam victoriæ triumphum super suos extulit humeros; ita Maria deuicto peccati originalis serpente, eius simulachrum tanquam ingentis victoriæ triumphum super humeros in maximum sui decus, & ornamentum adsportat. De quo triumpho applaudit sponsus sub typo sponsæ Mariæ. Cantic. 4. *Veni*

Cant. 1.
Rupert.
Iust. Vrgel.
Bernard.
Clem. Alex.
Maria triumphum de peccato originali reportat. deq; hac victoria sponsus applaudit.
Cant. 4.

ſponſa mea coronaberis de capite Amana, de cubilibus Leonum, & de montibus Pardorum. Si vero illæ murenulæ aureæ inſtar pretioſi monilis ſponſæ collum cingerent, illiuſque pulchritudinem augerent, tunc aſſerendum erit loco grauiſſimi iugi peccati protoparentum ſub cuius pondere preſſi omnes Adæ poſteri fatiſcunt, ſortitam fuiſſe B. Virginem pulcherrimum gratiæ, obedientiæ, reliquarumque virtutum monile à primo ſuæ conditionis exordio, iuxta illud Cant. 1. *Collum tuum ſicut monilia.* Quò reſpiciebat S. Ioan. Damaſc. dum vocat B. Virginẽ iuuencam iugum inexpertã. Quod ſi illo ornamento aures ſponſæ exornarentur, vtiq; quia ſibi cõplacet, quod à primo ſui conceptus momento non ſerpentis ſibilo aures præbuerit, ſed Dei nutui obtẽperauerit, quæ in obediendo promptitudo omnium maxima; ac proinde cũ ſponſus omnia corporis Mariani mẽbra in ſponſa cum rebus aliis contulerit, aures cum nulla altera re componit, quia nihil quo cum componi poſſit tanta in obediendo celeritas. Si demum ornatus ille pedibus inſeruiret, vt volebat citatus Clemens, vtique quia B. Virgo de ſerpente triumphum egit, ac tanquam victrix, ipſius figuram in calceamentis adſportat, vt eximium victoriæ partæ trophæum, ad eũ modum, quo Victores olim ſanguine ab hoſtibus ſuperatis hauſto, pedes tingere conſueuerunt.

Cant. 1. Damaſc.

Maria in obediendo incõparabilis.

223. Sed cur Diabolus ſerpentis potius formam aſſumpſit, quam columbæ? cuius pulchritudine, verſicolorumque varietate, tanquam aptiori inſtrumento ad alliciendam fœminam vti poſſet, eamque ſuperandam; quam horrido ſerpentis adſpectu, formidabili vultu, ſpiriſque ſinuoſo, quo magis fugari, quam allici poſſet Eua. Ita ſane, ait Magiſter Sent. lib. 2. diſtinct. 21. ſi permiſſus fuiſſet dæmoni, columbæ formam induiſſet, ſed noluit Deus, quia Spiritus ſanctus ſub eadem columbæ ſpecie ſuper Chriſti verticem in Iordane deſcenſurus erat: quaſi maxime dedeceret, vt eam Diabolus formam aſſumeret ſuoque contactu deturparet primo, quam poſtea, poſt longam ſæculorum ſeriem, ipſe Spiritus ſanctus aſſumpturus erat, non columbæ ſubſtantiam ſibi intime per vnionem copulando, ſed ſolum externam eius ſpeciem aſſumendo. *Venit*, inquit præfatus Doctor, *ad hominem in ſerpentis ſpecie, qui forte ſi permitteretur in columba ſpecie venire maluiſſet, ſed non erat dignum vt ſpiritus malignus illam formam homini odioſam faceret in qua Spiritus ſanctus appariturus erat.* Et credam Marianam columbam (de qua habes Cantic. 2. *Surge propera columba mea.* In quæ verba ſubdit Dionyſius Carthuſianus. *Columba mea, in qua nunquam fuit radix amaritudinis, fellea auſteritas, ſed ſimplicitas ſapientialis inuiolata.* Verbi diuini gerulam, & ſpecialiſſimam Spiritus ſancti ſedem, prius protoparentum delicto infectam, ac Dæmonis verſipellis contubernio commaculatam, ac conſpurcatam fuiſſe?

Mag. Sent. *Mallet Dæmon colũbæ ſpeciem aſſumere ad decipiendam Euam, quam ſerpentis, ſed id non permiſit Deus.*

Cant. 2. Dionyſ. Carthuſ.

224. Quin potius idem Spiritus diuinus adeo honori ab bonæ exiſtimationi ſponſæ Deiparæ ſemper conſuluit, vt quemadmodum noluit, vt dæmon aliquando columbæ ſpeciem aſſumeret, quia ipſe labentibus ſæculis ſub eiuſdem forma appariturus erat: ita noluit vt Moyſis virga Mariam adumbraret, bene vero Aaronis virga: quapropter ſancti Auguſt. Gregor. Bernard. ac plurium PP. ſuffragio Virgo Deipara cum Aaronis virga conferri ſolet, non vero cum illa Moyſis, tametſi hæc miraculorum, ac prodigiorum operatrix extiterit. An quia Aaronis virga flores ſimul, ac fructus edidit, & Virgo B. benedictum fructum nobis produxit? Sed nunquam Moyſis virgam referat, quæ aliquando in ſerpentis figuram verſa eſt; at dæmon ſub verſipelli ſerpente Euam ſeduxit, & peccatum in orbem inuexit, ac proinde nec vmbratice referre Mariam oportebat.

Maria recte per Aaronis virgam adũbratur, non vero per Moyſis, quæ aliquando in ſerpentem verſa eſt.

Equidem mirabar quod Deus Patriarchæ Ioſepho reuelauerit olim in ſomnis varios vitæ caſus ac rerum diſcrimina proſpera, & aduerſa, principatum etiam inter fratres, & in totam Ægyptum, cum tamen ſcriptura non memoret, Deum ei in ſomnis patefeciſſe importunam illam dominæ ſuæ ad peccandum ſollicitationem, quod vtique valde neceſſarium foret, vt ſic melius præmuniretur, & obarmaretur, vt in tanto bello victor euaderet, ſiquidem pugnaturus erat adoleſcens ardore iuuenili adactus, adſpectu pulcher, facie decorus, vrbanus, comes, conditione ſeruus, cum fœmina nobili, domina, pulchritudine allicienti, precibus ſollicitante, verbis teneris, & amatoriis prolectante, & hoc non ſemel, ſed quotidie: *Mulier quotidie moleſta erat adoleſcenti.* inquit ſacer ſcriptor Geneſ. 39. Ergo oporteret ad tantũ certamen diſcriminibus plenum, Ioſephus à Deo in ſomnis præoccuparetur, ſicut ad alios euentus à Deo præuentus eſt per reuelationem. Sed noluit Deus neque in ſomnis eiuſmodi pugnam Ioſepho detegere, ne etiam in ſomno ſopitum aliqua cogitatio minus munda illaberetur, quæ quia in ſomnis cõtingeret, in aliquem prauum motum propelleret illum, qui iuxta Bernardum, Ioſephum Virginis Deiparæ caſtiſſimum adumbraturus erat. Ergo potiori iure ab omni peccati macula immunem ſeruaturus erat Deus illam, quæ in veram Dei Matrem aſſumenda erat, ita vt non ſolum ipſa ab omni peccati macula exempta fuit, ſed etiam ipſius intuitu à Ioſepho ſponſo procul abfuit peccati labes, quæ ipſius mẽtem maculare poſſet; nec ſolum à Ioſepho ſponſo, ſed etiam ab illo, qui ipſius vmbram referebat, nẽpe à Ioſepho Patriarcha, qui nec ſomno deditus prauum aliquem aſſultum paſſus eſt, qui eum ad malum, adhuc in ſomnis inſtigare poſſet. 225.

Gen. 39.

Antiquioris Ioſepho caſtitas, & puritas adhuc in ſomno, Ioſephi ſponſi Mariæ caſtitatem referebat.

Audiſti Abrahamum aliquando inducentem famulum Eliezer illis verbis ad iurandum Gen. 24. *Pone manum tuam ſubter fœmur meum, vt adiurem te.* Nonne ſatius foret vt ſuper volumen aliquod ſacrum, vel ſuper altare manus apponeret, vt maior eſſet, & ſolemnior iuramenti religio, vt moris eſt apud omnes fere nationes. Occurrit Auguſtin ſerm. 75. de tempore, dicens id ipſum ſonare præfata Abrahami verba, nempe ait Auguſtinus. *Mitte manum tuam ad altare, aut ad arcam Teſtamenti, aut ad templum Dei, & iura mihi: fœmur tangebat, & per Deum cæli, & terræ iurabat. Quod ipſe Dominus*, ſubdit Auguſt. q. 62. in Geneſ. *cæli & terra in ea carne venturus eſſet, quæ de illo fœmore propagata eſt.* Si caro Abrahami eam ſanctitatem ebibit, vt cum altari, & re qualibet alia ſacra componi poſſet, quia ex illa poſt longum generationum catalogum naſciturus erat Meſſias: Quæ ſanctitas, quæve ab omni peccati macula immunitas eam decebat, de qua natus eſt Ieſus. Bene Origenes homil. 1. in cap. 1. Matth. *Accipe*, inquit, *Mariam, ſicut commendatum cæleſtem theſaurum, Deitatis diuitias, ſicut pleniſſimam ſanctitatem, ſicut perfectam iuſtitiam: accipe eam ſicut Vnigeniti manſionem, ſicut honorabile templum, ſicut demum Dei.* Quid aptius propoſitæ theſi excogitari poſſet: 226.

Gen. 24.

Auguſt. *Caro Abrahami ſancta, ſicut templũ Dei, quia ex illa aliquando oriturus Meſſias.*

Origen.

in

in qoibus verbis vocatur Maria ipſa ſanctitas in abſtracto. Eodem modo vocat Paulus Chriſtum Dominum ipſam iuſtitiam, & ſanctitatẽ 1.Cor.1. *Qui factus eſt pro nobis iuſtitia, & ſanctificatio.* Vbi Chriſto tribuitur Sanctitas in abſtracto, vt ſumma eius innocentia, ac puritas declaretur. Qui enim ſanctus eſt in concreto, vt loquitur ſchola, potuit aliquando grauiter deliquiſſe, neque omnino denegat aliquas leues noxas, quæ cum homine ſimul eſſe poſſunt. At ſanctitas in abſtracto omnem à ſe amouet culpam, forma ſiquidem abſtracta cum ſibi aduerſaria decertat, & à ſe longe ablegat: quare ſi aliquando ſanctitas cum peccato commercium habuiſſet, ſanctitas abſolute nec eſſet, nec diceretur, quia dicit negationem omnis culpæ. Eodem modo cum proportione Origenes, & alij Patres loquontur de Virgine Maria. Imo Cantic.7. fatus ſponſus de Maria ait: *Quam pulchra et chariſſima in delitijs.* Quæ verba ſic transferunt plures Interpretum: *Quam pulchra es charitas in delicijs.* Vbi charitatem in abſtracto vocat Mariam ſponſus; cum tamen de ſolo Deo proferri liceat. *Deus charitas eſt.* hoc enim attributum in nullam creaturam cadit; cuius omnis perfectio accidens, ſeu proprietas dici ſolet: vnde non vocamus Doctorem doctrinam, ſed doctum; neque regem dicimus eſſe potentiam, ſed potentem, nec fœminam pulchram, pulchritudinem, ſed pulchram: cur ergo ſponſus vocat Mariam, charitatem, quæ propria eſt ſolius Dei appellatio? in reliquis virtutibus, ac perfectionibus bene quidem poſſumos attribuere Mariæ nomina concreta, ſine ipſius honoris diſpendio, nempe eſſe ſapientem, non ipſam ſapientiam; eſſe potentem, non ipſam omnipotentiam, & ſic de aliis: at dum de ipſius innocentia, & ſanctitate ſermo inſtituitur, dicenda eſt eſſe ipſam ſanctitatem, & charitatem in abſtracto: ſicut enim gratia nequit eſſe peccatum; ſic etiam Virgo Deipara vocatur ipſiſſima charitas, quia nunquam vel leuem maculam peccati vel actualis, vel originalis admiſit. Quod rite expenderat S. Auguſt. tract. 65. in Ioann. his verbis: *O quam bene tibi cantatur, charitas in delicijs, quia ipſa non perdidit cum impijs animam ſuam.* In eundem ſcopum collimat Dionyſius Carthuſianus, dum docet Mariam eſſe ipſam vitam: *Maria non ſolum viua, ſed etiam vita dicenda eſt.* Cum de Maria, deque eius ſanctitate ſermo habetur, haud quaquam nomina concreta vſurpare debemus, ſed abſtracta: quare dicatur Maria Vita, non viuens, Sanctitas non ſancta, Charitas & amor, non amans.

1. Cor. 1.

Maria dicitur ſanctitas ſeu Charitas in abſtracto quia dicit negationem omnis peccati.

Cant. 7.

Auguſt.

Dionyſ. Carthuſ.

227. Reliqui iuſti ſigillantur in fronte iuxta Ioann. Apoc. 7. *Vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis habentem ſignum Dei viui* (& iterum) *donec ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum.* & Ezech. 9. *Signa Tau in frontibus virorum gementium.* Hoc ſignum ſeu ſigillum eſt Dei gratia iuxta Paul. ad Epheſ.1. *Signati eſtis ſpiritu promiſſionis ſancto.* Vel vt vertit Chryſoſt. *Sigillati eſtis.* At ſponſus B. Virginem ſic alloquitur: Cantic. 8. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum.* Alij legunt, *vt ſigillum.* Vbi gratiæ & amicitiæ ſigillum in corde ſponſæ Mariæ ſponſus ſculpere exambit. Sed cur non in fronte, vt in reliquis iuſtis? Docet Ariſtoteles naturam in viuentibus primum elaborare cor totius vitæ principium, poſtmodum tranſit ad reliqua membra efformanda, & poſtremo loco vultum effigiat. Ergo in reliquis iuſtis, in fronte gratiæ ſigillum imprimitur, quia in eorum iuſtificatione cunctatur, quouſque in lucem edantur, & ſacris Baptiſmatis vndis eluantur: vel ad ſummum tranſactis ſex menſibus à prima formatione, vt in Ioanne Baptiſta ob ſpecialiſſimum priuilegium, iuxta illud: *Et hic menſis eſt ſextus illi, quæ vocatur ſterilis.* At in B. Virgine ſponſus rumpit moras, & in primo inſtanti, quo Virgineum cor efformatum fuit, illud gratiæ, & amicitiæ ſigno ſigillatum fuit. *Pone me vt ſigillum ſuper cor tuum.* Quia ab æterno præ reliquis omnibus prælecta fuit in Dei Genitricem, & ſponſam.

Apoc. 7.

Ezech. 9.

Cant. 8.

Reliqui ſancti in fronte ſigillantur, Maria in corde, quia in primo vitæ inſtanti gratia ſigillata eſt.

Sed quid mirum gratiæ ſigillum in corde Mariano à primo ſui conceptus inſtanti Deus inſculpſerit, qui in ipſius facie Dei formam reſculpſerit. 228.
Ideo vocat Mariam Aug. ſerm. 35. qui eſt de Aſſumpt. *Quod ſi Te Dei formam appellem, digna exiſtis.* Dicitur Dei forma Virgo B. quia ſicut per vultum, & faciei phyſiognomiam homo cognoſcitur, & ab aliis ſecernitur; ita per Mariam quantus ſit Deus dignoſcitur, authore Chryſologo ſerm. 140. *Quantus ſit Deus ſatis ignorat, qui huius Virginis mentem non ſtupet, animum non miratur.* Deinde in facie veluti in quodam emporio eſt omnis animi attentio, ac negotiatio, omniumque ſenſuum nundinatio: ſic in Maria Deus ſpeciali quodam modo reſidet, & quaſi totus Deus cum omnibus ſuis attributis ibidem commoratur: vnde verba illa Pſalm. 86. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.* Alij vertunt. *Omnia viſcera mea in te.* Quod ſi in facie hominis præcipue pulchritudo reſplendet; ſic etiam Dei pulchritudo plus in Maria, præ reliquis omnibus creaturis emicat. Ad hæc in facie omnem munditiem ſeruare ſtudemus, eamque ab omni næuo, & macula elutam cuſtodimus; ac proinde qui Mariam peccati originalis labe fœdatam adſtruunt Dei formam ſeu faciem limpidiſſimam, omnique nitore ſplendentem commaculant, ac deturpant. Hæc autem Dei forma vtique recte apparere non poſſet in Maria, ſi noxam originariam contraxiſſet, imo nec diuinitatis veſtigium in ipſa reluceret.

Auguſt.

Chryſol.

Pſal. 86.

Maria Dei facies, vnde qui eam originali macula deturpant, faciem Dei commaculant.

Condiderat Deus in principio cœlum Solis, Lunæ, ac ſyderum ſplendore viduum. *Cœlum*, inquit D. Baſil. hom. 2. in Hexam. *non erat excultum, aut perpolitum, nondum ſplendeſcebat radioſiſſimo ſole, lunaque circumfuſum; at neque ſtellarum choris tanquam ſertis redimiebatur, neque enim iſtiuſmodi erant condita; à veritate ne aberraueris, cœlum quoque ſi dixeris fuiſſe conditum.* Sed cur ita Deus cœlum in prima ſui conditione ſyderibus non exornauit? & reſpondet Anaſtaſius Synaita, id ideo factum, nempe vt Hebræis offendiculum tolleretur; ne videlicet cœlum Sole, Luna ac ſyderibus ſplendens, tanquam Deum ſuſpicerent. Sed vix intelligi poteſt quam vim exereret hæc ratio, vt eos à ſimili idololatria arcere poſſet. Verumtamen ingens robur ineſt rationi illi Synaitæ: quod enim veri Numinis ſpecimen, vel quodnam Deitatis veſtigium reperiri poſſet in cœlu, quod aliquando turpe, deforme, ac deuenuſtatum apparuit, tenebris obſitum, caligine circunfuſum, quodque adeo obſcurum ortum habuit? Anne cœlo luce orbato, fuligine maculato, aliquando diuinitas inſideret; quæ lucem ſemper habitat inacceſſibilem; Renuent profecto Hebræi cœlum vt Deum ſuſpicere, quod in prima ſui molitione omni ſplendore nudatum contemplantur, cuius ortum atra fuligine circumductum adſpiciunt. Cœlum pulcherrimum 229.

Maria cœlum ſplendens ac pulcherrimum.

Epiphan.

vocat Epiphanius ſerm. de laudibus Mariæ, ventrem Virgineum: *O uterum cælo ampliorem.* Pudeat Marianæ immunitatis minus cultorem cenſuiſſe hoc Virgineum cœlum in prima ſui formatione, atra primi delicti macula fœdatum fuiſſe, ac peccati originarij litura deuenuſtatum, quod Thronus regius ac ſublimis, ſolium maieſtate plenum auguſtæ diuinitati ſtruebatur, aureaque lectica incarnatæ Sapientiæ parabatur; ac imago formam Dei ad viuum exprimens diuino Spiritus ſancti penicillo depicta orbi proponebatur. Quare in ſua prima conditione ſole fulgeotior ſplenduit, omni ſydere ſplendidior ſcintillanir.

230\. Hebr. 7.

Fatus gentium Doctor ad Hebr. 7. de Chriſti Domini ſanctitate ait: *Talis decebat, vt eſſet Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* Dum Chriſti innocentiam, & omnigenam ſanctitatem delineat Paulus, cur in poſtremis verbis gradum facit ad ipſius gloriam, quaſi propoſiti thematis oblitus. Sed abſit hoc; imo egregie intentum roborat, ac propoſitam theſim confirmat: vt enim probet, nobiſque proponat Chriſti immaculatam puritatem, ac ſanctitudinem, nullo alio robuſtiori argumento id melius, & efficacius concludere poſſet, quam ſi dicat, adeo fuiſſe ſanctum, innocentem, & impollutum, vt excelſior cœlis ſublatus fuerit. Veniat nunc in mentem dixiſſe Iobum quondam c. 4.

Iob 4.

Cæli non ſunt mundi in conſpectu eius, & in Angelis ſuis reperit prauitatem. Quo quidem facto veſtigium aliquod peccati præteriti in cœlis remanſit. Ab inferis exſuſcitatus Chriſtus cœlos ſcandit, ſedemque ſibi propriam deligit à dextris Patris, non vbicumque, ſed quatenus ſuperior, ac ſublimior cœlis exiſtit, ea enim puritate nitebat, vt in cœlis, in quibus præteriti delicti veſtigia impreſſa remanſerant exiſtere non pateretur. Quod excogitauerat S. Thomas in epiſt. ad Hebr. *In tantum,* ait, *Chriſtus ſeparatus eſt a peccatoribus, quod etiam factus eſt excelſior cælis, & ſuper omnem creaturam eleuatus.* Ac ſi diceret, ſuper omnes cœlos thronum ſuum collocat, ne ipſins puritas, aut ſanctitas in creatura aliqua, quam aliquando peccati lues maculauerat, ſedem figeret. Quod ſi poſtremus greſſus, quem fecit Ieſus, fuit cœlis ipſis ſublimior, vbi nunquam culpa pedem intulit: ſic primus ingreſſus Chriſti in vterum Marianum, oportebat vt illuc primo pedem inferret, vbi nullius peccati veſtigium reperiretur.

D Thom. *Primus greſſus Chriſti D. vbi culpa pedem non intulit, ſicut poſtremus greſſus fuit cælis ſublimior, vbi nec veſtigium peccati reperitur.*

231\. Matth. 1.

Hæc autem omnia obuenere Mariæ, quia ventre Deum exceptura erat. *De qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus.* Quia Deum hoſpitio excepit ab omni peccati labe exempta fuit. Acceſſerat Deus quondam ſub Angeli ſpecie in domum Loth, & ſic eum alloquitur Gen. 19. *Omnes qui tui ſunt educ de vrbe hac, delebimus enim locum iſtum?* Ac ſi diceret; ſtatui mecum has omnes vrbes funditus euertere: cito videbis cœlum ſulfur, & ignes perpluere, inundabunt incendia, quæque obuia deuorabunt flammæ, omnia ſerpens deuaſtabit ignis, conflagrabunt vrbes, arbores abibunt in fauillas, homines & iumenta in cineres redigentur. Te tamen, tuoſque ab hac vniuerſali calamitate eximo. *Omnes qui tui ſunt educ de vrbe hac.* Sed cur Deus tam grandi priuilegio Lothum donat? Anne quia innocens? neutiquam, plurimi ſiquidem Infantes labis expertes omnis, ſceleriſque puri ab illa communi conflagratione exempti non ſunt. Anne quia Sodomorum nefanda flagitia auerſatus fuit? ſed id parum fuit, oportebat enim, nefandos illos populos omnino deſerere, execrari, & ab illis ſe ſubducere. Quo igitur obſequio Deum ſubornauit Lothus, vt ab vniuerſali incendio liber, & incolumis euaderet? vtique quia Deum ſub Angelorum ſpecie recepit hoſpitio, ſi credimus Chryſoſtomo. *Vide,* inquit, *quomodo iuſti hoſpitalitatem remuneratur, & quo modo propter eius merita largiri vult et ſuorum omnium ſalutem.* Itaque Lothus quia Deum hoſpitē habet à futuro Sodomorum incendio non ſine grandi priuilegio ſoſpes euaſit. Nihil ergo mirum cuipiam videatur, ſi Virgo B. quæ in Dei Hoſpitium, & Verbi diuini Matrem ab æterno prælecta fuit ſingulari Dei beneficio, ab vniuerſali peccati originalis incendio, quod per omnes Adæ poſteros graſſatur, exempta fuerit. De quo locutus Iſaiæ c. 14. ait. *Ab Aquilone fumus veniet, & non eſt qui effugiat agmen eius.* Quæ verba de peccato originali interpretatur Hieronymus in eum locum.

Gen. 19.

Chryſoſt. *Maria quia excepit Chriſtum hoſpitio à communi peccati originalis incendio liberatur.*

Iſaiæ 4.

232\. Gen. 8.

Hoc immunitatis ab originali culpa priuilegium in Maria adūbrauit Moyſes Gen. 8. Vbi tempore illius generalis catacliſmi. *Dimiſit,* nempe Noë, *columbam ex arca, at illa venit ad eum portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore ſuo.* Mox dubium exoritur, an Ramus ille viridantibus frondibus exornatus, à communi illa vndarum iniuria fuerit exemptus? quod difficultate non caret, quia ædificia quæque, turres celſiſſimæ, propugnacula munitiſſima; arbores, & arbuſta quæque tantæ aquarum alluuioni ceſſere, adeóque in tanto tempeſtatum conflictu nihil viride, inſpecta rerum natura, remanere potuit. Quod autem tranſacto diluuio ramus ille oleæ denuo pullulauerit difficilius apparet; cùm tam breui dierum interſtitio nulla ratione reproduci potuerit. Pererius lib. 3. in Gen. cum D. Chryſoſtom. & Ambroſ. cenſet ramum hunc ex antecedentibus oleis ante diluuium ſingulari exemptione ab vndarum colluuie reſeruatum fuiſſe ſuo virore florentem. Sed ramus hic virentibus foliis Mariam adumbrabat, quæ ab vniuerſali culpæ originariæ inundatione, ſingulari Dei priuilegio fuit exempta; cumque reliqui omnes hoc communi naufragio ſubmerſi fuerint; hæc vna immunis euaſit: *Quaſi oliua ſpecioſa in campis.* Eccli. 24. Hæc vna ſuo virore conſpicua ſuperfuit, cum reliquæ omnes arbores licet celſiſſimæ communem illam vndarum ſpurcarum iniuriam ſubierint, & arefactæ fuerint; hæc ſola ſuum virorem, & pulchritudinem illæſam & intactam cuſtodiuit, quia *fecit Deus potentiam in brachio ſuo.* Vt eam ab hoc vniuerſali naufragio exemptam ſibi reſeruaret. De Iulio Cæſare veterum monimenta prodidere, tanti ſuos Commentarios feciſſe, vt in mare proiectus, vi tempeſtatis adactus, altero brachio naniſſe; altero in altum erecto, commentarios ſuos ſuſtinuiſſe ab vndis illæſos. Sic Chriſtus Dominus in mare rubrum paſſionis ſuæ proiectus, iuxta illud Prophetæ. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam;* Omnipotentiæ ſuæ brachium ſuſtulit, & ex præuiſis meritis ſuis Mariam, quæ liber eſt generationis Ieſu Chriſti, *Liber in quo Dei Verbum ineffabiliter ſine manibus ſcriptum fuit,* inquit Damaſcenus; ab immunda vndarum peccati originalis alluuione liberam, & immunem reſeruaret. Cui Marianæ immunitati à protoparentum noxa quanto Deus ſtudio inuigilauerit ex ſequenti numero pronum erit elicere.

Peter. Chryſoſt. Ambr. *Maria ramus oliuæ, quæ ſingulari priuilegio à culpa originaria diluuio fuit exempta.*

Eccli. 24.

Damaſc.

233\. Ambr.

Audaci niſu, ſed verè pronunciauit Ambr. lib. de inſt. Virg. cap. 6. *Maluit Dominus de ſua generatione*

ratione, quam de Matris pudore dubitari. Equidem tanto Patrono fretus ausim dicere, Deum maiori studio quoad externa signa, & figuras, remouisse omnem culpæ originariæ suspicionem à Maria, quam ab ipso Christo. Formauit Deus Adamum de limo terræ, Euam verò de Adæ costa fabricatus est, Gen. 2. cur ita? de Adamo condidit Euam; nimirum quia vmbratice Mariam in Dei sponsam effigiabat; sicut Adamus Christum adumbrabat: quia ergo terra protinus maledictis à Deo impetenda erat, immediatè à terra noluit fabricare Euam, vt nec per vmbram vlla sordis suspicio Dei Genitricem macularet. Quare ab Adamo innocente, Eua merito formatur, non de terra maledictioni iam obnoxia. *Sponsam*, inquit Basil. Seleuc. orat. 2. *dedit è latere—neque verò ex terra, sed ex latere membrum mutuatur.* Idipsum videre est in serpente æneo, Numet. 21. Hebræi ob iactas in Deum querelas veneniferis serpentum morsibus in mortem excruciabantur, vt quæ linguis intulerunt vulnera pestiferarum linguarum Janiena luant; clamoribus ergo æthera complent, & Moysem deprecantur, vt talem pestem procul auertat: Deus autem ad misericordiam motus, serpentem æneum fieri iubet, cuius solo adspectu à serpentibus infecti sanarentur. *Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo. Qui percussus adspexerit eum, viuet.* Hunc serpentem æneum in sublime erectum Christi vmbram extitisse fide diuina erudimur, ait enim Christus Dominus, Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis, qui credit in ipsum, non pereat.* Et tamē B. Virgo iuxta communem Patrum sententiam, vt supra monuimus n. 224. nunquā per virgam Moysis, benè verò per virgam Aaronis adumbratur; quia Moysis virga aliquando in colubrum versa est, qui Euam seduxit; ac proinde neque per vmbram in virga Moysis designatur Maria Virgo. Quare Deus quoad externa signa non ita sedulo à Christo maculæ vmbram, ac suspicionem arcere studuit, sicut à Virgine Matre; siquidem vt serpentis morsibus medelam inferret, faciem serpentis tetulit, ac per serpentem adumbratur: at in arcenda cuiuslibet, vel leuissimæ maculæ suspicione à Maria, sedulò inuigilat, & nec vmbraticè per virgam, quæ in serpentem versa est, adumbrari voluit.

Deus à Maria gradu suo terræ peccati suspicionem amouit.

Basil. Seleuc.

Num. 21.

Ioan. 3.

CERTAMEN III.

Propugnatio, ac defensio Dominicana pro immaculata B. Virginis Conceptione.

234. PAtrum suffragia hac de re videnda apud Iuniores Doctores, qui eos doctè, eruditè, ac fidelitet pro nostra sententia producunt, præcipuè noster Salazar, Oieda, Pineda, Pintus, Ramirez, & alij. Hic solum adnotare libet, sententiam piam solidissimo Sanctorum, ac veterum Patrum fundamento inniti. Quod iam olim vaticinatus fuerat Solymæus rex, Psalm. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Quæ verba communi omnium Interpretum sensu accipiuntur de B. Virgine. Sed quodnam hoc fundamentum, nisi immaculata ipsius conceptio: & ne quis hoc fundamentum mente, vel ore labefactare quoquo modo audeat; asserit Propheta hoc fundamentum iactum fuisse, & inniχum in montibus sanctis, id est in antiquis Patribus sanctitate, & doctrina præstantibus. Quod Paraphrastes Chaldæus luculentius declarat, dum verba illa ita interpretatur. *Cuius fundamenta super ore Patrum, qui fuerunt à principio.* Hanc igitur immaculatæ conceptionis veritatem sacrorum voluminum Interpretes, sapientiæ proceres, Theologiæ Antistites vno ore deprædicant; hanc Ecclesiæ Pattes, qui fuerunt à principio luculenter edocent, vt passim videre est apud iuniores Doctores, qui hac de re tractatus omnigena eruditione refertos ediderunt. Quocirca ne actum agam, eos tantum hic profetam huius veritatis testes tanquam omni exceptione maiores, de quorum sententia dubium esse poterat. In medium ergo producam aliquos Biblicæ literaturæ Primates, Theologicæ Scholasticæ Antesignanos, ex sacra, ac sapientissima Dominicanorum Familia, qui pro immaculati conceptus B. Virginis veritate acriter decertarunt; quorum Dux, ac primipilus præit S. Patriarcha Dominicus Ordinis Author, cuius sententia perspicuè apparet ex libello de Sacramento Corporis Christi in lucem edito, deprompta, vbi S. Doctor hæc habet verba: *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta fuerat, ita decuit in secundo Adam fieri, id est Christo, cuius terra, id est Mater Virgo nunquam fuit maledicta.* Quæ verba ex S. Apostolo Andrea deprompsit, vt infra videbimus. Sed inficiatur Maluenda lib. de paradiso, cap. 60. libellum illum, qui sancto Dominico tribuitur, fuisse ab ipso conscriptum; quia neque Vincentius Bellouacensis, nec Theodoricus Apoldia illius meminere. Miror equidem Fr. Maluendam alioquin virum eruditum, ita in suis Doctoribus parum fuisse versatum; siquidem Vincentius præsul Bellouacensis in speculo Hist. lib. 29. c. 49. hunc titulum illi capiti præfigit: *Qualiter eius libellus igne ter exiuit illæsus.* Theodoricus Apoldia, cuius libros correctos in lucem dedit Surius tom. 4. lib. 1. hunc titulum præfert caput sextum. *De prædicatione S. Dominici aduersus Hæreticos, & de libello ab igne nihil læso.* Præterea S. Antoninus 3. p. tit. 19. c. 1. §. 4. ita scribit: *Libellus verè serui Dei Dominici non solum ab igne non læditur, verum ab igne foris proslyt in longinquum; secundòque iniectus, at tertiò aquâ prodijt incombustus, vnde canit Ecclesia ter in ignem libellus traditus, ter exiuit illæsus penitus.* Et in quadam Breuiario Hispalensi typis mandato ann. 1563. reperitur in Responsorio lectionis tertiæ in Festo S. Dominici idem miraculum his verbis expressum: *Verbum vitæ dum palam promittitur, surgunt hostes, liber conscribitur fauene, omnis sic error vincitur, fides extollitur. Ter in flammas libellus traditus, ter exiuit illæsus.* Contestantur cum his Iacobus Episcopus Genuensis eiusdem Ordinis lib. de legēdis Sanctorum, c. 108. Fr. etiam Ferdinandus del Castillo eleganter tem eandem tradit lib. 1. cap. 8. Perbaltus lib. 4. Sellatij part. 1. art. vlt. Videantur etiam Canisius lib. 1. de B. Virg. cap. 7. Coccius lib. 3. Thesaur. Salmeron ad Rom. 5. Galat. lib. 7. cap. 5. Suar. in 3. part. tom. 2. d. 3. sect. 5. Vasq. ibid. d. 117. Qui omnes cum aliis prædictam sententiam S. Dominici pro immaculata B. Virginis Concept. admittunt, ipsique S. Dominico attribuunt. Hanc ergo sententiam piam S. Patriarcha, & scripto, & verbo acertime propugnauit. Cuius Parentis exemplo perillustris illa prima soboles eandem sententiam affectata fuit. Hinc Fr. Ioannes de Palencia in Martyrologio S. Dominici, quod de mandato Generalis ordinis typis mandauit, Conceptionis B. Virginis festum apposuit. Imò Magister Heruæus Natal. eiusdem Ordinis Generalis 14. in Commentar. ad epistol. D. Pauli

Psalm. 86.

Sententia pia solidissimo Sanctorum PP. fulcro innititur.

235.

S. Dominic.

Dominicana desensio pro immaculata Virginis Conceptione.

Antonin.

Brcu. Hisp.

Ferdin. del Castillo.

Canis.

Coccius.

Salmeron.

Suar.

Vasq.

Fr. Ioan. de Palencia.

Heruæus.

D. Paull in illa verba 2. Cor. 5. *Ergo omnes mortui sunt*; hæc babet. *Omnes itaque mortui sunt in peccatu, nemine excepto, dempta Matre Dei, sine originalibus, sine voluntate additis.* Et quidem animaduersione dignum est, titulum antiquum huius libri siue commentarij Heruæi, illum fuisse. *Interpretatio literarum Doctoris gentium, quam Heruaus à maioribus, vel ab ipso Deo sumens composuit.* Possevin. Ita Posseuinus in apparatu sacro.

236. Albert. Mag. Albertus Magnus teste Canisio lib. 5. de Deip. cap. 27. in quodam tractatu de duodecim priuilegiis B. Virg. eam eximit ab illa generali regula. *Omnes in Adam peccauerunt.* Quod etiam refert Iustin. Antist. Fr. Iustinianus Antist. in Addit. cap. vlt. §. 18. Iacob. de Vorag. Iacobus de Voragine serm. de planctu Virg. & serm. de Annunc. hæc scribit: *Non quidem ad purgationem peccatorum, cum nullum habuerit B. Virgo, sed ad maius meritum consequendum, quæ fuit immunis ab omni peccato.* Holcot. Robert. Holcot in Sapien. lect. 160. ait: *Capiendo nomen conceptionis strictè, & propriè B. Virgo non fuit concepta in peccato originali.* Taulet. Ioan. Taulerus Doctor illuminatus ser. de Purif. ita scribit: *Qui nimirum hinc illi accessit decor, quod culpa originalis perpetuo expers fuit, à qua præseruarat illam filius eius, ita vt ne momento quidem temporis, vel ira filia, vel vas immundum, vel diabolico, sicut nos alij omnes, subiecta dominio fuerit. Præuenit enim hoc Sapientia æterna nolens electissimum templum suum aliqua labe aspergi.* Leonard. de Vtino. Leonard. de Vtino serm. 12. cap. 2. pro eadem immunitate decertat: *Maioris, ait, gratia est præseruari à lapsu, quam post lapsum reparari, vt patet in Virgine Maria.* Viguer. Viguerius in Instit. cap. 18. §. 6. *Virgo*, inquit, *non habuit peccatum originale, licet processerit ab Adam secundum rationem seminalem, sed ipsa sola speciali priuilegio præseruata fuit.* Guilliel. Pep. Guillelmus Pepin celebris Concionator lib. de imitatione Sanctorum serm. de Concept. eandem sententiam affectatur: *Separata, ait, fuit B. Virgo Maria à communi vita aliarum mulierum quoad multa. Primò quoad culpa fœditatem, quia sine peccato concepta, & absque peccato vixit.* Sancius de Porta. Sancius de Porta in concione habita coram summo Pontifice hæc protulit: *Hac priuilegiatissima Virgo habuit mali carentiam vnde excipitur à regula generali.* Per quod sacri Palatij magisterium adeptus est. Hugo Cardinalis in *Magnificat*, ad illa verba: *Fecit mihi magna qui potens est*, subdit: *Primum fecit eam ab originali præseruari.* Balthas. Sorius. Balthasar Sorius Vicarius Generalis in Prouincia Bœtica in libello aduersus septem blasphemias hæc scribit: *Itaque hostili hac calliditate inspecta, apertè protestamur, & dicimus, nihil contra Virginis nec machinari conceptum, aut aliquid quodlibet paruum persuadere, quo Deifera Virgo purissima originale suspicetur peccatum contraxisse: scimus enim fidelium deuotionem toto pene iam orbe diffusam, quam Ecclesia sancta non reprobat.* Ioan. de Fenario. Ioannes de Fenario Magister Generalis Ordinis tract. de Concept. 1. p. cap. 6. §. 7. hæc habet: *Omnes iamiam ita sentire debent, Virginem videlicet Mariam absque originali macula fuisse conceptam. Si D. Thomas, & alij huiusmodi Magistri nunc viuerent, ita sine dubio sentirent; & quo magis docti, & sancti essent, tanto magis cum reliquis catholicis censerent. Hæc enim opinio per totam fere Ecclesiam magis patefacta est.* Aluar. Pizan. Doctor Aluarus Pizanus discur. 2. de Concept. refert S. Vincentium Ferrer. S. Raymundum, ac B. Ludouic. Bertran. pro rostris de immaculata conceptione conciones habuisse. Domin. Sot. Dominicus Soto primarius Professor Theologiæ Salmanticensis, & à confessionibus Imperatoris Caroli V. lib. 3. de Sacramentis, c. 11. & lib. 1. de natura, & Gratia, cap. 7. & in epist. ad Rom. cap. 5. illa Apostoli verba premens: *In quo omnes peccauerunt*; ita restringit: *Absit vt vllum hic verbum de sanctissima Virgine Dei Genitrice faciam, vtrum videlicet hac sententia concludatur, nec ne: nam etsi Concilium Tridentinum Decretum Sixti innouando, libertatem fecerit sentiendi in vtramque partem, est tamen exceptio B. Virginis ab hac vniuersali sententia Pauli, vsque adeo celebris non modo inter plebes, sed etiam inter bonos Doctores, quales præcipuè sunt illustrimi Parisienses, vt si qui hanc sibi exceptionem persuadere non possunt, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus saltem producere disputationem, adeo id absque odio, & inuidia nequirent facere.* Huic tanto Doctori assentitur Iustinian. Antist. ex eadem Familia in Additionibus ad vitam B. Ludouici Bertran. cap. vlt. §. 14. ait ergo: *In Hispania, & apud Indos, & ferè in tota Europa scribere, siue docere, siue concionem ad populum habere aduersus immaculatam B. Virginis conceptionem, vtique nihil est aliud, quam ansam præbere, vt ipsis illud Terentianum obijciatur. Frustra niti, & laboranda nihil aliud quam odium quærere, extrema dementia est. Frustra quippe nituntur, qui pro sententia minus pia decertent, totum enim orbem sibi infensum habent: satius ergo foret illam sententiam deserere tanquam domum ruinosam.* Iust. Antist. Aptè Plinius lib. 8. cap. 28. ait de muribus: *Ruinis imminentibus musculi præmigrant.* Plin. Pius V. vniuersale illud indultum expediuit, quo iubetur festiuo cultu, & officio proprio celebrari Conceptum immaculatum B. Virginis. Pius V. Magister Mancius Primarius Salmantinæ vniuersitatis Professor in eadem fuit sententia pia, vt refert Henriquez lib. 3. summ. cap. 11. Mancius. Fr. Alphonsus Nauarrus serm. de Concept. propria sententia sic fatur: Alphons. Nauar. *Si filius Dei mortuus noluit sepeliri nisi in sepulchro nouo, in quo nondum quisquam positus fuerat, nec inuolui corpus eius nisi in sindone munda, & nunc nec consecrari in pane fermentato, sed in azimo sinceritatis; nec super pullum ascendit, nisi cui nemo vnquam hominum sedit; profecto nec Matrem credendum est sibi elegisse, ab alio prauentum, & conculcatam, nisi tam omni tempere ea sanctitate pollentem, quâ maior sub Deo inueniri non possit.* Multus essem si omnium Doctorum huius familiæ testimonia in medium proferrem, qui hanc nostram piam sententiam amplexi sunt, vt sunt Cabrera, Medina, Peña, Ludouicus Granat. Herrera, Gutierrez, Abrahamus Bzouius, Dominicus Florentinus, Ægidius Fuscarius, Philippus Diaz, Ioan. Herolt Generalis, Ioan. Lopez, Leonardus Marinus, Albertus Aguago Episcopus Astorgæ, Melchior Cano, Ferdinandus Oxea, Hugo de prato florido, Mauritius de Villa probata, Vincentius Bellouac. & alij innumeri, qui tanquam filij legitimi tanti Parentis ipsius sanctitatem, & doctrinam æmulati sunt. Cabrer. Medina. Penna. Lud. Gran. Herrera. Bzouius. Canus.

Hugo Cauello refert *in Rosario*, tanquam oculatus testis se vidisse syllabum, in quo continebantur expressa testimonia quadraginta & octo Scriptorum ex sacra Dominicanorum familia, propugnantia nostram piam sententiam de immaculata B. Virginis Conceptione, qui syllabus Romæ in lucem prodiit ann. 1619. Pater Iosephus Guarnizo Societatis Iesu, in speciali Memoriali ad Eminentissimum Cardinalem D. D. Balthasarem de Moscoso, & Sandoual, duodecim sacri Palatij Magistros enumerat pro eadem sententia: & quinque Generalissimos Dominicanæ familiæ, qui eidē piæ

ſententiæ patrocinantur. Addit Vuadingus in legatione Illuſtriſſimi Epiſcopi Trejo pro Philippo III. ad Paulum V. plurimas epiſtolas allatas, in illa legatione fuiſſe à Doctiſſimis grauiſſimiſque Patribus Dominicanis, in quibus immaculatum B. Virginis Conceptum ingenuè proteſtabantur, eiuſdemque cultum ſollicitè contendebant. Addo Magiſtrum Fr. Faxardo virum Doctiſſimum Dominicanum Eccleſiaſtæ munus obeuntem pro quadrageſima, vnoquoque ſabbatho, concionem ad populum habere de immaculata B. Virginis Conceptione magno auditorum plauſu hoc anno 1653.

Manuale Ordinis S. Domin.

237. Sed luculentiùs id oſtenditur in Manuali Ordinis S. Dominici in Hiſpania, Hiſpali edit. an. 1524. vbi cap. vlt. hæc verba habentur. *Sed iam de hoc non eſt curandum, cum ſit materia nullius vtilitatis, & valde ſcandaloſa; præſertim cum tota ferè Eccleſia, cuius vſus, & authoritas ſecundum D. Thomam, prævalet dicto Hieronymi, & cuiuſcumque Doctoris, iam aſſerat quod fuit præſeruata.* Et in comitiis Prouincialibus habitis Hiſpali, vbi præfuit Fr. Albertus de las Caſas Prouincialis S. Dominici in Prouincia Bœtica, in quibus interfuere Viri grauiſſimi, & doctiſſimi, inter quos aderat Fr. Dominicus de Guzman, & Fr. Melgarejo viri optimæ literaturæ: in his ergo comitiis eiuſmodi decretum ſancitum fuit pro immaculata B. Virginis Conceptione, quod poſtea inſertum fuit in libello, qui inſcribitur Manuale Prædicatorum excuſum Hiſpali ann. 1524. vt refert noſter Oxeda tractatu de Concept. decretum autem ſic ſe habet: *Quia Ordo Prædicatorum ſolitus eſt ſemper Sanctorum doctrinæ adhærere, ſuſtinuit hucuſque opinionem, quod B. Virgo fuit concepta in originali.* Et poſtea ſubiicit verba iam poſita initio huius numeri. Per quod decretum in Breuiariis, & Miſſalibus eiuſdem Ordinis, à quibus expunctum fuerat Feſtum Conceptionis Beatæ Mariæ, iterum excuſum fuit. Poſtremò refert Iuſtinianus Antiſt. iam citatus Cymbalum huius Valentini Cœnobij Fratrum Prædicatorum, quod cymbalum reliquorum *omnium*, maximum *eſt*, inſcriptum habere circum in ipſius ora hunc titulum. *Maria Virgo ab omni peccato originali fuit immunis.* Itaque non ſolum hæc illuſtriſſima Familia oro, voce, ac ſcripto pro roſtris, pro ſuggeſtibus, ac prælis pro immaculata B. Virginis Conceptione decertat, ſed etiam reperiris cymbalorum tinnitibus, ac concrepantibus tintinnabulorum reboatibus eandem veritatem deprædicat.

Comitia Prouin.

Dominicanorum familia, & ore, & ſcripto, & cymbalorum reboatibus immaculatā Mariæ conceptum deprædicat.

238. Ex quibus omnibus ſatis inclaret huius ſanctiſſimæ Familiæ Viros ſummates, Theologiæ Principes, omniſque literaturæ Proceres validiſſimè immaculatum B. Virginis conceptum propugnare; itavt in eos merito deflectas illud, Prou. 8. *Audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abycere eam.--Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei.* Vbi iuxta plures Interpretum fatur Virgo Deipara cum ſuarum laudum buccinatoribus. Quæ vltima verba Hebræi ſic transferunt: *Et cuſtodierit poſtes oſtiorum meorum.* Septuaginta ita exſcribunt: *Seruans limina meorum introituum.* Sciſcitaberis modo, quænam ſint hæ fores oſtiorum? Occurrit Caietanus literali indagine locum illum verſans, & ita exponens: *Iuxta Hebræum habetur ad cuſtodiendum poſtes oſtiorum meorum. Poſtes oſtiorum ſapientiæ ſunt Doctores ſuſtinentes oſtia.* Adſtipulatur Hugo, qui eiuſmodi Doctores ait eſſe, ſicut Mardochæum, de quo ſic habes, Eſther 2. *Mardochæus manebat ad ianuam regis.* Hi profectò ſunt, quibus clauium ſapientiæ cura demandata eſt, & ſunt ianitores ipſius, Ianum imitantes, quem ianuis occludendis, & reſerandis præſidere exiſtimabant Veteres; itaque hi Doctores, & ſapientiæ Magiſtri poſtes ſunt, & limina Matris ſapientiæ Mariæ: & quemadmodum Principum qui foribus aſſident, ac regiam frequentant, vt honores extorqueant; ita hi non minorem curam impendunt Mariæ ſubornandæ ſibique conciliandæ, quam illi in ambiendis honoribus. Vel etiam fortaſsè ducta eſt ſimilitudo ab his, qui tanquam Amaſij Amicarum foribus aduigilant, & liminibus affixi noctes inſomnes tranſigunt: ſic hi Doctores B. Virginis Amaſij eius foribus aſſident, introitus cuſtodiunt, nimirum geminatum ingreſſum, & ad eſſe naturæ, & ad eſſe gratiæ; vel introitum, & ingreſſum in Annæ vterum in puncto Conceptionis, & introitum in mundum in die Natiuitatis. Vlterius ſicut canes cuſtodiunt hæc oſtia, & introitus, ſuiſque argumentorum morſibus truculentam luporum, id eſt hæreticorum rabiem arcent, & propulſant. Conſtat autem antiquitus canes Deorum ſimulachris cuſtodiendis apponi conſueuiſſe, de quo Pierius in Hieroglificis. Ergo hi Doctores tanquam Moloſſi rationum latratibus introitum hunc Conceptionis magnæ Matris ab omni peccati fæce immunem cuſtodiunt: Herculeaque ſolidæ doctrinæ claua omnem aditum intercludunt; ac flecti neſcio robore hoc magnæ Matris ſingulariſſimum, ac honorificentiſſimum priuilegium immaculati conceptus, & verbo, & ſcripto ſuffulciunt.

Prou. 8.

Caiet.

Eſther 2.

Dominicani Patres tanquam Moloſſi rationum latratibus immaculatum Deiparæ conceptum propugnant.

Nihil ergo penitus deſiderandum eſt, in re adhuc non definita, vt prope diem definiatur. Nimirum aduerſariæ factionis Doctores Principes, ac reliquorum duces iam herbam porrigunt, ſeſeque piæ ſententiæ libenter ſubmittunt, tametſi aliquando vel contrariæ palam ſuppetias ferrent, vel dubij, & ancipites hærerent; nunc autem hac eorum dubietate depulſa, ſolum reſtat, vt conceptionis immaculatæ myſterium peragatur, ac tanquam de fide promulgetur. Audiſti Matth. 1. Incarnationis myſterium tacitus à Ioſepho vocari in dubium. *Antequam conuenirent*, ait Matthæus, *inuenta eſt in vtero habens de Spiritu ſancto. Ioſeph autem vir eius cum eſſet iuſtus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis, &c.* Itaque de myſterio dubius ſeriò abſceſſum meditabatur Ioſephus, ſed profectò Ioſephi dubietas anxia myſterij aliquo modo deuenuſtare poterat B. Virginem in ſecreto mentis receſſu ipſius Ioſephi; ſed peractum Incarnationis ſacramentum nullo modo labefactare potuit. Sed animaduertendum eſt apud D. Paſchaſ. idem prorſus eſſe, Ioſephi dubietatem pelli, ac Incarnationis Myſterium peragi. Audi illum præfata verba prementem: *Vnde quia in Ioſepho pietas, & iuſtitia decertare videntur; mox pellitur dubietas, & reuelatur arcanum. Panditur planè quod primum per Angelum aſſenſum fuerat Mariæ, & fit continuè Myſterium.* Protinus ac ambiguitas de myſterio à Ioſepho per Angelum propulſatur, ac libens & ſpontaneus annuit, myſterium perficitur. Quid ergo? anne Ioſepho in dubio perſeuerante ſemel peractum Incarnationis opus non fuiſſet adhuc perfectum? & quod ſemel factum fuit infectum eſſe potuit? Abſit, ſed extrinſecæ perfectioni, ac conſummationi myſterii quoad nos multum obeſſe poterat vel vnius magni viri, ac Patriarchæ dubietas, quæ ſtatim atque cælitus diſpellitur, illico myſterium fieri, ac conſummari penitus

239.

Matth. 1.

D. Paſchaſ.

Aliquorum DD. dubietate depulſa myſterium immaculati conceptus virginis quoad nos perficitur.

tus asseritur. Scis iam quo nostra tendat oratio: nimitum paucissimorum dubietas mysterij immaculati conceptus Mariani potuit aliquo modo deuenustare, in abscondito mentium suarum recessu hunc primum introitum B. Virginis in Annæ vterum: at Mysterium peractum reipsa labefactare non potuit. Cum autem illorum paucissimorum Pater, tum & reliqui Primores, ac viri magni hanc dubietatem depulerint, & in piam sententiam vltro eant, eamque propugnent, vt constat ex dictis hactenus, & adhuc dicendis; meritò asserere possumus, Mysterium immaculati conceptus B. Virginis peractum iam fuisse, etiam quoad extrinsecam perfectionem. O vtinam à summo Ecclesiæ Capite, omni ambiguitate per definitionem depulsa, perficiatur, & consummetur.

240. Horum paucorum Doctorum dubietatem, & existimationẽ anteuertere satagebat sapiens Idiota dum versans verba illa sponsi, Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te*; hæc verba scripsit: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, non in parte, sed in toto; & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit.* Cur addidit, nec erit? cum fieri non possit, vt peccatum originale, quod in Conceptione non fuit contractum, postea in futurum contrahatur. Vt opinor, vir pius præcauebat, ne peccatum originale, quod reapse non incurrerat Virgo B. in suo conceptu; in paucorum existimatione, ac dubia mente incurreret; quam dubiam existimationem hac intempestiua præcautione, anticipata præuentione auertere conatur: nimirum vt sicut Virgo Deipara in se nullam labis originariæ maculam contraxit: sic in eorum mente, & existimatione, nunquam in futurum contrahat: & quæ tota pulcherrima, ac decoro gratiæ theristro amicta in Conceptione fuit reipsa, in paucorum hominum existimatione, & conceptu, fœda originariæ labis macula, ac turpitudine denigrata appareret.

Idiota.
Cant. 4.

CERTAMEN IV.

Aperitur mens S. Thomæ circa præsentem controuersiam.

241. VEniam ad Angelicum Doctorum S. Thom. quẽ supponunt aliqui in controuersia Conceptionis varium fuisse. Nam 3. part. quæst. 27. art. 2. & alibi docuit, B. Virginem noxa originali infectam fuisse; & in 1. dist. 44. quæst. 1. art. 3. oppositum omnino docet, vt infra videbimus; & Ioan. à S. Thoma in 1. part. tractatu de Authoritate Angelici Doctoris d. 2. art. 2. constanter docet S. Thomam nunquam directè tractasse vtrum Deipara in primo animationis instanti fuerit præseruata ab originali labe, quia S. Doctor non agebat de priuilegio personali, quia cum penderet à libera Dei voluntate, Ecclesiæ iudicio se submisit. Solum ergo vestigabat, an ex vi principiorum generantium, & actionis productiuæ ipsorum fuerit inducta sanctitas personalis in primo instanti animationis Mariæ, vel ex eo quod Ioachimus, & Anna paulo ante conceptionem filiæ ex Dei gratia, ac priuilegio habuerint non solum sanctitatem personalem, sed etiam sanctitatem naturæ ex iustitia originali, vel ex eo quod actio productiua eam haberet efficaciam; vel quia materia futuri corporis Deiparæ prius defæcaretur; quæ cum animationem præcedant; ideo ex professo nusquam egit, nisi de sanctitate orta ex principiis antecedentibus eandem B. Virginis animationem. Quæ omnia tradit etiam Seraphinus à Porrecta in 3. p. q. 27. art. 2. & probat Ioannes à S. Thoma ex variis locis Angelici Doctoris, ab ipso ibidem productis, & docet nullibi eum denegasse B. Virginem fuisse immunem ab originali labe ex priuilegio independenti à productione, & principiis naturalibus.

D. Thom.

Quod vt clarius percipiatur duplex ab Schola- 242.
sticis Doctoribus agnoscatur conceptio. Prima, quę per mixtionem seminis paterni cum materno fuit, quam admittit Henricus quodlib. 1. quæst. 21. Alexander 3. part. quæst. 9. membr. 2. art. 2. Bellarm. lib. 4. de amissione gratiæ, c. 16. Altera conceptio est quando vnitur corpus cum anima in vtero materno, quam vocant aliqui generationem. De peccato item originali sub multiplici nomine tractarunt antiqui Doctores. Primò enim vocant illud reatum quodammodo inhærentem semini, aut embrioni. Ita D. Bonau. in 3. dist. 3. 1. part. quæst. 1. Vbi vocat carnem ante animationem, vitiosam, & S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 2. Henric. Gandau. quodlib. 1. quæst. 21. Secundò sub peccati originalis nomine alij vocant ipsius debitum. Tertiò maculam animæ inhærentem primo creationis momento. Quod etiam contingit in vsurpatione vocum, quæ sanctitatem, sanctificationem, vel purgationem innuunt, antequam anima creetur, vel in ipsius creatione, aut tempore illam consequenti. Agunt ergo primo de sanctitate, & emundatione seminis, aut embryonis ante animationem; de qua agit S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 2. Deinde de sanctitate extrinseca, qualis inest sacris vasis ad sacrificiorum ministerium, per voluntariam Dei deputationem, quam vocat Maior dedicationem rei inanimis. Et hanc primam conceptionem inanimatam celebratam esse à nonnullis Ecclesiis docent aliqui: de quo loquitur S. Thomas 3. part. quæst. 27. art. 2. dum ait: *Quocumque modo ante animationem sanctificata fuisset B. Virgo.* Tertiò vox, *sanctitas*, sumitur pro sanctitate animæ in primo instanti creationis, quæ est communis acceptio. Quoties ergo Angelicus Doctor inurit censura opinionem, seu sententiam magis piam, non vtique id præstat in speciali locutus de conceptione B. Virginis innixæ priuilegio; sed vel loquitur contra Pelagium eximentem plures à macula originaria sine priuilegio, vt docet Ferrara contra Gentes, lib. 4. cap. 50. Aluarez 1. 2. quæst. 81. art. 3. Valentia 1. 2. disp. 6. quæst. 11. punct. 2. Azor. tom. 1. instit. mor. lib. 4. cap. 34. Salas tom. 2. in 1. 2. tract. 13. disp. 11. sect. 1. Vel loquitur de sanctitate, primo, & secundo modo accepta.

Henric.
Alex.
Bellarm.
Bonauent.
Thom.
Henric.
Ferrara.
Aluarez.
Valent.
Azor.

Vt igitur quæ in decursu agendo dilucidius in- 243.
notescant, neque æquiuocationi vocum locus aperiatur; labem originariam vocabimus peccatum originale formale, seu actuale contractum, vt Doctores communiter loquuntur. Secundò peccatum existens in semine, seu embryone appellabimus peccatum existens in debito proximo, aut in reatu actuali. Tertiò peccatum consideratum proximè post pactum, & legem vniuersalem inde manantem ante congressum parentum, vocabimus peccatum in debito remoto, vt loquuntur nouiores Theologi. Quartò peccatum originale in primo animationis momento, si tunc impediatur executio maculæ actualis ex Dei priuilegio, nuncupabitur debitum, aut peccatum in actu primo suspensum.

Quod

224. Quod autem Conceptio apud Priscos vsurpari soleat pro commixtione seminis paterni cum materno, constat ex Maiori in 3. dist. 3. quæst. 1. Alensi suprà cit. & aliis, qui sustinent sententiam Hippoc. Galen. Aristot. cum Valeriola, Peramato, & aliis medicis peritissimis. Inde dici solet fœtum gestari nouem mẽsibus in vtero, cui opinandi modo subsidium dat sacra Scriptura, dũ ait Sap. 7. 2. *Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine ex semine hominis.* Tertul. etiam lib. de anima, c. 37. docet, partus qui ad decimi mensis ingressum contingunt fœlicissimos esse, quia decem menses fœtum decalogo deuouent, & ad decem præceptorum obseruantiã destinant. Ait ergo, *Ego ad Deum argumentabor hunc modum temporis, vt decem menses Decalogo magis inaugurent hominem, vt tanto temporis numero nascamur, quanto disciplina numero renascimur.* Itaque cum natura fœtum fœlicibus astris in lucem edere parat, eum vitæ cursum incipere satagit sub ingressum decimi mensis, quasi omnem fœlicitatem ab obseruantia decalogi auspicetur. Et quidem proles tunc fieri incipit, quia semina sunt commixta, & pars corporea futuræ prolis iam exstat. In hac prima Conceptione non est adhuc anima rationalis, atque adeo neque peccatum originale; dicitur tamen in esse quoad debitum, & potentiam proximam, ratione seminis à natura vulnerata decisi cum extrinseca denominatione proueniente à primo Adami peccato, & à decreto diuino de priuatione gratiæ in vindictam transgressionis Protoparentis. Tunc autem esse semen infectum, & hominem concipi in peccato originali docet S. Anselmus de Conceptione Virg. cap. 7. quia iam est necessitas labendi in peccatum Adæ. Idem vult D. Bonauent. in 3. d. 3. p. 1. q. 1. & tenet expressè D. Thom. 3. p. quæst. 27. art. 2. Vbi duplicem distinguit sanctificationem, alteram quæ potuit esse antiquior tempore, quam inductio animæ rationalis, alteram, quæ dari queat in instanti creationis animæ: & quia negat S. Doctor primam sanctificationem præiuisse ante creationem animæ B. Virginis, consequenter docet 1. 2. q. 81. art. 3. non posse Deiparam à reatu, seu debito peccati originalis eximi sine iniuria redemptionis: quẽ locum perperam explicat Dominicus de monte luporum, & Dominicus Ioannes c. 22. 23. & 26. de peccato originali formaliter sumpto: Et quidem audaci temeritate ductus præfatus Dominicus vocat hæresim Pelagianam opinionem piam.

Maior
Alens.
Sap. 7.
Partus ad initium decimi mensis factum decalogo deuouent.
Anselm.
Bonauent.
D. Thom.

245. Cum ergo Prisci Doctores denegant B. Virgini sanctificationem in suo conceptu, loquuntur de Conceptione sumpta pro commixtione seminis vtriusque parentis ipsius Virginis, quæ tempore aliquo præcessit animationi corporis. Cum verò affirmant, tunc peccatum originale contraxisse, intelligendi sunt de peccato, & labe originali in reatu, debito, aut potentia proxima; quia materia illa informis, seu embryo prorsus incapax erat tam peccati, quam gratiæ habitualis, quod non obscurè tradit D. Bernard. epist. 174. & S. Thomas proximè cit. vnde solum erat capax reatus, seu potentiæ proximæ incurrendi peccatum in anima corpus informante; eodemque modo solum capax sanctitatis, quæ rebus inanimis esse potest, cum addicuntur, ac rebus, & vsibus sacris deputantur. Hæc autem sanctificatio alterius est generis ab illa, per quam Græci Conceptionis Festum S. Ioannis Baptistæ recolunt multis retrò sæculis die 23. Septembris; non enim colitur nisi miraculum senectutis, & sterilitatis deuictæ in vtroque parente, ac Destinatio Ioannis in Præcursoris munus: eadem ergo ratione plures ex priscis illis Doctoribus recolebant Conceptionis Deiparæ festum, non modo, vt miraculum; & initium beneficiorum Dei, sed etiam vt continebat mundationem, & sanctificationem sublimiorem corporis Mariæ, vt videre est, in D. Bonau. cit. & S. Thom. deferebant ergo corpori Mariano inanimi quoddam genus sanctitatis, vel quæ ius, aut necessitatem, aut potentiam proximam labendi in peccatum originale aliqua ex parte auferret, vel quæ deuoueret corpus illud ad fines sanctissimos. Hoc ergo sensu plures antiqui scholastici adstruunt Virginem Deiparam in prima Conceptione habuisse peccatum originale, non formale, & actuale, sed virtuale, scilicet in reatu, vel debito proximo. Ita Anselmus cit. & D. Th. in 3. dist. 3. & 1. 2. quæst. 81. art. 3. & 3. p. quæst. 27. art. 2. D. Bonauent. cit. Bellarm. lib. 4. de amissione gratiæ, cap. 15.

In secunda verò Conceptione consors veterum scholasticorum sententia docet, Virginem Deiparam nullo modo incurrisse peccatum originale formale in actu, seu de facto, sed in eodem instanti, in quo B. Virginis anima creata est, fuisse vnitam, & ornatam gratia habituali, & à peccato præseruatam. Quam sententiam nullus ex veteribus Doctoribus clarius tradidit, quam S. Thom. mox citandus: locus adeò est euidens pro sententia pia, vt Petrus Bergomensis dub. 370. asserat, esse mendum Typographi. Eandem sententiam tenet idem S. Doctor dist. 17. quæst. 2. art. 4. ad 3. Quibus innixus locis ait Vincent. Iustin. Ordinis Prædicatorum in opusc. de immaculata Concept. §. 18. se nescire, in quo Ordine Mendicantium fuerit Doctor antiquus, qui tam expressè ab originali peccato actuali Deiparam exemerit, vt S. Thom. in lib. sent. & in opusc. de salutatione Angelic. Verba in 1. sent. dist. 44. art. 2. ad 3. sic se habent: *Potest aliquid creatum inueniri, quo nihil purius esse potest in rebus creatis, & talis fuit puritas B. Virginis, quæ à peccato originali, & actuali fuit immunis.* Quæ verba in sensum alienissimum à mente Doctoris Angelici deflectit Syluester 1. part. Conflati q. 25. art. 15. vbi hæc habet: *Nota qualiter ignorantes, aut maligni super illo verbo faciunt festum, volentes ex eo habere, quod B. Virgo fuit sine originali cõcepta secundum S. Thomam, sed S. Thomas intendit, quod aliquando fuit immunis, scilicet quando fuit Mater Domini, vel ad hoc præparata, sed non semper.* Profectò ineptissima, ac viro graui indigna verborum S. Thomæ detorsio. Fieret enim ex illa omnes homines simpliciter dici posse à peccato originali immunes, quia aliquando, licèt non semper ab illo fuerunt immunes. Quid quod S. Doctor satis suam mentem aperuit, cum ait: *Qua nihil purius esse potest in rebus creatis per recessum à contrario.* Quòd si B. Virgo peccato originali aliquando fuisset infecta, iam aliquid purius reperiretur, nimirum si ipsa in gratia conderetur. Deinde verba illa: *Fuit immunis à peccato originali*; est indefinita, & simpliciter prolata, ac proinde vniuersum vitæ tempus complectitur: ergo immeritò coarctatur. 246.

Non D. Thom. nec aliquis ex veteribus vsquam docuit Deiparam incurrisse peccatum originale formale in 2. Conceptione, sed in eodem instãti in quo anima creata est fuisse ornatam gratia habituali.
D. Thom.
Vinc. Iust.
Syluest.

Aliud etiam testimonium afferri solet eiusdem S. Doctoris depromptum ex Expositione *Aue Maria*, vbi ait: *Maria purissima fuit quantum ad omnem maculam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Qui locus vel diminutus, vel truncatus, vel mutatus in nouis codicibus reperitur. Verum Pater Salmeron in epist. ad Rom. affirmat Cardinalem Turrecremata, illa verba tanquam 247.

D. Thomas pluribus in locis stat pro sententia pia.

quam S. Thom. amplexum fuisse, licet ipse Cardinalis sententiam minus piam affectetur. Item idem S. Doctor lect. 6. in cap. 3. epist. ad Galat. hæc habet verba iuxta aliquorum exemplaria: *Mulierem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omnino immunis esset, ad minus originali, vel veniali.* Attamen textus omnino mendosus est, siquidem in aliis editionibus sensus omnino contradictorius reperitur, videlicet. *Virum de mille non reperi nisi vnum, scilicet Christum, qui esset sine omni peccato; mulierem autem ex omnibus non inueni, quæ à peccato omnino immunis esset, ad minus originali, vel veniali. Excipitur purissima, & omni laude dignissima Virgo Maria.* Hæc vltima clausula in aliquibus nouioribus exemplaribus omnino desideratur: sed in

Henriq. casum, ait enim Henriquez lib. 3. de Sacram. confess. cap. 11. in Glossa lit. M. in antiquioribus codicibus reperiri. Et quidem in triplici editione S. Thomæ in Paulum, prima Parisiensi ann. 1529. secunda item Parisiis edita in via Iacobæa sub quatuor elementis ann. 1532. tertia Venetiis anno 1555. constanter exstat prædicta clausula. Ea quibus omnibus infertur S. Thom. dubiom, & ancipitem in Conceptionis controuersia scripsisse.

248. Vlterius tradunt Veteres scholastici Deiparam non fuisse immunem à peccato originali in debito, qood contraxit in prima Conceptione ante animationem, non inquam fuisse immunem ab hoc debito in secunda conceptione includente primam creationem animæ rationalis, nec in ipso primo instanti reali eiusdem creationis, sed tempore immediate sequenti. Ita D. Thom. 3. p. q. 27. art. 2. quia illud peccatum originale solum aderat in debito, & non formaliter in actu, & inerat virtuti generatiuæ seminis Ioachimi, vt proueniebat ab Adamo cum iure transfundendi peccatum Adæ: hæc autem permanserunt in primo instanti animationis B. Virginis, cum virtus formatiua seminis duraret in se, vel in effectu; & pactum de priuatione iustitiæ originalis in posteris ob Adæ peccatum tandiu permaneret, quamdiu duraret virtus seminis, ergo Deipara in primo instanti secundæ conceptionis inclusiue retinebat peccatum originale in debito, iuxta horum sententiam, tametsi careret peccato originali formali, & actuali. Debitum ergo illud labendi in peccatum originale extinctum fuit tempore immediatè sequenti post primum instans secundæ conceptionis includentis animationem; quia tunc semen illud non generabat actu, nec potentia, extincta illius virtute, ergo simul etiam tunc peccatum originale fuit abolitum: nec solum in B. Virgine, sed in reliquis hominibus euanescit debitum illud post primum instans secundæ Conceptionis, quia extinguitur virtus illa seminis; licet in illis permaneat quoad effectus, & vulnus illatum. Res illustratur exemplo illius, qui ad triremes damnatur; post executionem pœnæ nihil amplius debet, manet tamen grauatus illius effectu, & infamia. Quoties ergo Veteres scholastici affirmant B. Virginem fuisse immunem à peccato originali, loquuntur absolute de illo formaliter, & in actu; cum autem asserunt peccatum originale incurrisse in primo instanti animationis, loquuntur de peccato originali in iure, & debiro, vel potentia proxima illud incurrendi.

249. D.Thom. Nunc percurrenda sunt D. Thomæ loca, & conciliand iuxta dicta, ne S. Doctor sibi ipsi aduersari videatur. Ait ergo 3. part. q. 27. art. 2. *Sanctificatio Virginis non potest intelligi ante animationem.* Vbi sermo est de sanctitate formali gratiæ habitualis, additque post pauca: *Si ante animationem quocumque modo sanctificata fuisset, nunquam incurrisset maculam originalis culpæ, & non indiguisset Redemptore.* Innuit primam conceptionem B. Virginis ante animationem, si fuisset sanata per sanitatem naturæ, ac consequenter immunis à reatu, & debito peccati originalis, non contracturam peccatum originale, nec in potentia proxima, neque in reatu, & debito, quod illo tempore probabiliter protulit S. Doctor, esse erroneum contra gratiam redemptionis. Nunc autem probabilissima est sententia decernens Deiparam Virginem debito proximo peccati originalis caruisse, vt suo loco monebo. Difficiliorem sibi vendicant sensum verba, quæ art. 5. subiicit: *Vnde*, ait, *relinquitur quod sanctificatio Virginis fuerit post eius animationem; & Mariam liberatam in prima sanctificatione à peccato originali.* Hic tamen non agit S. Thomas de sanctificatione formali, aut personali; sed de illa, quæ vocatur naturæ sanatio, videlicet de sanctificatione primæ Conceptionis: iam verò constat sanctum Doctorem illam negare B. Virgini. Ex quibus infero celebritatem illam de prima Conceptione inanimata B. Virginis, quæ ab Ecclesia tolerabatur tempore S. Thomæ, solum ab ipso reprehensam; tum & à D. Bernardo; non tamen celebritatem de sanctificatione formali facta in primo instanti Conceptionis secundæ: si autem acciperetur festiuitas illa de secunda Conceptione secundum carnem, & illa excluderetur à solemnitate, intelligendo nomine solemnitatis solam Conceptionem spiritualem sepositam à corporea; sane his Patribus attribueretur opinio explosa à Sixto Quarto, & Gregorio 15. præcipientibus, ne quis vtatur pro hac solemnitate, alio nomine, quam Conceptionis, quæ non aliter includit actiones corporeas, quam ipsa Natiuitas.

Locus adductus ex 1. 2. q. 81. art. 3. recte exponi 250.
potest de debito peccati originalis, non de culpa actuali, vt Franciscus Arauxo ex Prædicatorum Familia in 1. 2. ad quæstionem citatam exponit cum Caietan. Cum autem idem D. Th. in Psal. 13. ait: *Solus Christus nec peccatum contractum habuit, nec commissum: B. Virgo habuit peccatum contractum.* Explicandus est de debito, & reatu, quem Christus non contraxit. Item in Psalm. 45. hæc habet: *In ipsa Conceptione sanctum formauit Deus Iesum, quod fuit singulare in Christo.* Quod ideo affirmat, quia Deipara Virgo in prima Conceptione inanimata fuit obnoxia debito peccati; quia tamen S. Thomas in Christo non agnoscit duas Conceptiones vnam inanimem, alteram animatam, sicut in B. Virgine admittit 3. part. q. 27. ideo ait, singulare fuisse in Christo concipi sine debito peccati. Rorsus in Psalm. 50. hæc habet S. Doctor: *Solus Christus fuit de facto sine originali peccato conceptus.* Quæ verba similiter intelligenda de prima Conceptione, quæ in Christo solum ex mente S. Thomæ, fuit animata, non in Virgine Deipara, quæ tunc ex mente S. Thomæ fuit obnoxia debito peccati ex vi generationis. Eodem modo capienda sunt, quæ docet opusc. 8. in salutationem Angelicam. *Beata*, inquit, *Virgo in originali est concepta, sed non natura.* Vbi loquitur de prima Conceptione inanimata B. Virginis. Subdit statim vniuersaliter non in originali natam, intelligens & natiuitatem in vtero, quæ est prima formatio, & natiuitatem ex vtero. Quam duplicem natiuitatem agnoscit S. Th. comment. 1.

in

in Matth. his verbis: *Nasci de matre, est in lucem prodire; in matre nasci, est ipsum concipi.* Hæc omnia loca compilat Fr. Franciscus Aranxo cit. vt suadeat S. Doctorem in ea perstitisse sententia, quæ ait Virginem Deiparam peccato originali subiacuisse. Attamen ex dictis satis constat S. Thomam nunquam expresse illius fuisse sententiæ. Imò contra ipsum Arauxo retorquere possumus argumentum. Nam S. Thomas in 4. distinct. 43. quæst. 1. art. 4. & in 3. dist. 3. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. & 2. & 3. part. quæst. 27. art. 2. vt ipse Arauxo docet, solum agit, vtrum B. Virgo antè animationem fuerit sancta, id est, vtrum caruerit debito proximo contrahendi peccatum originale: ergo & reliqua loca per hæc debuisset exponere. Præsertim cum in 1. distinct. 17. quæst. 2. art. 4. & distinct. 44. quæst. 1. art. 3. & in Psalm. 14. expressè docuerit B. Virginem absque originali culpa actuali fuisse conceptam, vt fatetur Ludouicus de Soto-Maior Dominicanus in cap. 4. Cant. & Iustinianus eiusdem Familiæ tract. de Concept. Quid quod D. Thomas, iam suam mentem declarauit Faustino Episcopo Paduensi, cum 3. p. S. Thom. euolueret, vbi sententiam minus piam affectatur sanctus Doctor, & Episcopus in admirationem raperetur: sanctus Thomas in forma visibili protinus apparet, hæc proferens verba: *Scias Domine Episcope, quod quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad diuinum statutum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset præseruata; sed Dei filius Matrem suam ab originali macula reseruauit.* Ita referunt Bernardin. Bustos p. 1. serm. 7. Guertero del Espinar Concordantia 15. §. 4. Ioannes Tamayo de Salazar in opere de S. Epitac. pag. 259. Ioannes à Fonte in Allegat. pro Concept. fol. 16. Pater Antonius Mendo Societ. Iesu in Allegat. pro Concept. part. 1. §. 7.

251. *Obstare non potest aliquorum Patrum authoritas in contrarium vergens, quominus sententia pia ab Ecclesia definiatur.*

Quamuis autem nonnulla ex his testimoniis, quæ ex S. Thom. tum & aliis Patribus afferi solent, perspicuè faueant sententiæ minus piæ, nihil obstatet, vt latè infra dicemus: nam aliqua antiquorum PP. testimonia asserentium Virginem Deiparam actualia peccata commisisse, citantur à Sixto Senensi Bartholomæo Medina, Ægidio à Præsentatione, quæ non obstant, quominus Ecclesia Catholica definiuerit immunitatem in B. Virgine à culpis actualibus. Quid quod nullus est Thomista adeò tenax doctrinæ S. Thomæ, qui aliquando ab ipsius mente non deflectat. In quam rem eximia sunt Magistri Victoriæ verba à Cano relata lib. 12. de locis in proœmio: *Theologo,* inquit, *nihil est necesse in cuiusquam iurare leges; maius est enim opus, atque præstantius, ad quod ipse tendit, quam vt magistri debeat vestigijs semper insistere, siquidem est futurus Theologia laude perfectus. Memini de præceptore meo ipse audiuisse, cum nobis secundam secunda partem cœpisset exponere; tanti D. Thomæ sententiam esse faciendam, vt si potior alia ratio non succurreret sanctissimi, & doctissimi viri satis nobis esset authoritas: sed admonebat rursus, non oportere sancti Doctoris verba sine delectu, & examine accipere; imò vero si quid aut durius, aut improbabilius dixerit, imitaturos nos eiusdem in simili re modestiam, & industriam, qui nec authoribus antiquitatis suffragio comprobatis fidem abrogat, nec in sententiam eorum, ratione in contrarium vocante, transit.* Ipse vero Canus lib. 9. de locis, cap. 7. Victoriæ subscribit, ait enim: *Qua in re etiam in Theologia multa peccantur, vt illi qui D. Thomæ, Scotique opiniones, vel indiscussas complectuntur, proque his non aliter pugnant, ac pro aris, & focis.* Idemque subiicit lib. 8. c. 4. *Theologorum Scholasticorum etiam multorum testimonium; si alij contra pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam fidem, quam vt ratio ipsorum, vel grauior etiam authoritas comprobarit: videlicet in scholastica disputatione plurium authoritas obruere Theologum non debet, sed si paucos viros modo graues secum habeat, poterit sanè aduersus plurimos stare, non enim numero hæc iudicantur, sed pondere. Hanc conclusionem probare argumentis non debeo: nam si quid est euidens, argumentari non soleo.* Nihil ergo mirum cuiquam videri debet, si id præstiterimus, annuente Ecclesia in controuersia Conceptionis, quod nobilissimi S. Thomæ præstitere discipuli.

Victoria. Canus.

252. *Immaculata Deipara Conceptio ostenditur rationibus ex S. Th. doctrina depromptis.*

Ad extremum rationibus ex S. Thom. doctrina depromptis eadem B. Virginis immunitas ab originali firmatur. Primò, quia Virgo Deipara nullo vnquam peccato actuali etiam veniali attaminata fuit: ergo neque originali infecta. Vis huius illationis in eo sita est, quia maior est macula originalis, quam venialis; tum quia immunditiam legalem, quæ sine peccato est, Deus à B. Virgine dispulit, vt fatentur Interpretes: ergo multo potiori iure immunditiam, quæ sine peccato consistere nequit. Deinde peccati maculam, id est fomitem peccati omnino Deus à B. Virgine auertit: ergo multo melius ipsum peccatum ab eadem arceret. Probat igitur S. Thom. 3. p. quæst. 27. art. 4. Virginem Deiparam nullo fuisse peccato actuali maculatam, quia parentis honos redundat in prolem: ergo Virginis Matris ignominia ac dedecus maximum à peccato haustũ in filium redundaret. Deinde quia Virgo Deipara proximam, ac specialissimam consanguinitatem cum Christo contraxit; quæ autem coniunctio Christi ad Belial? Præterea quia in B. Virgine singulari modo Dei filius sedem fixit; at in maleuolam animam non introiuit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Adhæc si aliquo actualis peccati næuo Deipara macularetur, verè de illa proferri non posset illud Cant. *Tota pulchra es amica mea, &c.* Quæ omnes rationes idem robur exerunt aduersus originale peccatum, vt erit consideranti perspicuum. Quod si his non acquiescant Aduersarij, sed denuo instent sanctum Thomam stare pro sententia minus pia, id ipsis permittamus; addimus tamen sententiam magis piam adhuc sine D. Thomæ fulcro coostantem, & inconcussam permansuram. Ferebatur olim Arca Testamenti è domo Abinadab, in domum Obededon boum curru 2. Regum 6. 6. Ex bobus vnus cæspitauit in itinere; mox Oza manu sua Arcam sustinere tentauit, ne Arca pessum iret, & protinus à Deo punitur, & quidem æquissimo iure; parum enim Oza fidit diuinæ prouidentiæ, dum censuit Arcam Testamenti sine bouis fulcimento in terram ire potuisse. Arcam linquito Oza, licet enim bos cæspitet, & cadat, Arca tamen Testamenti constans, ac stabilis consistet. Scis candide Lector, quò nostra tendat oratio, quippe Maria Virgo Testamenti melior est Arca, in illa veteri adumbrata: D. Thom. olim à condiscipulis ob nimium silentium dictitabatur bos mutus; quamuis ergo bos hic cæspitet, & offendat, semper tamen Arca Maria sine hoc bouis fulcro sustentabitur sine vllo in culpam originariam casu; eiusque immaculatæ Conceptionis veritas firma, & inconcussa consistet. Rursus ratio D. Bernard. serm. 2. de Assumpt. æquè Bernard.

D. Thom.

efficax est in præsenti controuersia. Indecorum scilicet videbatur Dei Matrem pœnitentia indigere: *Absit*, inquit mellitus Abbas, *vt propriè quidam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.*

De peccato originali haberi potest contritio, & dolor.

Sed de peccato originali contritio, & dolor haberi potest: ergo si B. Virgo originalis peccati sordes contraxisset, iam Lazari scopis, vt eas expelleret, indiguisset. Minorem propositionem sustinet Suarius tom. de pœnitentia, disput. 2. sect. 1. num. 13. eo vel maximè quod voluntas Protoparentis, à qua nostrum peccatum ortum habet, quodammodo nostra censetur, quia in illo erat voluntas posterorum, & in illo peccauimus: ergo rectè possumus dolere, quod humanum genus in primo Parente in Deum deliquerit. Ita sentit apertè S. Thom. in 4. distinct. 17. quæst. 2. art. 2. vbi subindicat potuisse Deum illum doloris actum exigere, tanquam satisfactionem, & dispositionem necessariam ad peccati originalis condonationem.

Suar.

D. Thom.

253. Quæ cum ita sint, & huius sanctissimæ Familiæ Institutor S. Dominicus totque ipsius Filij doctrina, ac sanctitate conspicui in hanc piam sententiam propugnandam conspirauerint: reliquum est, vt in posterum eandem sententiam ambabus vlnis amplectantur. *Non enim decet*, verba sunt Canonis, *non decet*, & seq. distinct. 12. *cap. cum non liceat, à capite membra discedere: sed iuxta sacræ Scripturæ testimonium, omnia membra caput sequuntur.* Sin minus in eos Isai. verba illa deflectet c. 15. *Audite me qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis: attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Rem finiat Laurentius Surius in appendice Histor. Naucleri ad ann. 590. Postquam retulit terrificum illud prodigium, quod contigit illo anno in vrbe Beros in Germania. Hæc igitur subdit verba: *Illud verò in primis cauendum est hominibus è religione Christianis, vti ne in defendenda sententia sua, & aliena oppugnanda, nimium sint pertinaces; vt præsertim in rebus, quas certum est, nihil officere pietati, qualis est opinio de immaculata sanctissimæ Virginis Conceptione, quam videmus ab Ecclesia receptam, & à multis grauissimis, & doctissimis viris fortissimè propugnatam.* Sanum profectò consilium, & veluti à tripode haustum. Itaque vt ait Apostolus ad Rom. 14. *Quæ pacis sunt sectemur; & quæ ædificationis sunt inuicem custodiamus.* Præsertim cum parum comem, imò inurbanam ciuilitatem sapiat etiam apud homines, si quispiā defectum aliquem dedecorosum Reginæ, licèt omnibus notum, illum vsque amplius euulgaret, & propalaret apud exteros, illumque sciens & volens pro aris, & focis tutaretur, acritérque pro illo tuendo decertaret: me herele, Regis, optimatum, & omnis Curiæ bilem, ac stomachum in seipsum concitaret. Quid si defectus ille incertus omnino, & anceps, ac dubius, vel occultus esset? Multo ergo potiori ratione Regem Christum, eiusque parentem Reginam, ac cœlestis Curiæ Primores sibi infensos, & aduersarios experietur quisque maculam culpæ originariæ Reginæ, & Imperatrici Mariæ deferat, & pro ea tutanda contumax decertet; præsertim cum apud doctos, & indoctos, sapientes, & insipientes, nobiles ac plebeios omnino talis defectus, & macula denegetur.

Isai. 15.

Surius.

Rom. 14.

Inurbanus, & parum comis est erga Christum, & Deiparā, qui modo sententiam minus piam tutatur.

CERTAMEN V.

Conciliorum authoritate eadem immunitas magnæ Matris ab originali labe constabilitur.

NOn hic erit sermo de Concilio Tridentino, cuius authoritas multum adfauet sententiæ piæ, de hoc enim alibi incidet sermo; neque sermonem instituimus de Concilio Basileæ sess. 36. vbi hæc habentur verba: *Doctrinam illam disserentem Virginem Dei Genitricem Mariam, præueniente, & operante diuini numinis gratia singulari nunquam actualiter subiacuisse originali peccato, sed immunem semper fuisse ab omni originali, & actuali culpa, sanctamque & immaculatam, tanquam piam, & consonam cultui Ecclesiastico, fidei catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam, & amplectendam definimus, & declaramus.* Licèt autem hoc Concilium non sit certæ authoritatis, tamen inde constat, eam fuisse mentem, ac vnanimem illorum PP. consensum, literis & doctrina præstantium. Libet autem nunc ex professo vestigare, vtrum in Concilio Apostolorum Hierosolymis coacto decreta fuerit immunitas ab originali noxa Virginis Deiparæ. 254.

Conc. Basil.

Obseruandum tamen est in primis, in Patriarchalibus omnibus Ecclesiis ab ipsis Apostolis erectis, B. Virginis festum ab ipsorum temporibus, vel saltem à peruetusta hominum memoria institutum esse. Et quidem Iacobum minorem Hierosolymitanæ Ecclesiæ Præsulem hoc festum ibi instituisse, ex sacra illius Liturgia, & ex peranti quo Familiæ Carmelitanæ Breuiario coniectare licet, vbi habetur festum Conceptionis iuxta vetustam, & approbatam Hierosolymitanæ Ecclesiæ consuetudinem. Hanc eandem festiuitatem institutam à S. Marco Euangelista per omnes Syriæ, & Alexandriæ Ecclesias confirmat Calendarium Alexandrinum, in quo die 8. Decembris habetur Conceptio B. Mariæ Virginis. Videatur etiam Iodocus Coccius in Thesauro Cathol. lib. 3. art. 6. Baronius item ad 8. Decembris diem sui Martyrologij. Flauius Dexter citatus à Paulo Orosio in epist. ad Eustochium refert in Cæsar-Augustana Ecclesia Columnæ B. Mariæ, quam S. Iacobus extruxit in honorem Ipsius Deiparæ, ab eius tempore ibidem, ac per omnem Hispaniam idem festum coli cœpisse: idemque affirmat Marcus Maximus, cuius meminit S. Isidorus Hispal. lib. de viris illustribus, cap. 46. De quo iterum redibit sermo. 255.

Iacob. Min.

Breu. Carm.

Cal. Alex.

Iodoc. Cocc.

Baron.

S. Isidor.

Ab Apostolis ergo, vt cum Tertull. loquar de Præscript. cap. 20. *Traducem fidei, & semina doctrinæ. cætera exinde Ecclesiæ mutuata sunt, & quotidie mutuantur, vt Ecclesiæ fiant, ac per hoc, & ipsæ Apostolicæ deputantur, vt soboles Apostolicarum Ecclesiarum, omne genus ad originem suam censeatur, necesse est.* Hæc Tertull. Iure ergo optimo Conceptionis B. Mariæ festum ab Apostolis institutum credimus, quia per vniuersas Ecclesias Europæ, Asiæ, Græciæ, Armeniæ cultu, ac veneratione celebratur, vt eruditè probat noster Ojeda in tract. de Concept. B. Mariæ. *Illa enim*, ait appositè S. Augustin. lib. 5. contra Donatum cap. 23. tom. 7. *quæ vniuersa tenet Ecclesia, ob hoc ab Apostolis præcepta benè creduntur, quamquam scripta non reperiantur.* Hanc autem vestigandæ veritatis regulam adhibet 256.

Tertull.

Conceptionis immaculatæ festū ab Apostolis institutum.

Irenæus. adhibet S. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 4. *Quid enim, inquit, & si quibus de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt; & ab eis de præsenti quæstione sumere quod certum est, & reliquidum.* Quæ cum ita sint, constat omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesiis Apostolicis nutricibus fidei conspiret, veritati deputandum, & sine dubio tenendum, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo susceperunt. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio coarguendam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, atque adeo Christi. Cum ergo in Orientalibus, & Occidentalibus Ecclesiis, & quocumque Ecclesia Romana sese diffundit, pia hæc sententia solemni ritu suspicitur, fieri reipsa non posset, vt tot, ac tantæ Ecclesiæ in vnum errorem conspirauerint vnanimi consensu.

257. Addiderim Doctorum etiam Iuniorum Scholasticorum communi asserto contradicere, insanum, & temerarium censuisse Canum lib. 8. de locis, c. 4. (Canus.) subditque illud Christi Domini, Luc. 10. (Luc. 10.) *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit me spernit.* Non solum ad Apostolos, & Doctores Christi, & Apostolis immediatè succedentes, sed etiam ad modernos dictum fuisse; quod suadet ex Chrysostomo, eum qui recentiores Theologos despicit, Christum ipsum despicere. Atqui piæ sententiæ omnes Theologi iuniores adhærent tanquam certissimæ, nec enim vt commune sit aliquod placitum, obstat aliquos paucos illi dissentire; præcipuè cum neque in cathedra, neque in suggestu, aut loco publico, siue consessu, suam possint promere sententiam. Communis item est illa sententia, quæ ab omnibus prouinciis, Ecclesiis, Academiis, & matricibus amplectitur, edoceturque, vt patet de pia opinione: ergo iuxta Canum, insanum, ac temerarium erit huic piæ sententiæ amplius refragari.

258. His positis censeo cum Doctore Sanchez, de Lucero lib. de Conception. (Lucero.) & cum P. Ojeda cit. (Ojeda.) & aliis Recentioribus, immunitatem B. Virginis à peccato originali ab Apostolis in Concilio Hierosolymis coacto fuisse sancitam, adhuc Virgine Deipara superstite, hoc autem Concilium, ait P. Perlinus fuisse illud, de quo fit mentio Actuum 15. Assertum probatur ex verbis S. Thesiphontis, quæ sic se habent: *Illa Virgo, illa Maria, illa alma fuit à peccato originali immunis in primo suæ conceptionis instanti, & omnino immaculata, qui verò id de tanta Virgine inficiatus fuerit, salutem æternam non consequetur.* Quæ verba reperiuntur in vno ex libris repertis in monte Sancto Granatensi, vulgo dicto Vallis paradisi; quorum Authores extitere S. Cecilius, & S. Tesiphon, S. Iacobi Apostoli discipuli; qui conscripti inuenti sunt characteribus Arabicis vetustissimis, quibus maxima est habenda fides, si credimus hominibus eruditissimis, qui illorum interpretationi, ac translationi incubuerunt maximo labore, industria, ac sumptibus D. D. Petri de Castro, & Quinonnes Archiepiscopi Granatensis, & Hispalensis. Illius autem libri inscriptio hæc est: *Liber domus gloriæ, & tormenti, Authore S. Thesiphone.* Horum verò librorũ authoritas & ab antiquitate, & ab inuentione miraculosa, & à vetustissimis characteribus, ac notis, à plerisque Doctoribus, literis, sanctitate, ac religione conspicuis magno in honore habetur, qui illos ab omni prauæ suspicionis nota, & falsitatis cri-

Immunitas B. Virginis ab originali peccato ab Apostolis fuit sancita.

mine, robustis argumentis eximere conantur. Nunc aliquibus difficultatibus occurram insurgentibus aduersus doctrinam contentam in illis libris circa definitionem Apostolorum de immunitate B. Virginis à labe originaria per Concilium Apostolorum, vt constet probabilitate non carere propositionem illam à sanctis Cecilio, & Tesiphonte traditam.

259. Primò ergo obiicere aliquis posset ex verbis S. Cecilij, quibus vocat peccatum primi Parentis, originale; quod nomen non est ita antiquum, nec Apostolorum tempore receptum, siquidem à D. Augustino primum ortum habuit, à quo reliqui Doctores illud acceperunt, vnde suspicionem ingerit illud nomen, nullum fuisse sancitum ab Apostolis decretum pro immaculata Dei Genitricis conceptione exempta ab originaria labe. Respondere potest, ex nouitate nominis nullum colligi argumentum aduersus veritatem illius decreti, quia traductor libri illius S. Cecilij ex lingua Arabica in Latinum idioma, vocabulum apposuit, originale, aptum vsui æui nostri, quo translatio facta fuit; non quia in contextu Arabico reperiretur: quare libens admitto nomen illud, originale, à S. Augustino exordium sumpsisse, præcipuè ex 2. lib. contra Iulianum: assero tamen Traductorem huius libri, si tempore Apostolorum illum transferret, sine dubio peccati originalis nomen tunc temporis receptum inditurum; vnde nulla vis inest argumento, quia in textu Arabico libri S. Cecilij nomen, originale, non reperitur, sed in translatione noua; ibi autem reperitur nomen vsui illius temporis accommodum.

260. Secundò opponi potest; quia difficile valde cuilibet videatur, sanctum Cecilium, testimonium reddere potuisse de illo Apostolorum Concilio; quippe sanctus hic vir martyrij palmam nactus fuit secundo Imperij Neronis anno, quo B. Virgo in cœlos assumpta fuit, ante cuius Assumptionem, non constat Apostolos in Concilium conuenisse; non ergo S. Cecilius testimonium de Concilio nondum coacto testificari potuit: si verò Virgine Deipara superstite Concilium fuit habitum ab Apostolis, rationi consonum non videretur de priuilegiis B. Virginis agere, iuxta Spiritus sancti Consilium, qui laudes adhuc hac luce fruentium prohibet. Verum S. Lucas Actor. 15. attestatur sanctos Apostolos in Concilium coactos ante B. Virginis obitum, obiit enim anno secundo Imperij Neronis; Concilium autem habitum fuit 12. ann. Imperij Claudij, vt author est sanctus Hieronymus, vel anno 9. vt vult Beda citatus à Baronio tom. 1. ann. 51. (Baron.) Quod etiam apertè deducitur ex cap. 13. Actor. vsque ad 17. vbi affirmatur, habito illo Concilio, Paulum, ac Barnabam petiisse Antiochiam, deinde multas ciuitates peragrasse D. Paulum, postea Athenis prædicans Verbum Dei S. Dionysium Areopagitam ad fidem Christi transtulit, qui multis transactis diebus adfuit obitui Beatæ Virginis, vt ipsemet in epistolis contestatur. Ex quibus clarè constat illud Concilium habitum fuisse ante obitum Deiparæ.

261. Quibus ita præmissis non sine magno fundamento affirmare possumus, in illo primo Apostolorum Concilio actum fuisse de B. Virgine eiusque ab omni peccato immunitate; licet enim ex c. 15. Act. ad nullum aliud decretum habeamus, nisi de cessatione veteris legis, nihil tamen obstat, quia S. Clemens lib. 6. Const. Apost. c. 12. cum huius (Rom. Clem.)

decreti meminisset, & epistolæ ab Apostolis Antiochiam missæ, addit: *His literis missis remansimus pluribus diebus Hierosolymis conquærentes vnà quæ in communem vtilitatem ad correctionem spectabāt.* In hoc ergo Concilio pluribus aliis sessionibus plurima ad communem fidelium vtilitatem, & doctrinàm stabilita sont; cum ergo ibi de cessatione veteris legis ageretur, consequenter etiam de legis gratiæ plenitudine actum proculdubio fuit de peccatorum iustificatione per Christum, de primi Parentis lapsu, eiusque per Christi sanguinem reparatione; qua de re longum attexit sermonem D. Paulus integra epistola ad Galatas; nec desunt, qui asserant S. Apostolum hoc Apostolicum Concilium respexisse cum ait: *Post annos 14. ascendi Hierosolymam, assumpto Barnaba, & Tito, ascendi autem secundum reuelationem, & contuli cum illis Euangelium, quod prædico, ne in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Ad Galat. 2. 1. Ergo egit cum reliquis Apostolis de primi hominis lapsu, & in ipso omnium posterorum, atque adeo de Christi Domini gratia, perquam ab ipso peccato liberamur, quod est argumentum epistolæ ad Rom. Cui ergo difficile videri debeat, ibi peractum fuisse de immunitate B. Virginis à labe primi Parentis, propter singulare Maternitatis Dei priuilegium, quæ per Filij sanguinem nobiliori modo, quam reliqui homines fuit redempta; siquidem Virginem Deiparam omnes Apostoli cultu maximo suspexerunt, eisque Deus notitia quadam clarissima B. Virginis excellentias pre omnibus creaturis, priuilegiaque singularissima reuelauerat: præsertim cum præfato Concilio interfuerit S. Ioannes Euangelista, cuius curæ demandata fuit Virgo B. cum ergo Apostolos non subterfugerit perpetua Deiparæ Virginitas, & ab omni peccato actuali siue lethali, siue veniali immunitas, & in vtero Matris gratia sanctificante fuisse condecoratam, quæ omnia vniuersæ Ecclesiæ credenda tradiderunt, quid mirum si dicamus, eos non latuisse singulare priuilegium immunitatis ab omni originaria labe, cum sit tali, ac tanta Matre dignissimum: Quod si illud non ignorauere, cur illud Ecclesiæ non proponerent, sicut & reliqua Deiparæ Virginis priuilegia: neque obstare potest, quod B. Virgo vitæ huius adhuc superstes esset, nihil enim discriminis in ipsa reperiri poterat propriæ gloriolæ; imo ipsi Apostoli plenius ab ipsa instrui poterant de rei veritate, sicut de reliquis ad fidem spectantibus.

262. Quod inde amplius roporari potest, quoniam inter omnes orbis Prouincias Hispania hanc piam sententiam primum amplexa est, & immaculatam B. Virginis Conceptionem religioso cultu suspexit, ac venerata fuit, vt constat ex perspicuo testimonio Marci Maximi Episcopi Cæsaraogustani, qui floruit ann. 610. Qui in quodam Hymno, quod pepigit in laudem templi B. Virginis del Pilar vulgo nuncupati: ait D. Iacobum de mandato B. Virginis illud templum extruxisse sub inuocatione, ac titulo Conceptionis Deiparæ, qood vtique omnium primum exstitit per orbem vniuersum, teste Lucio Dextro in Fragmentis ann. Christi 38. *Prima*, inquit, *totius orbis ædes erecta B. Virginis Cæsaraugustana fuit.* Et ait citatus Marcus Maximus in Chronic. inde profectum Apostolum, vt omnes reliquos Hispanos de fidei mysteriis erudiret, & simul purissimæ Conceptionis mysterium apud omnes

Hispania inter omnes orbis prouincias prima piam de Conceptione immaculata sententiam amplexata est.

Luc. Dext.

euulgaret. Quod cedit in maximum Hispanorum decus, cum vix post Christi mortem elapsi fuerint quatuor anni, cum iam Cæsaraugusta speciali Templo immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem venerabatur, cuius ad exemplum alia exstructa fuere templa Hispali, Tarraconæ, Toleti, adhuc vitæ huius superstite Virgine B. teste eodem Lucio Dextro in Fragmentis ann. 38. vbi ait: *Post, Præsules Tarraconensis, Hispalensis, Toletanus, & alij sacras ædes, vel oratoria Virgini dedicant.* Nunc subiiciamus illustre Marci Maximi testimonium versibus à se compositis contentum, vt refert Eleca Episcopus Cæsaraugustanus in Additionibus ad Chronicon Marci Maximi. Versus autem sic se habent:

Cæsaraugusta omnium prima speciali templo immaculatam Deiparæ conceptionem suspicit.

Marc. Max.

Eleca.

Hac nam Iacobo Apostolo,
Et suo consanguineo
Ædem iubet conficere
Cunctis manentem sæculis.
Ostendit illi se hilarem,
Suique natalitio
Conceptionis aurea
Templo manent encomia.
Conceptionis hinc diem
Iacobus Hispanos docet,
Et prædicat (seu cæteri)
Quacumque labe liberam.
Hinc mos habet principium
Hunc celebrandi iugiter
Populis Iberis diem,
Qui durat vsque hodie.

In cuius veritatis fulcrum addit Murillo in Historia Templi Cæsaraugustani del Pilar, sic accepisse à Viris fide dignis, illius templi inuocationem, & Altare maximum extitisse simulacrum immaculatæ B. Virginis Conceptionis, quod non erit creditu difficile, cum à S. Iacobo festum hoc colatur, vt affirmat idem Lucius Dexter cit. ad ann. 300. *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum immaculatæ, & illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ.* Hispani itaque primi inter reliquas nationes hunc immaculati Virginis conceptus cultum ab Apostolis ebiberunt, ipsique Virgini addictissimi, de ipsius eximiæ sanctitatis fama perculsi, quam simul hauserunt à primis illis Christi fidelibus Hierosolyma dispulsis in prima nascentis Ecclesiæ persecutione, de qua fit mentio Actu. 8. qui Carthaginem appulsi, ac per totam Hispaniam dispersi, ingentem Virginis Deiparæ sanctitatem adhuc vita superstitis disseminarunt; quo rumore permoti plures Hispani Hierosolymam versus peregrinati sunt, sacratissimum illud, ac cœleste prodigium, sic Mariam vocat S. Ignatius Martyr, inuisuri. Quæ omnia deprompsimus ex cit. Dextro ad ann. 35. *Ex his*, inquit, *plusquam quingenti naui Cyro educti portum Carthaginensem Hispaniæ pertingunt diuersi per Hispanias, mortem Christi, resurrectionemque denunciant, & Mariæ vitam, ad quam frequens ex Hispania fiebat peregrinatio; totamque Prouinciam mirificis nuntiis complent.*

Luc. Dext.

Luc. Dext.

Insuper addo D. Dionys. lib. de diuinis nominibus cap. 3. de obitu B. Virginis, affirmare, tunc Apostolos adfuisse, ac reliquos discipulos, ac proinde omnes Ecclesiæ Primates in vnum esse coactos, omnesque decreuisse, vt vnusquisque B. Virginis elogia decantaret pro cuiusque in tantam Virginem pietate, & affectu, quibus Deus potentissimus eam dexteræ suæ virtute locupletauit. 263.

tauit. *Conuenimus*, inquit, *cum Apostolis, aliisque ex primarijs Ecclesia Pastoribus, & Apostolorum discipulis ad Deipara felicem transitum, & ad contuendum corpus illud, quod vita principium dedit, Deumque suscepit, & post eius initium, Apostolis, ac cæteris qui conuenerant, placuisse, vt infinite potentem diuina virtutis bonitatem Pontifices laudarent omnes quisque pro capite suo.* Quod autem dona, ac priuilegia plura B. Virginis fuerint ab Apostolis tanquam infallibilia vniuersæ Ecclesiæ proposita, tradunt Andreas Cret. serm. de Dormit. Deiparæ. Iuuencus apud Nicephorum lib. 5. Histor. Damascen. de Dormit. Deipar. Epiphan. Presbyter apud Turrianum lib. 2. & apud Baron. tom. 1. ann. Christi 48. Cur autem reliqua B. Virginis priuilegia Ecclesiæ credenda proponerent, non vero immunitatem à peccato primi Parentis, cum non sit minoris ponderis apud Filium, & Matrem, quam reliqua.

Andr. Cret. Iuuencus. Niceph. Damasc. Epiphan. Baron.

264. Huc spectant quæ refert B. Amadæus ordinis Seraphici apud italos Reformator Apostolicus in libro inscripto, Apocalypsis noua, & asseruatur in Bibliotheca regia S. Laurentij in Escoriali, raptu 4. in quo Gabriel illum instruit de his, quæ in obitu B. Virginis peracta sunt; in quo Apostoli, ac reliqui Viri sanctissimi, qui illuc conuenerunt, vnusquisque pro suo in B. Virginem affectu, elogia, & priuilegia B. Virginis decantarunt. Initio igitur raptus 8. inter alia sic fatur Archangelus Gabriel: *Firmiter credendum est, ipsam, quam Deus super omnes Angeles elegit in gratia, & gloria, & quam primam post se, in regno suo esse voluit, & per quam omne bonum, & omne donum in homines transfundere statuit, & quam in suam Matrem elegit, nunquam fuisse filiam ira, nunquam in aliquo peccato fuisse maculatam; nunquam neque dum existeret, neque antequam existeret, & in mente diuina visione apprehenderetur, fuit apprehensa tanquam inimica, aut gratia carens.* Et postmodum refert Gabriel quæ vnusquisque in Deiparæ laudes protulit, præsentibus Apostolis, & simul coactis cum aliis discipulis. S. Andreas immaculatæ Conceptionis B. Virginis acerrimus Propugnator exstitit, ait enim: *Iustum, & rationabile fuit, vt Mater Dei tanta puritate splenderet, & tanta pulchritudine fulgeret, vt sub Dei nostri pulchritudo nulla in terris, aut in cælis maior cogitari possit. Tota enim pulchra es, & nulla macula in te est. Nihil in te horridum, nihil tetrum, omnia splendent omnia rutilant, &c. Vnica es columba sine felle, vnica immaculata.*

Amad.

Apostoli primi pio sententia de immaculato Deipara conceptu sectatores, ac propugnatores.

265. S. Matthæus sic fatur apud eundem Amadæum citatum: *Tu ô Maria, nosti & æterna, & temporalia, mortalia, & immortalia, corporea, & incorporea: nihil te lates, nihil abscondit Deus, qui se ipsum tibi aperte ostendit, &c. Niuei candoris es ô Maria immaculata, scirpus es nodo carens. Pœnas corporales ob peccatum primi Parentis in posteritatem deriuatas pro parte, & in tanquam carne corruptibili obtenta sustulisti. Pœnas animæ, quæ obsunt, & non prosunt, non habuisti. Non ergo alicui ignorantia subiecta fuisti. Magna sunt dona tua, qua lingua humana exprimi non possunt: nec mirum, nam spiritus sanctus, qui est æternum donum te sanctificauit, præseruauit purgauit, illuminauit, & singularibus priuilegijs decorauit.*

266. S. Matthias eandem Immunitatem Marianam his verbis extulit: *Virgo quibus meritis præcedentibus, quibus operibus præuenientibus à peccato omni præseruata fuit, nullis inquam, antequam esset, non solum ipsa, sed cælum, & terra, & ipsa natura Angelica, iam electa erat: iam si alij caderent in vno Patre promissum fuit remedium alios releuandi: ipsa omnino dono Dei, & remedio Passionis filij sui ordinatum fuit, vt dono Dei, & diuina acceptatione Passio plus sibi præuisa proficeret, quam aliis exhibita: quibus meritis præmiis in peccato non fuit concepta; omni gratia, & omni scientia fuit impleta: nullum donum creatura conueniens fuit sibi denegatum.*

S. Marcus Euangelista post Apostolos eiusdem B. Virginis Encomiastes factus ita fatur: *Laudatissimam Virginem omnes ample laudastis, omnesque proculdubio à laude defecistis, si enim omnes Angelorum exercitus in linguas conuerterentur, & mille annis loquerentur, quanta, & qualis sit hæc Virgo quam laudamus, nunquam exprimere possent. Laudammus non quantum debuimus, quia id impossibile est, sed quantum potuimus.* S. Lucas cum affirmasset Mariam non subiacuisse viro, hæc habet: *Hoc non te decebat Matrem Dei, Angelorum Reginam, & à peccato originali liberam, quia ergo ille peccato gratia Dei caruisti, æquum erat, vt in viri potestatem non transmitteretis.* Demum omnes Apostoli Christum allocuti de B. Virgine hæc protulerunt verba: *Surgat Arca sanctificationis tua, mortem non merebatur, ab omni peccato immunis: iustum saltem est, vt care illa, qua tua est in aliam naturam non vertatur.* Hæc omnia Gabriel seruo Dei Amadæo reuelauit; vt fusius ostendimus Palæstra 33. per integra septem Certamina. Nihil ergo mirum videri debet, quod protulerimus Apostolos in illo primo Concilio, hanc immunitatem ab omni originali labe Dei Genitricis suis suffragiis sanciuisse, cum suam hac de re sententiam in obitu ipsius Virginis satis superque expresserint, & euulgauerint. 267.

CERTAMEN VI.

Diluuntur obiecta insurgentia aduersus doctrinam superioris Certaminis.

OPpones Primo, nullum vestigium eiusmodi decreti Apostolici remansisse in Ecclesia, maneret autem si toti Ecclesiæ promulgatum fuisset, siue verbo, siue scripto, siue Traditione; sicut in Ecclesia Dei aliæ Traditiones, decreta, & canones ab Apostolis sanciti extant vsque in præsentem diem, siue per Traditionem, siue per scriptum, atque adeo signum est nunquam tale decretum de immunitate B. Virginis à peccato primi Parentis ab Apostolis fuisse traditum. Respondeo primo, potuisse Apostolos hanc immunitatem decernere, non tamen inde bene inferri, illud decretum toti Ecclesiæ promulgatum; certum enim videtur, multa quæ ab Apostolis fuerunt sancita, tanquam infallibilia, ea non proposuisse omnibus fidelibus forsan ad vitanda scandala Iudæorum, qui adhuc in Christi fide erant recentes; quæ scandala ob doctrinæ nouitatem Euangelicæ suboriri poterant. Quod Paulus subindicat epist. ad Galat. vbi ait, se contulisse cum Apostolis plura, quæ noluit omnibus palam proponere, sed occultare voluisse. *Contuli cum illis Euangelium quod prædico in gentibus, seorsim autem his, qui videbantur aliquid esse.* Vbi perpende aduerbium illud, *seorsim*, id est non palam, & coram omni populo. Secundò, responderi potest; licet sancti 268.

Apostoli veritatem immaculatæ Conceptionis Deiparæ omnibus proponerent, non inde bene elici temporum iniuria obliuione non fuisse traditam, sicut & alias plurimas veritates, quæ eandem fortunam subierunt; & quamuis aliqua illius notitia superesset, non tamen cum ea certitudine, & infallibilitate, quæ primis illis temporibus in animis fidelium inerat; & patet in pluribus fidei dogmatibus, quæ paulatim labentibus annis defecerunt, quousque ab Ecclesia in Conciliis generalibus iterum fuerunt constabilita, vt puta, simplicem sacerdotem posse per commissionem Summi Pontificis Sacramentum Confirmationis administrare, librum Ecclesiastici esse inter scripturas Canonicas adnumerandum, Virginem Deiparam fuisse in ventre Matris sanctitate donatam, perpetuam ipsius Virginitatem, ipsius immunitatem ab omni peccato actuali: quæ omnia dubio procul ab Apostolis fuerunt fidelibus tradita; & tamen eiusmodi veritates non semper eiusdem certitudinis gradum apud fideles obtinuerunt, quem hodie adeptæ sunt.

269. Quod vt planius fiat, duplex priuilegiorum genus oportet distinguere, alterum ad Christum propius attinens, qualis est perpetua B. Mariæ Virginitas, Maternitas Dei; horum autem priuilegiorum notitia semper in Ecclesia, ac fidelium mentibus insedit, quia directè ad plenam fidei promulgationem, ac mysteriorum Christi Domini cognitionem conducunt; vnde vtraque sub eisdem fidei articulis, & sub eadem certitudine cohibentur. Alterum priuilegiorum genus est, quæ solum ex congruentia quadam, decentissima tamen, ad Christum spectant, vt quod B. Virgo ab instanti Conceptionis prædita fuerit rationis vsu, & gratia in eodem instanti cohonestata, quod fuerit ab omni peccati labe expers, & alia eiusmodi, quæ licet ab Apostolis proposita fidelibus fuerint, cum tamen directè, & immediate non conducerent ad Christi mysteria explicanda, non ita laborarunt Apostoli, illorumque successores, de illorum veritate, ac notitia fidelium mentibus infigenda, ac conseruanda, quare sensim temporum decursu, licet non penitus abolita, non tamen eo infallibili certitudinis gradu in Ecclesia remanserunt.

270. Sixt. IV. Opponitur Secundò, Extrauagans Sixti IV. incipiens. *Graue nimis.* Vbi Pontifex affirmat, nullo vnquam tempore fuisse ab Ecclesia definitum B. Virginem immunem fuisse à labe originaria, ergo neque tempore Apostolorum fuit hæc veritas definita; apud ipsos enim fuit tunc Ecclesia, ergo tuto defendi nequit propositio illa superius adducta de S. Cecilio, videlicet ab Apostolis fuisse definitam hanc veritatem, ac proinde ab Ecclesia. Respondeo cum Doctore Lucero discursu secundo pro defensione immunitatis à labe originaria in B. Virgine; Sixtum IV. in extrauaganti illa solùm locutum de sanctionibus, quæ propius attinent ad totius vniversalis Ecclesiæ instructionem, inter quas supputari non debet decretum Conceptionis immaculatæ B. Virginis, cum non sit ex necessariis ad animarum salutem, vt bene explicat Pius V. motu proprio, vbi agens de Conceptione B. Virginis ait: *Pertinaciter pro alterutra parte contendunt, ac si esset de illis dogmatibus, quæ corde credere ad iustitiam, ore confiteri ad salutem necessaria sunt. Cum sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra, & doctrix disciplina de ea re hucusque non definierit.* Vbi solum docet Ecclesiam nunquam hanc veritatem decreuisse tanquam dogma ad salutem necessarium. Huic tamen Decreto nequaquam aduersatur, licet Apostoli hanc veritatem docuerint de immaculata Conceptione, non tanquam dogma vniuersale ex necessariis ad salutem; bene vero tanquam veritas certa, & sincera quæ omnem dubitationem, & opinionem excludat. Ita respondet Suarius in indicio manuscripto pro sanctis reliquiis Montis sancti Granatensis, quod refertur ab Ægidio de Præsentatione libr. 3. quæst. 3. artic. vnico sectiōn. 4. §. 9. Exemplum fit in aliis pluribus veritatum sanctionibus, quæ tanquam certæ, & infallibiles illis primis Apostolorum temporibus habebantur; postea vero temporum decursu gradum illius certitudinis amiserunt, & solum opinionis probabilioris fidem nactæ sunt, quousque Ecclesia denuo eas stabiliuit. Potuit ergo similiter hæc veritas de immaculato conceptu B. Virginis ab Apostolis sanciri, & sensim postea temporum iniuria, solum tanquam opinio probabilis sustineri. Intendimus ergo Sixtum IV. & Pium V. locis citatis solum declarare voluisse, nunquam Ecclesiam sanciuisse immaculatam Conceptionem tanquam articulum fidei, & tanquam veritatem vniuersalem ex necessariis credentibus ad vitam æternam consequendam: non vero negare Apostolos in aliqua congregatione, seu concilio definiisse B. Virginis conceptum ab omni fuisse labe originaria immunem; quin talis veritas per vniuersam Ecclesiam euulgaretur, quod sufficit, vt testimonium S. Cecilij verissimum sit. Instabis hæc aduersari verbis illis additis à S. Cecilio: *Qui hæc non crediderit, salutem æternam non consequetur.* Respondeo hæc non fuisse verba Apostolorum, sed S. Cecilij B. Virgini addictissimi; vel eos solum pœnam illam incursuros, ad quos certa notitia sanctionis illius Apostolicæ perueniret, nec illi acquiescerent.

Suarius. Ægyd. de Præsent.

Pius V.

Rursus in dicta insurget quispiam; nondum constare fide diuina B. Virginem immunem fuisse à noxa originali, ergo fictitium est decretum, quod asseritur à sanctis Apostolis fuisse stabilitum, quia falsum dogma continet. Assumptum patet, quia cuilibet licet hanc immunitatem negare; si vero Apostoli id decreuissent, iam esset credendum fide diuina, quod negat Sixtus IV. citat. aiens: *Nondum est a Romana Ecclesia, & Apostolica sede hoc decisum.* Ergo Apostoli illud decretum neutiquam ediderunt. Occurrit Granado tractat. de Concept. disputat. 3. cap. 6. immunitatem B. Virginis ab originali, fuisse à Deo reuelatam Apostolis, cumque penes ipsos esset authoritas fidelibus intimandi diuina mysteria, ideo statuisse illud decretum in Concilio aliquo, & nonnullis fidelibus saltem præfatam veritatem immunitatis B. Virginis ab originali proposuisse: nunc autem ea veritas non est adeo certa, & infallibilis, quia certitudo infallibilis illius Apostolici decreti nullibi extat. Nec mirum, res enim quæ in principio Ecclesiæ fuit certa de fide, postea labente tempore, non ita infallibiliter proponitur, vt certitudinem fidei ingenerare possit; hæc enim certitudo ortum ducit ex diuina reuelatione proposita vel in sacra Scriptura, vel Traditione aliqua ab Apostolis deriuata: quod vero olim certum erat ex sacra scriptura, quia illud Apostoli ita sanxerunt, ac fidelibus 271.

Granad.

fidelibus tanquam fide diuina credendum intimarunt; modo quia iam non certo constat de Apostolorum sanctione, ac promulgatione, ideo neque de cuius certitudine infallibili constare potest: vnde quod olim erat sufficienter propositum, vt fide diuina crederetur, potuit postea non habere sufficientem propositionem. Nemo enim inficiari potest, Apostolos fide diuina credidisse gratiam, & virtutes infundi paruulis in Baptismo, idque illos docuisse; & tamen postea ea de re dubium exortum fuit; quippe
Innoc. in c. Maior. Innocentius in cap. Maiores, de Baptismo. Et
Clem. V. Clemens V. in Concilio Viennensi, id solum
Trident. tanquam probabilius statuerunt; & modo iam fuit à Tridentino definitum tanquam de fide. Neque subterfugit Apostolos Deiparam post mortem, corpore & animo cœlos conscendisse, & tamen quod illi tunc diuina reuelatione didicerunt, postea minus certum fuit in Ecclesia; & tamen modo certissimum est apud omnes fideles. Qua circa assero Sixtum IV. latuisse præfatum Apostolicum decretum, tum & alios Pontifices: verissime autem Sixtus IV. ait Romanam Ecclesiam de hac immunitate B. Virginis nihil definiisse, quia Ecclesia illa primitiua non appellabatur Romana, cum nondum B. Petrus sedem Romæ fixisset: itaque nihil mirum si Pontificis ignorauerint Apostolicum illud Decretum, cum obliuioni temporum iniuria traditum fuerit; aiunt tamen nihil Romanam Ecclesiam hac de re decreuisse, quibus verbis nulla falsitas subest; nam verum est Ecclesiam Romanam, nihil statuisse de fide circa huiusmodi controuersiam, licet illud decretum sanciuerit Ecclesia Apostolica, quando Hierosolymitana nuncupabatur.

271. Sed vt ea, quæ pro solutione superioris argumenti protulimus, amplius illustrentur, hic placuit facere satis delationi cuiusdam propositionis Patris Petri Hurtado, quæ delatio facta fuit
Delatio Doctoris Espino refellitur, ac Pat. Hurtado vindicatur. à Doctore quodam cognomento Espino, in quem ad plenum cecidit primæua illa Dei maledictio: *Spinas & tribulos germinabit tibi.* Hic ergo ad supremum sanctæ Inquisitionis tribunal
Pat. Hurt. detulit, sed in cassum, propositionem illam Patris Hurtado tomo de Fide disput. 14. §. 57. & 58. *Quod semel creditur fide diuina potest licite in dubium reuocari; & propositio Ecclesiæ, quæ antea non erat dubia, potest postea in dubium reuocari.* Arguit nunc Espino hoc dilemmate aduersus prædictam propositionem; Vel ergo quod semel creditum fuit fide diuina, semper eadem fide tenendum est; vel fides est amittenda: hoc dici nequit, ergo primum affirmandum est. Verum sentiensum hoc argumentum nihil acuminis continet, sed nimium hebes Authoris ingenium arguit.

273. Assero ergo contra Espino cum Hurtado citat.
Quod semel fuit creditum fide diuina, licite & prudenter potest in dubium reuocari. Quando consensus Ecclesiæ tam prudenter creditur ab aliquo fideli, vt licitum non sit de illo dubitare; postmodum vero rationes occurrunt, quibus prudens quisque dubitare possit, verum illud dogma sit vniuersæ Ecclesiæ, tunc prudenter, ac licite possumus in dubium reuocare, quod antea fide diuina credebatur. Sit exemplum: vir mediocriter doctus in Hispania à S. Augustino instruitur, ipsique credit, cum dicit, esse dogma totius Ecclesiæ, filios Hæreticorum non esse rebaptizandos: hic homo iam illud dogma credit fide diuina, nam vere id Deus reuelauit, & reuelatio illa prudentissimè fuit applicata huic homini per S. Augustini authoritatem, ac expressam sententiam, ita vt non potuerit licite dubitare. Deinde hic idem Africam petat, & videat à S. Cypriano ex tota Africana Ecclesia filios Hæreticorum rebaptizari; tunc inculpate prorsus posset reuocare in dubium doctrinam acceptam à S. Augustino. Nunc etiam fide diuina creditur librum Apocalypseos esse Canonicum, cum sancta Tridentina Synodus in catalogum librorum Canonicorum illum ex Traditione Maiorum adnumerauerit. Et tamen sancti Hieronymi ætate licuit hanc veritatem, & omnes in eo libro contentas in dubium reuocare, vt author est Canus Can.
libro 2. de locis cap. 7. *Tempore*, inquit, *Hieronymi dubitare catholico licuit, an Apocalypsis Ioannis sacra, & Canonica esset; nunc autem id non licet in dubium reuocare.* Itaque principio nascentis Ecclesiæ nulla hac de re dubitatio fuit, postea tempore sancti Hieronymi orta fuit dubitatio: nunc vero nullum dubium exoriri potest. Rursus Antonius Corduba libro 4. quæ- Corduba.
stionarij quæst. 1. propositione 5. pag. mihi 222. fauet huic censioni, ait enim: *Secundum genus est earum veritatum, de quibus aliquando dubitatum est, & variæ fuerunt sententiæ catholicorum, & Ecclesiarum etiam Apostolicarum, quia vel ab ipsis Apostolis non fuerunt tam clare omnibus traditæ, vel vbique prædicatæ, vel quia non fuerunt omnibus fidelibus illius temporis eodem modo, nec tam plane aut plene intellectæ, & obseruatæ, & ita temporis decursu magis variatæ, atque dubitatæ sunt.* Modo sic argumentor: hoc secundum Traditionum genus, de quo Corduba agit, fide diuina tenebatur ab Apostolis, & ab illis quibus Apostoli tradiderunt, postea labente tempore Catholici, ac fideles de illis prudenter dubitarunt, nam certitudinem fidei, & infallibilitatem amiserunt: *Postea tamen*, addit Corduba, *vt esset omnium in his concordia fidelium, in Concilijs Generalibus totius orbis definita sunt.* Ergo iam Corduba tres status aliquibus Traditionibus attribuit, alium certitudinis, secundum dubietatis, tertium certitudinis infallibilis, quod nos asserimus. Nobis etiam assen-
titur Petrus Lorca in 2. 2. disputat. 17. num. 6. Lorca.
vbi hæc habet: *Ad 2. definitiones Ecclesiæ non faciunt fidei dogma id quod antea non erat, nec addunt articulum, aut doctrinam nouam, sed asserunt, & explicant antiquam; quæ quamuis esset in corde Ecclesiæ, & in fide multorum, quoad aliquos obscurata fuerat, & in quæstionem, & in dubium vocabatur.* Ergo licite potuerunt Catholici dubitare, quod antea fide diuina creditum fuit.
Suffragatur etiam Ægidius de Præsentatione Ægid. de
lib. 3. de præseruatione Virginis quæst. 3. art. vnico Præsent.
sectione 4. §. 1. numer. 21. his verbis: *Quinta demum & postrema difficultas ex eo oritur, quoniam si Apostoli B. Virginis Conceptionem immaculatam, vt de fide definiuissent, hanc definitionem Ecclesiæ publicassent, & illa perpetua successione in Ecclesia conseruaretur, quod enim semel definitum est de fide, semper permanet de fide; cum tamen nostris temporibus de fide non sit.* Cui argumento occurrit idem Doctor §. 10. numer. 54. *Quare dicendum est, Apostolos quidem hanc Virginis prærogatiuam & definisse, & aliquando prædicasse, Ecclesiæque tradidisse; eam tamen temporum iniuria à certitudine Traditionis, & Apostolica doctrina cecidisse. Etenim communis est Theologorum*

doctrina, multa ab Apostolis fuisse tradita, vt de fide credenda, quæ postea in Ecclesia fuerunt dubia, & sine infallibili certitudine habita. Et iterum num. 59. eundem sensum inculcat: *Quo fit*, ait, *vt plura istorum temporis decursu, vel ob hominum negligentiam, vel etiam proteruiam, & ingenij prauitatem potuerint vel in dubitationem venire, vel sub obliuionis tenebris demersa laterent*, vt benè
Valent. aduertit Valentia tom. 3. disp. 1. quæst. 1. p. 6. Vual-
Vuald. densis lib. 2. doctrinalis fidei, c. 22. & 23. *cui etiam illud argumento est, quod multa ab Apostolis fuerunt tradita, quæ postea in Ecclesia dubia fuerunt, & per illius definitionem fidei certitudinem iterum acceperunt.* Eandem doctrinam ferè sub eisdem verbis
Perlin. tradit Ioannes Perlin in Apolog. pro Concept. B. Virg. dist. 7. cap. 1. num. 20. Ac demum concludit. *Accidit ergo interdum, vt quæ prius de fide omnibus erant, omnibus iam de fide non sint.* Videatur etiam
Abulens. Abul. in lib. Numer. quæst. 23. Vbi verba facit de libro bellorum Domini, & ait: *Iste liber est valde authenticus, alioquin non allegasset Moyses in probationem eorum, quæ dicuntur, postea tamen abolitus est, non quidem quod eius authoritas improbata sit.— Vnde nunc Ecclesia veritates eius in canone Scripturarum suarum non recipit.* Quibus verbis luculenter ostendit, illius libri veritates quondam tanquam de fide creditas, & inter Canonicas receptas, omnino fuisse abolitas.

274. Et vt dicta plenius intelligantur, communis est Theologorum censio cum S. Thom. 2. 2. q. 1. art. 7. Ecclesiam nihil nouitus definire, quod aliquando non fuerit fide diuina creditum; & quidquid de nouo decernit nihil esse aliud, quam declarationem rerum antea creditarum, postea vero ob temporum iniuriam abolitarum; ex qua communi doctrina manifestè deducitur aliqua dogmata, quæ ab Ecclesia vniuersali quondam fuere credita fide diuina, postea labentibus annis à certitudine infallibili fidei diuinæ cecidisse: ergo quod semel fuit creditum fide diuina potest in dubium reuocari. Quod placitum commune, & certum vocat
Ægid. Ægidius cit. sect. 4. §. 10. num. 95. vbi hæc scrit: *Pro cuius explicatione aduertendum est primo, Ecclesiam non posse aliqua de fide aut edere, aut definire præter ea, quæ per Christum, aut Apostolos illi sunt tradita, & prædicata, quæ est communis Theologorum sententia, ex mente* D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 7. vbi omnes illius interpretes Bañez, Aragon,
Cordub. & alij, & latè probat Cordubensis lib. 4. quæstiona-
Bellarm. rij quæst. 1. propos. 5. notab. 1. Bellarm. tom. 3. controuers. lib. 1. de verb. Dei, c. 10. §. itaque non dici-
Valent. mus. Valent. tom. 3. disp. 1. q. 1. part. 6. idemque do-
Canus. cet Canus lib. 2. de locis, cap. 7. vers. qua in re. *Ac nos*, ait, *ingenuè fatemur, non esse nunc nouas reuelationes expectandas, siue à summo Pontifice, siue à Concilio, siue etiam ab Ecclesia tota, sed inquirenda potius Maiorum documenta.* Vnde vt modo aliquod dogma fide diuina credatur, opus non est reuelatione nouitus facta: sed quæ de nouo definitur veritas; Iam multo ante à Deo reuelata fuerat, sine qua reuelatione nihil fide diuina credi potest.
Vuald. Quod eruditè confirmat VValdensis aduersus VViclefum lib. 2. doctrinæ fidei, cap. 22. & deinceps. Vbi inter alia hæc scrit: *Datur adhuc sacris Concilijs, Episcopis, & Doctoribus, maximè denunciante sede Romana contra insurgentes hæreses fidem antiquam effodere, quasi per seriem Sanctorum PP. ad ipsos Apostolos fidei Fundatores excurrant.* Valentia item citatus Sanctorum PP. suffragiis probat id omne quod denuo ab Ecclesia definitur fuisse antiquitus dogmata catholicæ veritatis in Ecclesia
habita. Quod amplius roborari potest, libros enim 275.
Canonicos ab Spiritu sancto dictatos, ab Ecclesia approbatos tanquam Dei Verbum, siue primitus à synagoga, fuisse fide diuina creditos, dubium esse non potest; videlicet Machabæorum libros, Apocalypsim, & alios, quorum plures deperditi sunt, quorum veritates iam à fide catholica desciuerunt, nisi in aliis libris Canonicis contineantur; ergo omnino certum, & indubitatum maneat, id quod semel creditur fide diuina, postea licere in dubium reuocare. Assumptum probatur Patrum testimoniis. Præeat qui ingenio omnibus præit S.
Augustinus tom. 5. lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 28. August.
ante finem: *Scripsisse*, ait, *nonnulla diuina Henoch illum septimum ab Adam, negare non possumus, cum hoc in Epistola Canonica Iudas Apostolus dicat, sed non frustra non sunt in eo Canone Scripturarum; cur autem hoc, nisi quia ob antiquitatem suspecta fidei iudicata sunt.* Eadem inculcat lib. 18. de Ciuit.
cap. 38. Bellarm. tom. 1. lib. 4. de verbo Dei non Bellarm.
scripto, cap. 4. ait: *Multi libri verè sacri, & Canonici perierunt, nam ex Testamento veteri multos
libros perijsse*, docet Chrysost. homil. 9. in Matth. Chrysost.
multa ex propheticis periere monumentis, quod de Historia Paralipomeni probare possibile est. Desides enim cum essent Iudæi, nec desides modo, sed etiam impij, alia quidem perdiderunt negligenter, alia verò tum incenderunt, tum conciderunt. Consula-
tur Sherlogus in Cantica tom. 1. Anteloq. 7. n. 62. Sherlog.
& Doctor Ioannes de Payua in doctrinali sacræ Scripturæ, lib. 2. regularum vniuersalium, cap. 2. & Petrus Garcia Galanza Episcopus, lib. 4. Euang. instit. cap. 6. vbi longum attexit catalogum eorum librorum, qui ex veteri Testamento deperditi sunt, quod multiplici eruditione confirmat, refertque
Sixtum Senensem lib. 2. Biblioth. Addit Bellarmi- Bellarm.
nus de Scriptoribus Ecclesiasticis, in S. Iacobo, ab hoc Apostolo fuisse liturgiam compactam primitus, sed ab aliis auctam, ac proinde authoritate Canonica destitui, qua gauisa fuit, cum primum ab Apostolo edita fuit; dumque sua primæua puritate niteret, eius authoritas inualuit apud Ecclesiam. Rursus Septuaginta Interpretum translatio plusquam octingentos annos ab Ecclesia Catholica authentica, & Canonica habita fuit, quousque ab Hæreticis deprauata Canonica esse desiit. Idem dicendum de originali Hebræo, quod aliquando fide diuina creditum fuit; modo autem quia à Rabbinis interpunctum, & immutatum est, fide diuina non creditur ab Ecclesia. Vi-
dendus Lorca disput. 3. de locis, num. 83. vbi hæc Lorca.
habet: *In ipsa Scriptura fit mentio aliquorum librorum, quos fuisse Canonicos ex ipsa Scriptura apertè constat. Nam Paulus ad Colossen. 4. memorat epistolam suam ad Laodicenses, quam fuisse Canoni-
cam negare non possumus.* Et subscribit P. Maria- Mariana.
na post commentaria ad Colossenses, vbi exemplar illius epistolæ ad Laodicenses appingit, eamdemque esse cum ea, quam D. Paulus conscripsit
asseuerat cum Michaële Medina lib. 6. de recta Medina.
in Deum fide, cap. 6. Vide Cornelium à Lapide Cornel.
epist. ad Colossenses 4. num. 16. Vbi pro hac sententia affert quemdam Fabrum Stapulensem. Idem in Numer. cap. 21. num. 14. stat pro nobis dum ait: *Vnde dicitur in libro Bellorum Dei: fuit hic vetus liber ante Pentateuchum conscriptus, sicut & libri Henoch, Nathan, Gad, addo & alios, quos meminit Scriptura.* Ita sanctus Augustinus quæstione 42. & Rabbanus, *vnde patet librum*

hunc

hunc fuisse propheticum. Inter hos Doctores adnumerandus Salazar de Concept. c.42. sæculo primo, aiens: *Atque vtinam,aut hominum incuria,aut temporum iniuria non intercidissent plurima,qua de singulari puritate Mariæ ab Apostolis ipsis, Apostolicisque eius ætatis viris sunt perdita.* Salaz.

276. Ad hæc, res est apud Interpretes receptissima, aliquos Canonicos noui Testamenti libros fuisse deperditos, qui Apostolorum tempore fide diuina credebantur: nunc autem ab illa fide infallibili ceciderunt, ob defectum propositionis totius Ecclesiæ, vt erudite probat ad rem præsentem Ægidius de Præsentat. lib. 3. de Præseruat. Virg. q.3. art.vnic.sect.4.§.2.num.22.his verbis: *Hu tamen non obstantibus,hac libri laminarum,ac reliquiarum repudiatio ab alijs non admittitur,& reijcitur tanquam plena audacia; cui opinioni lubentissime subscribo. Etenim existimo dubitari non posse de authoritate inuentionis,tum Reliquiarum,tum Scripturarum,& librorum, qui in laminis continentur. Quod confirmatur ex Gregorio Lopez de Madera in libro, quem pro defensione reliquiarum,& librorum, edidit in primo discursu cap. 3. nam quæ scripsit publica sunt,& grauissima Concilij Prouincialis authoritate approbata, iudicioque grauissimorum virorum recepta,vt verissima,& authentica; imò aliquibus veris, & approbatis miraculis confirmata; tum grauissima est authoritas Reuerendissimi Episcopi Fr. Francisci de Sessa,in doctissima approbatione libri Gundisalui Sanchez de Lucero pro immaculata B.Virginis Concept.* Cum verò his Doctoribus obiicitur id quod semel fide diuina creditum fuit,etiam modo eadem fide opus esse credendum. Respondent id esse falsum,quod enim aliquando fide diuina creditum est in Ecclesia, potest sine amissione fidei in dubium reuocari,ac proinde fide diuina non credi.Ita Ægidius cit. Ioan. Perlin.Iacobus Granado Salaz. cit. Basilius Ponce de Leon in quodlib.1. p. quæst.2. cap. 1. qui addit Ecclesiam Granatensem in quodam Concilio amplexatam fuisse fidem catholicam sancitam Hierosolymis ab Apostolorum Concilio; cum tamen modo fide catholica ibidem eadem doctrina non credatur. Demum Suarius in tractatu manuscripto, quem allegant Ægidius & Perlin hos Granatenses libros approbat,& in primam secundæ disp.9. de peccato originali, sect.4. num.39.& tom.2. in 3.part. disp.3.sect.6. §. *Dico primo.* exagitans priuilegium immaculati conceptus B.Virginis ait, sæpe in Scriptura indicatum fuisse, deinde ab antiquissimis Patribus, & vt creditur etiam ab Apostolis fuisse traditum. Quod sufficit vt illius propositionis veritas appareat: quod semel creditum fuit fide diuina potest licitè in dubium reuocari. Ægid. de præsent.

277. Insuper dictis suffragatur Magister Canus lib.2. de locis cap. 5. cum ait: *In dubium itaque & olim & nostra hac tempestate vocatum est, an septem illi libri veteris Testamenti Baruch, Tobias,Iudith, sapientia, Ecclesiasticus, duoque Machabæorum sint habendi Canonici: ex nouo quoque Testamento quæstio ferme eadem exstitit de epistola Pauli ad Hebr. de epistola Iacobi,de 2. Petri, duabus posterioribus Ioannis,de epistola Iudæ,& libro Apocalypseos,sunt enim Theologi, & fuerunt, atque in his quidem & nobiles, & veteres, longéque Principes & Iuniores, & docti, & graues, qui multis magnisque rationibus adducti negarint eos libros oportere in Canonicis computari.* Modò inquiro, verum hi Doctores assentirentur illorum librorum veritatibus fide diuina, quando ipsi eos nequaquam tanquam Canonicos suspiciebant, sicut modo, & olim quando primo editi, & propositi fuerunt Ecclesiæ; si ergo aliquando à fide Catholica desciuerunt: ergo inter Theologos tanquam certum,ac indubitatum esse debet, id quod semel creditur fide diuina, posse licite in dubium reuocari. Et vt verum fatear,nullus sanæ mentis id inficiari potest. Res exemplo clarior fiet:recolat quispiam librum Genesis,& credit fide diuina Mathusalem vixisse 969.annis,& Arcam Dei septies muros Hiericho circundedisse,postea oblitus quod legerat, licitè dubitare potest, vtrum Mathusalem vixerit 969. annis, an 996. quin fidem diuinam amittat, quod frequentissimè experimur ob memoriæ defectum; ideoque sæpius sacras scripturas, relegimus, & inculeamus, vt eiusmodi rerum dubietates antea fide diuina creditarum sacrarum scripturarum relectione procul abigamus. Canus.

CERTAMEN VII.

Ecclesia mentem indagat quid sub nomine Conceptionis intelligat.

Aduersariæ factionis sectatores in varias abiere sententias circa interpretationem nominis Conceptionis. Alij adstruunt festum Conceptionis coli ab Ecclesia, non quia instans Conceptionis sanctum fuerit, sed in gratiarum actionem, quia singulari Dei beneficio Virgo Deipara concepta, quam Deus ab æterno in Matrem selegerat; quemadmodum eadem Ecclesia colit victorias ab hostibus fidei partas,& plures ciuitates colunt eos dies,in quibus aliquod singulare beneficium à Deo receperunt. Ita Paludanus, Ioannes de Neapoli,Capreolus,D.Antoninus,& immerito hæc expositio tribuitur ab Ægidio de Præsentat. Cardinali Bellarmino; nihil enim, nec per somnium illi in mentem venit, quod illi expositioni subsidietur. Aliqui S. Thomæ Discipuli opinati sunt sub nomine festi Conceptionis, non naturalem,sed spiritualem conceptionem intelligi,idest, sanctificationem. Alij demum nouiores, vt pœnas summorum Pontificum interminatas aduersus primos, & secundos effugiant, aiunt celebrari ab Ecclesia,naturalem,ac materialem B.Virginis Conceptionem, non quia sancta exstitit,sed in ordine ad futuram sanctitatem. Ita Ægidius Romanus quodlib.6.q.20. Quam explicationem admittit Bandellus;imò & aliqua Missalia, & Breuiaria tempore Magistri Generalis Hieronymi Xauierre primum edita festum Conceptionis sub nomine sanctificationis continebant. 278.

Verum enimvero, vt hinc ordiar, in clarissima Prædicatorum Familia,semper festum Conceptionis sub hoc titulo fuisse institutum,probat luculentum Vincentij Iustiniani ex eadem Familia testimonium,in Addit.ad vitam B.Ludouici Bertran §.*Vltimo*,vbi ait, in pluribus conuentibus sui Ordinis,non solum coli Conceptionis festum magnificentius; sed etiam in vniuersa prouincia Bœtica celebrari cum Octaua solemni,ac splendido cultu; imo in tota Gallia,& vbique vltra montes sub eodem nomine coli, ait Catharinus de controuersia, exorta inter Prædicatores, & Senenses. Et confirmari potest ex suis Missalibus,Breuiariis, & Martyrologiis antiquioribus: Missale enim proprium huius sacri Ordinis excusum ann 1530. Hispali, sacrum habet huius festiuitatis sub nomine Conceptionis 279. Vinc. Iust. Cathar.

ceptionis. Breuiarium item eiusdem ordinis Parisiis editum ann. 1550. colit idem festum sob conceptionis voce; Martyrologium præterea ipsorum per Fr. Ioannem de Palencia Salmanticensis conuentus Præcentorem Veoetiis typis mandatum de licentia Reoerendissimi P. Seraphini Caualii Generalis ann. 1582. & in Calendario eidem Martyrologio affixo, ita habetur: *Octaua die Decembris Conceptio B. Mariæ Virginis totum duplex.* In eodem etiam Martyrologio 6. Idus Decembris inuenitur: *Conceptio sacratissimæ Virginis Mariæ Genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi, totum duplex.* Quod si attente Missalia, & Breuiaria vetustiora Ordinis eiusdem inspiciantur, reperiemus à tempore Magistri Generalis Hieronymi Xauierre solum incæpisse vti nomine Sanctificationis, pro Cōceptionis voce. Quod statutum fuit in comitiis Generalibus Ordinis. Nec apparet cuius Pontificis induito id factum fuerit. Quippe in Breui Clementis VIII. affixo ipsis suis Missalibus, ac Breuiariis, ipsius Pontificis iussu de oouo in lucem editis, nulla huius rei mentio fit; solum ibi animaduertit Pontifex, se multum exoptasse, vt in comitiis illis Generalibus, qoibos interfuit vt præses Emioentissimus Cardinalis Cæsar Baronius de ipsius Pontificis mandato, vt libri omnes Rituales totios ordinis Prædicatorum conformarentur ad normam, ac præscriptum Missalis, Breuiarij, ac diurni Romani, seruato tamen vetusto prædicti ordinis ritu: cuius æquissimis votis annuit vnanimis Congregatorum consensus, vt refert ipse Pontifex. At votum Pontificis erat, vt conformarentur cultui, & ritui Romano, seruato rito antiquo ipsios Reiigionis, qood factum fuisse supponit Pontifex in præfata Bulla: quando autem immutatur Conceptionis nomeo in vocem Sanctificationis, nec cultui Romano conformantur, nec peranriquum sui Ordinis ritum obseruant, vt ostensum est, ergo maoifeste contra Clementis VIII. diploma, tam à Romana, quam à sua laudabili consuetudine desciuerunt: nihil enim iicuit ex huius Pontificis literis circa hanc tem innouare, præsertim cum insserit, vt Ecclesiæ vniuersali in festorum celebratione adhærerenr, ergo noluit vt ab ea in Sanctificationis voce discreparent, quæ vox sensum oppositum sensoi Ecclesiæ profiteretur: & qui ritum verustom Ordinis obseruati voluit, nequaquam nouum, & insolitum admitteret.

Martyrol. Domin.

Clem. VIII.

280. Immerito aotem aiunt aliqui à Sixto IV. banc facultatem obtentam: si enim attentis mentis oculis Sixti constitutiones consulantur, nec verbum reperitur, per quod cuipiam liceat Conceptionis festum sub Sanctificationis nomine celebrare. Imo damnat Prædictus Pontifex quorumdam interpretationem asserentium sub nomine Sanctificationis B. Virginis Conceptionem coli, quod erroneum esse dicit. Aliud enim est permissio opinandi in hac materia, aliud faculras celebrandi festum contrario ab Ecclesia sensu. Primum in rebus opinatiuis, etiam inconsulto Pontifice, licet cuique; his potius Doctoribus, quam aliis adhærere. Secundum non nisi à Pontifice concedi potest. Licet ergo permissum fuit à Sixto, vt quisque opinaretur in hac re, & cui maller adhæreret sententiæ; non tamen permissum fuit, vt Conceptioois festum ab Ecclesia institutum, sub Sanctificationis nomine cuilibet celebrare iibeat. Nec obstare potest testimonium Aluari Pelagij ab aduersariis productum, asserentis hoc festum Conceptionis, sub titulo Sanctificationis coli antiquitus in Ecclesia, præcipue io Templo S. Mariæ de vrbe, boc enim falsum esse asserit Catbarinus in disp. pro Concep. Virginis, cui adfauet diligens illa disquisitio facta per doctissimos Episcopos, ac Præsules, & alios grauissimos viros in ærariis eiusdem Templi S. Mariæ, vt refert Trexo orat. 6. habita ad Paulum V. in legatione pro Conceptione B. Virginis §. 3. num. 9. Iu quibus ærariis oec verbum, aut vestigium aliquod apparuit huius vocis, *Sanctificationis*, pro solemnitate Festi Conceptionis. Imo Sixtus IV. deouo boc festum sub titulo Conceptionis coli per vniuersum orbem cohortatus est: cum vero aliquos comperisser, qui assererent, non materialem, & veram Conceptionem celebrari iussum fuisse à Papa, sed potius B. Virginis Sanctificationem; tunc Pontifex sententia excommunicationis lata contra talia opinantes sanciuit ann. 1482. vere, & propriè huius festi institutionem intelligendam esse de vera, & materiali conceptione, sed in gratia facta. Qood confirmatum fuit ann. sequenti ab Alexandro VI. Concilio Tridentino. Pio V. & Paulo V. Quod si aliquando summi Pontifices eorum tolerauerunt ritum circa nomen, Sanctificationis, non tamen approbarunt; non enim quidquid permittit, aut tolerat Ecclesia, ideo approbat, aut commendat: qoid quod exorientibus scandalis, id quod aliquando quoquo modo permissum fuit, haudquaquam tolerari oportet.

A nullo summo Pontifice fuit obtenta facultas, vt Conceptionis festum nomine sanctificationis celebraretur.

Sixtus IV.

Alex. VI. Conc. Trid. Pius V. Paul. V.

Sed anrequam ad mentem sommorum Pontificum indagādam accedamus; animaduertere oportet nullum ab Ecciesis festum coli, nisi pro re sancta, siue sit alicuius sancti natiuitas, siue mors, siue quippiam aiiud: semper itaque festiua veneratur ratione sanctitatis pro illo tempore existentis. Ex eo igitur quod Ecclesia colendum proponat fidelibus quemcunque vitæ terminum cuiuslibet sancti pro certo, ac firmiter tenendum est, tunc temporis sanctum illum non solum alicui non subiacuisse peccato, sed etiam gratia, & sanctitate exornatum fuisse. Theologice S. Augustinus S. Cypriani mortem, non vero natiuitatem in Ecclesia coli affirmauit, nimirum quia mors in gratia contigit, natiuitas peccato fuit obnoxia: *Quid est hoc fratres? quando natus S. Cyprianus, ignoramus, & quia hodie passus est, Natalem eius hodie celebramus: sed illum diem non celebraremus, & si sciremus, illo enim die traxit originale peccatum, isto autem die vicit omne peccatum.* Hæc Augustinus serm. 113. qui est de B. Cypriano, & inuenitur tom. 10. subditque ibidem: *Nos celebramus natalitia eius, nisi esset pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius.* Ideo D. Bernardus epist. illa ad Canonicos Logdunenses B. Virginis Conceptionem non esse celebrandam contendebat, quia peccati macula iofectam opinabatur: *Quænam*, inquit, *iam erit ratio festiua Conceptionis.* Ac si diceter, nullam aliam festiuitatis instituendæ rationem assignari posse dempta saoctitate. Adstipulatur S. Bonau. in 3. dist. 3. q. 1. *Statuta, ait, vniuersalis Ecclesiæ de sanctorum celebritatibus omnia fundata sunt super sanctitate, vt nullo die pro aliquo sancto solemnizet, in quo, vel pro quo persona sancta non fuerit, cui honor ille defertur.* 281.

Nullum ab Ecclesia colitur festum siue mysterij, siue sancti alicuius, quod non sit de re sancta.

August.

Bern.

Bonau.

Verum vt huios certaminis titulo fiat satis, Ecclesiæ mens per verba summorum Pontificum erit nobis indaganda. Sixtus ergo IV. affirmat ab Ecclesia coli sub nomine Conceptionis immunitatem, & præseruatiooem B. Virginis ab originali. In Bulla enim incipiente, *Graue nimis*, hæc habet. 282.

Sixt. IV.

Sane

Sanè cum sancta Romana Ecclesia de intemerata semperque Virginis Mariæ Conceptione publicè festum solemniter celebraret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit, nonnulli vt accepimus, diuersorum ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum publicè per diuersas ciuitates, & terras affirmare hactenus non erubuerunt, omnes illos, qui tenent, aut asserunt eandem gloriosissimam, & immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos eiusdem immaculatæ Conceptionis officium celebrantes. Additque postmodum propositiones prædictas esse falsas, erroneas, & à veritate penitus alienas. Nunc sic insurgo: Sixtus IV. in præfatis verbis, ait, coli ab Ecclesia Romana, quod aliqui concionatores temerario ausu damnabant; atqui hi concionatores solum inuehebantur in opinionem piam immunitatis Deiparæ à culpa originaria, ergo prædictus Pontifex affirmat celebrari ab Ecclesia sub nomine conceptionis, non sanctificationem, vtcunque, sed immunitatem, & præseruationem eiusdem B. Virginis ab originali. Minor ex eo patet, nam illi Concionatores non coarguebant Conceptionem spiritualem, seu Sanctificationem; iam enim tunc apud omnes certissimum habebatur B. Virginem in vtero matris sanctitate fuisse donatam.

283. *Ecclesia sub nomine Conceptionis intelligit immunitatè à peccato originali.* Conc. Trid.

Firmatur hæc ratio, non Conceptionis festum colitur ab Ecclesia eo sensu, quo Conciliom Tridentinum asserit esse colendum, atqui Concilium ait, Conceptionis festum celebrari quatenus in se amplectitur immunitatem à culpa originall, ergo in eo solo sensu ab Ecclesia festum illud peragitur. Maior propositio est certissima, quippe Tridentina Synodus Spiritu sancto agitata illud decernit, vt patet sess. 5. *Declarat sancta synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi agitur de peccato originali B. & immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed obseruandas esse constitutiones fœlicis recordationis Sixti IV. sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat.* Ex quibus luculenter ostenditur, Tridentinum in ea fuisse sententia, videlicet Sixtum IV. in suis Bullis sermonem habere de Conceptione, prout dicit immunitatem ab originali: ait enim Concilium non esse suæ intentionis includere B. Virginem in Decreto vbi agitur de peccato originali. Deinde perspicuè deducitur ex prædictis verbis, Concilium intendere innouare Bullas Sixti IV. Sed ibi Pontifex hortatur fideles ad celebrandam exemptionem B. Virginis à culpa originali, & iubet ne quisquam hoc festum celebrantes arguat, ergo idipsum à Tridentino iubetur. Roboratur etiam authoritate eiusdem Bullæ *Graue nimis*, vt refertur in libro, cuius inscriptio est, *Monumenta Ordinis Minorum*, vbi hæc habentur. *Nonnulli diuersorum Ordinum professores publicè affirmare hactenus non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, Romanam Ecclesiam, solam spiritualem Conceptionem, seu Sanctificationem Virginis Mariæ celebrare.-- Nos ergo eiusmodi temerariis ausibus, & peruersis Assertionibus obuiare volentes, motu proprio, & de nostra mera deliberatione huiusmodi assertiones quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eandem Romanam Ecclesiam de spirituali duntaxat Conceptione, & Sanctificatione eiusdem Virginis gloriosæ festum celebrare, vtpote falsas, & erroneas, ac à veritate alienas authoritate Apostolica reprobamus, & damnamus, & statuimus, & ordinamus, quod quicunque qui de cætero, ausu temerario præsumpserint affirmare huiusmodi per nos sic reprobatas, & damnatas assertiones veras esse, postquam de præsentibus scientiam habuerint, excommunicationis sententiam, & æternæ maledictionis pœnam eo ipso incurrant.* Quæ Extrauagans, licet iuri non sit affixa, quoad illa verba; *De spirituali Conceptione, siue Sanctificatione.* nihil interest, cum ita legatur in libro supra citato, tum & in Bullario Rodriquez: & Ioannes Baptista Confectius Protonotarius Apostolicus in libro inscripto, Collectio priuilegiorum sacrorum Ordinum. Qui Liber Clementi VIII. dicatus est, refert eandem Extrauagantem cum eisdem omnino verbis.

Rursus Gregorius XV. in Breui pro immaculata Conceptione hæc habet: *Insuper eadem sanctitas sua cum sancta Romana Ecclesia de Beatissima Virginis conceptione festum solemniter, & officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quem cuiuslibet ordinis, & instituti Regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publicè, quam priuatim, non alio quàm Conceptionis nomine vti debeant. Contrauenientes autem sanctitas sua voluit, & declarauit subiacere debere, & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis constitutionibus, ac præfato decreto suorum Prædecessorum ipso facto incurrendis.* Quibus verbis omnino interdicitur modus opinandi aliquorum, quos supra meminimus. Expende autem eodem verborum tenore damnare Sixtum IV. illam propositionem, quæ nomine Conceptionis, Sanctificationem intelligit, ac damnat illam Assertionem, quæ affirmat hæreticam esse opinionem liberantem B. Virginis Conceptum à peccato originali, vt patet in Bullario Emanuelis Rodriquez Bulla XVII. Sixti IV. Sed hæc assertio est hæretica vt docet Castro lib. 1. de iusta Hæreticorum punitione c. 8. Bellar. lib. 4. de amissione Gratiæ c. 13. Vasq. in 3. p. d. 117. c. 14. ergo prima illa propositio, quæ affirmat sub nomine Conceptionis, Sanctificationem esse intelligendam, etiam erit hæretica. Scio ab aliquibus nimirum à Valentia tom. 4. disp. 2. q. 1. p. 2. Cordub. lib. 1. q. 17. §. 13. Soario tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. propositionem illam secundam solum dici falsam, & erroneam. Ac proinde Franciscus de Pitigianis Minorita in 3. d. 3. q. 1. ar. 5. erroris nota inurit assertionem affirmantium celebrari ab Ecclesia solam Conceptionem spiritualem B. Mariæ. Et alij Docti Theologi apud Granado de Concept. disp. 3. c. 7. sect. 3. arbitrantur esse temerariam. Vnde Doctores initio certaminis allatos, ad minus temeritatis, & erroris nota expungendos esse affirmandum est.

284. Gregor. XV.

Sixt. IV. *Propositio, quæ nomine Conceptionis, Sanctificationem intelligit, ad minus erroris nota inuritur à Doctoribus ab aliquibus hæresis nota.*

Castro. Bellarm. Vasq. Valent. Cordub. Soar. Pitigian. Granad.

Sed ibis obuiam hinc scilicet inferri, decisam esse litem de Conceptione in fauorem piæ sententiæ, quod est contra ipsum Gregorium XV. attestantem, nihil vsque modo esse definitum de illa. Occurro tamen affirmans, diuersum esse, Ecclesiam celebrare festum in memoriam alicuius mysterij, ac definire idem Mysterium. Ecclesia namque celebrat festum Præsentationis B. Mariæ, cum tamen illa Historia hucusque definita non sit ab Ecclesia, sed sola fide humana constet ab antiquis Scriptoribus accepta. Sic Leo III. Mantuæ approbauit Canonicè Christi sanguinem, qui ex eius imagine defluxerat, vt publicè coleretur, vt refert Platina in vita ipsius, non tamen de fide illud definiuit. Sic ex tacito Pontificum consensu proponuntur veneranda multorum sanctorum corpora de nouo inuenta, pro cuius cultu Indulgentiæ 285.

Leo III. Platina.

erogantur

erogantur à Pontificibus, qui tamen non definiunt de fide esse illa corpora sanctorum illorum. Aliud ergo est declarare quod Ecclesia celebrat Conceptionem immaculatam; ac de fide decernere aliquid circa ipsum mysterium, siquidem vt festum aliquod celebretur, non requiritur fidei certitudo circa totum illud, quod proponitur celebrandum; sat est quod illud sit aliquid pertinens ad Deum, vel ad sanctos, de quorum sanctitate nulla est altercatio; & quod aliunde sit aliqua Historia vel aliqua veritas bene aliquibus fundamentis innixa, & prudenter credibilis: semper enim cultus ad Deum tendit, vel ad eum sanctum, ad quem res illa dicitur pertinere, & in quo colendo nullum adesse potest periculum. Sic ergo se gessit Ecclesia in festo Conceptionis immaculatæ B. Virginis, licet enim nihil definiuerit verbo, vel scripto circa veritatem huius Mysterij, quia tamen opinionem piam sufficienter stabilitam, ac prudenter credibilem agnoscit, expendendo Sanctorum Patrum dicta, scholasticorum fundamenta, sacræ paginæ loca, instituit solemnitatem in signū tanti priuilegij, & declarauit suam intentionem esse illam celebrare, vt constat ex officio Ecclesiastico à Sixto IV. approbato, in quo frequentius repetitur fuisse præseruatam ab omni culpa originali.

286. Inficiari tamen nemo iure potest, robustissimum inde desumi argumentum ad firmandam immunitatem B. Virginis à culpa originaria, ex eo quod Conceptionis festum solemniter in Ecclesia peragatur. Quo argumento vtitur S. Ildephonsus in
Ildeph. lib. de Virgin. & parturit. *Sic & Virgo*, inquit ille, *nisi in vtero Sanctificata esset, minime eius Natiuitas colenda esset: nunc autem quia ex authoritate totius Ecclesiæ veneratur, constat eam ab omni originali peccato immunem fuisse*. Eodem argumento vtitur
Bern. S. Bernardus epist. 173. ad Lugdunenses, vt probet sanctitatem Natiuitatis B. Virginis: *Fuit*, inquit, *proculdubio Mater Domini ante sancta, quam nata, nec fallitur omnino Sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum Natiuitatis diem, & omni anno cum exultatione vniuersa terra votiua celebritate suscipiens*. Ex quibus verbis sic efformari potest argumentum: ex eo Dei Genitricis Natiuitas appellatur sancta, quia Ecclesia Natiuitatis festum annua veneratione peragit, ergo similiter cum eadem vniuersalis Ecclesia Conceptionis festum colat, B. Virginem in ipsa Conceptione sanctam fuisse profitetur: sicut enim Ecclesia fatetur toto tempore, quo Natiuitas peracta est, fuisse B. Virginem sanctam, quia eius festum sub Natiuitatis nomine colit, ergo similiter cum Ecclesia Conceptionis festiuitatem quotannis colat, ac celebret sub hoc nomine, fatetur in instanti illo, quo Conceptio peracta fuit, B. Virginem fuisse sanctitate condecoratam. Argumentum ergo irrefragabile desumi-
D. Thom. tur ex D.Th. 3. p.q. 27. ar. 2. ad probandam B. Virginis immunitatem ab originali hoc modo: Ecclesia Catholica nec colit, nec colere potest festum rei non sanctæ, sed colit festum Conceptionis sub nomine Conceptionis, ergo Conceptio hæc fuit ab omni labe immunis, & sancta. Maior est D. Tho. minor definita est ab Ecclesia speciali cōstitutione, ac motu proprio, adeoq; consequētia est legitima.

Argumentū irrefragabile depromitur ex D. Th. ad probandam immunitatem ab originali in B. Virgine

287. Secundo argumentari possumus ex consuetudine Ecclesiæ, qua Conceptionis festum recolit. Quo eodem argumento vtitur Apostolus ad eorum perfidiam reprobandam, qui doctrinæ, ac veritati, quam ipse prædicabat nequaquam acquiescebant, quos coarguit argumento desumpto à consuetudine ab Ecclesia introducta; ait enim: *Si quis videtur contentiosus, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei*. 1 Cor. 2. Ac si diceret, 1. Cor. 2.
perpetuus Ecclesiæ vsus, ac consuetudo legem stabilit, veritates firmat, abusus tollit, dissensiones sedat, modo sic: Ecclesia vniuersalis ab hinc 150. annis sanciuit festum Conceptionis per Apostolica diplomata, quæ hucusque sunt in viridi obseruantia, & semper in suo robore permanserunt, ergo præter decretum, & Motum proprium Romani Pontificis, vsus & consuetudo reperitur colendi festum Conceptionis in Ecclesia Dei. Hoc argumento à consuetudine Ecclesiæ petito vtuntur Doctores sæpe, ac Concilia ad Hæreticorum perfidiam propulsandam, & ad plures veritates, & dogmata probanda, ac stabilienda; vt contra Anabaptistas reprobantes Baptismum recens natorum infantium contra communem Ecclesiæ consuetudinem. Aduersus Lutheranos etiam Purgatorium è medio tollentes, animarumque suffragia contra Ecclesiæ vsum vniuersalem, quæ offerre preces consueuit, ac sacrificia in ipsarum subsidium. Cum ergo Ecclesia vniuersalis multis retro annis Conceptionis festiuitatē colat, euidēter videtur inferri, eā vt sanctā, immmaculatam, Deoq; gratā recolere.

Sed obiectabit quispiam primo, quia ex dictis efficaciter euincitur, certissimam esse sententiam 288.
piam, ita vt sine temeritate negari non possit; si enim Ecclesia decipi non potest in celebrando Conceptionis festum, quatenus dicit immunitatem à noxa originaria, ergo sine temeritate inficiari nequit veritas de immunitate à peccato originali. Hoc autem falsum est, quia Ecclesia nihil hucusque definiuit. Respondeo Ecclesiam reipsa decipi nullo modo potuisse festum instituens, & indicens immaculatæ Conceptionis B. Virginis: huic tamen celebrationi nullam maiorem authoritatē tribui oportere eâ, quæ ab ipsa Ecclesia tribuitur; ac proinde ex institutione huius festi non elicitur omnimoda certitudo huius exemptionis à peccato; cum hoc tamen optimè cohæret, sententiam piam ita esse verissimam, vt maximum præiudiciū inferretur authoritati Ecclesiæ, si in celebratione huius festi decipi posset. Cum ergo Ecclesia declarat suæ intentionis esse, vt dicta sanctitas Conceptionis Virgineæ non tanquam certa, sed tanquam magis pia, magisque probabilis, ac tuta in veneratione sit, solum per cultum illius festi innuit esse magis piam, ac tutam: quemadmodum enim potest Pontifex definite opinionem aliquam esse magis probabilem; ita etiam potest præcipere cultum alicuius sanctitatis, quæ magis piè creditur sub ea intentione, vt eam magis probabilem esse declaret. Quod si ita non declarasset Ecclesia, tunc eadem ratione sentiendum esset de Conceptione, ac de Natiuitate. Quocirca sicut aliqui cum Catharino lib. 4. contra Caiet. apud Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. Suar.
sect. 1. §. *Sed quæris*. arbitrantur esse de fide sententiam, quæ defendit B. Virginem in vtero matris fuisse sanctitate donatā, quia Ecclesia festiuo cultu Natiuitatis festū celebrat. Suarius autē cit. ait contratiā sententiam esse temeratiā, cum sit cōtra omnes Catholicos, & esse erroneā, vel errori proximā, quia est contra cōmunem sensum sanctorū, & quia Ecclesia celebrat festū Natiuitatis Mariæ Virginis, vt patet ex Cōcilio Lugdun. in c. 1. de cōsec. dist. 3. Conc. Lugd.
non celebrat autem, nisi quod sanctum est; qua ratione nituntur Thomas, & Bernardus, vt supra monui: si ergo Ecclesia id ita nō declarasset, cōsequenter dicendum erat idem de Cōceptione, ac de Natiuitate;

tiuitate; eademque nota inurenda erat sententia non ita pia, temeritatis scilicet, & erroris.

289. Sed hinc vlterius opponat aliquis, quia vt Ecclesia religioso cultu colat aliquod festum, sat est si probabiliter credat, tunc aliquid sanctum extitisse, licet reapse falsum sit, ergo licet Ecclesia celebret Immaculatam Conceptionem, solum sit inde probabile esse, B. Virginem conceptam fuisse absque peccato, quamuis reipsa falsum sit. Antecedens suadetur, quia Religionis virtus est moralis, hæc autem à prudentia regitur, cuius officium est, non vtique iudicium ferre, quid re ipsa verum sit, sed quid faciendum positis rationibus verosimilibus; & patet exemplis, vt enim misericordia eliciat actum conferendi eleemosynam, sat est si probabiliter appareat illum, cui eleemosyna erogatur, inopem esse; licet re ipsa non sit: quia per illam verosimilitudinem rite prudentia iudicat: bonum est impendere eleemosynam homini huic: item vt adoretur hostia, satis est si sit verosimile eam rite esse consecratam, quamuis consecrata non sit; ergo similiter, vt Ecclesia religioso veneretur cultu festum Conceptionis actu virtutis Religionis sat erit, si probabilibus rationibus ducatur ad credendum B. Virginem fuisse præseruatam ab originali noxa, tametsi id reapse falsum sit. Huic tamen argumento negandum est antecedens, ad cuius probationem dicendum, recte quidem affirmari, Religionis virtutem à prudentia moderari, & ab ipsa præscribi, quid sit faciendum, posita rationum verosimilitudine, inspectisque motiuorum momentis. Verum aduertere oportet, aliquos Religionis actus aliquid aliud amplius deposcere; nam vt aliquem virum solemni cultu, vt sanctum publice suspiciamus, opus est vt adsint ea rationum, & motiuorum momenta adeo certa vt falsitati subiacere nequeant; alioquin multum detogaretur Ecclesiæ authoritati, si re ipsa decipi posset in propositione alicuius viri tanquam sancti colendi à Christi fidelibus. Eodem modo vt Ecclesia solemni cultu Conceptionis festum indicat, profecto his rationibus moueri debet, quibus falsum subesse nequeat, licet certitudo non talis sit, vt non liceat oppositam sententiam amplecti. Hincque perspicue dignoscitur discrimen inter rem, de qua est sermo, & exempla illa allata; siquidem erogatio eleemosynæ actus est virtutis, qui recte fieri potest sine publico Ecclesiæ ritu, similiter adoratio huius determinatæ hostiæ non fit ex peculiari Ecclesiæ statuto, sed ex generali, quo iubetur, vt fideles hostiam rite consecratam colant actu Latriæ, atque suspiciant: quare mirum videri non debet, si prudentia præscribat huic pauperi hic & nunc erogandam esse eleemosynam, & huic hostiæ deferendum esse religiosum cultum: cum ergo festum Conceptionis publicum sit, ac solemni ritu ab Ecclesia celebrari præscribatur, permagni interest authoritatis Ecclesiæ, vt ad eum cultum fideles non inducar, nisi ea rationum, ac motiuorum efficacitate ducta, quibus re ipsa falsum subesse non possit.

CERTAMEN VIII.

Gradum certitudinis euentilat sententiæ piæ, & statum opposita disquirit.

290. PRæmitto Ecclesiam, vel summum Pontificem, non solum posse definire doctrinam aliquam esse certam, ac de fide; sed etiam esse magis probabilem; ita vt in hac definitione errare nullo modo possit. Ita tradunt Soto lib. 2. de natura & gratia cap. 17. & 18. & in 4. distinct. 1. quæst. 3. artic. 1. Canus de sacram. 4. part. & lib. 7. de locis cap. 2. Vaz. 1. 2. disput. 86. Ludouicus Torres in 2. 2. Arrubal. & alij. ac proinde postquam Pontifex statuit sententiam aliquam scilicet immunitatis B. Virginis ab originali culpa esse magis probabilem, qui oppositum sustinuerit, temeritatis nota inurendus est. Quod autem ita statuerint Pontifices videlicet piam sententiam esse probabiliorem, probatur, quia eam pluribus fauoribus cohonestarunt; oppositæ nunquam auxiliati sunt, imo silentium ipsi indixerunt in publicis actionibus: ergo definierunt piam sententiam magis esse probabilem, ac tutam. Et primo hanc maiorem probabilitatem hausit pia sententia à Sixto IV. quia illam damnantes compescuit, ac festum immaculatæ Conceptionis indixit, illiusque cultum indulgentiis, & aliis fauoribus stabiliuit. Deinde per Concilium Tridentinum maior adhuc certitudo, & probabilitas inest eidem piæ sententiæ, quia decreuit sacræ Scripturæ loca, vbi sermo attexitur de peccato originali formaliter, & in se non comprehendere Deiparam. Quare licet probabiliter dici queat B. Virginem peccati originalis debito subiacuisse; tamen omnino improbabile cuilibet videri debeat ex mente D. Pauli idem affirmari posse de peccato originali formali, & actuali. Quippe si D. Paulus verbis suis B. Virginem coercuisset, sicut & reliquos, etiam Concilium Tridentinum decreto suo illam comprehendisset, quod non præstitit, ergo neque D. Paulus.

Dom. Soto. Canus. Vaz. Torr. Arrub.

Ecclesia statuit piam sententiam esse probabiliorem, & magis tutam.

Quidam Doctor Neotericus affirmat, opinionem piam fœliciorem statum adeptam esse illa, quæ docet Christum in azimo consecrasse, quæ ita vera est, ait ille, vt à parte rei nullo modo sit falsa, & probat, quia Ecclesia Romana ipsa praxi, quam habet celebrandi in Azimo, luculenter ostendit, esse certum, in eo genere panis consecrasse Christum D. Tametsi quia Græci aliter opinantur, noluerit suum sensum è cathedra definire. Similiter ergo Ecclesia ipsa praxi celebrationis immaculati Conceptus Virginei, & aliis manifestis signis affatim ostendit opinionem piam ita veram esse, ac certam, vt nullo modo à parte rei possit falsitati subesse; licet vsque modo se abstineat ab omnimoda definitione propter paucos Catholicos oppositum opinantes. Recentior ergo ille, & plures hoc sæculo asserunt, ex eo fœliciorem statum adeptam fuisse opinionem piam à Gregorio præcipue 15. quam quæ affirmat Christum in azimo celebrasse, & maiori cura explosam à fidelibus opinionem de fermento originariæ culpæ in Deipara Virgine, quã quæ docet, Christum in fermentato celebrasse; hãc enim quoad actus externos, & publicos nunquam Pontifex aliquis prohibuit, imo permittit Ecclesia Græcos sacerdotes in fermentato consecrare: at sententiam de fermento culpæ originariæ in Virgine Maria, quoad ritum publicum Ecclesia non dussert; siquidem præcipit omnibus sacerdotibus, ne vtantur in officio Ecclesiastico voce Sanctificationis, quæ videbatur innuere Virginem Mariam fuisse fermentatam labe peccati originalis; imo prohibuit etiam, ne aliquis in priuatis colloquiis affirmaret illud fermentum, seu maculam Deiparæ; cũ tamẽ Græci etiã inter Latinos degentes nõ prohibentur asserere Christũ in fermentato consecrasse. 291.

Sententia pia ita est vera, ac certa, vt nullo modo re ipsa possit falsitati subesse.

Sententia pia fœliciorem statum nacta fuit, quã quæ affirmat Christum D. in azimo celebrasse.

Præmitto secundò constare inter omnes Theologos, Ecclesiam in his, quæ ad fidem spectant, errare non 292.

non poſſe. Ita colligũt omnes ex illo Pauli ad Tim. 3. Vbi vocat Eccleſiam columnam, & firmamentũ veritatis, quæ promiſſio facta toti Eccleſiæ, non quidem mathematice, ſed moraliter capienda eſt, ita vt ea ſententia, in quam maior Eccleſiæ pars conſpirat, ſit omnino certa; licet pauci admodũ diſſentiant, qui reſpectu omnium veluti pro nullo reputari ſolent. Addu omnes Epiſcopos, & Paſtores Eccleſiæ etiam extra Concilium, non poſſe erroneã aliquam doctrinam amplecti. Ita Bellar. lib. 3. de Eccleſia cap. 16. Valentia 2. 2. diſp. 1. q. 1. p. 7. §. 17. qui addit §. 45. omnium Doctorum Catholicorum pro quolibet tempore viuentium concordem ſententiam etiam extra Concilium, eſſe infallibilem: & probat, quia Præſules, & Doctores cum ſint in Eccleſia Primarij, ad quorum ſenſum reliqui fideles componuntur, quaſi tota Eccleſia cenſentur. Idcirco bene Caniſius lib. 2. de Deipara c. 5. initio, ait, concordem Patrum conſenſum, teſtimonium eſſe loquentis in illis Spiritus ſancti. Quod confirmari iuuat ex 3. Reg. 8. vbi facet textus ait, omnes principes filiorum Iſraël in vnum conueniſſe, & ſubiicit: *Tunc conuerſus rex benedixit vniuerſæ Eccleſiæ, omnis enim Eccleſia adſtabat.* Imo Ariſtoteles 9. Ethic. 9. ait, ciuitatem id eſſe, quod eſt in ciuitate præcipuum. Probarique poteſt ratione: ſi enim Epiſcopi, & Doctores omnes decipi poſſunt in fidei Doctrina, ergo & omnes fideles, quia reliquum fidelium vulgus ab Doctoribus inſtruuntur, ac fidei dogmata hauriunt. Imo ex eo Epiſcopi, & Doctores legitime in Concilium coacti errare nequeunt, non quia in ſynodo congregati, ſed quia totius Eccleſiæ vocem portant, ſed etiam extra Concilium eodem modo vniuerſam Eccleſiam repræſentant, ergo ſi multo maior præſulum, ac Doctorum pars nequit errare in Concilio, neque extra Concilium in errorem induci poterit. Dices ad quid ergo coguntur Concilia. Reſpondeo cum Valentia, authoritatem Concilij deſeruire, vel quia omnium Epiſcoporum, & Doctorum extra Concilium ſententias exquirere, audire, & conferre inter ſe eſſet valde difficile; vnde ex eo maxime neceſſaria eſt ſynodus, vt communis Eccleſiæ ſenſus pateat. Vel ſecundo, quia nequeunt omnes Eccleſiæ vniuerſalis Præſules accedere ad ſynodum propter regionum diſtantiam; illi ergo ſiue plures, ſiue pauciores conueniunt ex præſcripto Pontificis, & Eccleſiam repræſentant; ita vt quod multo maior pars illorum legitime pronunciat, non poſſit non eſſe ſenſus maioris partis Eccleſiæ.

Omnes Epiſcopi, & Paſtores Eccleſiæ etiam extra Concilium no poſſunt erroneam aliquã ſententiam amplecti.
Bellarm.
Valent.
Caniſ.
3. Reg. 8.
Ariſt.
Eccleſia ideſt, quod eſt in Eccleſia præcipuum; ſicut id eſt ciuitas, quod eſt in ciuitate præcipuum.

293. Nunc cenſeo primo, definitum hodie eſſe piam ſententiam eſſe magis probabilem, magis piam, & magis tutam. Ita Granado de Concept. diſp. 3. cap. 3. Salaz. de Concept. cap. 45. & communis. Vaz. Suarius, Bellarm. Ægidius de Præſent. VVadingus, & alij apud P. Ioſephum Garnizo in ſuo diſcurſu. Ratio eſt aperta, maior enim probabilitas ſita eſt vel in authoritate extrinſeca Doctorum ei patrocinantium, tum in ſolidioribus momentis, ac probationibus: vtrumque autem in noſtra ſententia reperiri ex dictis tota hac Palæſtra euidenti argumentatione deducere quiuis poterit. Quid quod plures viri pietate & doctrina conſpicui validiſſimis rationibus ducti vocant piam opinionem veram, certam, ac metaphyſice infallibilem licet nondum ſit fide ſancta. Ita Valles Ægidius, Lucero, Serrano, Souſa, Ioann. à Fonte, Salaz. Suar. Moralez, quos omnes allegat Ioſephus Guarnizo §. 6. ſui diſcurſus. Tum quia ſummi Pontifices venerationem, ac cultum Conceptionis immaculatæ Beatæ Virginis toti Eccleſiæ vel indicunt, vel ſuadent, ergo eo ipſo hanc veritatem probabiliorem eſſe decernunt; quippe Pontifices in inſtitutione, indulgentiarum corrogatione, officij approbatione, & aliis quæ præſtiterunt ad maiorem huius feſtiuitatis venerationem commendandam, augendamque opinionem magis probabilem, magis piam, & tutam ſectari debuerunt. Quis enim eat inficias Pontifices enormiter erraturos, ſi in re tanti ponderis, quam vniuerſæ Eccleſiæ proponunt, aut iubent, opinionem minus probabilem, & minus tutam aſſectarentur, ergo eo ipſo, quo hanc partem amplectuntur, ac toti Eccleſiæ proponunt, hanc doctrinam & probabiliorem, & tutiorem eſſe ſanciunt.

Granad.
Salas.

Cenſeo Secundò hanc piam ſententiam ita eſſe 294.
moraliter certam, vt moraliter ſit impoſſibile eſſe falſam. Ita Granado cit. Salaz. & alij. Probatur, quia moralis euidentia, & certitudo oritur ex pluribus efficacibus motiuis, cum quorum collatione, ſi aduerſariæ partis momenta componantur, prorſus euaneſcunt, ergo moralis certitudo, & euidentia ineſt ſententiæ piæ. Prima propoſitio ſuadetur ex eo, quia ad certitudinem, & euidentiam moralem ſolum deſideratur ingens quoddam pondus Doctorum, rationum, ac motiuorum, quæ omnia in noſtra ſententia abunde reperiuntur. Quis enim vel cæcus non videat ingentem Doctorum, rationumque multitudinem pro pia ſententia, quam propugnant; Patres, ac Doctores pro omni ſæculo præcipue æuo noſtro, Pontifices, Vniuerſitates, populorum plauſus, Eccleſiæ vniuerſalis cultus; quæ omnia reddunt eam moraliter certam; moralis enim certitudo deducitur ex vnanimi conſenſu eius multitudinis, quæ non videtur moraliter conuenire potuiſſe ad dicendum falſum: quo pacto etiam dicimus, certum eſſe moraliter actum, quo credimus eſſe Conſtantinopolim. Firmatur, quia ſi iſta Doctrina conferatur cum aliis, quæ poſtea ab Eccleſia definitæ ſunt, non minora habet momenta, ſiue Doctorum, ſiue rationum, quam illæ: ergo nequit eſſe falſa moraliter. Deinde id quod eſt maxime difficile vt contingat, moraliter dicitur impoſſibile. Sic moraliter impoſſibile eſt hominem iuſtum ſine ſpeciali Dei auxilio omnia peccata venialia vitare, quia reſpectu plurimarum occaſionum, quæ paſſim imminent, tum inſpecta humanæ naturæ fragilitate, eſt maxime difficile ſibi ab omni culpa leui præcauere, adeoque moraliter impoſſibile. Ergo etiam quod maxime difficile eſt vt falſitati ſubiaceat, moraliter impoſſibile eſt vt ſit falſum. Bone Deus, quot difficultates ſunt ſuperandæ? quot incommoda abſorbenda? ad hoc vt pia opinio falſa dici poſſit: nempe aſſerendum eſſet tot miracula in confirmationem huius veritatis patrata euanida prorſus fuiſſe, reuelationes etiam fictitias; omnes Eccleſiæ ferme fideles hallucinari; Eccleſiam rei non ſanctæ verum cultum exhibuiſſe; & alia eiuſmodi. Quæ omnia maximam cuilibet difficultatem ingerũt; ideoq; moraliter eſt impoſſibile. Ergo quòd pia opinio falſitati ſubiaceat, moraliter eſt impoſſibile, ergo moraliter eſt certa: quoniam certitudo alicuius propoſitionis, & impoſſibilitas ad falſum, vnũ, & idem ſunt. Inſuper pia opinio eſt moraliter certa, quia cum aliis propoſitionibus collata, quæ per definitionem Pontificiam certitudinem metaphyſicam adeptæ ſunt; paribus innititur momẽtis,

Granad.
Salaz.

ac fundamentis, quibus illæ ante definitionem nitebantur, vt ex dictis constat, ergo moraliter est certa. Quippe in omnibus controuersiis ab Ecclesia diremptis, pars illa quæ paribus, aut similibus rationum momentis gauisa fuit, ac gaudet opinio pia, semper vera, ac certa exstitit; ita vt nonquam propositio aliqua æqualibus rationum momentis innixa falsa exstiterit. Ergo opinio pia moraliter est certa.

Neque quispiam iure inficias ire potest hanc nostram sententiam ex ipsis terminis, seclusis aliis probationibus; & perspicuitate, & veritate, & pulchritudine,& consonantia optimum quodque, ac prudens iudicium humanum subornare, & ad se quemlibet assensum allicere: oppositam vero quælibet ingenua mens solo lumine naturæ edocta obliquis oculis auersatur, nempe quod cum Deus carissimam Parentem suam ab omni peccati fæditate immunem facere potuerit, id non præstiterit? in cuius rei fidem testem adduco Soldani Armeniæ filium, de quo Iacobus de Valentia Episcopus Christopolit. in Expofit. Cant. *Magnificat*,versu, *Quia fecit mihi magna.* Venit igitur ann. Domini 1322. ritibus, ac cæremoniis Christianis instruendus Auenionem, vbi tunc Pontifex aderat,à quo simul & à Cardinalibus benigne, & humaniter exceptus fuit: adfuit hic quadam die in sacello Pontificio concioni, in qua Concionator plerisque rationibus suffulciuit B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam. Quo audito Sede depulsa,& ex scandescens ita pedibus stetit, & in Pontificem, & Cardinales oculos, ac verba conuertens non sine stomacho ingenuo ausu ita fatur; Equidem in maximam actus sum admirationem, quod coram summis Ecclesiæ Verticibus,quales estis nos, ausus sit quispiam de Dei Matre talia effutire verba, quæ si coram Calepha, aut Ægypti Soldano de Mahoma dicerentur non impune, sed in frustra discerptus abiret; quo facto mutauit animum, & iterum Patriam repetiit. Itaque in pia opinione nunc moralis euidentia, & certitudo reperitur; ac proinde est in proximo statu vt definiri possit. Quod corroborari potest ex eo, quod cum summus Pontifex aliquem iustum in sanctorum syllabum adscribit, ad minus certum, & infallibile est, illum in Dei gratia decessisse ex hac vita, quod tamen constare nequit summo Pontifici, seclusa reuelatione, clariori notitia, quam ex morali quadam euidentia à nobis afferta. Exhibeamus exemplum: in Canonizatione S. Ludouici Bertrandi definit, seu declarat summus Pontifex illum in gratia vitam finiisse: contendimus nos illud è cathedra definiri, nempe B. Virginem in gratia fuisse Conceptam. Percontor quænam probationes desiderantur vt illa veritas prima sit in proximo statu, vt à summo Pontifice declaretur, & sanciatur, nisi præcellentium virtutum illius sancti probatio, miracula à Deo patrata eius interuentione; fidelium plausus, & acclamationes circa eiusdem sanctitatem; reuelationes habitæ de eadem re, si fortè aliquæ repertæ sunt. Quæ omnia comprobata, & rite explorata testium depositione omni exceptione maiorum, efficiunt probationem sufficientem, vt nullo alio præuio requisito, nec alio maiori examine, summus Pontifex è Cathedra declaret iustum illum in gratia decessisse. Hæc nunc aptanda nostræ piæ sententiæ. Sciscitor ergo ab aduersariis, quænam sint fundamenta, quibus

Iacobus de Valent.

hæc propositio innititur: Beata Virgo Concepta fuit in gratia? profecto, & alia longe solidiora: reuelationes etiam quamplurimæ post serium, & maturum trium summorum Pontificum examen; miracula à Deo patrata ad huius mysterij inuocationem in officio diuino per Sixtum IV. approbata; alia etiam quæ constant ex instrumentis authenticis, & iuridicis à locorum Ordinariis factis. Plausus etiam, & omnium ferme fidelium acclamationes, quibus huius piæ sententiæ solemnia festa excipiunt, & recolunt festiua pompa, & apparatu. Adhæc idipsum suadent dignitas Eminentissima Maternitatis Dei. Virtutes in gradu summo, quibus reliquis supereminet creaturis. Alia etiam specialissima priuilegia, nempe Natiuitas sancta; immunitas ab omni culpa actuali etiam leuissima; Assumptio in corpore, & animo ad cælos. Ergo cum concursus illorum argumentorum in Viro iusto sit sufficiens, & efficiat certitudinem moralem, ita vt Pontifex prudenter declaret, & definiat illum in gratia decessisse: ita etiam in nostro euentu tot solidissima fundamenta sufficient,vt summus Pontifex vltimo definiat primum ingressum B. Virginis in hanc vitam in instanti sui Conceptus fuisse in gratia absque culpa originali.

Censeo III. probabile est etiam, hanc veritatem physicè falsam esse non posse. Ita Salaz. cit. Ægidius de Præsentat. tract. de Concep. lib. 3. q. 6. ar. 1. §. 9. vbi hæc habet: *Ecclesia Romana dum ex certa scientia Conceptionem B. Virginis sub titulo Immaculata celebrat; statuit, & declarat sententiam, quæ tenet B. Virginem sine originali fuisse conceptam, non solum simpliciter esse veram, sed ita esse certam, vt à parte rei nullo modo sit falsa.* Vnde Author hic non solum moraliter, sed physice certam putat. Imo supremum sanctæ Inquisitionis tribunal facultatem fecit hanc propositionem publice defendendi in Assertionibus Cæsaraugustæ habitis, quibus interfui ann. 1632. cum enim à Patribus Dominicanis delatæ fuissent ob dictam propositionem, quidam ex nostris, qui illas propugnaturus erat Matritum se contulit, & à sanctæ Inquisitionis supremo Tribunali facultatem obtinuit, vt prædicta propositio publice defenderetur, & interfuere quique nobilissimi tum ex Ecclesiasticis, Religionibus, Doctoribus, tum ex sæcularibus. Suaderi potest ratione; primò quia vt supra ostensum, nequit Pontifex errare circa veritatem propositionis, quam statuit esse probabiliorem; sed declarant Pontifices immunitatem ab originali culpa in B. Virgine, esse magis probabilem, ac magis tutam, vt monitum est, ergo in eius veritate nequit errare, ergo physicè non potest esse falsa. Maiorem probat Ludouicus Torres in 2. 2. disput. 56. dub. 5. Quando res ad mores, vel fidem pertinere potest: si enim ea in re errare posset Pontifex, multum detraheretur de Ecclesiæ authoritate, nam omnes illi sententiæ adhærerent, veramque putarent, ac proinde vniuersa Ecclesia falleretur, quod tanquam absurdum maximum explodendum est. Firmatur eadem thesis, quia probabile est id quod maior pars Ecclesiæ tanquam verum affirmat, continere infallibilem veritatem, etiamsi assensus Ecclesiæ sit tantum probabilis; sed huic nostræ sententiæ piæ adhæret pars longe maior Ecclesiæ, ergo continet certam, & infallibilem veritatem. Maior propositio defenditur à Valentia 2. 2. disput. 1. q. 1. p. 7. §. 45. Cano lib. 7. de locis

295. Salaz. Ægid.

Supremum S. Inquisitionis tribunal facultatem concessit publicè defendendi hanc propositionem: immunitas ab originali in B. Virgine ita est certa vt nec physicè falsitati subiacere possit.

Torr.

Valent. Canus.

Vuald. Salaz. Vualdensi lib. 2. Doctrinalis fidei cap. 22. & 23. Salaz. cit. §. 4. quia Ecclesia falli non potest, sed si longe maior Ecclesiæ pars affirmaret aliquid tanquam magis probabile, quod reipsa falsum esse posset, diceretur falli, ergo &c. Addit Valentia §. 17. Si quando de re aliqua in materia Religionis controuersa constaret, concordem fidelium omnium, & vnanimem assensum esse (solet autem id constare vel ex ipsa praxi alicuius cultus communiter apud Christianos populos recepta, vel ex scandalo, & offensione communi, quæ ex opposita doctrina oriri solet.) Iure quidem posse, ac debere Pontificem illo communi sensu niti, vtpote sententia Ecclesiæ infallibili; dixi autem supra particulam, *Omnes*, non esse capiendam mathematice, sed de multo maiori parte, atqui constat concors fidelium sensus de immunitate magnæ Matris à culpa originali, tum ex praxi cultus, ac celebratione ipsius, & ex scandalo, & offensione orta ex opposita sententia, ergo hæc sententia est infallibilis, ac proinde nequit esse falsa. Confirmatur eadem propositio, quia vt ait Salaz. citat. §. 5. maxima Patrum Concilij Generalis pars saltem nihil faciens contra instructionem Pontificis, & sub illius obedientia in omnibus, ac singulis permanens, non potest errare, etiam ante Confirmationem Pontificis, quia ea pars exprimit sensum maioris partis Ecclesiæ, cuius nomine sententiam dicit; sed pro immunitate hac B. Virginis exstat sensus maioris partis Concilij Tridentini, ergo hæc sententia nequit esse falsa. Minor propositio satis constat ex verbis transcriptis ex Originalibus Concilij Trident. à Patre Iacobo Granado, à quo ipsi accepimus in Collegio Valentino, quæ sic se habent: *Cardinalis Lienensis Episcopus, qui nuncupabatur Pacheco voluit in decreto nihil à Concilio definiri de Conceptione B. Mar. licet pie credatur concepta fuisse sine peccato; & hoc maior pars Concilij secuta est, contradicentibus quatuor Dominicanis. Postea Cardinalis sanctæ Crucis, qui fuit Legatus fecit vt hoc non ita poneretur, quia à Legatis non fuerat propositum Concilio, & quia sic contraria pars diceretur impia.* Hæc in originalibus Concilij Tridentini. Sponsam Mariam allocutus sponsus ait Cant. 6. 3. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Hierusalem. LXX.* Interpretes aliter dispungunt verba hæc, nempe, *Pulchra es sicut beneplacitum.* Quasi diceret, adeo pulchra es, sicut ipsamet pulchritudo. S. Amb. lib. de Virgin. sic legit: *Pulchra es sicut bona opinio.* Sicut enim pulchritudo in recta partium proportione cum oris splendore, ac nitore sita est: sic etiam bona opinio consistit in eo quod rationum pondere suadeat, & ad se alliciat hominum mentes. Nisi forsan his verbis velit Ambrosius B. Virginem re ipsa ita esse immaculatam, sicut bona opinio docet. Quasi diceret verbis illis Spiritus sanctus: O pulcherrima Maria reipsa existis, sicut bona & pia opinio tenet; nempe à primo Conceptus tui momento gratiis vndequaque venusta, nulla originariæ culpæ macula deturpata.

296. Sed ex his inferri dices, neque piam nostram sententiam appellandam esse opinionem, cum sit certa, & infallibilis, vt vidimus; neque oppositam sententiam dici posse opinionem, quia opponitur doctrinæ omnino certæ; quod autem opponitur sententiæ certæ, & euidenti, non bene dici potest opinio, sed improbabilis sententia. Hoc autem aduersari videtur menti Sixti IV. appellantis eam sententiam, opinionem, tum & Pij V. relinquentis libertatem opinandi in hac controuersia: quid quod nequit non esse opinio, placitum illud, quod tot viri doctrina ac Religione conspicui tot retro sæculis tradiderunt, ac æuo nostro tradunt, ac docent. Verum occurrendum est cum Granado cit. asserente contrariam sententiam dici opinionem, quia olim fuit opinio; nunc autem cum vrgentiora multo momenta exstent, iam non dicendam esse opinionem. Rursus opinio dupliciter dici potest, primo aliqua sententia vocari potest opinio, quia sunt aliqui Doctores, quibus sua sententia videtur rationibus niti probabilibus, quo sensu, id est respectu, & comparatione paucorum sententia minus pia, dici potest opinio. Secundo modo aliqua sententia dicitur opinio, quia in vniuersum aliquod assertum tanquam doctrina probabilis ab omnibus sustinetur, quo sensu sententia minus pia, nequaquam opinio dici potest. Ac proinde sententia maculans Virginem Deiparam labe originaria non est absolute appellanda opinio, sed placitum, vel assertum quorundam Doctorum. Nostra autem pia sententia non est iam appellanda opinio, sed vera sententia, cum Granado de Conception. disp. 2. cap. 30. & cum Rodriquez tom. 1. qq. regul. q. 57. ar. 2. Vbi subiungit satis imprudenter agere Concionatores, qui pro rostris piam sententiam, opinionem vocant, cum potius vera sententia, & verum dogma compellari debeat. Ex quibus bene deduxit Granado cit. absque vlla formidine à nobis dici posse nostram sententiam esse veram, oppositam vero falsam, quod non opponitur vllo modo Extrauagantibus Pontificum; imo omnino licere id affirmare, quia est certum: quemadmodum cum aliquam sententiam propugnamus, illam absolute veram esse proferimus, & oppositam falsam esse pronunciamus; si enim aliquid verum esse dicimus, consequenter illud quod ei contradictorie opponitur, falsum esse adstruimus, siquidem vtrumque verum esse fieri non potest. *Pia sententia non est iam vocanda opinio, sed vera sententia.*

Si vero quis disquirat, an sit contra Extrauagantem Sixti IV. aut alio modo prohibitum, si quis affirmet, sibi videri certum ex fide Virginem Mariam fuisse immunem à peccato originali, vel probabiliter credi posse hoc esse de fide, vel esse euidenter credibile, hanc immunitatem probabiliter censeri reuelatam esse à Deo. Ratio dubij inde erui potest, quando enim aliquid est de fide, assertum oppositum est Hæreticum, sed non licet affirmare esse hæreticam sententiam maculantem B. Virginem labe originaria, vt videre est in Extrauaganti Sixti IV. ergo non licebit affirmare, piam sententiam esse de fide. Aliqui Doctores opinantur sententiam piam esse de fide. Ita Almaynus de potestate Ecclesiæ cap. 16. Clitthoo. lib. 3. cap. 2. asserit contrariam sententiam esse impiam, & contra Ecclesiæ definitionem. Titelman. in Ioan. 2. ait, non sine impietate pertinaciter defendi, & Parisienses Doctores stant pro hac sententia. Fundamentum horum Doctorum esse potest, quia maior Ecclesiæ pars errare non potest, & tamen hanc piam sententiam amplectitur maior Doctorum pars, ergo erit de fide. Sed displicent hi Doctores, licet enim maior Ecclesiæ pars in sententiam piam propendeat, non tamen tanquam de fide, sed vt magis piam, veriorem, & sacræ Scripturæ conformiorem, non tamen tanquam simpliciter, & absolute fide sanctam, & constabilitam. 297.

Almayn. Clitthou. Titelman. Doct. Parif.

298. Granad. Iacobus Granado de Concep. disp. 3. c. 30. censet tres illas propositiones superiori num. contentas non esse contra Extrauagātem aliquam, nec aliunde fuisse prohibitas. Cui assentitur Franciscus de Sossa [Sossa.] in approbatione discursus Doctoris Sanchez de Lucero de immaculata Conceptione pag. 5. Et probari potest, quia in Extrauaganti solum prohibetur, ne quis affirmet contrariam esse hæreticam: at vero licèt quis sibi putet esse de fide aliquod mysteriom, aut esse probabile à Deo fuisse reuelatum, non ideo contrariam sententiam tanquā hæreticam damnat: nam de ratione Hæresis est, vt sit contra aliquid, quod absolutè, & certo sciatur esse reuelatum à Deo, & fide diuina esse credendum. Quod tamen nihil obstat, quominus aliquis opinari possit, aut sibi credere aliquid esse reuelatum à Deo, licet id non sit absolute certum; sed alij opinentur probabiliter videri id non esse reuelatum: quare qui id non crederet, non contradiceret reuelationi diuinæ, nec esset hæreticus. Exempla pleraque sunt obuia.

299. Seiscitaberis, an sit hæresis pertinaciter asserere alterutram sententiam simpliciter, & absolutè esse de fide, & contrariam esse hæreticam, videlicet vel B. Virginem fuisse exemptam ab originali, vel illud incurrisse. Affirmant Castro lib. 1. de iusta Hæreticorum punitione c. 8. Vasq. tom. 2. in 3. p. d. 117. [Castro. Vasq.] Probant, quia Hæreticus est, qui pertinaciter contradicit Decreto Ecclesiæ, sed Ecclesia decreuit in Extrauaganti cit. neutram harum sententiarū esse absolute de fide, ergo qui pertinaciter sustineret alterā sententiam absolute esse de fide, hæreticus esset. Mitior Suarius solum illum temerarium fore, [Suar.] & inobedientem, qui id assereret, docet, ac probat: Hæreticus enim est ille, qui Dei reuelationi pertinaciter contradicit, atqui Deus non reuelauit, neq; Ecclesia proposuit aliquā ex duabus sententiis esse de fide, ergo qui affirmaret aliquā ex illis esse de fide nō aduersaretur reuelationi Dei, nec cōtradiceret propositioni Ecclesiæ, ergo nō esset hæreticus.

300. Equidem verius censeo cum Granad. cit. illū qui pertinaciter assereret alterutrā partem esse de fide, non esse hæreticū, bene tamen erroris nota inurendum: ratio est in promptu, nam Sixt. IV. in præfata Extrauaganti *Graue nimis*. perspicuis verbis docet, esse falsum, erroneum, & à veritate penitus alienū, docere esse Hæreticum sentire B. Virginem fuisse exemptam ab originali, aut illud incurrisse. Præterea error est ille, qui conclusioni Theologicæ aduersatur, sed hæc propositio, Hæresis est asserere B. Virginem fuisse conceptam sine originali, aut illud incurrisse, aduersatur cōclusioni Theologicæ, ergo est error. Minor constat, conclusio Theologica est, quæ euidenter infertur ex vna propositione saltem de fide, & altera euidenti, vt videre est in hoc discursu: Dogma quod Ecclesia decernit non esse dānandum, non potest esse hęresis, sed Ecclesia statuit non esse damnandum asserere alterutram partē huius disputationis, ergo illā asserere non potest esse hæresis. Maior propositio est de fide, in his enim, quæ ad mores, & doctrinā spectant, Ecclesiā errare non posse est de fide. Minor euidēs est in illa cit. Extrauagāti per Trident. innouata, ergo illatio est conclusio Theologica, adeoq; error erit conclusio, quæ illi opponitur; videlicet, hæresis est asserere B. Virginem fuisse immunem ab originali, aut illud incurrisse. Rursus assertio deferens Virgini Mariæ immunitatem ab originali, non est ita certa, vt opposita erronea dicenda sit, aut temeraria, aut quod sit peccatum lethale illam asserere, siquidem in Extrauaganti citata interdicitur, ne quis affirmet esse peccatum lethale, alteram ex his duabus sententiis propugnare, idque sub eisdem pœnis, sub quibus interdicitur, ne quis affirmet esse alterutram ex illis hæreticam. Quocirca sine errore, aut temeritate poterit vna aut altera pars defendi, si enim adesset error, aut temeritas in alterutrius propugnatione; procoldubio sine peccato mortali neutra sustineri posset, res enim grauis est. De quo Suar. in 3. p. tom. 2. disp. 3. sect. 6. conc. 3. Et [Suar.] confirmatur ex Motu proprio Pij V. *Super speculam*. Vbi potestatem concedit vtramque propugnandi sententiam dummodo neutra tanquam erronea notetur: licet aliunde posset aliquis incurrere in lethale, ratione scilicet scandali. Idcirco rectè subdit Rodriq. tom. 1. qq. regul. q. 57. vix excusari posse à peccato Concionatorem, qui modò è suggestu doceret aliquid contra immunitatem B. Virgin. Videatur Vasqu. cit. disput. illa 117. cap. 2.

Hac propositio, hæresis est, asserere B. Virginē fuisse Immunem ab Originali, vel illud incurrisse: est erronea.

Addunt nonnulli censuram etiam mentalem de errore contra sententiam piam esse damnatam à Pio V. cum tamen sola censura in ore, & calamo contra sententiam oppositam damnata sit, non vero mentalis censura. Ægidius sæpe citatus cum aliis censet, solum peccatum inobedientiæ committi in censura, & condemnatione opinionis maculantis B. Virginis Conceptum, tanquam hæreticæ, & erroneæ; nihil tamen delinqui contra fidem; & probat, quia alioqui articulus Doctorum Parisiensium non toleraretur à summis Pontificibus. Nec ideo affirmandum est, piam sententiam, ita esse certam, vt per se loquendo peccatum sit veniale oppositam tueri; verum qui affirmaret illam esse improbabilem, & illius sectatores venialis culpæ reos esse, nullam incurreret pœnam ex contentis in Extrauaganti Sixti IV. & motu proprio Pij V. Prior pars ex eo patet, quia Ecclesia vnicuique liberam relinquit potestatem alterutram partem amplectendi, quod profecto nequaquam permitteret, si per se loquendo esset peccatum lethale: posterior pars est etiam certa; nam præfati Pontifices nullis pœnis obnoxios faciunt id affirmantes, solum enim prohibent, ne quispiam alteram ex duabus sententiis, vt hæreticam, vel erroneam condemnet, aut asserat esse peccatum lethale illam defendere. Ita Suar. tom. 2. in 3. p. disput. 3. sect. 6. Granado de Concept. disput. 3. cap. 30. n. 8. [Suar. Granad.] 301.

Hallucinatus autem fuit Medina asserens sententiam minus piam esse probabilem iuxta mentem summorum Pontificum; solum enim aiunt, non esse erroneam, neque esse peccatum lethale illam tenere: item aliqui Doctores falsò existimarunt Sixtum IV. in Extrauaganti *Graue nimis*, ac Patres Concilij Tridentini sess. 5. in fine, tum & alios Pontifices æquè de vtraque opinione locutos, nec maiorem probabilitatem sententiæ piæ detulisse, quam minus piæ, ac proinde oportere vtramque æquali veneratione verborumque comitate suspicere. Sed quam Supine hi Doctores à veritate aberrent in sua falsa existimatione, vel ex eo perspici potest, quod Sixtus IV. ac prædicti Concilij Trident. Patres duo præstant in citatis locis, primum, ac præcipuum est, censuris ferire eos, qui quamlibet ex duabus sententiis, vel tanquam hæreticam damnent, vel eius sectatores qui eam defendunt, lethaliter delinquere, affirmare audent: alterum tanquam accessorium est, ostendere quid tanquam certius in hac re ipsi iudicauerint. 302.

Pōtifices valde diuersum gradum certitudinis, ac veritatis tribuūt sententiæ magis piæ, quam contrariæ. Sixt. IV. Conc. Trid.

At profectò nimis cæcutiet qui clare non videat, quid in hac re Pontifices, ac Patres senserint, cum Pontifex Officium proprium instituerit huius festiuitatis, ac plures indulgentias illud recitantibus dilargitus sit, easdem scilicet, quas Vrbanus concessetat festo Corporis Christi; ex quibus aperte constat, valde diuersum gradum veritatis sententiæ piæ attribuisse, ac sententiæ minus piæ.

303. Constat ergo solum prohiberi in illa Extrauaganti damnare, & nota hæresis inurere alteram ex duabus sententiis; vel etiam affirmare, peccare lethaliter eum, qui alteram ex illis tuetur; non autem ibi prohibetur à Pontifice alteram ex illis affirmare esse magis piam, veram absolute, oppositam vero falsam: imo poterit quis asserere, quin aduersetur Motui proprio Pontificis, sententiam magis piam iuxta suum sentiendi modum esse de fide; nam aliud est asserere: opinio magis pia absolute est fide tenenda; aliud vero asserere, esse de fide iuxta suum opinandi modum: primum prohibetur à Pontifice in extrauag. cit. non vero secundum. Quod exemplis perspicuum fiet: nam vetus fuit error Papiæ, quem secutus fuit Irenæus lib. 2. contra Valentinianum, vt ait Tertull. lib. 4. contra Marcionem, asserens iustorum animas Beatitudine non esse donandas, donec in die iudicij in corporibus resurgerent, quod etiam ab aliquibus D. Bernardo serm. 4. omnium sanctorum attribuitur: & tamen quia contrarium nondum erat ab Ecclesia stabilitum, S. Thomas solum falsitatis coarguit errorem illum lib. 4. contra Gentes cap. 91. & tamen inibi prædictum placitum sibi erroneum, ac hæreticum reputat, quia contra sanctos Patres August. Hieronym. Gregor. & contra sacram scripturam: *Hodie mecum eris in paradiso.* Luc. 23. item Paul. 2. Cor. 5. *Scimus quoniam si terrena domus nostra huius habitationis dissoluatur.* Et alibi: *cupio dissolui cum Christo.* Et confirmari potest ex articulo processionis Spiritus sancti à Patre, & filio, quem tanquam de fide tutati sunt plures sanctissimi, doctissimique Patres inter quos S. Athanasius, vt constat ex suo symbolo, ait: *Spiritus sanctus à Patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens*; & subdit. *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque integram, inuiolatamque seruauerit, saluus esse non poterit.* Cum tamen plures Patres Græci sanctitate, pietate, ac doctrina conspicui solum à Patre procedere Spiritum sanctum opinabantur; nec quisquam illorum sententiam tanquam fidei contrariam damnauit, quousque in Concilio Florentino hæc veritas definita fuit, additaque fuit symbolo Apostolorum particula illa; *filioque procedit.* Ex his manifeste constat, illum qui assereret sententiam piam esse de fide iuxta suum sentiendi modum, quia Patribus, ac Sacræ Scripturæ conformis, oppositam vero eisdem Patribus, ac scripturæ opponi; nihil peccare contra Extrauagantem citatam, nec contra aliquod summorum Pontificum decretum.

Hæc propositio: sententia magis pia est fide tenenda iuxta suum opinandi modum: non aduersatur Motui proprio Sixti IV.

Irenæus, Tertull.

Thomas.

Luc. 23. 2. Cor. 5.

Athan.

304. Neque ex his inferas Doctores maculantes Conceptionem purissimam Dei Genitricis mereri censuram temeritatis, aut scandali, cum vsque modo Ecclesia solum vt probabiliorem, & magis certam sententiam piam amplexetur; neque è cathedra Apostolica fuit aliquid decretum contra ipsorum sententiam. Si vero quispiam obiiciat: tametsi minus pia sententia temeraria non sit, quatenus maculat B. Virginem labe originaria, at ex suppositione literarum Apostolicarum, quæ illam defendi in libris, disputationibus, concionibus, aut familiaribus colloquiis prohibent ad scandala, & seditiones sedandas; hinc sane necessario consequi videtur, à sede Apostolica inter seditiosas, scandalosas, ac piarum aurium offensiuas, sententiam minus piam esse adnumerandam. Respondeo submittenda esse nostra iudicia in obsequium, & obedientiam sedis Apostolicæ, & constanter dicendum præfatam sententiam nulla censuræ infamia notandā, licet argumenta robusta appareant; donec sedes Apostolica aliud decernat. Verum non possum non mirari, reperiri posse intellectum aliquem, ita parum de B. Virgine benemeritum, qui huius argumenti vi non adstringatur; argumentum autem sic se habet; Possum assentiri, ac docere Dei Genitricem Mariam, cui tot titulis, ac nominibus obstricti sumus omnes, fuisse à noxa originaria immunem, non solum licite, & absque vlla temeritatis culpa, sed etiam cum gratiæ augmento, ob bonum opus omni recta circunstantia vestitum, imo & indulgentias mihi comparans, quibus purgatorij pœnis mihi debitis satisfaciam, ergo id præstare teneor; sin minus ipsi B. Virgini infensus, vel saltem parum addictus ero. Cui argumento quid responderi possit penitus ignoro.

CERTAMEN IX.

Vtrum sententia maculans B. Virginem labe originaria, ab Ecclesia vt probabilis habeatur, amplius disquiritur.

Sententia maculans B. Virginem labe originaria, neque est, nec vocari debet opinio probabilis, absolute loquendo. Ita Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. Garnizo, & omnes quotquot asserunt nostram sententiam esse omnino certam. Cui etiam assentitur Concilium Basileense, tum & Academiæ Parisiensis, & Coloniensis, quæ ad minus temeritatis nota inurunt oppositam sententiam, etiam post decretum Sixti IV. quo inhibet, ne alterutra ex his duabus sententiis vel hæresis, vel erroris, vel peccati mortalis censura feriatur. Addit Miranda tractat. de Concep. cap. 99. Academiam Parisiensem ducentis ab hinc annis supplicio afficere tanquam homines scandalosos, impios, ac rebelles & contumaces, eos qui sententiam minus piā publicitus defendunt, eosque ad retractandam suā sententiam constringere. Eisdem censuris ferit eandem sententiam Ioannes Maior post Constitutionem eiusdem Sixti IV. in 3. dist. 3. q. 1. imo Albertinus Sacræ fidei Inquisitor addit supremum Sacræ fidei Tribunal in Hispania, omnino indemnem reliquisse Doctorem delatum apud Sacros fidei Quæstores, quod dixerit, esse propositionem scandalosam, temerariam, & male sonantem, asserere B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam. Quia aliqui affirmant in hac controuersia solum esse prohibitum nota hæresis, vel erroris, vel peccati mortalis alterutram sententiam ferire. Quod modo examinare nō vacat. Nec meus animus est censura aliqua prohibita ferire oppositam sententiam; sed solum explorare statum, in quo reperitur nostra sententia ad definitionem Pontificiam. Animaduertendum autem est Ecclesiam, neque Pontificem aliquem in suis indultis, & constitutionibus nunquam oppositam sententiam appellasse opinionem probabilem, vti Aduersarij autumant. Hinc addisces dignum esse grauiori aliqua censura quēdam Hyacinthum Arpalegum in quodam 305.

dam tractatu Apologetico typis excuso aduersus definibilitatem sententiæ negantis labem originariam in B. Virgine Deipara. Vbi hæc habet: Hæc propositio, sententia vel opinio quæ defendit B. Virginem in peccato originali fuisse conceptam, est probabilior, tutior, & Sacris Scripturis conformior, non est aliqua censura digna. Hæc serit audaci calamo in fine illius tractatus. A qua propositione examinanda prorsus abstineo, tum quia ex hic dictis manifestæ falsitatis conuincitur: tum præcipue quia illustrissimus D.D. Ludouicus Crespi Episcopus Origuelensis in suo Propugnaculo Theologico sub prælo sudanti, Theologice, eruditissime, ac doctissime huius Hyacinthi Arpalegi fundamenta conuellit, rationesne, an cauillos, siue sophismata eludit, & totius illius Apologiæ argumentum, ac thesim omnino falsam esse apertissime demonstrat. Iam fere vniuersus fidelium cœtus gaudet se sententiæ piæ sectatorem conspiciens, cui etiam applaudunt sententiæ plures nobilissimi ex Dominicana Familia Magistri: qui autem adhuc in opposita persistunt sententia, effugia confingunt, vt robustissimarum rationum molem eludant, quibus cum Augustino iuuat inclamare lib. 1. de peccato & merit. cap. 35. *Nusquam sic non inuenio quid dicam, quam vbi res, de qua dicitur manifestior est, quam omne quod dicitur, valeat aliquid apud vos ad se ipsam persuadendam ipsa euidentia.* Et Epist. 7. ad Marcelli. *Neque enim vt videamus, quam aliquid sit verum, scripturarum authoritas necessaria est, ac non sensus ipse communis, ita verum esse perspicua ratione proclamat, vt quisquis contradixerit dementissimus habeatur.* Si igitur illis obiicias, pietati valde consonum esse, à Virgine Matre omnem prorsus arcere peccati maculam, id approbante, & suadente Ecclesia vniuersali, occurrunt magis esse pietati conforme, Id B. Virginis Filio soli deferre, ne dum Matrem plusquam par est, laudibus attollimus, eiusdem Gnati præcellentiam deprimamus. Quod si nihil gloriæ, nihil honoris, & maiestatis Filij extenuauerimus, vt luce clarius ostendunt validissima argumenta, quæ pro sententia pia conglobari solent. Instant, consultius esse cum Sacra Scriptura ipsis patrocinante, vt ipsi putant, oppositam sententiam tueri. Rursus si absque Sacrarum Scripturarum dispendio ostenderimus B. Virginem ab originali macula exemptam fuisse, id attestantibus Sacri Concilij Tridentini Patribus, dum eam ab vniuersalibus Sacræ scripturæ locutionibus, vniuersam Adami posteritatem maculantibus exemerint. Dicunt suam sententiam commune esse Patrum Antiquiorum effatum, ipsisque hac in re penitus adhærere in votis esse. Verum hac in re plures Theologi affatim insudarunt, quorum iugi labore, ac vigilia plane constitit ex 260. Doctoribus, ac Patribus, quos Bandellus pro se quantumuis renuentes aggregauerat, solum tres, aut quatuor, ac ne vix quidem ipsis fauere, quia in vtramque partem eunt, non satis sibi constantes. Tandem conuicti immenso rationum pondere, hoc se telo muniunt, nimirum quia à summis Pontificibus sententia sua asserta est probabilis, sibique semper licere per Ecclesiam, sententiam suam tenere. Sed iam superiori certamine ostensum est nullum ex summis Pontificibus hucusque sententiam affirmantem B. Virginem fuisse labe originaria maculatam, tanquam probabilem definiuisse, vel sustinuisse; solùm ergo permissum aduersariis ad maiora vitanda scandala illam sustinere, in spem acti summi Pontifices, futurum vt tandem aliquando communi Ecclesiæ sensui adhærescerent, quod amplius ex dicendis patescet.

August.

Meritò ergo Aduersariorum sententia, vt cum 306.
Poëta loquar:

Iam seuto exsangui frigens sua robora sensim.
Perdit, & amissa iam maiestate recedit.
Sponte sua, ceditque nouo Latonia Phœbo.

Si aliqua eius probabilitas adhuc exstaret, pedetentim euanuit, instar niuis, & glaciei diutius ad solares radios expositæ, frequentiusque puerorum manibus attactæ, quæ eo magis diffluit, & liquescit. Pia autem sententia se habet instar Adamantis, & auri, quæ quo naturam solidiorem nanciscuntur, & quo magis manibus teruntur, eo lucidiora apparent, ac splendidiores radios eiaculantur: sic sententiæ nullis rationum momentis innixæ, quo magis exagitantur, & controuertuntur, plus in voces diffluunt, & inanescunt; quæ autem solidis rationum fundamentis innituntur, eo magis disceptationibus firmantur, ac lucidius splendent. Paulatim ergo Aduersariorum sententia obtenebrescit, nubemque Doctorum, ac Patrum, quæ nobis obtendebatur, nostræ sententiæ nitorem obnubilare conantem in cassum; ipsorum minus piam sententiam obscurauisse compertum est; cum ex tot fidelium millibus, vnam si excipias Familiam, nec totam, cunctæ nationes nostræ sententiæ applaudunt, quinque præcipue fundamentis innixæ, ex quibus piæ sententiæ certitudo facile erui potest, ac nulla vel exilis admodum contrariæ sententiæ probabilitas: videlicet sacrorum voluminum suffragium, Ecclesiæ vniuersalis authoritas, Pontificum adfauentium perpetua successio, Doctorum vnanimis consensus firma fidelium omnium attestatio; quæ omnia S. Augustinum impulere, vt impia Manichæorum secta longe deposita Christianæ Religioni addiceretur. Ait enim tom. 6. lib. contra Epist. fundam. cap. 4. *Eruditorum, & sapientium iudicium, cætera turba pia credulitas, & vnanimis consensus, Ecclesia authoritas, & in eadem fide, & sententia tot Pontificum continuata successio; hæc omnia tot ac tanta Christiani nominis clarissima vincula rectè tenent hominem in Ecclesia catholica, etiamsi propter nostra intelligentia tarditatem, vel vita meritum veritas nondum se apertissime ostendat.*

August.
Sententia pia quinq; robustissimis fundamentis innititur.

Primum fundamentum ex Sacra Pagina eruitur, 307.
Plura alij congerunt, vt hanc stabiliant veritatem. Equidem certamine 1. huius Palæstræ versaui verba illa Cantic. 4. *Tota pulchra es amica mea &c.* Quæ verba plures Interpretes ad originariam Mariæ innocentiam deflectunt, quorum interpretatio firmum accipit robur ex Ecclesiæ sensu accommodatitio, dum ea verba in ipso officij introitu festi Conceptionis apposuit, & modo in pluribus Congregationibus viget ex Pontificum authoritate, addita illa particula, *Originalis,* nimirum *macula originalis non est in te*: quæ sæpius in eodem Officio assumitur. Constat autem apud Doctores, quidquid Ecclesia circa Scripturæ Sacræ verba adiicit, immutat, vel detrahit, illud firmiter esse tenendum, quia Spiritus sancti ductu id præstat. Apte in rem præsentem scribit Bernard. serm. 3. de Vigilia Natiuit. Domini: *Quando igitur Ecclesia in Scripturis diuinis verba alterat, vel alternat, fortior est illa compositio, quam positio prima verborum, & fortassis tanto fortior, quantum distat inter figuram, & veritatem, inter lucem & vmbram, inter Dominam, & ancillam:* Cum ergo

Ecclesia quid, quid circa scriptura Sacra verba adiicit, immutat, vel detrahit, illud firmiter est tenendum.

Bernard.

Scriptura so e a apere fiat propia sententia.

Ecclesia addiderit particulam illam, *Originalis*, ad celebrandam B. Virginis exemptionem ab originali, quis erit inficias ex sacris Literis robustum desumi argumentum ad hanc veritatem constabiliendam; præsertim cum generales locutiones ex sacra Scriptura depromptas, quibus aduersariæ sententiæ fautores se obarmabant, easque piæ sententiæ refragari contendebant, Ecclesia in Concilio Tridentino ad examen vocans, noluerit de B. Virgine intelligi, sed de reliquis Adæ posteris. Nihil ergo sacræ Paginæ ipsis adfauent; nobis autem plurimum subsidiantur.

308. Iam verò Ecclesiæ Catholicæ authoritas solidissimum suppeditat argumentum ad firmandam nostræ sententiæ veritatem, & simul contrariam sententiam concutit, ac vix intra probabilitatis infimæ sinit esse metas. Hæc autem Ecclesiæ authoritas irrefragabilem, & inconcussam impertitur cuicumque asserto veritatem, licèt aliunde nec rationibus corroboratetur, nec Conciliorum suffragio constabilitetur, nec Doctorum calculo firmaretur, nec sacræ Scripturæ testimonio innitetur. Quippe cuicomque effatò faueat Ecclesia, nihil est quod lapsum metuat. Fortiter Augostinus in rem similem adiicit lib. de cura pro mortuis agenda, cap. 1. tom. 4. *Sed & si nunquam in scripturis veteribus omninò legeretur, non parua tamen est vniuersa Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, authoritas, vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum.* Vides ex officio defunctorum ab Ecclesia instituto, & ex precibus ab Ecclesia fusis pro defunctorum animis, robuste Augustinum elicere, id ita esse faciendum à fidelibus. Cum ergo ab eadem Ecclesia solemni, ac speciali officio immaculata B. Virginis Conceptio celebretur, ingens desumitur probatio, ac confirmatio huius veritatis. Quin potius tota ipsa Euangeliorum, ac sacrarum Scripturarum veritas, ac infallibilis certitudo, solum ab Ecclesiæ authoritate infallibilitatem hausit fidei diuinæ; vt benè Aug. lib. contra Epist. fondam. cap. 5. *Ego*, inquit, *Euangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ authoritas commoueret.* Hinc ergo maximam de veritate piæ sententiæ credulitatem infra fidei definitionem aucupati par est, cum ab eadem Ecclesia ipsius Conceptionis festum institutum fuerit religioso cultu, ac veneratione. Sic S. Augustinus epist. 99. ad Euodium tom. 2. sat sibi visus est probasse sententiam, quæ adstruebat Christum ad inferos descendisse, Adamum, ac reliquos in limbo Patres à tenebricoso illo carcere liberauisse, quia hoc ita sentire visa sit suo tempore, non absolutè, & in vniuersum tota, sed ferè tota Ecclesia: ergo exemptionem ab originali in Virgine Deipara sufficienter constabilitam quilibet censere debet, dum eam Ecclesia per vniuersum orbem suspiciat, ac veneretur. Anne in omnibus erit æmulanda Ecclesiæ consuetudo, dempta solum immunitate B. Virginis à peccato originali. Illud tanquam certissimum proferam, ab Ecclesia Catholica tot ac tanta suæ in hanc nostram piam sententiam propensionis specimina exhibita fuisse, vt in nulla alia controuersia ex his, quæ iam fide sancita sunt, antequam è Cathedra definiretur, tot signa reddiderit. Deus bone quid non præstitit Ecclesia, vt hæc veritas à cunctis amica beneuolentia, ac grata [illegible] propensione complecteretur, ac religioso [illegible] suf[illegible]ceretur nihil intactum reliquit, nihil [illegible] intactum prætermisit, nullum non mouit lapidem, vt fideles quosque ad huius nostræ sententiæ commendationem alliceret.

Ecclesiæ authoritate maximè stabilitur pia sententia.

Hinc iam libet ab aduersariis sciscitari, vbinam vel leuissimum indicium Ecclesia Aduersariorum sententiæ attribuat aliquando? Anne opinionem maculantũ Virginis Deiparæ conceptũ cultu aliquo commendauit? Anne officium illud de contaminatione B. Virginis à nescio quo compactum, vt refert Bernardinus de Bustus serm. 9. de Concept. 1. parti approbauit, vel permisit? Vbinam Sanctificationi B. Virginis erecta templa? Vel quando Deiparæ Virgini à noxa originaria elutæ templum extructum? Altaria erecta, aræ dicatæ, sacella fabricata? Cum nec ipsimet Aduersarij intra claustra, & angulos, nec intra priuatos cancellos id attentare ausi sunt: aut nobis exhibeant indulta aliqua, indulgentias, aut quoslibet alios fauores ab aliquo summo Pontifice, quantumuis de ipsis benè merito impetratos, festum celebrantibus emundationis B. Virginis à peccato originali, vel etiam sub nomine Sanctificationis? Tandem ostendant nobis si possunt Religiones, siue Confraternitates ab Ecclesia approbatas, & à fidelibus erectas sub Sanctificationis B. Mariæ nuncupatione: Num facta est ipsis facultas in Academiis opinionem seu sententiam minus piam publicè edocendi, vel in publicis gymnasiis illam propugnandi? Num in soggestis a quopiam tradi, vel pro rostris defendi ab Ecclesia Romana iussum fuit: nihil ergo mirum si quiuis cordatus vir eam sententiam, tanquam omni fundamento destitutam reiiciat, & explodat: piam autem ambabus vlnis excipiat, in sinu foueat, corde suspiciat, oreque tueatur. *Nobis*, inquit August. lib. 7. contra Donatum c. 53. tom. 7. *tutum est in ea non progredi aliqua temeritate sententia, quæ nullo in regionali Concilio cœpta, nullo plenario Concilio terminata sunt: id autem fiducia securæ vocis asserere, quod in gubernatione Domini Dei nostri, & Saluatoris Iesu Christi vniuersalis Ecclesiæ consensione roboratum est.* Aduersarij autem, quia id tolerat Ecclesia, non quia approbat, vel aliquo modo fauet, in angulis, & priuatis confabulationibus sustinent, Virginem Deiparam primæuo Adami næuo fuisse fœdatam. Profunde Tertull. lib. 1. ad vxorem, cap. 3. *Non propterea appetenda sunt quædam, quia non vetantur, & si quodammodo vetantur, dum alia illis præferuntur: prælatio enim superior, dissuasio est infirmiorum*; & in Apologet. cap. 13. *Prælatio alterius sine contumelia alterius non potest procedere.* Ergo eo ipso quod Ecclesia piam præferat sententiam, proponat, fauoribus, ac priuilegiis prosequatur, facilè quiuis inferat, aduersariam partem quodammodo prohibere, eamque pedetentim à fidelium animis remouere. 309.

Bernardin.

August.

Tertul.

Aliud desumitur fundamentum ex Pontificum approbatione. Hæc igitur controuersia exagitari cœpit à tempore Sixti IV. diligenti discussione, ac sollicito examine. Hic ergo Pontifex tres Extrauagantes edidit pro pia sententia, festumque Conceptionis instituit cum Octaua, in qua de alio quocumque festo agi non liceret, vt author est Episcopus Trexo in sua legatione. Huius Pontificis successor extitit Innocentius VIII. qui Constitutiones Monialium immaculatæ Conceptionis de nouo confirmauit. Hinc subsecutus est Alexander VI. qui quasi innata in sententiam piam affectione Diploma illud Sixti IV. incipiens, *Graue nimis*, attexuit Constitutioni suæ, cuius initium est: *Illius qui se.* Fauitque multum Religioni immacu- 310.

Sententia pia innititur plurium Pontificum approbatione.

Sixt. IV.

Innoc. VIII.

Alex. VI.

latæ Conceptionis. Sedit postea in Pontificatu Pius III. Pius III. solum per 30.dies. Cui postmodum successit Iulius II. Iul.II. qui regulam Monialibus immaculatæ Conceptionis præscripsit, in cap. autem 3. regulæ huius apposuit; animam Beatæ Virginis in primo Conceptionis momento insignitam fuisse gratiæ decoramento: subiungitque rationem cur prædictas Moniales fratrum Minorum regimini subdiderit: *Quia*, inquit, *prædicti Fratres indefesso studio, & vigilantia perpetui extiterint huius Virginei priuilegij defensores.* Hoc Pontifice vita functo electus est Leo X. Leo X. cuius in hoc mysterium pietas, vel ex eo splendet, quia plura templa in huius mysterij cultum exstruxit: Fratribus etiam Benedictinis per speciale indultum incipiens: *Sanè religionis sinceritas.* Facultatem fecit, vt in solemnitate festi Conceptionis, perque totam Octauam, interdictum suspenderetur. Quod indultum vniuersis postea totius Hispaniæ Ecclesiis concessit: item maximas indulgentias dilargitus est Conceptionis immaculatæ icones deferentibus. Quo mortuo assumptus in Pontificatum fuit Adrianus VI. Adrian.VI. qui literis Pontificiis ann. 1522. editis sub initio illo. *Romanus Pontifex.* Regiam approbauit confraternitatem Toletanam in honorem immaculatæ Conceptionis institutam; cuius primus Oeconomus, & confrater extitit Carolus V. Imperator, cuius in constitutionibus hæc inseruntur verba: *Iubemus celebrari festum S. Annæ, vt memoria habeatur purissimæ Conceptionis eius filiæ, in cuius ventre fuit anima Mariæ creata in maiori gratia, quam Adami, vel Euæ, quam Angeli etiam, aut Archangeli, Cherubim, aut Seraphim, qui cum natura gratiam acceperunt; hæc enim ad maius præ illis ministerium eligebatur, & creabatur.* Post Adrianum clauum Ecclesiæ tenuit Clemens VII. Clem.VII. qui officium Conceptionis à Francisco Quinnonio Cardinali constructum approbauit, fauitque suis literis Religioni Sanctimonialium immaculatæ Conceptionis, eiusque priuilegia roborauit. Post quem secutus in Romana sede Paulus III. Paul.III. qui eadem priuilegia confirmauit, ac Concilium Tridentinum indixit, sub quo fauorabile illud decretum appositum fuit. Postea sufficitur Ecclesiæ regimini Iulius III. Iul.III. qui id omne quod Patres Concilij Tridentini sub Paulo III. decreuerunt firmiter tenendum iussit. Inter Iulium III. & Paulum IV. interpositus fuit Marcellus II. qui solum 20. diebus in Pontificatu sedit. Paulus autem IV. Paul.IV. Decreta Concilij Tridentini confirmauit, indulta item edidit, quibus indulgentias Monialibus immaculatæ Conceptionis erogauit; sub Pio IV. Pius IV. qui immediatè successit Tridentina Synodus fœlici euentu absoluitur, & ab ipso confirmatur: fauores item in honorem Conceptionis à Prædecessoribus concessos in Hieronymianam Familiam auxit, & ampliauit. In huius defectum præficitur alius Pius sanè Pontifex, & re & nomine, Pius inquam, V. Pius V. nulli tamen pietate secundus, præcipuè in immaculatam Dei Genitricis Conceptionem; hic ergo Constitutiones Sixti IV. in honorem immaculatæ Conceptionis editas nouiter constabiliuit, ac festum Conceptionis per vniuersas Ecclesias in Breuiario, ac Missali ab ipso reformatis apponi, & obseruari iussit. Cui superuenit Greg.XIII. Greg.XIII. qui prædicta diplomata in fauorem Immaculati Conceptus excusa denuo roborauit. Huius successor Sixtus V. Sixt.V. ampliora indulta, & priuilegia in fauorē Religionis immaculatæ Conceptionis promulgauit, vt videre est in Bulla, quæ incipit, *Expositum nobis*, edita anno 1586. Post hunc secuti fuere Vrbanus VII. Greg.XIV. Innocentius IX. qui propter breuissimam vitæ periodum vix aliquod indultum promulgarunt. Accessit Clemens VIII. Clem. VIII. qui præfata Sixti V. priuilegia confirmauit, ac Bulla speciali data Ferraræ ann. 1598. prohibuit; ne aliud Compendium Doctrinæ Christianæ præter illud à Cardinali Bellarmino editum ad erudiendos pueros traderetur, in quo Compendio, ad illa verba Salutationis Angelicæ, *gratia plena*; expressè habetur Virginem Deiparam nullo fuisse peccato infectam, neque actuali, neque orignali; quæ doctrina à primis rudimentis voluit Pontifex, vt infantibus, ac pueris cum materno lacte instillaretur. Paulus V. Paul.V. postea suffectus est, qui Fratribus Minoribus, vnoquoque Sabbatho, alio simili festo non impedito, facultatem fecit recitandi officium Conceptionis, sacrumque peragendi. Confirmauit præterea Sixtinas Constitutiones, quæ totæ sunt pro immaculata Conceptione. Iussit demum aduersariorum sententiam in publicis Concionibus, confabulationibus, & Cathedris non edoceri, sed silentium ipsis indixit.

Quis autem non videat hæc omnia plurimum 311. derogare probabilitati sententiæ minus piæ, falsitatisque insimulari eam tacito quodam Ecclesiæ consensu. Sic quondam Nazianz. orat. 46. tom. 1. Nazianz. de veritate suæ sententiæ actum esse existimabat, dum Apollinistarum fatua deliramenta per Theodosium Imperatorem, & Nectarium Archiepiscopum Constantinopolitanum non prohibebantur; imò confabulationes, & colloquia de illis haberi permittebantur cum catholicæ veritatis dispendio. Ait ergo, *Si ij qui talia sentiunt cœtus habere licet, illud velim cogitet, atque expendat tua in Christo illustris prudentia, quod cum nobis cum eorum dogmatibus non conueniat, cœtus habendi potestas illis facta, nihil aliud est, quam eorum doctrinam nostra veriorem existimare: nam si illis, vt & piè sentientibus, ea quæ sentiunt docere, liberéque promulgare permittitur; quis non videt, Ecclesiæ doctrinam condemnari, perinde ac veritate ab illorum partibus stante.* Vbi ex licentia liberè docendi aliquam sententiam, ac de ea colloquia habendi, prudenter elicit S. Greg. Nazianz. illius veritatem. Ex eo verò quod silentium indicitur, ac in publicam lucem prodire vetatur, falsam, omnique veritate destitutam esse subinfert. Cum ergo Aduersariorum sententiæ indictum fuerit silentium ab Ecclesia, & à publicis consessibus fuerit amandata, & solum intra reconditos mentis recessus exul degat, cum neque in scholis, neque in suggestibus edoceri queat; ergo multum ab Ecclesia illi sententiæ derogatum fuit, ac ferè quidquid probabilitatis in illa poterat elucere, detractum. De reliquis Pontificibus videndum est, quid hac de re præstiterint Greg.XV. Vrbanus VIII. Innoc.X. qua de re infra commodius agetur.

Quartum fundamentum cui pia nostra senten- 312. tia innitatur, erui potest ex consensu vniuersali Sanctorum Patrum, ac Theologorum, paucis demptis ex Dominicana Familia, agmine facto conspirantium in defensionem immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ; si verò aliqui scholastici sententiæ minus piæ aliquando subscripserunt, nondum res ad examen exactius erat vocata, postquam verò res in controuersiam deducta est, omnes vnam munitissimam aciem pro exemptione B.Virginis ab originali construxerunt: in vnum coïerunt omnes Ecclesiæ Proceres, Doctores, Præsules;

Sententia pia innititur consensu Sanctorum Patrum, ac Theologorum, ac totius populi Christiani.

ſules ; annuerunt omnes grauiſſimæ Academiæ, quarum Alumni ſub emiſſo voto B. Virginis à peccatu originali immunitatem perpetuo ſe defenſuros adſtringuntur : idipſum etiam omnes noſtri æui Scriptores, qui in dies ſuas elucubrationes prælo mandant conſenſu conteſtantur vnanimi. Docent autem Theologi communem Eccleſiæ, ac Doctorum conſenſionem in aliqua controuerſia, ſat eſſe, vt irrefragabilis, ac fidei proxima habeatur, tametſi pauci reclament. Vniuerſum enim partibus ſemper iure quidem optimo præponendum eſt iuxta D. Auguſtini effatum.

313. Poſtremò innititur pia noſtra ſententia conſenſu totius populi Chriſtiani. Cum ergo viderimus vniuerſos populos in piam ſententiam conueniſſe, & in oppoſitam refellendam, & è medio tollẽdam conſpiraſſe, merito credere poſſumus ad ita ſentiendum non caſu, ſed a Deo fuiſſe permotos. Nec iam nobis oblatrent Aduerſarij, pro noſtra ſententia ſtare ſolum imperitum vulgus ; nam ipſis cum

August. D. Auguſtino obiiciemus lib. 1. contra Iulianum cap. 2. tom. 7. *Non tibi, ſicut calumniaris, populi murmur ſolum opponimus, quamquam & ipſe populus aduerſum vos propterea murmuret, quia non eſt talis quæſtio, quæ poſſit etiam cognitionem populi effugere.* Quid quod perperam Bandellus obiicit, ex infima coaluiſſe hominum fæce, & de viliſſima hominum colluuie, ſutores ſcilicet, ſartores, laniones, coquos, qui ipſorum improbẽt ſententiam. Anne ſanctiſſimi Patres, Doctiſſimique viri, Eccleſiarum Præſides, Religionum homines grauiſſimi, Academiæ florentiſſimæ, tot Reges, & Dynaſtæ, tot demum ſummi Pontifices inter imperitum vulgus annumerandi, vel inter infimam hominum plebeculam computandi ſunt? *Nunquid,*

August. vt Auguſt. *Iuliano obiiciebat, hi de plebeia fæce? nunquid milites? nunquid in veſtram inuidiam concitati? nunquid ſcholaſtici auditoriales? nunquid Nautæ? Tabernarij? Cetarij, coqui, lanij?* lib. 2. contra *Iulianum.* Ergo obiicimus ipſis Aduerſariis cum imperitis populis Doctiſſimos quoſque viros, cum diſcentibus Magiſtros omni doctrina præcellentes ; cum infantibus balbutientibus concionatores diſertiſſimos ; cum iuuenibus ſeniores, cum fœminis maſculos virtute, ac ſapientia præditos, cum infima plebecula nobiliſſimos, ac clariſſimos Principes, Epiſcopos, Cardinales, Pontifices, Reges, & Imperatores ; qui omnes conſtantiſſimè innocentiam Marianam ab omni labe originaria immunem propugnant.

314. Bernard. Ex vnanimi populorum conſenſione Intulit D. Bernardus epiſt. 126. Innocentium II. verum ac legitimum eſſe Eccleſiæ vniuerſalis Paſtorem, idque iam ex Dei reuelatione conſtitiſſe. *Iam*, inquit, *Deus indicauit, iudicauit autem operis euidentia, non decreti ſententia, velociter currit ſermo eius in conueniendo populos in vnum, & vt Domino Papæ Innocentio ſeruiant, & obediant, Dei eſſe iudiciũ ſenſerunt, & conſenſerunt multi.* Noſtram piam ſententiam non ſolum populi, ac fideles quicumque, ſed Antiſtites, ac viri Primarij vnanimi conſenſione, non ſeducti fallacia, non priuatis commodis allecti, non cognationis vi adacti, vel metu perculſi, nec potentiæ humanæ vi, ſed Dei inſtinctu permoti in Aduerſariorum ſententiam mordicus inuehuntur, innocentiam Marianam, & à peccatu primæuo immunitatem acerrime propugnant. Quam igitur probabilitatis ſpeciem in eſſe Aduerſariorum ſententiæ fatebimur, quæ ſolum permittitur in occulto, non vtique quia ipſa in ſe ſententia probabilis ſit, id enim nullus ex ſummis Pontificibus aſſeruit ; ſed ad maiora impedienda incommoda : tacitè igitur prohibetur, ac reprobatur, tantum abeſt, vt à Pontificibus ; vt probabilis ſuſtineatur ; nec ex eo quod permittatur, probabilitatem vllam ſortitur : ſi ergo in ſe improbabilis eſt, ex ſola permiſſione nihil ſibi probabilitatis nanciſcitur. *Nec enim*, ait Bernard. epiſt. 7. ad Adam Bernard. monachum, *ideo aut malum eſſe deſiit, aut minoratum eſt, quia Papa conceſſit, aut permiſit.*

CERTAMEN X.

An controuerſia de immaculato B. Virginis conceptu ſit in ſtatu proximo, vt dirimi poßit per diffinitiuam Eccleſiæ ſententiam.

HÆc eſt illa magna vis veritatis, inquit Ci- 315.
cero pro Marco Celio, quæ contra hominum Cicer. ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas hominum inſidias facilè ſeipſam defendit. Eadem de pia ſententia proferre meritò poſſumus ; mille enim contentionum procellis exagitata, nunquam vel leniter fluctuauit ; mille modis, & artibus adinuentis, vt illa è medio tolleretur, & penitus ab hominum memoria aboleretur, ipſa tamen ſecurior euaſit, & cuncta abſorbuit diſcrimina, cuncta pericula ſuperauit : & qui frequenter eam hæreticam dictitabant, iam eam probabilem eſſe fateri coguntur. In eo ergo nunc controuerſia verſatur, an pia ſententia eum ſit ſtatum ſortita, vt ſit proximè definibilis ab Eccleſia, & an eam ſolus Pontifex tanquam de fide vniuerſis fidelibus poſſit proponere. In qua re, prima ſententia docet ſummum Pontificem ſine Concilio Generali errare poſſe : vnde hi Doctores tanquam certum ſtatuunt infallibile iudicium veritatis circa res fidei in Generali Concilio ſimul cum Pontifice reſidere. Hi ſunt Gerſon, Almayn. lib. de poteſtate Eccleſiæ. Caſtro Gerſon. Almayn. Caſtr. Adrian. lib. 1. contra hæreſes. Adrianus q. de Confirmatione. Hi ergo potiori iure denegabunt ſolum Pontificem hanc controuerſiam de immaculato B. Virginis conceptu definire poſſe ; ſed hanc ſententiam merito falſitatis, temeritatis, errorisque nota inurunt communiter Doctores tract. de Fide, ſtatuuntque Papam abſque Concilio nihil falſum poſſe definire circa bonos mores, & res fidei. Ita D. Thom. D. Thom. 2. 2. quæſt. 1. art. 1. & quæſt. 11. art. 3. Caiet. opuſc. Caietan. de poteſtate Papæ, cap. 9. Petrus Soto in Apolog. Petr. Sot. cap. 83. Canus lib. 6. de locis cap. 7. & conſtat, quia Canus. plura ſunt dogmata de facto à ſummis Pontificibus ſancita abſque Concilio Generali : huius generis ſunt Decretales, Clementinæ, Extrauagantes, & alia quampluruna diplomata per totum terrarum orbem expedita ; in his autem erraſſe Papam, ingens eſſet error affirmare.

Error eſt affirmare Papã errare poſſe in his, quæ definit abſque Concilio Generali.

316. Alij ex Aduerſariis autumant, hanc controuerſiam ab Eccleſia definiri non poſſe, neque inter eas controuerſias eſſe adnumerandam, quæ Eccleſiæ expoſtulet definitionem. Ita Melchior Canus Grabrin. Canus. lib. 7. de locis cap. 3. Grabrina tom. 3. Præſcript. à pag. 265. vſque ad pag. 395. vbi modo explicite, interdum implicite ſubuertere contendit fundamenta, quibus plures probant ſententiam piam definiri poſſe. Verum argumenta, quibus nituntur debilia & inermia ſunt. Primum quia neutra pars huius controuerſiæ contineatur in ſacra Scriptura, aut Eccleſiaſtica Traditione firmetur. Secundum

dum, quia sunt disceptationes parui momenti, & neque ad fidem, neque ad mores admodum vtiles. Tertium, quia neque Sixt. IV. nec Concilium Lateran. sub Leone 10. neque Synodus Tridentina quæstionem hanc definierunt, non quia illis non arriserit, sed quia non valuerunt, inquit Canus, sed temerario ausu: additque nec sperandum in posterum, futurum vt definiri possit; si enim hactenus reuelata non fuit, vndenam deinceps reuelatio exspectari debeat? illud subiungit, quia Ecclesia declarans vtramque sententiam esse probabilem, perspicuè definiuit, neutram esse ex fide certam, ergo non potest iam statuere vnam vel alteram ad fidem spectare.

317. *Sententia pia definiri potest ab Ecclesia.* Hæc tamen ridicula per se apparent, & viro alioquin docto indigna. Non enim dicimus, reuelationem huius piæ sententiæ temporis decursu faciendam, sed quæ olim facta fuit, & quæ ex Scripturis, & Patribus, & Traditionibus constat, licet non ita euidenter, processu temporis constabit, & in dies indubitata fiet, & omnino infallibilis: præcipue cum Pontifices subiungant in suis indultis illa verba: *Ne quis alterutram sententiam grauiori aliqua censura sugillet, donec Sedes Apostolica aliquid certè definiat.* Quibus verbis Pontifices satis luculenter insinuant, se non aditum obstruere, sed viam potius apparare ad definitionem. Miror deinde Canum virum doctissimum tenui, ac leuissimo fundamentō permotum, in illam sententiam abiisse. Primum illud fundamentum falsum esse per se patet, quia vtriusque partis Doctores in sacris literis suam stabiliunt sententiam, nemo quippe reperitur, qui suam sententiam, productis ex sacra pagina testimoniis non roboret. Quod vero pro secundo fundamento suæ sententiæ adiicit, videlicet controuersiam hanc, neque spectare ad fidem, neque vllius esse momenti: ac proinde Pontifices, cum solum res definiendas ex sacris literis hauriant, vel ex Ecclesiæ Traditione; nec enim res mere philosophicas, mathematicas, vel pueriles, aut exigui momenti sanctione aliqua definiunt: cum ergo præsens disceptatio nec ex Scripturis, neque ex Traditione constare possit, nec magni sit alicuius emolumenti in Ecclesia Catholica, hinc elicit, rem hanc à Pontifice decidi non posse.

318. Sed maximam profectò Canus his verbis excitauit offensionem tot Patribus, Doctoribus, Præsulibus, ac Pontificibus, qui in hac re decidenda per tot sæcula desudarunt. Plurimum deinde auctoritatis detrahit Conciliis, in quibus de hac controuersia, non tanquam de re parui momenti magno rationum pondere decertarum fuit. Itane nullius esse momenti res hæc visa est Cano, B. Virginem originalis piaculi macula inficere, vel hanc culpæ fœditatem ab ea procul dispellere? Imo maximæ molis erat Dei Genitricem ab horrida peccati fæce, atque contagio intaminatam vindicare. Magnæ gloriæ fuit Deiparæ Virgini eam à quacunque vel leuissimæ labeculæ macula immunem asserere, ita vt totius orbis viri Primarij doctrina, ac sanctitate permagno duxerint eiusmodi priuilegium B. Virgini deferre, vt reipsa in Synodo Tridentina sancitum fuit; & parui, vel nullius esse momenti dicere ausus est Canus à Virgine Deipara lethale originale peccatum procul propulsare? Maximi ponderis rem esse dixerunt Ecclesiæ Patres, ac Concilia, si Deiparam intacta semper virginitate floruisse contestarentur; & rem esse parui momenti quisquam proferet, eandem Deiparam illæsam semper retinuisse mentem, & animum ab omni peccati mortiferi labe, ac tabo; vel primæui peccati noxa fuisse defloratam? Quis non perspiciat virginitatis aureolam rem esse parui momenti, si cum priuilegio exemptionis à peccato nulli alteri præstito componatur. Num solus Canus leuitatis coarguet omnes ætatis huius Doctores, ac cunctas totius Europæ Vniuersitates, quia de re nullius ponderis ita contendant, dum huius aperiendæ veritatis affectione, acribus disceptationibus, ac plurimis editis, & edendis tractatibus incumbunt: imo Pontifices, & vniuersam Ecclesiam tacitus corrodit, quia rem neque ad fidem spectantem, nec bonis moribus aptam ita efferre studet, vt speciale festum omnibus fidelibus colendum instituat, indulgentias, ac priuilegia alia concedat, tot diplomata cudat. Sed libeat nunc ipsos Aduersarios accersere in testes; sæpissimè enim ipsi rem hanc tanti ponderis esse censuerunt, vt præcipua nostræ fidei mysteria contineret, nostramque piam sententiam ex pluribus capitibus tanquam hæreticam propellendam esse, & quia sacræ Scripturæ aduersaretur, & quia communi Sanctorum placito opponeretur; & quia Christum vniuersalem esse Redemptorem denegaret, quia Virgo Deipara ab illo redimi non potuit, cum nulli peccato, neque originali subiaceret. Quæ omnia late conglobat Bandellus in duplici tractatu, de quo infra redibit sermo. Bartholomæus Spina in editione Libri Turrecrematæ sexaginta hæreses ex pia nostra sententia depromi serio affirmabat. Et Ferrariensis contra Gentes c. 50. ex D. Th. eliciebat nostram sententiam vel penitus esse hæreticam, vel erroneam. Nunc autem cum videant ab omnibus ipsorum sententiam è medio tolli, ac periculum sibi proximum imminere, ne ab Ecclesia omnino deturbetur, receptui canunt asserentes rem esse inutilem, ac parui ponderis, ac proinde neutiquam posse definiri, nec debere.

Immunitas ab originali res magni ponderis in B. Virgine.

Bandel.

Spina.

Ferrariens.

Subiungit Canus, vt suam roboret sententiam; nec Sixtum IV. nec Concilium Lateranense hanc controuersiam decidisse. Sed quid mirum, non enim tunc res ita vtrimque exagitata; hinc autem temere adiicit Canus: *Quia neutram ex illis opinationibus poterant tanquam dogma Catholicum approbare.* Grauiori profectò censura notandus, cum Scholastici omnes ex sacra Scriptura, & Patribus depromant, potestatem summo inesse Christi Vicario, veram à falsa doctrina secernendi: & quod caput est, aliqui ex Aduersariis Doctores id enixe flagitarunt; Cardinalis Turrecremata à Concilio Basiliensi adhuc legitimo sub Eugenio IV. huius controuersiæ decisionem poposcit. Cardinalis Caiet. à Concilio Lateranensi sub Leone X. à Tridentino sub Paulo III. idem postulauerunt Ambr. Catherinus, Bartholomæus de Spina, Albertus de Duimia. Iam verò ex ipsomet Cano libet hoc ipsum confirmare, ait enim lib. 6. de locis cap. 7. quando inter Patres Concilij aliqua exoritur controuersia circa sacratum literarum genuinum sensum, solum summum Pontificem posse rem decidere, litemque componere, verum ac germanum sacri textus sensum definiendo. Modo sic iuuat contra Canum argumentari: in Concilio Lateranensi, & Tridentino de vero, ac proprio sensu quorundam locorum vniuersalium sacræ Paginæ actum est, num videlicet salua fide posset Virgo Deipara excipi à communibus illis locutionibus de peccato originali: ergo potuerunt Pontifices definire, an B. Virgo comprehenderetur, vel potius 319.

Canus.

Turrec.

Caiet.

Cathar.

Spina.

Alb.

potius excipi deberet ab illis vniuerſalibus clauſulis, ac proinde à noxa contracta per primum Protoparentis delictum. Et quidem in rebus dubiis ſolus Romanus Pontifex Iudex conſtitutus eſt in Eccleſia. Data eſt, inquit Canus cit. tam Petro, quam ſucceſſoribus eius Clauis non minus ad tollendam ignorantiam, quam ad tollenda peccata. Ideo Patres omnes, Eccleſiarumque Præſules ſemper Pontificem ſummum adierunt de rebus dubiis conſulturi. *A Romano Pontifice*, inquit Cyrillus in libro *Theſaurorum: noſtrum eſt quærere, quid credere, & quid tenere teneamur, ipſum rogantes, ipſum venerantes præ omnibus, quoniam ipſius ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, diſponere, ſoluere, & ligare loco illius, qui ipſum ædificauit, & elegit.* Et S. Gregor. epiſt. 52. ad Epiſcopos Galliæ hæc habet verba: *Si quam contentionem, quod longe faciat diuina potentia de fidei cauſa euenire contigerit, aut negotium emerſerit, cuius vehemens fortaſſe ſit dubietas, & iudicio Sedis Apoſtolicæ indigeat pro ſui magnitudine, examinata diligentius veritate, relatione ſua ſtudeat ad noſtram perducere rationem, quatenus à nobis valeat congruam ſine dubio ſententiam terminari.* Nec mirum grauiores inſurgant quæſtiones, ac multiplices exoriantur difficultates, cum Eccleſia ex tam variis ingeniis, linguis, inſtitutis, ac moribus coaleſcat, vnde opus eſt, vt plures excitentur de fide, ac Religione controuerſiæ, quas niſi huius vniuerſæ reipublicæ ſummus Rector, ac Princeps decidere non poſſet, profecto non ſatis conſultum, aut prouiſum fuiſſet Eccleſiæ regimini, & fors ipſi contigiſſet, multo quam Synagogæ deterior. Habemus enim Deuteron. 17. *Si difficile, & ambiguum iudicium eſſe perſpexeris inter cauſam, & cauſam --- ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes, &c.* Itaque parum ſibi conſtans Canus negauit hanc controuerſiam à ſummo Pontifice dirimi poſſe.

[Canus. — Cyril. — Gregor. — Deut. 17.]

320. Cur autem in Tridentina Synodo res hæc non fuerit vltimo ſarcita, tractat Catharinus Epiſtola Dedicatoria ad Præſides Concilij Tridentini his Conceptis verbis: *Cum ab hinc fere ſexennium iſtic Tridenti ageret ſancta Synodus ad id potiſſimum congregata, vt hæreſes, & Zizania, quæ in agrum Domini irrepſerant, tollerentur, & cò iam peruentum eſſet, vt de originali peccato tractaretur, Plerique ex Patribus admonebant optimum eſſe, atque opportunum ſpeciali decreto eam ſententiam de immaculata B. Virginis Conceptione, quæ dudum à cunctis prorſus Eccleſiis ſolemni ritu celebratur, & colitur, ita probari, ac ſtatui, vt iam vlterius non liceret cuiquam ea de re ſecus vel aſſerere, vel opinari. Sed quibuſdam, licet admodum paucis, tunc non placuit; nec vt verum fatear mihi quidem ipſi: non quod rem ipſam vehementer non optarem, vtpote ſanctam, & Chriſtianæ fraternitati congruentem, quæ in primis eundem in dogmatibus ſenſum, eandemque in cultu Dei obſeruantiam poſcit; ſed quod conſultius pro conditione temporum videbatur, prius aduerſus hæreſes manifeſtas intendere, tum illa aggredi, quæ inter Catholicos controuerſa digna viderentur deciſione.* Rem ergo alibi tractandam in tempus maturius diſtulerunt, non quod nequiuerint rem decidere, ſed quia hæreſibus detegendis, ac reſecandis diſtinerentur. Num quia pleraque Concilia, in quibus quæſtio illa exagitata fuit, quinam Libri Canonici ſuſcipiendi eſſent, rem non abſoluerunt, ideo quiſpiam dicere præſumat, Synodum Tridentinam non potuiſſe quæſtionem decidere, tametſi plures grauiſſimi Doctores inficias irent, plures ex illis eſſe Canonicos? Sapienter S. Epiphanius hæreſi 75. ait in rem noſtram: *Singuli ætates non ab initio omnia habuerunt, ſed progreſſu temporis ea, quæ ad neceſſariorum perfectionem requirantur, parabantur.* Nec minus vere S. Greg. Naz. orat. 5. de Theologia fatur: *Vides illuminationes paulatim nobis affulgentes, Theologiæque ordinem, quem nobis quoque tenere præſtiterit Chriſtus D. vt non repente, atque confeſtim omnia in lucem efferamus, nec ita finem vſque occultemus.* Pluribus ſæculis in dubium reuocata fuit controuerſia de origine animæ: quidam opinabantur ex traduce promanare; alij immediatè à Deo originem habere: quæ quæſtio exagitata fuit inter primarios Eccleſiæ Doctores, & in ancipiti, ac veluti triuio hærebant, adeo vt aſſerat S. Greg. in Decretali ad Fecundinum, & habetur tom. 3. Concil. ſub Sixto V. Editorum: *Sciat dulciſſima mihi tua Charitas, quia de origine animæ inter ſanctos Patres requiſitio non parua verſata eſt, ſed verum ipſa ab Adam deſcenderit, an certè ſingulis detur, incertum remanſit, eamque in hac vita inſolubilem faſſi ſunt eſſe quæſtionem. Grauis enim eſt quæſtio, nec valet ab homine comprehendi.* Et tamen à Leone IX. in explicatione fidei Romanæ ad Petrum Epiſcopum Antiochen. quæ habetur tom. 4. Concil. definitum eſt animam ex nihilo à Deo creari: ex quo recte infert S. Thom. 1. p. q. 118. ar. 2. hæreticum eſſe affirmare, animam intellectualem traduci cum ſemine. Addit Sanderus lib. 7. de viſib. Monarch. Ioannem XXII. plus æquo in falſam ſententiam propendiſſe, quæ adſtruebat Iuſtorum animas non viſuras ante diem iudicij diuinam eſſentiam: refertque Sixtus Senenſ. lib. 6. Bibliot. Doctores decem & octo, qui Ioanni XXII. adhærebant; & tamen immediatus eius ſucceſſor Benedictus 12. contrariam ſententiam definiuit: & poſtea in Concilio Florentino ſeſſ. vlt. & Francofordienſi idem ſancitum fuit. Cur ergo modò non poſſit ſummus Pontifex, quam alij Pontifices prætermiſerunt deciſionem circa controuerſiam Conceptionis, vltimò tandem definitionem adiicere. Nec dubium quin multa in poſteriores ætates decidenda aſſeruantur, quæ hoc noſtro ſæculo ſub dubiæ opinionis tenebris occuluntur. Ideo Eccleſia recte cum Aurora, cum Luna, & demum cum Sole confertur; inſtar auroræ igitur gradatim emicat Eccleſia, ac ſucceſſiuis incrementis ad meridiei ſplendorem pertingit, retecto dubiorum velo.

[Cathar. — Epiph. — Naz. — Gregor. — Leo IX. — *Eccleſia gradatim emicat, & ſucceſſiuis incrementis vſque ad ſplendorem meridiei.* — D. Thom. — Sander. — Sixt. Senenſ. — Bened. 12. — Conc. Flor.]

Quocirca cenſeo 1. quæſtionem controuerſam de Conceptione B. Virginis, materiam eſſe aptam ad definitionem Pontificiam, in ea ſiquidem concurrunt conditiones omnes, quæ deſiderari poſſunt, vt Eccleſia illam dirimat tanquam de fide. 321.
Ita omnes Patres Concilij Baſilienſis, vt habet Abulenſis Paradoxa 1. c. 21. & in Prolog Bibl. c. 6. & in c. 34. Exod. q. 8. & quidem id conſtat, cum illi Patres reipſa ſententiam magis piam ſanxerunt, quod decretum licet non inducat obligationem, quia ſancitum fuit, quando illud Concilium ſub obedientia Pontificis Eugenij IV. non militabat; tantorum tamen Patrum ſuffragia multum ponderis habent ad noſtram ſententiam corroborandam, inter quos numerantur Æneas Syluius poſtea ſummus Pontifex; Cardinalis Turrecremata, Paulus Burgenſis, & alij viri grauiſſimi: qua de re videndus Vaz. tom. 2. in 3. p. diſp. 117. cap. 4.

[Abul. — Vaſq.]

Caiet. cap.4 Imo ipse Caiet. aduersariæ sententiæ assertor in fine tractatus de Concep. B.Virginis id inficiari non audet, sed enixe à Leone X. deposcit Canus. huius disceptationis decisionem. Canus item qui pro aduersaria sententia acriter decertat, docet lib. 12. de locis Theologicis c. 6. Pontificis esse quæ dubia sunt in sacris voluminibus, & difficilia apetire, ac veram sententiam definire: *Cum, ait, Scriptura diuina sensus fuerit obscurus, tunc Ecclesia intelligentia, eadem est germana Scripturæ intelligentia.* Quod etiam constat ex c. *Per venerabilem, qui fily sint legitimi.* Et ex Extrauaganti Azor. Ioann. 22. *Ad Conditorem.* Teste Azor. tom. 2. Instit. mor. lib. 5. cap. 6. Cum ergo in hac controuersia plura sacræ Scripturæ testimonia accumulentur pro alterutra parte; Pontificis est decernere veram illorum locorum intelligentiam; ac proinde Definire B. Virginem sub lege vniuersali non fuisse comprehensam, sed à noxa originaria, eiusque debito fuisse omnino immunem. Conc. Trid. Patet etiam in simili, quia Ecclesia in Concilio Tridentino sess. 6. Can. 23. definit Virginem Mariam ab omni peccato actuali exemptam fuisse; cum tamen nullus Scripturæ locus id exprimat apertè, & explicitè: ergo æque id præstare poterit Ecclesia circa peccatum originale.

322. Censeo secundo piam nostram sententiam esse *Sententia pia est vltimo disposita ad definitionem.* proxime definibilem, id est vltimo dispositam ad definitionem, vt aliis consueris præmissis diligentiis, nihil aliud ad definitionem desideretur; neque aliquid amplius, vel maior diligentia adhiberi oporteat circa veritatis inquisitionem. Ita Salaz. Salaz. de Concep. cap. 43. §. 6. & Doctissimi Iu- Baccon. niores. Ioann. Baecon. Carmel. in 3. sent. d. 3. ante 300. ferme annos, sibi hoc dubium proposuit; an Ecclesia Romana immaculatæ Conceptionis festum stabilire debeat? ac litem dirimit his verbis: *Gratissimum Deo, & Sacrosancta Romana Ecclesie, consuetudini laudabili consonum, hoc festum generaliter statuero per totam Ecclesiam celebrandum.* Huic sententiæ adhærent Gregor. de Valent. Valentia in 3. p. disp. 2. q. 27. Sossa Episcopus Oxo- Sossa. niensis in Relectione edita: idem supponunt Pi- Suar. neda, Granado, Lucero, Oieda. Suar. autem tom. 2. in 3. p. disp. 6. sect. 6. §. *Dico tamen.* Hæc scrit: *Potest definiri hac veritas, quia est supernaturalis, multum conducens ad Ecclesia vtilitatem, ad Virginis gloriam, & excellentiam; & peruenire potest ad eum statum, in quo absque noua, & explicita reuelatione habeat Ecclesia sufficientia motiua ad veritatem hanc definiendam, ex implicita, & tacita Dei reuelatione sufficienter proposita, ergo potest definiri: Antecedens ostenditur, quia Ecclesia alias controuersias definiuit absque noua reuelatione expressa, vt patet in quæstione de habitibus infusis, deque Canonica authoritate aliquorum librorum sacra Scriptura, de carentia omnis peccati venialis in ipsa Deipara, de resurrectione eius, & Assumptione, de sanctitate Natiuitatis eius; qua vel sunt iam de fide, vel fidei proxima.* Quod autem hæc veritas sit in potentia proxima, neque amplius exactiori aliquo examine indigeat, suaderi potest, quia Ecclesia festum Conceptionis instituens, & officium approbans, indulgentias illud recitantibus erogans, iam maiorem illius piæ opinionis probabilitatem definiuit; ideoque maior Ecclesiæ pars hanc doctrinam veram esse constanter affirmat: sed quod maior Ecclesiæ pars sentit, ac præfert, est iam vltimò dispositum ad definitionem: ergo pia sententia est in proxima potentia vt definiatur. Roboratur conclusio; tunc aliquod dogma dicitur esse in proxima potentia ad definiendum, cum adest aliquod medium infallibile, ex quo certò constet, illud esse reuelatum à Deo, sed sensus communis Ecclesiæ à nobis propositus est medium infallibile, vt docet Bellarm. Bellarm. de Ecclesia lib. 3. cap. 16. Valentia 2. 2. disput. 1. Valent. q. 1. p. 7. §. 17. qui subiungit §. 45. Omnium Doctorum Catholicorum pro quolibet tempore existentium concordem sententiam, etiam extra Concilium, esse infallibilem; & probat quia Episcopi, & Doctores, cum sint in Ecclesia primarij, & ad quorum sensum totus fidelium componitur orbis, quasi tota Ecclesia censendi sunt. Ergo pia sententia iam eum nacta est statum, vt sit in dispositione proxima, vt definiri possit. Solus Cano Canus. lib. 4. de locis cap. 3. & Grauina 2. part. tom. 4. Grauina. quæst. 2. nescio quo ducti fundamento ad vltimam definitionis dispositionem exposcunt, vt res definienda certò constet esse reuelatam in sacris voluminibus, vel ex Traditione id certum sit; vel saltem quod ex reuelatis certò deducatur; cumque in alterutra parte præsentis controuersiæ id omne desideretur, neutra definiri poterit. Hic autem sentiendi modus in præsenti controuersia de Conceptione manifestò falsitatis conuincitur omnium Theologorum authoritate, qui vel supponunt, vel euincunt veritatem immaculati Conceptus Virginei definiri posse: imo Sixtus IV. in Extrauag. *Graue nimis.* Pius V. in Constitutione *Super speculam.* Et Paulus V. in Bulla *Regis Pacifici.* Affirmant præsentem controuersiam decidi, dirimi, ac definiri posse. Præsertim cum Lis omnis versetur circa veram, & genuinam aliquorum locorum sacræ Scripturæ intelligentiam, ac sensum. Nullus autem Catholicus in dubium reuocare potest, penes summum Pontificem residere potestatem dubia dirimendi, quæ circa loca sacrarum Scripturarum, eorumdemque sensum verum emergere possunt. Quod si ad definiendam aliquam veritatem opus esset, vt infallibili certitudine antecedenti ex sacra Scriptura, vel Traditione constaret, profecto non resideret authoritas penes summum Pontificem decidendi dubia, sed solum proponendi ea quæ certa, ac manifesta esse aliunde constaret. Si ergo sententia Cani vera esset vtique Concilium Tridentinum Syllabum Canonicorum Librorum definire nequiuisset; siquidem plures Patres, ac Doctores relati ab ipso Cano lib. 2. de locis cap. 17. aliquos Libros Ca- Canus. nonicos denegabant. Ex quibus ergo principiis constare potuit omnimoda certitudo, vt hoc dubium dirimeretur? non ex sacris paginis, nullibi enim affirmatur, Libros Esther, Iudith, atque Machabæorum ab Spiritu sancto fuisse dictatos: Traditio autem, & communis Patrum sensus omnino dubius, cum in varias irent sententias. Clemens VIII. sanciuit in nullo euentu licere sacramentum Pœnitentiæ inter absentes per literas præstitum; cum ante hoc decretum, opposita sententia probabiliter sustineri poterat: ergo opus non est, vt pars definienda manifestò constet, vt sit in statu proximo ad definiendum. Plurimæ sunt veritates definitæ, quæ seclusa definitione, valde dubiam, & obscuram notitiam sortiuntur. Sanciuit Conc. Florent. in Decret. Eugenij, tum & Trident. Conc. Flor. sess. 7. Can. 9. Sacramenta Baptismi, Ordinis, & Conc. Trid. Confirmationis Characterem imprimere, quæ veritas ante definitionem solum probabiliter ex sacra Scriptura deduci poterat. Plurima alia exempla

hoc ipsum contestantia hic conglobari poterant.

Deinde vrgeo contra Canum, & Grauinam, quia certitudo illa, quam ipsi deposcunt in re aliqua definienda, opus non est, vt præcedat in ipso Pontifice, licet enim sententia ab ipso lata sit infallibilis; at hæc infallibilitas speciali Spiritus sancti assistentia nititur, non verò certitudine præhabita, ac deducta ab ipso ex penetratione rationum. Imò necesse nó est, vt ipse Pontifex per se omnino ebibat, ac penetret vim, ac pódus rationum, quibus res definienda fulcitur; vix enim id fieri posset à summo Pontifice in literis humanioribus solùm versato. Neque opus est, vt præcedat talis certitudo in omnibus, vel aliquibus Doctoribus, quia plura sunt fidei dogmata, quibus ante definitionem plurimi Patres, ac Doctores dissentiebantur. Plura etiam quibus antequam definirentur quilibet Doctor refragari poterat. Imò in Concilio legitime congregato maior suffragiorum pars alicui sententiæ adhærere potest, quin nemini omnimoda certitudine innotescat veritas sententiæ, cui adhæret. Exhibeamus exemplum in præsenti controuersia; si ad hanc veritatem immaculati Conceptus Virginei sanciendam Concilium cogeretur, sufficeret, vt vnusquisque Doctorum sibi prudenter persuaderet suum suffragium verum esse, inspectis ac ritè perpensis rationibus, ac momentis, quæ pro parte immaculatæ Conceptionis afferri solent, quæ non adeò metaphysicè certa sunt, quin aliqui licitè sententiæ minus piæ assentiri possint, & sententiæ piæ dissentiri. Non igitur opus est, alio iudicio certiori, ac prudentiori, vt quisque sententiam suam ferat in Concilio, ac extra illud; quod Doctorum Catholicorum exemplo conuinci potest, qui in alicuius dogmatis sanctione sua tulerunt suffragia in oppositam sententiam illi, cui maior Doctorum pars adhæsit, ideoque tanquam fidei dogma decretum fuit: profectò illi Doctores prudenti iudicio oppositæ sententiæ adhæserunt, quia illam veram esse sententiam iudicarunt, cum tamen iudicium illud reipsa falsum fuerit. Est ergo res constans, & manifesta, non esse opus notitia clara, & omnimodè certa ad prudenter ferendum iudicium in Concilio: ac proinde sine illa maior Doctorum congregatorum pars poterit alicui veritati prudenter adhærescere, adeoque à summo Pontifice definiri. Vnde veritas quæ vel à toto Concilio, vel à maiori ipsius parte stabilitur, vel est omnino certa, imò iuxta aliquos, & definita sine noua Pontificis confirmatione; vel saltem, vt volunt alij, reperitur in proxima, & vltima dispositione, vt definiri possit, nullis aliis adhibitis diligentiis, vel conditionibus: atqui vel maior Doctorum pars, vel omnes ferme Doctores in Concilio legitime congregato assentiri possunt alicui sententiæ, quin nemini cóstet certitudine methaphysica, illam esse omnino veram. Ergo absque hac notitia certa veritas aliqua reperiri potest in proximo statu, vt definiri possit, & te ipsa poterit tanquam fidei dogma decerni.

Fundamenta quibus inniti solet proxima dispositio vt res aliqua de fide decernatur. Cum autem viderimus, proximam dispositionem, vt sententia aliqua definiri possit, non inniti oportere notitia illa omnimode certa à Cano, & Granina asserta; nunc videndum quænam sint fundamenta, quibus hæc proxima dispositio innitatur, vt sit res hæc in statu proximo, vt definiatur. Hæc autem numerari solent à Doctoribus in tractatu de Fide, & nos in syllabum redigemus hoc loco. Primum adnumeratur locus aliquis sacrarum Paginarum siue in sensu literali, siue figuratiuo, siue etiam in sensu mystico, & accommodatitio per Ecclesiam. Secundum, traditio Apostolica à D. Iacobo apud Hispanos promanans, qui vt infra ostendimus omnium primus immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem Hispanos edocuit. D. Marcus apud Syrios eandem veritatem traduxit. D. Iacobus Minor, in sua Liturgia à VII. Synodo Generali comprobata Diuus etiam Andreas eidem sententiæ adhæsit, vt constat in eius vita per Achaiæ Diaconos conscripta. Alij etiam Apostoli eandem veritatem docuerunt, vt patebit ex Palæstra de cultu, & adoratione Beatæ Virginis. Tertium, testimonia deprompta ex quatuor Conciliis Generalibus 2. Ephesino, 6. Constantinopolitano, Basileensi, Tridentino, de quibus fusè infra instituitur sermo. Quartum fundamentum est Authoritas Ecclesiæ, quæ festum immaculatæ Conceptionis per totum orbem indixit. Quintum desumitur ex decretis summorum Pontificum piæ nostræ sententiæ maximè adfauentiū. Sextum, Patrum testimonia, qui à tempore Apostolorum extiterunt, ac sua monimenta posteritati tradiderunt. De quo latè disserunt Salazar, Granados, & Ægidius de præsent. Septimum, reuelationes factæ huius veritatis, quæ vsque ad triginta & tres numerari solent, easque in compendium redigit P. Iosephus Garnizo citatus. Octauum, miracula à Deo patrata in huius Mysterij confirmationem: Septuaginta duo enumerat Armamentarium Franciscanum; & alia plura afferri possent. Nonum, Doctorum authoritas Scholasticorum, Canonistarum, ac diuinorum Voluminum Interpretum. Decimum, communis fidelium consensus approbante Ecclesia Catholica. Vndecimum, plurima rationum momenta, & quidem magni ponderis, quæ quidem innituntur dignitate Maternitatis Dei, & aliis priuilegiis Beatæ Virgini collatis iam ab vniuersali Ecclesia receptis, nempe in gratia fuisse natam, ab omni culpa leui exemptam, in corpore, & anima in cœlos assumptam, & alia eiusmodi. Duodecimum fundamentum; nullum apparere obicem, qui eiusmodi veritatis definitionem retardare possit. Quæ omnia fundamenta decursu totius huius Palæstræ firmantur, & constabiliuntur.

Quod autem hæc pia sententia deuenerit ad statum proximum, in quo definiri possit, contestantur innumeri penè Doctores; ex professo autem id ipsum affirmant Doctor Franciscus Suarius tom. 2. in 3. part. disp. 3. sect. 6. Ægid. de Præsent. lib. 3. quæst. 8. Salaz. de Concept. cap. 42. Granados disp. 3. de Concept. cap. 32. Wadingus in legat. sect. 2. orat. 9. tract. 10. Portel. tom. 2. respon. Moral. Bonacina tom. 2. de peccatis, disp. 2. & tract. de Incarnat. disp. 1. quæst. Wandus in 3. dist. 3. Pitigianus in 3. disp. 3. Serrann lib. 1. cap. 5. Francisc. Fœlix tom. 2. tract. de peccatis, c. 11. Valent. tom. 3. Fr. Petrus de Simoncas P. Anton. Rosende, Illustr. D. Fr. Angelus Manriq. D. Fr. Francisc. de Sosa. P. Andreas Mendo. P. Ioseph. Garnizo in specialibus tractatibus hac de re. Et quidem meritò in hanc proximam dispositionem conspirant omnes ferme huius æui Doctores. Quod enim prudens, ac maturum examen desiderari potest, quod iam non præcesserit? Hoc enim examen consistere solet in disputationibus, & collationibus Doctorū non vulgari, sed præcellenti doctrina, & prudentia florentium, qui diligenti indagine sacras Scripturas, Cócilia, ac Patres antiquos scrutentur, ipsorū loca, ac

Sententia pia est in proximo statu vt definiri possit.

Suar. Ægid. Salaz. Granad. VVadin. Portel. Bonac. Vuandus. Pitigian. Serrano. Valent. Simone. Rosend. Manriq. Sosa. Mendo. Garnizo.

ac testimonia inter se conferant, principia ex quibus veritas erui potest, euoluant, rationum momenta librent. At horum omnium diligens, ac serium examen, pluribus ab hinc sæculis, Doctorum tum veterum, tum recentiorum iuge & indefessum pensum exstitit. Primo exagitari cœpit hæc controuersia apud Academias æuo Magistri sententiarum. A tempore Scoti exarsit studium in solemnioribus disputationibus defendendi piam nostram sententiam præcipuè in Vniuersitate Parisiensi, à qua eliminata fuit sententia opposita, Scoti industria, & dexteritate. Deinde occasione arrepta ex tumultu, & seditione Parisiis oborta, eo quod Fr. Ioannes de Montesono magni numinis Theologus, habita pro rostris euncione ad populum, sententiam minus piam propugnauit; exagitata fuit hæc controuersia coram Innocentio VII. ann. 1403. & instante Vniuersitate Parisiensi, cogitur Concionator ille palinndiam recantare iussu Pontificis, & minus piam sententiam in eodem loco rettactare, teste Guaguino lib. 9. fol. 185. Insuper in Concilio Basileensi vtrinque acriter decertatum fuit iussu Eugenij IV. A quo Patres illius Concilij facultatem obtinuerunt, vt controuersia hæc penitus dirimeretur, cumque disceptatio per aliquas sessiones protenderetur, iniuncto trium dierum Ieiunio, vt Deus Luce sua omnes Concilij PP. perfunderet, ac definitioni adfaueret. Demum sancitum fuit, opinionem piam esse sacris voluminibus, Patribus, ac cultui Ecclesiæ, nec non & fidelium pietati conformiorem; tametsi quia Concilium acephalum, definitio non fuit sortita omnimodam infallibilitatem. Præterea eadem controuersia discussa fuit per Theologos Sapientissimos, & grauissimos coram Sixto IV. qui disceptationibus interfuit: ex qua concertatione nostra sententia victrix euasit, siquidem Pontifex festum immaculatæ Conceptionis indixit vniuersali Ecclesiæ, & officium eiusdem festi. Ad nouum examen vocatur eadem Lis tempore Pauli V. quo facto, diploma expediuit Pontifex, quo silentium indicitur oppositæ sententiæ. In Pontificatu demum Gregorij XV. actum est eadem de re, ac prædictum silentium minus piæ opinioni indictum vsque ad actus particulares ab eodem Pontifice fuit protentum. Et quidem animaduersione dignissimum est nostram piam sententiam nunquam examen subiisse, ex quo aliquam ab opposita palmam non reportauerit. Audenter dicam, mehercle, si post tam longum, ac serium huius controuersiæ examen, si post tot adhibitas diligentias, post tot rationum pondera grauissima, post tot doctissimns eruditissimorum hominum tractatus hac de re in Lucem editos, adhuc quispiam renuat, ac refragetur hanc piam nostram sententiam non esse in proximo statu, vt definiri possit; profecto nulla controuersia, nulla veritas in Ecclesia Dei definita, ac dirempta fuit cum sufficienti examine, quæve ante definitionem esset in dispositione proxima vt definiretur, quod dici non potest. Quod sic ostendo: hæc veritas, B. Virgo Concepta fuit absque labe originaria nititur adeo solidis fundamentis, ac aliæ plures propositiones iam definitæ, ergo sicut hæ ante definitionem fuerunt proximè definibiles; etiam nostra. Mendacium ob quamcunque causam esse illicitum, est fide sanctum ab Innocentio III. in c. super eo, de vsuris. Et tamen plures Patres constanter propugnarunt, licitum esse mendacium ex fine bono. D. Chrys. ad Gal. 2. Orig. Hier. Lactant. Dydimus, Euseb. Emis. Tertul. citatus à D. Hier. epist. 89. Cassian. Collat. 17. Theophil. Eucumen. Clem. Alex. 1. Strom. c. 6. & 7. Plura sacrarum Scripturarum loca agglomerat D. Hieron. pro hac sententia, & plura rationum momenta exhibet, quæ adeo dubiam reddebant hanc cõtrouersiam, vt de ea fatus D. Aug. epist. 19. dixerit: *Et nunc magna quæstio est, magnam solet habere controuersiam.* Quis ergo optimè perpensis rationum momentis, quibus pia opinio nititur, asserat propositionem de mendacio fuisse in proximiori dispositione, vt definiretur, ante definitionem, quam modo reperitur propositio hæc: B. Virgo Cõcepta fuit sine labe originaria. Plura alia exempla exhibebit Certam. 13. huius Palestræ, idem nostrum intentum circa hanc partem corrobnrantia. Ex quibus omnibus elicies opinionem piam parem fuisse sortitam statum ad hoc vt proximè definiatur, quam pleraque dogmata quæ iam sunt fide sancita: sicut ergo nemu iure in dubium reuocare potest, illa dogmata ante definitionem fuisse in proximo statu vt definirentur, cum definita sunt; idem de nostra pia sententia quoad præsentem statum proferimus.

Chrysost. Origen. Hieron. Lactant. Dydimus. Euseb. Tertul. Cassianus. Theophil. Eucumen. Clem. Alex. D. Aug.

323. Censeo 3. non esse opus Concilio ad definitionẽ piæ sententiæ. Probatur, quia Patres in Concilio nihil aliud suffragiis suis præstant, quam suã sententiam aperire, ac proinde communiorem Ecclesiæ sensum patefacere: sed communis Patrum sensus, Doctorum, ac Præsulum, ac fidelium omniũ, & consequenter totius Ecclesiæ, demptis paucissimis, qui respectu omnis Ecclesiæ, quasi nihil reputantur, constantissime defendunt B. Virginis Conceptum immaculatum, ergo non est opus Concilij Generalis conuocatinne. Nihil ergo vltra sperandum, tempus iam Instat definitionis; res sat superque discussa est, iam ad vltimam peruenit metam; iam vltimum subiuit discrimen; nihil non examinatum, nihil non reuisum, nihil non acriter exagitatum. Patres omnes constat pro hac pugnare sententia: adfauent Concilia: subsidiantur plura sacrarum Paginarum loca: adstipulantur Ecclesiæ vniuersalis ritus: Summi Pontifices, qui hucusque post excitatam hanc conttouersiam exciterunt, nostræ sententiæ vnanimi adhæsere suffragio, nec quispiam aduersariæ factioni vel leuissime annuere visus sit; plura promulgarunt diplomata, quibus perpetuo in hanc nostram sententiam studio, affectuque tenerrimo propenderunt. Vniuersus denique populus Christianus totis mentis viribus piam sententiam complexus est; quid ergo ad definitionem vltra desiderari potest.

Summus Pontifex non eget Concilio ad sententia pro definitione.

324. Sed insurgunt indiuidui Caietani asseclæ Bandellus, & Spina asserentes, non esse formidandum, suam sententiam aliquando damnandam iri ab Ecclesia, sed sperandum potius, nostram damnandam, & execrandam; quia, inquit Caietanus, sua sententia requiescit in sinu Sanctorum, & Doctorum priscorum, in eo autem sinu non est cur error timeatur. Sed omnino arbitror illorum sententiam eò deuenisse, vt definitionis iam sit prorsus incapax: & quidem nunc iam grauiter errat, qui sententiam minus piam sacris literis conformiorem tenacius defenderit, & nullam illis generalibus sacræ Scripturæ locutionibus interpretationem dari posse affirmauerit; siquidem Ecclesia, ac summi Pontifices restrictionem admittunt in illis, & aliis; nec eo sensu capienda sunt, vt semper ad singula quæq; referãtur, sed ad maiorem partem, vt docet D. Hier. epist. 146.

Bandel. Spina.

Generales locutiones sacræ Scripturæ non ad singula indiuidua referuntur, sed ad maiorem partem.

Hieron.

ad Damaſ. ea verſans verba: *omnia mea tua ſunt*, quaſi à Deo dicta Hebræorum populo. ait ergo: *Quomodo autem Dei omnia Iudæorum ſunt? Nunquid Angeli, Troni, cæteraque Virtutes? omnia ergo intelligamus, legem, prophetas, eloquia diuina; hæc ei dedit, vt in lege eius meditarentur die ac nocte ſecundum illum Canonem, quem ſæpe expoſuimus ſcripturarum: Omnia non ad totum referenda ſunt, ſed ad maximam partem, vt ibi: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. & alibi: Omnes qui venerunt ante me, fures fuerunt, & Latrones, Ioann. 10. & ad Philipenſes 2. Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* Etenim ſi Grammaticorum, aut Dialecticorum præcepta in exponendis ſacris paginis ſeruaremus ad vnguem, in ſenſus omnino oppoſitos, ipſique ſacræ Scripturę contrarios neceſſario deueniremus. Optime igitur cautū

c. Indign.

c. Indignum, ex D. Greg. *Indignum vehementer exiſtimo vt verba cæleſtis oraculi reſtringam ſub regulis Donati.* Præterea in illis propoſitionibus neceſſario coarctanda ſunt verba, videlicet

2. Paralip. 6. Iacob. 1. Iob. 14. 1. Ioan. 1.

2. Paralipom. 6. *Non eſt homo qui non peccet.* Et Iacob. 1. cap. *In multis offendimus omnes.* Iob. 14. *Nemo mundus à ſorde.* Et Ioann. 1. epiſtol. c. 1. *Qui ſe ſine peccato exiſtimat eſſe, ipſe ſe ſeducit.* Hæ & aliæ ſimiles locutiones de B. Virgine ſalua fide intelligi nequeunt, ergo nec verba Pauli illa: *Omnes in Adam peccauerunt.* Comprehendent Virginem Deiparam; imo illam excludent, quia B. Virgo non eſt ex omnibus, imo ſuper omnes caput extulit: huc accerſe verba

Eſther. 15.

Aſſueri Eſther 15. *Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Pende illud, *pro omnibus, non pro te.* Quaſi id quod præſtantiſſimum eſt non veniat nomine omnium, ſed ſeorſim nominari debeat.

325. Luc. 24. *Maria nomine Omnium non comprehēditur, quia eſt ſuper omnes, & altioris ordinis.* Pſalm. 17. Marc. 16. Æneid.

Id confirmare iuuat ex verbis Chriſti Domini Luc. 24. *Oportuit*, inquit, *impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege, & in Prophetis, & Pſalmis de me.* Et in titulo Pſalm. 17. ait regius Pſaltes: *In die, qua liberauit eum Dominus de manu inimicorum eius, & de manu Saul.* Angelus etiam mulieres alloquens, Marci 16. ait: *Dicite Diſcipulis, & Petro.* Quod moris eſt etiam apud Iuriſperitos in illo titulo: *De ſeruitutibus, & aqua.* Imo apud prophanos Æneid. 11. pepigit Virgilius: *Dij me terrent, & Iupiter hoſtis.* In his omnibus id quod principatum obtinet in ſuo genere: non cohibetur generalibus clauſulis, ſed ſeorſim nominatur. Pſalmi Dauidis, licet prophetiis ſcateant, quia tamen pluribus, ac reconditiſſimis myſteriis referti non veniunt ſub reliquorum Prophetarum nomine. Saul quia potentior, ac ſæuior Dauidis hoſtis non intelligitur communi hoſtium nomine. Petrus quia feruentior Chriſti diſcipulus vniuerſali diſcipulorum vocabulo non clauditur. Aqua quia vſibus humanis magis neceſſaria non comprehenditur voce communi reliquarum rerum vitæ humanæ conducibilium. Iupiter quia Deorum omnium princeps, reliquorum Deorum appellatione non venit.

Anſelm.

Aptiſſime Anſelmus in officio Nogar. cap. 4. *Vas electionis dixit: omnes in Adam peccauerunt. Vera vtique ſententia; & cui contradicere nefas eſſe pronuncio, ſed cum eminentiam gratiæ Dei in te Maria Virgo conſidero; ſicut te non intra, ſed ſupra omnia, quæ facta ſunt, ineffabili modo contueor; ita & te non in legem naturæ aliorum in tua Conceptione deuectam fuiſſe opinor.* Non ergo numerum ingreditur, quæ ſine numero perfectiones claudit.

Recte Ludolphus Carthuſ. de vita Chriſti 1. part. cap. 42. in Illud Chriſti Matth. 8. 10. *Non inueni tantam fidem in Iſrael.* (Subdit ille) *Excipitur ſemper B. Virgo cum de meritis, vel peccatis mentio fit.* Hinc capies illud eiuſdem Deiparæ Eccli. 24. *Dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me.* Nonne vides Deum appellaſſe rerum omnium conditorem, nec tamen verbis illis B. Virginem fuiſſe comprehenſam; idcirco addidit; *& qui creauit me*: quia ſcilicet Virgo Deipara omnium voce comprehendi non debet, quia altioris eſt ordinis, nec communes rerum omnium cathegorias ingreditur, ſed omnes ſupergreditur, peculiaremque ſibi ſedem ac chorum arrogat, vt monemus infra.

Ludolph. Cathuſ. Math. 8. Eccli 24.

Inſtat Grabrina tom. 3. præſcript. parte 1. pag. 367. aſſerens ſententiæ minus piæ cenſuram inuri, ſi dicamus, ſententiam piam temporis decurſu definiendam, ſicut & alias veritates, quæ ſæculorum progreſſu firmum certitudinis robur compararunt. Sed perperam queritur Grabrina: hoc enim ſolum dicimus prudenti quadam coniectura ducti ex ſolidiſſimis fundamentis deprompta. Plus addit Valentia tom. 4. diſputat. 2. quæſt. 1. part. 2. ait enim ſententiam piam de immaculato Conceptu Virgineo, licet nihil aliud ab Apoſtolica ſede ſanciatur, progreſſu temporum, futuram in eo ſtatu, quo nunc gaudet ſententia de Reſurrectione corporis Virginei; quod ſi hic Doctor poſt decretum Gregorij 15. ſcripſiſſet; potiori iure, & maiori fundamento id aſſeruiſſet, quia communis fidelium ſenſus circa vnam doctrinam, id præſtat, vt ſine temeritate nemo poſſit opinari oppoſitam ſententiam: Sed Gregorius 15. ſtricte iubet etiam in priuatis colloquiis, opinionem minus piam edoceri, aut defendi poſſe à nemine: atque adeo idem plures coniectant ex Doctoribus, ipſo ſæculorum progreſſu, cum nemo contradicat, à fidelibus repellendam minus piam opinionem, ita vt omnis Eccleſiæ cœtus Conceptionem immaculatam firmiter teneat, ac proinde opinio pia eandem firmitatem obtineat, quam habet B. Virginis Reſurrectio, & Aſſumptio in cœlos, licet nulla alia Eccleſiæ definitio intercedat. 326.

Grabrina. Valent.

Falſo igitur ſupponit Grabrina tom. 3. Præſcript. parte 2. pag. 394. duos Ieſuitas opinioni minus piæ præiudicium inferre, ex eo quod aſſerant ex Decretis Pauli V. & Gregor. XV. eſſe iam in deteriori ſtatu; quia, inquit ille, hi duo Pontifices in eiſdem decretis affirmant ſe relinquere opinionem prædictam in eodem ſtatu, & terminis, in quibus antea reperiebatur. Sed fallitur Grabrina, & non recte expendit verba Decreti Gregor. XV. immediate ſubdentis: *Præterquam quod in ſupradicto fælicis recordationis Pauli V. & in hoc decreto diſpoſita.* Iure in Grabrinam, & ſocios obiicere poſſis, quod Hieronymus obiicit Ruffino lib. 2. aduerſus Ruffi. *Miraris immerito ſi aduerſus te ſcandala concitentur, cum id te neſcire iures, quod Chriſti Eccleſia ſe ſcire confitetur.* Negari ergo nequit, quin eo ipſo illa ſententia minus pia in deteriorem ſtatum deuenerit, ac proinde nullum præiudicium fieri ipſi; nec vllo modo contra mandatum Greg. XV. procedimus, ſi dicamus ex illo nunc in deteriori ſtatu reperiri, & labentibus annis in peiori futuram opinionem minus piam. 327.

Greg. XV. Hieron.

Haud debili igitur argumento ductus opinari poſſet aliquis cum Valentia citat. tametſi in poſterum nihil ab Apoſtolica ſede de nouo decer- 328.

neretur, quod poſſet opinioni magis piæ patrocinari, decurſu temporum ad eum fælicem ſtatum peruenturam, quo gaudet ſententia illa affirmans Virginem Deiparam a mortuis ſuſcitatam fuiſſe, & in cælos corpore, & animo aſſumptam. Quæ ſententia ita vera eſt, vt oppoſita temeritatis, & erroris nota communiter notetur, quia anouente omnium fidelium conſenſu, ac longa vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudine, quaſi præſcriptionis, & legis cuiuſdam robur quoddam, ac firmitudinem ſibi comparauit: quare ſolum temeritate ductus, & in errorem adactus huic veritati refragari poterit, quamuis quondam quidam Patres de Deiparæ anaſtaſi ſubdubitauerint, Sophron. Ildephonſ. & alij, de quo Suarius tom. 2. in 3. p. diſp. 21. ſect. 2. Cathar. lib. 4. contra Caiet. & opuſc. de Concep. opinatur reſurrectionem B. Virginis eſſe de fide; verum communis ſententia ſolum oppoſitam temeritatis, & erroris nota inurit: Quamuis nullum Canonicum ius, ſiue Pontificium indultum extet, quo in eum certitudinis gradum deuenerit prædicta veritas; ſolum fidelium conſenſu, qui in illam veritatem conſpirauit, nullo reclamante, aut contradicente, ac tacita Apoſtolicæ Sedis permiſſione contraria ſententia tanquam temeraria, & erronea exploſa eſt, licet antea nulla cenſura digna cenſeretur. Ergo eodem diſcurſu ducti affirmare poſſumus, opinionem maculantem Virginis Deiparæ Conceptum labe originaria, quæ modo nec temeraria, nec erronea eſt, fieri poſſe, vt inter temerarias, & erroneas propoſitiones adnumeretur, præſertim cum indictum ſit illi perpetuum ſilentium, & communis fidelium ſenſus, ac propenſio ab Apoſtolica Sede permiſſa in cultum ac venerationem ſententiæ piæ in dies ſucceſcat, & augeatur: nullo ergo de nouo addito Apoſtolicæ Sedis Decreto, ſiue Concilij, temporum lapſu, in eam deuenire poterit certitudinem ſententia pia, vt oppoſita omnino ab Eccleſia explodatur; præcipuè quia plures ſine dubio Patres, ac Doctores affirmarunt Virginem Deiparam ſine originali noxa fuiſſe Conceptam, quam corpore & animo in cœlum conſcendiſſe: ſicut ergo certitudo huius veritatis inuecta fuit ex communi fidelium conſenſione, ac multorum Patrum traditione; ita veritas ſententiæ piæ inuehi poterit Patrum dictis, Doctorum ſuffragiis, communi fidelium plauſu, indictione ſilentij Pontificij de oppoſita ſententia. Quod faxit Deus.

Propoſit. hæc: B. Virgo à mortuis ſuſcitata fuit, & in cælos corpore, & anima aſſumpta negari nequit ſine nota temeritatis, & erroris.

Suar. Cathar.

CERTAMEN II.

An propter ſcandala exorta ex ſententia minus pia poßit Pontifex ſententiam piam vltimo definire.

329. ANtequam hoc Certamen ordiar, ſincere, ac candide, & coram Deo fateor me hanc elucubrationem aggredi, non quidem vt aduerſariæ factionis Doctores in bilem commoueam, ipſiſve iniurioſus fiam, hoc ſemper procul abeſſe debet à quocunque viro Chriſtiano, nedum ab illo, qui ſub Ieſu vexillo pluribus retro annis nomen dedit. Solum id mihi in votis eſt, magnæ Matris exemptionem ab omni culpa extollere; huiuſque controuerſiæ deciſionem fæliciſſimā enixè promouere; quidquid autē pro hac cauſa defendenda attulerimus, tametſi præter intentionem in oppoſitæ ſententiæ Doctores reſiliat, non eſt noſtræ intentionis alicuius ſtomachum mouere, iramve concitare, ſed noſtro vti iure pro defenſione honoris cœlorum Induperatricis. Breui ergo anacephaleoſi perſtringā grauiora ſcandala ex ſententia maculante B. Virginem originaria labe profecta, quæ licet pro viribus Eccleſiæ Patres ſopire contenderunt pluribus Conſtitutionibus editis, Reges etiā ſuis Pragmaticis promulgatis, Academiæ ſtatutis, Præſules Edictis; ſemper tamen nouitus emerſerunt. Plures tumultus in Gallia exſuſcitatos propter hanc cōtrouerſiam anthor eſt Iacobus Chriſtopolitanus in Canticum *Magnificat*. Scandalum Auenione exortum memorat Catharinus lib. 2. de Concept. perſuaſ. 19. Iacobus Gordon. tom. 2. Chronol. ad ann. 1388. refert quid Lutetiæ Pariſiorum acciderit ann. 1380. Videndus Gerſon epiſt. ad ſtudentes Collegij Nauarræ tom. 1. Guaguinus lib. 9. de geſtis Francorum fol. 189. Hæc & alia ſcandala nec Prælati Eccleſiaſtici, nec Iudices ſæculares arcere potuerunt, quouſque Carolus V. comminatorium valde edidit decretum contra minus piæ ſententiæ Doctores, vt ſcribit Thomas Vvalſinghamus Benedictinus in ſua Hiſtoria Anglicana ad ann. 1389. De tumultibus excitatis, ac ſedatis Rothomagij, & Pariſiis fatur ex authentico proceſſu. Ant. Cordub. in quæſti. Theolog. qu. 44. §. *Nouerint Vniuerſi*. Ægidius de Præſent. lib. 3. de præſeru. B. Virgin. q. 6. art. 4. Ioan. Maior in cap. 1. Luc. & in 3. diſt. 3. quæſt. 1. Seditiones apud italos excitatæ coëgerunt Sixtum IV. vt vnam, & alteram Conſtitutionem promulgaret in fautores minus piæ ſententiæ. Turbulentam item tempeſtatem Ferraræ exortam ſub eodem Pontifice Vincentius Bandellus ſcriptis commendauit in Epiſt. Dedicatoria ad Ducem Herculem Eſtenſem in libello de ſingulari puritate, & prærogatiua Conceptionis Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti. Alios eiuſdem ciuitatis tumultus qui ann. 1512. contigere memoriæ prodidit Petrus Rodolphus lib. 2. Hiſt. Seraphicæ, & Franciſcus Soſſa Epiſcopus Oxomenſis in defenſione orationis Mexiæ de la Cerda. Diſſidia Senis orta ad ann. 1530. fuſiori tradit calamo Catharinus in Epiſtola ad Generale Capitulum Ordinis Prædicatorum, quam inuenies initio librorum huius Doctoris, de Concept. B. Virg.

Iacob. Chriſtopol. Cathar. Gordon.

Scandala plurima ex ſententia minus pia exorta.

Gerſon. Guaguin. Th. Vualſin. Cordub. Ægid. de Præſent. Bandel. Rodolph. Soſſa. Cathar.

330. Quid memorem ſcandala plurima apud Hiſpanos exorta. Valentiæ, vbi hæc ſcribuntur, plura extitere ad ann. 1344. ea depromes ex lib. priuilegiorum regni Valentini ſub Ioanne I. Aragonum rege. Alia etiam in Aragonia nata ad ann. 1398. exhibebit Liber viridis priuilegiorum regalium. Nec minoris ponderis extitere ea, quæ Barchinone ſub Alphonſo IV. vt conſtat ex ærario Barchinonenſi ad ann. 1435. ex Marinæo Siculo lib. 12. rerum Hiſp. Quam plurima alia quæ ſub an. 1480. per omnia Caſtellæ regna contigere, memoriæ prodidit Petrus de Montez ſpeciali hac de re libro ad Reginam Eliſabetham. Prouincia Bætica, bone Deus! quot paſſa fuit inteſtina ac domeſtica bella, ſub ann. 1503. quæ abundè dabit Ludouicus de las Caſas tract. de Concep. Alia etiam refert Abul. Parad. 1. c. 21. Alij etiam recentiores tumultus in Bætica, & aliis Hiſpaniæ partibus ortis conſtare potērunt ex authenticis proceſſibus, & Scripturis tranſmiſſis ad Philip. III. & Pontificē Paul. V. quæ apud me manent, & hic libens tranſcriberem, niſi Lectori moleſtum, & aduerſariis me iniurioſum futurum eſſe exiſtimarem. Itaque per continuos fere trecentos annos iugi ſucceſſione eiuſmodi grauiſſima ſcandala Eccleſia Dei paſſa fuit.

Marinæus Siculus. Petrus de Mont. Ludou. de las Caſas. Abul.

331. Occurrunt Aduersarij asserentes hos omnes tumultus, & scandala ex propugnatione sententiæ propriæ exorientia impedire non teneri; quia ex malitia, vel ignorantia proueniunt, ideoque solum esse scandala Pharisæorum, vel pusillorum, qui suam sententiam non recte perpendunt, nec rationes ab ipsis productas in sui defensionem introspiciunt, ac proinde ipsis non vertenda, nec attribuenda, sed vel malitiæ plurium, vel imperitorum in intelligendo tarditati, & hebetudini. D.Thom. Hanc autem excusationem sancti Thomæ suffragio suffulciunt; ait enim 2. 2. quæst. 43. artic. 3. *Quando scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, huiusmodi scandalum est pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non immineat, quousque reddita ratione huiusmodi scandalum cesset: si autem post redditam rationem huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse, & sic propter ipsum non sunt huiusmodi spiritualia dona dimittenda.* Sed quis non videat hoc telo aduersarios non solum indoctum plebeiorum vulgus ferire, sed etiam Pontifices, Reges, Academias, Doctores, ac Præsules: siquidem omnes piæ sententiæ Assertores vel malitiæ, ac proteruiæ coarguit, vel ignorantiæ & inscitiæ vitio notat. Viros vtique doctrina, & sapientia præstantes, malitiæ pharisaicæ incusant Aduersarij; cæteros vero ignorantiæ insimulant. Quod effatum mea quidem sententia nouum, ac maximum scandalum inducit prudentium hominum mentibus, quia audaci temeritate plenum, & falsitatis, & cauillationis refertum, vt paucis ostendam.

332. Qui ergo matura, & sincera mentis discussione, quæ hucusque protulimus perspexerit, procul dubio animaduertet prælibata scandala potius ab aduersariis dimanasse, quàm ipsos à pusillis accepisse: non enim recte ea pusillorum scandala nuncupabis, sed prouectorum, & intelligentia, ac sapientia seniorum. Immerito ergo ipsi malitiæ, ac proteruiæ adscribunt hos tumultus, cum videant offendicula parari ex illis seditionibus, Viris totius literaturæ, ac virtutum ornamento conspicuis, vitæ scilicet integerrimæ, & valde timoratæ conscientiæ religione, ac pietate præstantibus. Qua igitur ratione scandala pusillorum nuncupanda, quæ ferpunt per omnes Academias, ac per omnia mundi climata protenduntur? Non oe scandalum ingenerant, non quidem acceptum, sed scienter ac prudenter exhibitum verba illa Bandel. Bandelli in Prologo ad tractatum de Conceptione; cum in hæc temeritatis, & audaciæ verba prorupit, de opinione pia sermonem instituens: *O scelus inauditum! ô facinus detestandum! ô stultas mentes! O pectora cæca! ô deliramenta nequitiæ! nefandum sane id alteri attribuisse, quod solum Redemptori nostro in diuinas laudes fides inuiolata donatum fuisse profitetur.* Cuius animum non pungant, & excrucient prolata verba? cuius pij hominis bilem non excitent? cuius cœtus viros non commoueant, & conturbent? Hinc Doctores Parisienses Aduersariorum sententiam reprobarunt, Paul. Venet. quia vt ait Paulus Venetus tractat. de Concept. piorum aures feriebat, quidquid renuat Bandellus dum ait: *Non est verosimile quod Doctores moderni oppositum determinauerint: quod si fecissent; dicendum est, eos fuisse temerarios, & præsumptuosos, quia contra scriptura monita terminos sunt transgressi, quos posuerunt Patres eorum, qui omnes vnanimiter tenuerunt B. Virginem fuisse in originali peccato conceptam.* Quid ergo mirum, si propter hæc, & similia scandala, quæ vere actiua sunt, apod omnes Academias statuta fuerint edita, quæ procul amandant opinionem minus piam.

Quocirca censeo, tametsi ex parte veritatis vel falsitatis opinionis minus piæ, liceret illam defendere, ac publice edocere; tamen fieri potuit illicitum sub lethali, vel veniali, ex circunstantia scandali, eam publice tradere, vt docet Corduba quæst. 44. iuxta illud Pauli Rom. 14. *Omnia quidem sunt munda, sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.* Et 1. Corinth. 10. *Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant.* Quod vero scandalum hoc, ac piarum aurium offensio omnino sit adnexa sententiæ minus piæ docent plures Doctores, Corduba citat. Morales in Matth. lib. 3. tractat. 1. de præseruat. B. Virgin. Suarius tom. 2. in 3. part. disput. 3. sect. 6. Ægidius de Præsentat. lib. 3. quæst. 9. artic. vnico. imo Domin. Soto versans verba illa Pauli ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt:* (subdit) *Absit vt vllum hic verbum faciam de Virgine sacratissima Dei Genitrice Maria, vtrum videlicet, hac sententia Pauli concludatur, necne? nam etsi Concilium Tridentinum decretum Sixti innouando, libertatem fecerit sentiendi in vtramque partem; est tamen exceptio Virginis ab hac vniuersali sententia Pauli, vsque adeo celebris, non modo intra plebes, sed etiam intra bonos Doctores, quales præcipui sunt Illustrissimi Parisienses, vt si qui hanc exceptionem sibi persuadere non possunt, vt cui Paulus refragari videatur, haud tamen debeant publicitus talem prodere dissentationem, adeo id absque odio, & inuidia nequeunt facere.* Nec mirum si opinio minus pia hanc circunstantiam scandali actiui secum imbibitam habeat, quia omnimum piorum hominum in B. Virginem reuerentiam, ac cultum, multum extenuat, ansamque præbet fidelibus subdubitandi de authoritate Ecclesiæ circa festorum celebritatem: inde enim permoti suspicari possunt Ecclesiam, ac Pontificem in propositione festorum errare posse. 333. Cordub. Rom. 14. 1. Cor. 10. Moral. Suar. Ægid. de Præsent. Domin. Soto.

Sed firmius adhuc huius veritatis testimonium producimus, nempe ipsorum Patrum Prædicatorum in Manuali typis excuso Hispali in conuentu S. Pauli Religiosorum S. Dominici ann. 1514. Vbi sermo attexitur de opinione minus pia, hæc verba subiiciuntur: *Cum sit opinio nullius vtilitatis, & valde scandalosa.* O egregiam sententiæ minus piæ definitionem! ô prudentissimum iudicium omni sapientia refertum, latum de sententia minus pia à tot viris virtute, doctrina, religione præstantibus florentissimæ Familiæ S. Dominici, in religiosissimo illo conuentu tunc temporis commorantibus. Sed pensanda sunt verba præfata Manualis; ait ergo, minus piam opinionem, esse nullius vtilitatis: & quidem verissime. Quænam enim vtilitas, vel quodnam emolumentum secum afferre potest vel Ecclesiæ Dei, vel fidelium cœtui, vel nostræ religioni, vel ipsi B. Virg. inquisitio illa, vtrum scilicet B. Virgo incurrerit peccatum originale? Et vlterius hoc effatum è suggestu, & cathedra auditoribus instillare? Anne Dei gloria ex macula originaria à Dei Genitrice succrescet? vel morum reformatio obtinget? vel maior cultus in B. Virginem consequetur? aut maior reuerentia in Deum, vel in Dei Genitricem in animis fidelium ingeretur? Anne ipsi Aduersarij propter Dei Genitricis Conceptionem peccato originali deturpatam, no- 334. Manuale. Prædicat. Sententia minus pia ab ipsis Patribus dicitur inutilis, & valde scandalosa.

ua à Deo in dic beneficia extorquebunt? Quod si addas, quod addit citatum Manuale, nimirum quod sententia minus pia non solum nullius sit veritatis, sed etiam valde scandalosa. Quænam vrgentior ratio afferri posset, vt ipsi perpetuum silentium Indiceretur. Cum sit constans Apostoli doctrina ad Rom. 14. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum charitatem ambulas, noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* In quem locum S. Thom. lect. 3. hæc adiicit verba: *Id ex quo scandalum parabatur, esse secundum suam naturam, siue secundum se licitum.*

Rom. 14.

335. Quod autem hæc scandala pusillorum non sint, nec ex ignorantia prouenire, ex eo patet; quod sapientissimi Viri, audita Aduersariorum sententia scandalo percelluntur, cuius rei testes aduoco locupletissimos, tot illustrissimas Academias, quæ procul à se minus piam sententiã tanquam pias aures ferientem amandaruot. Testor etiam Paulum V. in suo Diplomate, quo prædictam sentẽtiam è pulpitis, & Cathedris, Doctorumque subselliis relegauit, vtpote quæ doctis quibusve viris scandalum inderet. Verùm permittamus Aduersariis id quod falsum est, nempe eiusmodi scandala pusillorum esse: nonne ex charitate teneris omne arcere offendiculum, vbi scis proximum tuum ruiturum, dummodo vita non periclitetur, nec doctrina vera subeat falsitatis discrimen, ac virtus damnum patiatur: sed licet aduersariæ partis sententia perpetuo silentio recludatur, nec virtus diminutionem subibit, nec vita amittetur, nec doctrina vera periculum aliquod patietur; tunc enim delinquitur in veritatem doctrinæ, cum quæ ab Ecclesia sancita est, vel ad fidei articulos attinet, vocatur in dubium, vel omnino negatur, vel silentio reprimitur, authore D. Thom. in cap. 14. ad Rom. lect. 13. in illa verba: *Fidem habes, penes te ipsum habe*, (subdit S. Doctor.) *Fidem habes rectam apud temetipsum, per quam constat licitum esse his cibis vti. Bona quidem, & laudabilis est fides ista, sed habe eam in occulto coram Deo, cui talis fides placet*, iuxta Eccles. 1. *Beneplacitum est Deo fides, & mansuetudo; quasi dicat, non oportet quod fidem illam manifestes per operis executionem, vbi hoc fit cum scandalo proximorum.* Cum ergo quis sine nocumento proprio sententiam suam silentij velo occulere potest, eam verò euulgando fratri offendiculum parat, vbi cæspitet, profectò in eo silentio se continere debet, iuxta Pauli effatum 1. Cor. 8. *Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem.* Secundum se, & absolutè licebat Paulo illo vti cibo, ne tamen scandalum esset pusillis, ab illo prorsus abstinuit; ac proinde opere, & sermone nostram thesim stabiliuit.

Scandalum quando adest, tenemur à licitis abstinere.

D. Thom.

1. Cor. 8.

336. Addiderim, quamuis admitteremus, non solum esse hoc scandalum infirmorum, sed etiam Pharisæorum, qui benè calleant aduersariæ partis sententiam non esse damnatam, sed toleratam ab Ecclesia: nihilo secius adhuc esse tollenda eiusmodi scandala, vt volunt aliqui Doctores: quando nec nocumentum timetur ex omissione operis, nec dimittenda, aut deperdenda bona spiritualia, nec omnino desperatur profectus illius, qui scandalum subiturus est. De quo Lorca 2. 2. quæst. 43. art. 7. Valentia tom. 3. disp. 3. quæst. 18. part. 4. vbi ait: *Existimo si quis cum nullo suo, vel pene nullo detrimento posset impedire scandalum proximi Pharisaicum, aliquid faciendo, vel omittendo, illud debere facere.* Quam doctrinam dicto, ac facto comprobauit Christus Dominus, Matth. 17. dum ait Petro: *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel censum? à filijs suis, an ab alienis? & ille dixit, ab alienis. Dixit illi Iesus; ergo liberi sunt filij; vt autem non scandalizemus eos, vade ad mare, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me, & te.* Itaque licet non teneretur Christus didragma soluere, vt tameo scandalum omne arceret, tributum pendit; cum tamen illum scandalum passiuum, ac Pharisaicum esse, certum erat; dum ex malitia, & proteruia scandalum paterentur exactores illi, qui per tot patrata miracula, ac per cœlestem vitam, illum verè Messiam esse, ac Dei filium certo cognoscere potuerunt; ac proinde ab omni tributo immunem esse. Cum ergo nullum timeri possit periculum ex silentio aduersariæ sententiæ, nec vllum nocumeotum Ecclesiæ, vel profectui animarum subsequatur; & certa sit spes scandala hæc in populis Christianis omnino arcenda, ac ex taciturnitate finem habitura; profectò minus piæ sententiæ fautores tenentur illa scandala silentio cohibere; & summus Pontifex poterit ob eundem finem perpetuum silentium illius sententiæ indicere, remque vltimo determinare per definitionem.

Scandalũ pusillorum, & Pharisæorum tenemur impedire, cum id fieri potest sine graui nocumento.

Lorca.
Valent.

Matth. 17.

Sed stomachantur Aduersarij his auditis, proque sui defensione opponunt primo: ex sileotio sententiæ suæ imminere sibi hooris, ac famæ detrimentum non contemnendum, quia ex hac taciturnitate iam pia sententia à minus pia triumphum reportat; ac proinde ipsi deuicti sine honore manent, ac dedecorosam confusionem sustinere coguntur. Deinde aiunt, ipsorum sententiam maximum ex taciturnitate dispendium subituram, dum opposita ex suggestis, cathedris, confessibus traditur, & edocetur, adeoque fidelium animis intimius insidet, & in ipsorum mentibus altiores agit radices. Postremò instant, hæc sibi nocumenta subsecuta in dies excrescere, nec sibi esse parui dicenda ob ignari vulgi, ac rudis plebeculæ tumultus, sartorumque seditiones, sutorum, textorum, & similium. Quæ flocci sunt facienda, si cùm ingenti damno, quod sibi in dies immioet, cooferantur. 337.

Verum facilè eiusmodi Aduersariorum tela contuodes, si asseras, non tanti ducendam hominum existimationem, inanemque gloriam, itavt ad ipsius conseruationem tot animæ saucientur, teste Paulo 1. Cor. 8. *Percutientes conscientiam infirmam hominum in Christum peccare.* In Christum enim peccat, qui peccat in membrum Christi, ait inibi Augustinus. Multo ergo consultius foret, ac rationi, & pietati Christianæ conformius iuri proprio cedere, aliaqoe iniusta, & iniqua, Christiana tolerantia sufferre, vt scandalum arceatur, vt docte probat D. Thom. 1. 2. quæst. 96. art. 4. vbi censet iuri suo honoris, vel alterius proprij commodi cedendum, ne proximo offendiculum struatur, vt cæspitet, & ruat: nulli autem licet propter honoris vel alterios boni, siue lucri temporarij defensionem, vel conseruationem in casum, & ruinam proximum impellere. Scandalum autem passiuum, authore D. Thom. 2. 2. quæst. 43. art. 1. semper est peccatum in eo, qui scandalum patitur: *Non enim scandalizatur, nisi in quantum aliquantulum ruit spiritualiruina.* Rectè Chrysost. premens illa verba ad Rom. 19. *Noli propter escam destruere opus Dei,* (ait) *nam si sacram aliquam ædem subuertis, graue, & nefarium existimatur, quanto magis spiritnale hoc templum, si ruinam patiatur, cum & homines constet, sanctitate sacris ædibus longè præstare: quippe non* 338.

1. Cor. 8.

Iuri suo, honore cedendũ vel alterius commodi, ne scandalum struatur proximo.

Abstinendum est ab his etiã, quæ speciem mali habent, vt tollatur scandalum.
1. Thessal. 5.
D. Thom.

ter asserere: non ergo solum à rebus malis secundum se abstinendum, monet D.Thom. vt scandalum vitetur, sed ab his etiam, quæ speciem mali secum ferunt, licet secundum se bona sint, iuxta Apostoli pronunciatum 1. Thessalon. 5. *Ab omni specie mali abstinete vos.* Hinc definit scandalum, S.Th.lect.2.in c.1.primæ ad Corinth. *Dictum, vel factum prauum, vel minus rectum, vt comprehendantur tam illa, quæ sunt secundum se peccata, quàm illa, quæ habent speciem mali.* Cùm ergo Aduersariorũ sententia, licet in se mala non sit, cũ tamen mali speciem referat, qua audita scandala excitantur, ab ea proculdubio continendum erat, ac per sententiam decisiuam penitus eliminanda: cum nec per Pontificum censuras, nec per Regum Decreta, nec per Principum minas, nec per Prælatorum pœnas statutas, ab Aduersariis silentium extorqueri potuerit, vt parebit ex Bandelli propositionibus mox referendis, tum ex ipsius interpretationibus Extrauagantis Sixti I V. ex aliorum etiam explicationibus ad Motum proprium Alexandri V I. item ex glossematibus modernis appositis Constitutionibus Pauli V. & Gregor. X V. nec cautius loquuntur nuperi Doctores aduersariæ partis, nec saniorem mentem liceat ab eis expectare. Rectè

Iuuen.

Iuuen. Satyr. 1.

Nil erit vlterius, quod eorum moribus addat
Posteritas: eadem capiunt, facientque minores.

342. Quod vt planius constet, referam propositiones aliquot per libros duos à Vincentio Bandello sparsas aduersus sustinentes opinionem piam, & eò

Sixtus I V.

audaciæ deuenit, vt Sixtus I V. duo diplomata ediderit, vt propositiones, & dicteria infra referenda tanquam falsa, erronea, ac à veritate penitus aliena, dictosque Bandelli libros, vbi reperiuntur, authoritate Apostolica reprobauerit, ac damnauerit; eosque qui in posterum in suis ad populum concionibus, seu alio quouis modo præfatas propositiones tanquam veras approbarent, dictosve libros pro veris legere præsumerent, excommunicationi, & æternæ maledictioni addixit, cuius absolutionem Romano Pontifici reseruatam voluit. Quæ

Alex. V I.

diplomata confirmauit Alexander V I. in Bulla, quæ incipit. *Illius qui se*, &c. ann. Domini 1502.

Conc. Trid.
Paul. V.

Deinde Concilium Tridentinum sess. 5. illa roborauit: ac demum Paulus 5. in Bulla, *Regis pacifici*, in Diœcesi autem Toletana, Carthaginensi, &

Iul. I I.

Conchensi per speciale Iulij I I. Diploma executioni fuit mandata sententia, vt liber Bandelli è medio tolleretur, & combureretur: ergo ferendum non est tot, tantisque summorum Pontificum literis, ac censuris despectis, eiusmodi libros lectitare Vincentij Bandelli, & Castronouo sub his titulis: *Libellus de veritate Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ, tum & Tractatus de singulari puritate, & prærogatiua Conceptionis Saluatoris Iesu Christi.* In his ergo libris passim eiusmodi propositiones disseminantur.

343.
Bandel.

Cap. 9. sic scribit Bandellus: *Quicunque dicit B. Virginem nullum vnquam habuisse peccatum, Hæreticus est appellandus*; & c. 58. *Positio illa, quæ contradicit determinationi Ecclesiæ, non est pia, sed impia: sed Positio, quæ dicit B. Virginem non contraxisse peccatum originale, contradicit determinationi Ecclesiæ: ergo non est pia, sed impia.* Subditque: *si quis diceret Ioannem Baptistam, vel Apostolos non habuisse originale peccatum, esset hæreticus, quia contradiceret Concilijs; ita & qui dicunt B. Virginem non contraxisse originale peccatum, contradicunt eisdem Concilijs.* Cap. 4. pergit idem author hæc effutiens verba: *Personæ, quibus factæ sunt reuelationes de B. Virginis immunitate ab originali peccato, sunt suspectæ, carnalibus vitijs deditæ, nihil in se spiritualitatis ostendentes.* Quibus verbis non leuiter de sanctitate, ac pietate S. Brigittæ, aliorumque Sanctorum Virorum, ac fœminarum detrahit: imò Ecclesiæ, ac Pontificibus iniuriosus est, quæ S. Brigittam in Sanctorum album retulit, eiusque reuelationes approbauit.

In 2. parte eiusdem tractatus ratione 10. hæc verba in temerariam audaciam adactus effudit: 344.
Bandel.

Vnde dicta Augustini, & aliorum Sanctorum Doctorum, in his quæ pertinent ad fidem, & ad bonos mores, in maxima reuerentia à summis Pontificibus habentur; imò eorum dicta in sacris Scripturis exponendis, & in causis decidendis, maximè quando fundantur in sacra Scriptura, in his quæ pertinent ad fidem, & ius diuinum, videntur esse præferenda Constitutis summorum Pontificum, vt notatur in Glossa de libellis, dist. 20. *imò præferuntur determinationi Concilij, vt habetur in* cap. Placuit, 35. quæst. 2. *Vbi præfertur sententia Hieronymi Concilio Chalcedonensi prohibenti raptam posse matrimonio copulari raptori: quia authoritas Hieronymi innitebatur sacra Scriptura* Exod. 22. *Et ideo cum August. & alij Doctores sancti, ac summi Pontifices fundantes se in sacra Scriptura promulgante ius diuinum, dicant B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam; videtur ex prædictis sequi sententiam Sanctorum Doctorum in hac parte esse præferendam dictis, & Constitutis quorumcumque.* Quæ quidem verba perniciosam, erroneam, imò hæreticam doctrinam continent, multumque detrahit supremæ Ecclesiæ, ac Pontificum dignitati; vt fusiùs in superioribus monuimus.

Ibidem ratione 34. addit: *Hæreticum est dicere, Virginis Conceptionem præintellectam esse in mente diuina conceptioni aliorum hominum.* Cum tamen probabilissima, ac communiter recepta sententia sit inter plurimos Patres, ac Theologos, vt large ostendimus Palæstra 2. in 2. libro, quem ex contextu constat esse eiusdem Bandelli, in proœmio hæc habet: *Opinionem de immaculata Conceptione, esse errorem mortalem, fugiendum, falsitate plenum, impium, prophanum, vtpote fidei, diuinisque literis aduersatissimum, perniciosum.* In 3. parte primi libri in responsione ad rationem 30. asserit, *miracula, quæ fiunt pro Conceptione, fiunt à Dæmone, quia Dæmon, vt diuisionem ponat inter seruos Dei, & errorem nutriat in Ecclesia, Deo permittente, vt qui in sordibus est, magis sordescat, ad inuocationem Conceptionis sanat aliquas infirmitates.* In responsione ad rationem 51. affirmat Papam non posse sancire aliquid contra dicta Sanctorum Patrum in sacra Scriptura se fundantium: quasi velit solis Patribus, & non Pontifici à Deo id priuilegium concessum, vt Scripturas sano, & irrefragabili sensu interpretentur. 345.

In 4. parte secundi libri in responsione ad rationem 9. de sententia pia hoc nefandum effatum pronunciat: *O Dogma Diabolicum, quod in sui perniciem diuersa mendacia fingens peruertere nititur veritatem.* Ibidem ad euasionem 10. asserit, *Doctores antiquos dixisse esse tenendum secundum fidem Catholicam B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam, eosdemque affirmasse, atque approbasse, quod oppositum tenere erat erroneum, temerarium, superstitiosum, & etiam hæreticum.* Cap. 2. primæ partis eiusdem libri, subinfert: *Ducentorum, & sexaginta Doctorum testimonia in medium fideliter adducam,* 346.

adducam, qua ita esse affirmant sicut nostra conclusiones loquuntur: imo omnes Patres, ac Doctores antiqui, nemine discrepante, asserunt B. Virginem in originali peccato fuisse conceptam. Quod quam sit à veritate alienum, & falsum testimonium ipsis Patribus illatum, nemo non videat; ac diligens, & sedula in Patribus, ac Dnctoribus euulnendis lectio fictitium omnino esse comperiet. Falsò etiam illos citat, falsa illis imponit, illorum verbis sua adiicit, illorum testimonia mutilat, ac decurtat, in suamque sententiam trahit, velint nolint, vt numerum Patrum à se promissum adimpleat: imo Scotum ipsum, ac S. Bernardinum Senensem primarios piæ sententiæ Propugnatores aduocat in testes. Alios ignotos, quorum nulla fuit apud antiquos notitia, neque apud recentes memoria, nec vnquam natura cognouit, nescio quibus ex tractibus affert, quos suo catalogo interiicit.

347. In epistola Dedicatoria ad Ducem Ferraræ exclamat satis extra rem: *O deliramenta nequitia, unde funestum hoc virus,* (inuehitur in Doctores piæ sententiæ,) *eorum mentes obrepsit, qui castissima matris Ecclesia laribus educati, à primis vnguiculis veritatem diuinarum rerum suxisse debuerant? Quid porro hac peste perniciosius? Quid tanta labe execrabilius excogitari potest? Nefandum sane est id alteri attribuisse, quod solum Christo in diuinas laudes fides immaculata donatum fuisse profitetur. Verumtamen cum pro nostra consuetudine eorum flagitiosis dogmatibus pro veritate Christiana fidei tuenda, illustrium virorum clarissimas sententias obiiceremus, ad consueta vulgi, populariumque confugia se conferebant; clamoribus, & vociferationibus se obarmantes, in quibus sua erronea opinionis fundamenta iecisse, atque omnem spem, & præsidium collocasse videntur.* Prætereo immodestas voces, quæ omnino dedeceāt virum religiosum, quas iactat Bandellus prima parte eiusdem libri cap. 19. in Panormitanum, aliosque Concilij Basileensis viros grauissimos, quos ex se, inquit, ibi sanxisse sententiam piam de immaculata Conceptione, quia Dominicani ab eo Concilio abscessere, ipsiusque actis acquiescere renuerunt; ac proinde in vindictam, qui in Concilio perdurarunt, Sessionis 36. Decretum sanxerunt de immunitate B. Virginis ab originali. Quod si verum esset, nimirum Patres Dominicanos Cnncilium deseruisse, nunquam in tam miserandum exitum deuenisset, vt verum Pontificem deponere statuisset, & Pseudo Papam creasset: omnem enim eius rei causam in Prædicatorem quendam Burgundionem nomine Nicolaum, referunt Æneas Syluius postea Pius II. huius rei oculatus testis, & Alij; quod ex eiusdem Concilij actis quisque depromere poterit.

CERTAMEN XII.

An Pontifex, vel Concilium cum illo, sola ratione naturali permotum, vel etiam ex discursu Theologico possit venire in definitionem piæ sententia.

348. ANimaduertendum est primo, Ecclesiam, vel Pontificem in his, quæ circa mores decernit, errare nullo modo posse, quidquid vnus, aut alter Theologus ausu temerario contradixerit. Qua de re fuse & erudite Cardinalis Bellarm. agit lib. 4. de Pontifice. Molina lib. 2. de Iustitia disput. 325. Ludouicus de Torres tom. de fide disp. 16. & nos supra aliquid delibauimus. Animaduertendum secundò plurima reperiri decreta, ac sacras Pontificum sanctiones in iure Canonico circa contractus, quæ solum bonos mores respiciunt, cum tamen nullo sacræ Scripturæ loco, vel sanctorum Patrum testimonio innituntur; sed solum Pontifex ipsius naturæ ductu, ac rationis naturalis lumine suffultus diplomata illa edidit, quæ tanquam omnino certa tenerentur, & ab omnibus Christi fidelibus seruarentur. Hic solum vnum, aut alterum exemplum proferam, reliqua videri poterunt in plerisque iuris Canonici capitibus. Sanciuit ergo Leo X. Montem Pietatis non esse vsurarium, quæ quidem sanctio ad fidem spectat, vt docent Theologi, quantumuis tergiuersentur Caietanus, ac Sotus: cum tamen de eiusmodi contractu Montis Pietatis, nec verbum vllum apud sacras literas, vel Patres reperiamus, ergo Pontifex solo rationis naturalis ductu permotus, illam propositionem inter res, quæ pertinent ad fidem adnumerauit. Calluit ergo Pontifex à Deo illustratus, rationis naturalis robur, quod inerat illi asserto, licet non omnes illud capere possent.

Bellarm. Molina. Torres.

Leo X.

349. Hinc ergo statuendum est circa præsentem controuersiam, posse videlicet summum Pontificem seorsim, vel simul cum Concilio, populo Christiano tanquam de fide proponere Conceptionis immaculatæ veritatem, pleno illustratus lumine, & ab Spiritu sancto edoctus, rationum robur penetrans, quæ pro defioienda Conceptionis immaculatæ B. Virginis veritate proferri solent; licet aliquibus Doctoribus inefficaces videantur. Et roborari potest nostrum Assertum ex sanctionibus Ecclesiæ circa declarationem doctrinæ fidei; vt patet in definitione characteris sacramenti Confirmationis, quæ veritas variarum opinionum velamine delitescebat, & tamen Innocentius III. in cap. Maiores, de Baptismo: trium Sacramentorum characterem definiuit; cum tamē pro charactere Confirmationis, non ita exploratus esset Patrum sensus: non enim exstabat adhuc D. Th. nec D. Bonauent. & alij Scholastici. Solum ergo ratio efficax impulit Florentinum Concilium, & postea Tridentinum ad id definiendum; quia videlicet sacramentum Confirmationis iterari nequiret; sicut nec sacramentum Ordinis, & Baptismi: qua ratione nixus Pontifex, & Concilia characterem sacramenti Confirmationis tanquam indubitatam veritatem sanxerunt.

Potest Pontifex, vel Concilium sola ratione, vel discursu Theologico immunitatem ab originali in B. Virgine definire.

Innoc. III.

350. Insuper plura stabilita sunt à Concilio Tridentino ex sola ratione, & Theologico discursu: quales sunt Canones, & decreta plura de sacramentis, de gratia habituali, eiusque inhærentia, & aliis rebus, quarum disceptationes, siue tractatus vix apud Patres reperiebantur. Quamuis ergo opinio pia, neque apud sacram Scripturam, neque apud sanctos Patres, sedem fixisset, nihil hoc obstaret, quominus inter fidei dogmata reponeretur ab Ecclesia, rationibus aliquibus permota; quarum vna sit: Deipara Virgo ab omni culpa actuali etiam leuissima seiuncta omnino fuit, vt tenet Ecclesia, & nos Deo fauente alibi fusius demonstrabimus; quia scilicet dedecebat Dei Matrem peccato aliquo etiam leui attaminari; ergo similiter, cum indecens sit, eandem peccato originali, quod grauius est, aliquando subiacuisse: poterit eadem Ecclesia, quæ immunitatem B. Virginis ab omni peccato actuali sanciuit; eiusdem à peccato originali immunitatem, & exemptionem decernere, & inter fidei si ... ctiones adscribere. Præsertim cum

peccata

peccata venialia ex ſurreptione, leuiſſimam maculam ingerant: & tamen nullum ex his, ſingulari Dei priuilegio in B. Virginem cecidit; ergo ex hoc principio recte poſſet eadem Eccleſia deducere, Virginem Deiparam, nulla peccati originalis macula fuiſſe fœdatam, propter indecentiam maximam inde ortam: bene enim à Theologis peccatum originale, macula, infectioque animæ nuncupatur, iniquitas, Lepra, Tyrannis, inimicitia Dei, delictorum radix, obiectum iræ Dei, damnatio mortis æternæ; quæ quantum dedeceant tantam Virginem, quis non videat, quæ Deum erat progenitura.

351. Præterea ex ſolemni Annunciationis Feſto, quod die 25. Martij colitur; robur maximum accepit conſtans illa ſententia, quæ adſtruit Chriſtum Dominum eodem momento ſimul animam, & corpus perfectum accepiſſe, ita vt inter erroneas adnumeretur oppoſita ſententia; quæ fingit Chriſti Domini corpus paulatim fuiſſe compactum per formam embryonis, antequam perfecte ad inductionem animæ rationalis aptis diſpoſitionibus, & organis formaretur; cum tamen ſententia adſtruens Chriſti corpus vnico inſtanti fuiſſe abſolutum, vix ſex Patrum dictis innitatur. Solum ergo inualuit ſententia hæc ex Feſti Incarnationis celebratione; ergo temporis decurſu ex ſolemnitate Conceptionis nunc nouo indulto Innocentij X. Indicta, plauſúſque, & acclamatione recepta, fieri poterit, vt ratio efficax adfaueat ſententiæ piæ, præcipue Eccleſia decernente, ſub voce Conceptionis, nec coli, nec intendi ab Eccleſia B. Virginis ſanctificationem, vt ſupra monuimus.

352. Aduerſus dicta inſurget aliqois: ex eo inter fidei dogmata reponi non poſſe piam opinionem de immaculato Conceptu B. Virginis; quia cum diſceptatio, ſeu res quæ controuertitur eſt facti, ſiue hiſtoria quædam, niſi in ſacra Pagina reperiatur, aliter conſtare nequit eius veritas; in quo differunt aliæ propoſitiones dogmaticæ à controuerſiis facti, ſiue hiſtorialibus, quod illæ ex principiis ſacrarum Scripturarum deduci poſſunt; hæ vero ex libera Dei voluntate dependet, quæ certo conſtare nequit, niſi ex ſacris, & canonicis codicibus. Vnde Chriſti Domini Natiuitas B. Virginis Annunciatio, Magorum adoratio, profectus B. Virginis in montana, aliaque plura Regum, & Patriarcharum geſta, nullo modo, niſi ex ſacris voluminibus conſtare poſſent. Sed immaculatus B. Virginis Conceptus factum & hiſtoriam præ ſe fert, quam nullus Canonicus liber tradidit, nec per Apoſtolicam Traditionem fuit inuecta; nequibit ergo tanquam fidei dogma decerni. Sed nihil roboris ineſt diſcurſui nobis obiecto. Plurima enim ſunt, quæ ſolum à ſede Apoſtolica ſupremam fidei certitudinem hauſerunt, & tamen factum, ſiue hiſtoriam continent. Sciſcitor enim primo ab aduerſariis, in quo ſacro volumine reuelauerit Deus ſacrorum, & Canonicorum librorum ſyllabum, quem tamen ad factum, & hiſtoriam ſpectare nemo ambiget; & nihilominus inter fidei dogmata adſcribitur à Concilio Tridentino Catalogus Canonicorum librorum tam Veteris, quam noui Teſtamenti. Deinde Virginis Deiparæ perpetua Virginitas nullibi ita perſpicue, in ſacris Scripturis exprimitur: & tamen in re facti Heluidius, & in controuerſia hiſtoriali, iam olim à ſede Apoſtolica hæreſis damnatus eſt, quod perpetuam Dei Genitricis Virginitatem denegauerit. Præterea vbinam exſtat Mariana immunitas ab omni culpa actuali, etiam leuiſſima; neque enim in ſacris voluminibus, neque in Apoſtolica aliqua Traditione reperitur, quæ tamen, vt plurimi arbitrantur poſt Concilium Tridentinum eſt iam fide conſtabilita. In capite etiam *Firmiter* de ſummá Trinitate, & fide catholica condemnatur illorum ſententia, quæ ante corporeum hunc mundum, Angelos fuiſſe creatos affirmabat, quæ tamen diſputatio ad factum, hiſtoriámve à Dei voluntate pendentem ſpectat. Huius generis obuiæ ſunt paſſim veritates hiſtoriales, quæ ſolum ab Eccleſia fidem infallibilem hauſerunt. Quod ſi Aduerſarij reſpondeant, has & ſimiles veritates ad factum ſpectantes, in aliquo ſacræ Scripturæ loco iamdudum contentas. Dicam & ego immaculatum Deiparæ Conceptum etiam in pluribus ſacræ Scripturæ locis contineri, licet hactenus non fuerit definita hæc veritas, forſan labẽtibus annis, aliquis ſacræ Scripturæ locus ſtatuet hanc veritatẽ inter fidei dogmata: ſicut præceptum Confeſſionis ſolum ſub opinione deliteſcebat olim ſub illis verbis: *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Ioann. 20. Poſtea aduerſus Nouatores Concilium Tridentinum ab Spiritu ſancto edoctum, ſanciuit illud Confeſſionis præceptum ab Eccleſiæ primordiis inuectum, præfatis Ioannis verbis contineri. Ioann. 20.

Plurimæ veritates, quæ factum, & hiſtoriam continent, ſolum à ſede Apoſtolica fidei certitudinem hauſerunt.

CERTAMEN XIII.

Nihil obſtare Patres oppoſitum ſentientes ad definitionem piæ ſententiæ.

Permittamus nunc Aduerſariis aliquos reperiri Patres, qui aſſerant expreſſe B. Virginem maculatam fuiſſe primæua Adami noxa. Quid inde? an id officere poterit, quominus ſententia negans B. Virginem vnquam fuiſſe peccati originalis macula fœdatam, definiri queat? haud quaquam. Quod Aſſertum hoc certamine exagitandum ſuſcipio, ac validiſſimis rationibus corroborandum. 353.

Oſtenditur ergo primo. Plerique namque Patrum innuũt B. Virginem aliquali macula peccati venialis actualis attaminatam fuiſſe; & tamen Eccleſia ſtatuit, illam ab omni etiam veniali fuiſſe exemptam: ergo licet aliqui Patres aſſerant illam peccato originali ſubiacuiſſe, poterit Eccleſia nihilo ſecius illius à peccato originali exemptionem ſancire. Aſſumptum conſtat, qoia Origenes homil. 1. in Geneſ. ſubindicat Virginem Deiparam incredulam voci Angeli extitiſſe per hæc verba: Origen. *Si enim non adeciſſet, quia maſculum, & fœminam fecit eos, vtique benedictioni diuinæ incredulus extitiſſet; ſicut & Maria ad eam benedictionem, qua benedicebatur ab Angelo,* ait; *quomodo ſciam hoc, quoniam virum non cognoſco?* Luculentius fatur homil. 17. in Luc. *Quis*, ait, *iſte gladius, qui non aliorum tantum, ſed etiam Mariæ cor pertranſiit; aperte ſcribitur, quod in tempore Paſſionis omnes ſint Apoſtoli ſcandalizati, ipſoque Domino dicente: omnes vos ſcandalizabimini in nocte hac; ergo ſcandalizati vniuerſi, in tantum vt Petrus Apoſtolorum Princeps tertio denegarit. Quid putamus quod ſcandalizatis Apoſtolis, Mater Dei ab ſcandalo fuerit immunis.* Additque. *Si ſcandalum in Domini Paſſione non paſſa eſt, non eſt mortuus Ieſus pro peccatis eius; ſi autem omnes peccauerunt, & egent gloria Dei, iuſtificati gratia eius, & redempti: vtique Maria illo tempore ſcandalizata eſt.* S. Athanaſius ſermon. 4. contra Arianos: *Increpuit*, ait, Athan.

Matri,

Matri , vosdum , inquiens , venit hora mea. Quæ verba , si in fonte Græco perpendantur , aliquid reprehensione dignum agnouit S. Doctor in Virgine Deipara. Tertull. item lib. de carne Christi cap. 7. hæc protulit : *Fratres Domini non crediderunt in illum , Mater autem æque non demonstratur adhæsisse illi.* Vox , æque , defectum aliquem incredulitatis denotat in Maria , sicut & in aliis. Theophil. in cap. 2. Lucæ ad illa verba : *Tuum ipsius animum pertransibit gladius.* Subdit : *Fortassis & dolorem , quem in passione tulit , fortassis scandalum dicit romphæam, qua offensa fuit* : Chrysostomus in Psalm. 13. hæc habet : *Quando Christus fuit crucifixus , non fuit qui faceret bonum : discipuli omnes fugerunt , Ioannes nudus recedit , Petrus negat ; ipsius Mariæ matris animam gladius dubitationis pertransiit.* (Et sermone de Purificat. subdit : *Pertransiit quoque animum gladius , tentatio , dubitatio.* Et homil. 45. & 46. in Matth. ad ea verba : *Ecce Mater tua* , subdit S. Doctor : *Manifestum esse , quod solum ex vana gloria hæc faciebat , & ambitione quadam , & ostentatione commota.* S. Anselmus libr. de excellentia Virginis ; anceps , & dubius ostenditur , vtrum Virgo Deipara aliquo se peccato maculauerit ante Verbi diuini incarnationem , dum ait : *Nimirum tenemus ab omni , si quid adhuc in illa , scilicet B. Virgine , originalis , siue actualis peccati supererat , mundatum cor illius*

Tertull. Theoph. Chrysost. Anselm.

354. Ex quibus omnibus , & aliis Patrum testimoniis , retorquetur argumentum , quo Doctores sententiæ minus piæ fateri compelluntur , nihil obstare posse definitioni piæ sententiæ , quod aliqui Patres non eximant Deiparam Virginem ab originaria labe : siquidem quamuis plura Patrum testimonia eidem B. Virgini culpam actualem lenem imponebant ; & tamen Concilium Tridentinum sess. 6. can. 23. de iustificatione , decernit Dei Genitricem Mariam , nullo vnquam tempore peccato aliquo actuali , etiam leuissimo fuisse attaminatam, per ea verba : *Si quis dixerit , hominem posse in toto vita peccata omnia , etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio; quemadmodum de B. Virgine tenet Ecclesia , Anathema sit.* Modo sic insurgo : vnanimis Ecclesiæ consensus tantum ponderis,& authoritatis habet, vt ex eo decreuerit Tridentinum immunitatem B. Virginis ab omni peccato actuali , etiamsi plura Patrum testimonia refragarentur : & nulla expressa , vel sacræ Scripturæ, vel Conciliorum authoritas id attestaretur; ergo similiter poterit Ecclesia inter fidei dogmata reponere piam opinionem , quæ tuetur eiusdem B. Virginis exemptionem ab originaria labe, quæ cõstituit animam Dei inimicam, damnationis æternę sociam ; quod non præstat peccatum veniale. Nec officit aliquos Doctores asserere, nondum à Tridẽtino sancitum fuisse, Deiparam nulla leuia peccata commisisse, tanquam de fide; sed solum oppositam sententiam esse erroneam. Nam communis Theologorum sensus docet immunitatem ab omni culpa etiam leui in B. Virgine esse de fide, post præfata Tridentini verba. Et quamuis illud permitteremus, quod falsum est, saltem inde recte inferri potest , in eodem certitudinis gradu reponi posse ab Ecclesia immunitatem Deiparæ à noxa originaria. Et quidem nemo inficias ire iure potest , posse inter fidei veritates statui B. Virginem immunem fuisse ab omni culpa actuali etiam leuissima ; eademque ratione definiri posse liberam fuisse ab omni protoparentis labe.

Non obstat aliquos Patres maculasse Deiparam peccato originali, quemnus ab Ecclesia eiusdem Virginis immunitas definiatur.
Conc. Trid.

Secundò idem Assertum roboratur ; quia vel est jam fide sanctum , vel sanciri potest , Angelos ante mundi molitionem conditos non fuisse, quantumuis pleraque sanctorum Patrum testimonia reclamarent , multo etiam plura , quam modo obstent aduersùm immaculatum B. Virginis conceptum: siquidem vniuersi pene Græci Patres, authore S. Cyrill. Alexand. lib. 6. in Ioann. censuere Angelos creatos ante mundi conditionem. Quorum tamen sententia damnata fuit à Lateran. Concilio sub Innocentio III. cap. 1. vt plures Theologi statuunt: scio Patrem Vaz. in 1. p. disp. 224. illorum Patrum sententiam ab omni censura indemnem seruare ; sed iuuat intorquere argumentum contra Doctores maculantes B. Virginem peccati originalis labe. Plures enim eorum opinantur esse fide sanctum , Angelos ante mundum non fuisse productos ; vel certe posse nunc tanquam de fide decerni, vt pluribus ostendit Suarius de Angelis, tametsi plurimorum Patrum sententia oppositum censeat ; ergo similiter poterit Ecclesia exemptionem à culpa originaria in Virgine Deipara statuere tanquam de fide, quamuis oppositum sustineant aliqui ex sanctis Patribus. Quod vero plures sancti Patres Angelorum productionem statuant ante mundi molitionem , constat. Nam S. Chrysost. in hom. in Gen. hæc habet : *Multo sunt priores Angeli corporea creatura. Audi quid dicat is, qui cum Iob disserebat , quando facta sunt astra laudabunt me omnes Angeli Dei.* Idem censent S. Anastasius Synaita lib. 1. Hexam. S. Gregor. Nazianz. orat. in Christi Natiuit. vbi ait : *Posteaquam primas creationis partes præclare constitutas videt , alterum mundum materia constantem , & adspectabilem cogitauit , hunc nimirum ex cælo , & terra coagmentationem.* S. Basil. homil. 1. Hexam. *Demum* , ait, *conueniebat , Angelis conditis , mundus vt accederet , & adiungeretur.* S. Cyrill. Alexandr. lib 6. in Ioann. cap. 6. *Cum mundus iste sensibilis productus est , & homo formatus , iam creata subsistit substantia Angelica.* Imo S. Hieronymus in epistol. 142. ad Damasum id ipsum perspicue docet his verbis : *Quis eius potest scire principium , qui antequam istum conderet mundum , interim fuerit in æternitate , quando Thronos , Dominationes , Potestates , Angelos , eorumque ministerium cæleste condiderit.* S. Ambros. lib. 1. Hexam. cap. 5. *Angeli* , inquit, *Dominationes , & Potestates aliquando cæperunt, erant tamen iam , quando hic mundus est factus.* Cum ergo non tot reperiantur Patres qui adstruant B. Virginem culpæ originariæ subiacuisse, quot opinati sunt , Angelos ante hunc mundum visibilem fuisse conditos ; & nihilominus Concilium Lateranense oppositum sanciuit ; ergo poterit Ecclesia decernere immunitatem Deiparæ ab originali culpa , licet aliqui Patres oppositum censuerint. 355.

Plures Patres censuerunt Angelos ante mundi molitionem conditos fuisse quorum sententia damnata fuit à Concil. Lateran.
Cyrill. Alex. Conc. Lat. Vasq. Suar. Chrysost. Anast. Syn. Nazianz. Basil. Cyril. Alex. Hieron. Ambr.

Tertiò, robustum desumitur argumentum ad nostrum placitum confirmandum ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. firmiter, de summa Trinit. vbi damnatur sententia illa, quæ Angelos ex corpore compingebat. Et quidem P. Suarius lib. 1. de Angelis cap. 6. ad minus tanquam temerariam explodendam esse docet: cum tamen quamplurimi , & grauissimi Patres illam tueantur, quorum meminit P. Vaz. 1. part. disputat. 178. cap. 2. & Suar. cit. Hi sunt S. Methodius serm. de resurrect. S. Irenæus lib. 4. cap. 70. Tertull. pluribus in locis. Origenes lib. 1. Periarchon in proœmio, & lib. 2. cap. 2. S. Ambros. lib. de Noë & arca c. 4. & lib. 2. de 356.

Conc. Later. damnauit sententiam Angelos ex corpore compingentem , quæ tamen plurium Patrum suffragio nitebatur.
Conc. Lat. Suar. Vasq. Method. Irenæus.

Hilar. August. Cassian. Bernard. Rupert. Nazianz. Basil. Epiph.

de Abraham cap. 8. S. Hilarius can. 5. in Matth. S. Augustinus lib. 3. de Genes. ad literam cap. 10. & epistol. 111. & 115. Cassianus collat. 7. cap. 13. S. Bernardin. serm. 5. in Cantic. & lib. 5. de considerat. Rupert. lib. 1. in Genes. cap. 11. inter hos adnumera S. Gregor. Nazianz. Dialog. 1. vbi ait: *Angeli corpus habent secundum suam naturam, vt ventus, vel ignis, vel fumus, vel aer.* S. Basilius lib. de Spiritu sancto ita scribit: *In cœlestibus virtutibus substantia quidem earum, puta spiritus est aëreus, aut ignis materialis. Propterea in loco sunt, & fiunt visibiles.* S. Epiphanius lib. 2. contra hæreses hæc scribit: *Ipse igitur Diabolus diceretur spiritus circa materiam se habens, quemadmodum etiam reliqui facti sunt ab ipso Angeli, & ob materiam, & materiæ species, concreditam sibi habent administrationem.* Vides nec tot esse Patres, nec tanta antiquitate, ac grauitate pollentes, qui aduersus opinionem piam digladientur, quot vidisti decertare pro sententia affirmante Angelos materia, & corpore subtili constare; & tamen obstare nequiuerunt, quominus Ecclesia eorum sententiam, vt hæreticam eliminaret, vt volunt plures Theologi, vel saltem vt temerariam, vt docebat Suar. cit. Quidni ergo poterunt officere tres aut quinque solum Patres, quominus decernatur ab Ecclesia exemptio B. Virginis ab infami, ac dedecorosa peccati originalis seruitute.

* 357. *Ecclesia definiuit insitoriæ animas, quæ ad pro pœnis deuoris integre satisfecerunt statim beatitudine donari, licet plures Patres oppositum asserant.* Iren. Orig. Iustin. Athan. Chrysost. Ambr. August. Bernard. Prudent. Vaz.

Quartò, plures produci solent Patres Veteres, qui opinati sunt, Iustorum animas è mortali corpore egressas, nec frui Deo, nec Deum videre, quousque iterum cum corpore resurgant die vniuersalis iudicij, sed quædam incolere loca paradisiaca. Ita censuere Irenæus lib. 5. cap. 31. Origenes homil. 7. in Leuitic. & lib. 2. Periarchon. Iustinus Mart. quæst. 60. & 75. Athanasius lib. qq. ad Antiochum quæst. 161. Chrysostom. homil. 39. in 1. ad Corint. Hilarius in Psalm. 138. Ambrosius lib. de Cain, & lib. de bono mortis. August. lib. retractat. cap. 14. & in Enchirid. cap. 108. & lib. 12. de Genes. cap. 35. Bernard. sermon. 3. & 4. de omnibus sanctis. Prudentius in hym. de exequiis defunctorum. Et alij videndi apud Vaz. in 1. 2. disputat. 19. cap. 1. Vbi postquam dixerat iuxta sanum, ac Catholicum sensum explicandos esse prædictos Patres, hæc subiicit verba: *Si tamen explicari non possunt, nihil obesse deberet eorum authoritas, quominus id quod Ecclesia definiuit, complecteremur.* Eadem nos proferre possumus de Doctoribus, qui ab Aduersariis produci solent pro sententia minus pia; videlicet eos omnes explicari satis commode posse, ita vt sententiam magis piam affectentur; quod si nullam benignam explicationē patiantur eorum verba, nullum tamen obicem obtendere debere, ne sedes Apostolica de fide decernat Virginem Deiparam ab omni fuisse originali labe immunem.

358. *Conc. Trid.* *Concil. Trid. sanxit librum Esther esse Canonicum, licet in oppositum eant plures Patres.*

Quintò, vel ex eo euinci potest, illud non obstare, quia Concilium Tridentinum sess. 4. librum Esther inter Canonicos adnumerat; nam in Ecclesia vniuersali legi mos est, ait enim: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, & in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris, & Canonicis non susceperit, & Traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.* In officio verò Ecclesiastico sæpe recitantur Lectiones depromptæ ex libro Esther. Cum tamen S. Hieronymus præfat. in lib. Esther. S. Athanasius in Synopsi, S. Gregorius Nazian-

Hieron. Athan. Nazianz.

zenus carmine de genuinis scripturis. Nicolaus de Lyra, Dionysius Carthusianus, Hugo Cardin. Caietan. & alij apud Iunilium Affricanum lib. 1. de partibus diuinæ Legis cap. 2. arbitrati sunt totum librum Esther, vel saltem septem postrema capita inter Scripturas apochriphas reponenda. Si ergo Tridentina Synodus aduersus tot Doctores sanciuit librum Esther, tanquam Scripturam Canonicam admittendum esse; ergo poterit similiter Ecclesia statuere piam opinionem tanquam de fide, vtpote Officio Ecclesiastico conformiorem; tametsi S. Thomas, & alij Doctores oppositum assectati fuerint.

Lyra. Dionys. Carthus. Hug. Card. Caiet.

Rursus idem S. Hieronymus in prologo galeato, & epist. 11. ad Furiam, & in cap. 1. Aggæi, docet librum Iudith non esse Canonicum; imo epist. 115. ait suam sententiam esse communem Ecclesiæ sensum, per hæc verba, *Iudith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit.* Eiusdemque sunt sententiæ S. Athanasius in Synopsi. Ruffinus in Symbolum; & tamen oppositum statuit Ecclesia: ergo similiter licet olim, & modo fuerint aliqui Doctores maximi, qui censuerint opinionem minus piam esse veriorem, aut communiorem; poterit Ecclesia, tanquam erroneam, vel hæreticam è medio tollere; nullus enim vel æque pius, vel grauitate, & eruditione par Hieronymo reperitur ex illis, qui opinionem minus piam amplexantur. Cum ergo Tridentina Synodus librum Iudith Canonicum esse definiat contra Doctorem maximum, non erit tanti ponderis, contra nonnullos Doctores Ecclesiam statuere, & inter fidei dogmata adnumerare Virginem Deiparam ab originaria noxa fuisse prorsus immunem. 359. Hieron.

Athan. Ruffin.

Quod vero officere non possit ad hanc definitionem constabiliendam authoritas S. Thomæ, alioqui magnopere suspicienda, inde suaderi potest validissima ratione. Siquidem ex tribus propositionibus ab Angelico Doctore assertis aduersus opinionem magis piam; duæ iam sunt à Sede Apostolica explosæ, ergo similiter & tertia propositio eiusdem obstare non poterit, quominus immaculatus Dei Genitricis conceptus inter fidei veritates statuatur. Assumptum liquet, prima enim propositio extrahitur ex 1. 2. vbi erroneam vocat assertionem liberantem à peccato originali aliud indiuiduum humanæ naturæ præter Christum Dominum. Quæ censura, licet cum prolata fuit, absque vlla malæ doctrinæ suspicione defendi posset: modò tamen ab Ecclesia damnata est vt temeraria, & erronea. Verba autem S. Thomæ citat. quæst. 81. artic. 3. sic se habent: *Dicendum quod secundum fidem Catholicam firmiter est tenendum, quod omnes homines, præter solum Christum ex Adam deriuati peccatum originale ex Adam contrahunt. Alioquin non omnes indigerent redemptione, quæ est per Christum, quod est erroneum.* Secunda S. Thom. propositio ex 3. part. desumitur quæst. 27. vbi sic habet: *Nec tamen per hoc, quod festum Conceptionis celebratur, datur intelligi, quod in sua Conceptione fuerit sancta, sed quo tempore sanctificata fuerit ignoratur: celebratur festum sanctificationis eius, potius quam Conceptionis in die Conceptionis ipsius.* Quod quidem pronunciatum iam est in Ecclesia sub anathemate interdictum, qui ergo constanter tueretur, Conceptionis nomine, sanctificationem venire, errorem, vel hæresim sustineret, vt expressè deducitur 360. D. Thom.

D. Thomæ authoritas, licet alioquin magnopere suspicienda, obstare nō potest ad definiendam immunitatem B. Virginis ab original.

K ex

Sixt. IV. Greg. XV. ex Extrauaganti Sixti IV. & ex Decreto Gregorij XV. vbi hæc habentur verba: *Eadem sanctitas sua cum sancta Romana Ecclesia de Beatissima Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter, & Officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis, tam sæcularibus, quam cuiusuis Ordinis, & instituti regularibus mandat, ac præcipit, vt in sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino Officio, celebrandis, tam publice, quam priuatim, non alio quam Conceptionis nomine vti debeant.* Vbi perspicue declarat summus Pontifex, nunquam fuisse Ecclesiæ mentem, nomine Conceptionis, sanctificationem intelligere. Vnde præcipit sub grauibus pœnis, ac censuris, ne in posterum Sanctificationis vox in diuinis Officiis pro nomine Conceptionis substituatur. Tertia propositio eiusdem Doctoris ea est, nimirum B. Virginem peccato originali obnoxiam fuisse; ac proinde, inquiunt eius scholæ asseclæ, opinionem piam neutiquam definiri posse. Modo ergo sic libet ratiocinari: ex tribus propositionibus à Diuo Thoma assertis; iam duæ primæ aduersus eiusdem Diui Thomæ sensum sancita sunt: ergo quid obstare poterit aduersus tertiam propositionem ipsius Angelici Doctoris, Ecclesiam definire, piamque sententiam inter fidei propositiones statuere. In præsenti ergo controuersia, languida omnino, & inermis erit habenda argumentatio ab authoritate S Thom. deprompta, ne exemptio Deiparæ à peccato originali tanquam de fide sanciatur.

361. Reclamant Aduersarij, obiiciuntque nobis summos Pontifices sancti Thomæ libros approbasse, ergo omnibus ipsius propositionibus fides est adhibenda. Sed occurrimus asserentes; non aliter esse approbatos, quam libros S. Augustini, & aliorum, quos Gelasius Papa approbat in cap. Sancta Romana Ecclesia, in Decretis distinct. 15. Hinc tamen quis credat, singulas horum Doctorum propositiones, tanquam indubitatas fidelibus fuisse à Pontifice propositas. Eiusmodi ergo approbationes Pontificiæ illud solum efficiunt, vt Doctorum scripta, quæ approbat Pontifex, laudem, & authoritatem nanciscantur maiorem, ac proinde vt vtilia habeantur, quo fideles ad illa euoluenda inuitentur: vel etiam vt omnis erroris, ac hæresis voluntariæ suspicione purgentur, tum vt eorum Doctorum allegatio magnum habeat authoritatis pondus ad aliquid probandum, dummodo oppositum aliqua vrgenti ratione non conuincatur. (Gelas. Papa.)

362. Ad hæc nonnulli recte subiungunt, nullam authoritatis D. Thomæ iacturam subsequi, quod contra ipsius mentem Doctrina pia de fide statuatur; neque in aliquo infirmandam iri; sicut de facto nec infirmatur, nec extenuatur D. Thomæ authoritas, quod aliquæ ipsius Angelici Doctoris propositiones non fuerint iam ab Ecclesia receptæ; si tamen verum est ipsius esse, & non ab Amanuensibus, vel Typographis vel immutatæ, vel additæ: sæpe enim ex transumptis, vel aliquid omittitur, vel affirmatur, vel interseritur; vel ex aliorum malitia superadditur, quæ à mente Doctorum non prodierant. Primo igitur eius generis est propositio illa, quæ apud Diuum Thomam reperitur, vt volunt plures: neminem posse esse verum Religiosum per vota simplicia in religione emissa absque professione solemni; neque censendum Apostatam sic à Religione aufugientem: & tamen hæc propositio damnatur à Gregorio XIII. in Bulla, *Ascendente Domino.* Secundò Asserit S. Doctor, votum simplex castitatis in Religione nuncupatum, non irritum reddere matrimonium contrahendum; & tamen in eadem Bulla hoc Assertum disploditur. Tertiò D. Thomas in 1. distinct. 11. art. 4. ait, Patrem & Filium dici posse duos Spiratores: oppositum autem docet idem 1. part. quæst. 46. artic. vltimo; quod tanquam verum definitur in Concilio Lugdunensi sub Gregor. X. ait enim vnica solum spiratione procedere Spiritum sanctum à Patre, & Filio. Quartò docet 1. p. quæst. 46. artic. vltim. Deum de potentia absoluta non posse creare aliam terram præter hanc, quam oculis adspectamus. Quintò ait lib. 2. contra Gentes cap. 30. possibilem esse creaturam absoluta necessitate existentem, quæ proinde non potest non esse. Sextò cum voto paupertatis simplici in Religione cohærere non posse dominium bonorum, quæ propositio à pluribus Thomistis tuebatur tanquam à principiis S. Thom. promanans, quæ tamen explosa est à Gregor. XIII. in Bulla, *Ascendente Domino.* Septimò S. Thomas 3. part. quæst. 78. art. 1. ait Christum Dominum benedixisse panem, & vinum, non tamen alio modo, neque aliis verbis, quam consecrationis; ita vt licet gratiarum actio differat à benedictione; verùm benedictio non differat à consecratione; cum tamen oppositum significet Tridentinum sess. 13. cap. 1. De quo videndus Vaz. 3. part. disp. 196. c. 1. Demum ait Sotus in 4. dist. 24. q. 1. articul. 2. à Diuo Thoma defendi Episcopatum institutum fuisse, à Christo Domino eum tamen non esse ordinem, neque Sacramentum, cum tamen Petrus Soto lib. de institutione sacerdotum lect. 4 de Sacramento Ordinis doceat oppositum esse certa fide tenendum. Et Michaël Medina lib. 1. de sacrorum hominum continentia cap. 15. existimet sententiam sancti Thomæ hoc tempore iam esse periculosam.

Quæ omnia, & alia quæ produci possent, non eo fine in medium protuli, vt aliquo modo vel in minimo authoritas tanti Doctoris debilitetur, absit. Fortassis enim nihil sinistrum in operibus S. Thomæ reperiri poterit, nisi ex deprauatione Codicum: sed ne alicui videatur definitionem piæ opinionis in controuersia Conceptionis retardari debere, quia S. Thomas oppositum censuerit; cum videamus iuxta aliquos, plures propositiones sancti Doctoris ab Ecclesia explosas. Et quidem clarior Mariæ Virginis gloria per quemlibet, vel probabilem opinandi modum emicans pluris apud nos habetur, quam cuiuscunque Doctoris Assertum in his disceptationibus, quæ libero cuiusque arbitratui ab Ecclesia relinquuntur: illud enim frequentius nobis inculcandum est, vniuersas Theologiæ disputationes in Christi Domini, ac Virginis Matris honorem, & excellentiam dedicari; ergo in rebus opinatiuis, & arbitrariis, arbitrium concedendum honori tantæ Imperatricis, ni velimus inurbani ingrati animi crimen incurrere, quantumuis in oppositum aliqui Doctores decertent, Recte sanctus Augustinus lib. 2. contra Donatum cap. 5. tom. 7. *In nullo aliter sapere, quam res se habet, Angelica perfectio est. Qui itaque homines sumus, sed spe Angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus; quamdiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem Diaboli non habeamus. Ideo dicit Apostolus: tentatio vos non apprehendat, nisi humana. Humanum* 363. August.

Humanum est ergo aliquid aliter, quam se res habet, sapere.

364. Nihil ergo mirum cuiquam videri debeat, si dixerimus Diuus Thomam aliquid ignorantiæ pro hominis conditione subire potuisse. Quæ
Auguſt. ergo S. Auguſt. dixerat aliquando de S. Cyprian. dicam etiam de Angelico Doctore: *Non me terret authoritas S. Thomæ, quem reficit humilitas Thomæ; si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam postea Ecclesia tenuit, inducere Gentes Iudaizare, cur non potuit Thomas contra sententiam, quam postea Ecclesia tenuit, cogere Gentem, vt crederet Mariam in peccato conceptam.* An Scotus, Durandus, Victoria, Canus, aliique quamplurimi, quia à D. Thom. in pluribus deflexerunt, falsitatis, & erroris aliquando fuerunt insimulati? Bene in rem
Abul. nostram Abulensis cap. 28. sui Defensorij ait: *Ecclesia, nec Gelasius nequaquam approbauit singulas illorum Doctorum propositiones, vel vnamquamque singillatim sumptam, sed solum eorum libros in communi, eorumdemque opera tanquam Ecclesiæ valde proficua, nec de hæresi voluntaria suspecta.*
Acad. Pariſ. Huic sensui adstipulatur Academia Parisiensis tractatu quodam conclusione 3. vbi hæc habet: *Nam Ecclesia sicut canonizando aliquem Sanctum, non ideo approbat omnia eius facta; ita approbando eius doctrinam, non ideo approbat omnia eius dicta, vel scripta; sed solum illa, quæ per Authorem ipsum non sunt retractata, nec per alium sunt correcta, aut meritò tanquam veritati contraria corrigenda, iuxta doctrinam Apostoli: Omnia probate, quod bonum est tenete.* Quid quod nobis non obstat authoritas sancti Thomæ, imo subsidiatur, vt supra fuse monuimus. Et id ipsum
Cartag. plures attestantur Ioann. Cartagen. homil. 19. de Virgin. Conceptione §.6. tom. 2. Ioannes Ba-
Lezana. ptista Lezana in suo Apologet. cap. 21. Bernardi-
Bernard. de Buſt. nus de Bustos 1. part. Magister Vitalis tractat. de
Magiſt. Vit. Conception. Vbi ait, se vidisse libellum quendam retractationum à D.Thom. editum; vbi inter alia hanc de maculato B. Virginis conceptu sen-
Alenſ. tentiam retractauit. Idem præstitere Alensis, &
Bonauent. D.Bonauent. Ille speciali tractatu: Hic in serm. 2. de B. Virgine, vt author est Trejo Episcopus Cartag. in sua legatione orat. 9. num. 53.

CERTAMEN XIV.

Itur obuiam rationibus aliquibus, quæ retardare aliquo modo poterant definitionem Piæ sententiæ.

365. NVllum non mouent lapidem Aduersarij; ne Pia sententia inter constantes fidei veritates adnumeretur. Opponunt igitur primo. Quod Synodus Basileensis, ac Tridentina post acerrimos huius controuersiæ conflictus, definitinam illius sententiam cohibuerunt maturè inspectis omnibus fundamentis, quibus innititur Pia immaculati conceptus Virginei sententia, ergo vana omnino est spes, quæ adhuc futuram ipsius definitionem præstolatur. Sed futile, inerme prorsus, & inualidum hoc esse argumentum sic ostendo. Primo quia Concilium Basileense ideirco hanc controuersiam suspensam reliquit; nimirum quod Doctores aliqui omni brachio, omnique conatu obstiterunt, ne Concilium ad definitionem piæ sententiæ pergeret; cuius veritatis historiam, pronum est decerpere ab Æneа Syluio, qui postea ad summum Pontificatum sub Pij II. nomine assumptus fuit: in commentariis de gestis Concilij Basileensis, lib. 1. Ex quo simul edisces, nullam Bandello fidem esse faciendam libr. de singulari prærogatiua Conceptionis cap. 10. neque Petro de Vincentia; cum fabulantur Abbatem Panormitanum ab Aragonum Rege missum, vt astu, ac fraude decretum pro sententia Pia à Concilij Patribus extorqueret.

Deinde Concilium Tridentinum, non ex eo à determinatione Piæ sententiæ abstinuit, quod existimaret fundamenta oppositæ sententiæ huic determinationi obstare, vel quod plutibus attrib. oppositū sentientibus officere posse crederet qui enim plura sanctorum testimonia in libellum supplicem congessit pro opinione minus pia, fuit Episcopus de Bertinoro, quæ testimonia à Caietano, & Bandello decerpsit, qui deprauatis exemplaribus vsi sunt, vt alibi monemus. Ex eo ergo Tridentina Synodus se ab hac Piæ sententiæ determinatione cohibuit, quia Imperator Ferdinandus ad sedandas hæreticorum Germanorum, & coercendas seditiones instanter vrgebat, vt illæ solum disputationes exagitarentur, quarum dissidium erat cum Hæreticis; aliis quæ salua fide inter Catholicos profligabantur in opportunius tempus dilatis: qua de re Imperator per frequentes literas certiorem Pontificem fecerat. Quare Legati per Pontificem moniti Concilij Patres admonent, vt solum de his sermo instituеretur, quæ hæreticorum audaciam perfringere possent, & exortas hæreses radicitus conuellerent: quo igitur tempore plures Concilij Patres hanc de Conceptione controuersiam dirimi exposcunt; Cardinales Legati finem Concilij indicunt, ac proinde incœpta de Conceptione disceptatio, cuius vltima definitio in votis plurium Patrum inerat, vlterius progredi non valuit: solū in decreto de peccato originali inseruntur verba illa, quæ adstruunt, non esse mentem Concilij B. Virg. sub vniuersalibus sacrorum Codicum locutionibus, quibus iuest sermo de hæreditaria protoparentis noxa, cohiberi; vt constat ex libellis supplicibus Gregorio XIII. exhibitis, vt decretum illud in fauorem sententiæ piæ euulgaret. Hinc expungenda, & omnino abradenda verba illa plusquam temeraria, quæ in prooemio libri Cardinalis Turrecrematæ de veritate Conceptionis, affixa sunt, ac superposita à Bartholomæo Spina immaculati cōceptus Vir-
ginei acerrimo hoste, quæ verba refert Catharinus Spina. Cathar.
in præfatione suorum operum ad Iulium III. Et Patres Concilij Tridentini, quæ sic se habent. *In Concilio Tridentino non fuerunt docti Theologi, sed homines audaces, & vani, qui popularem auram captantes, decretum in fauorem immaculatæ Conceptionis B. Virginis edendum curarunt.*

Sed permittamus Aduersariis, rem hanc in Concilio Tridentino non fuisse decisam, ob rei difficultatem, ob rationum vtriusque partis momenta: malè profectò hinc inferunt: ergo in posterum res hæc haudquaquam definiri poterit. Plurimæ enim extant controuersiæ, de quibus in plerisque Conciliis fuse disceptatum est, quæ tamen labentibus annis decisæ sunt. Cuius rei quamplurima extant exempla, quorum iam in superioribus certaminibus meminimus, quæ euincere possint falsitatis obiectum ab aduersariis propositum.

Insurgunt secundò opinionē piā esse valde nonitiā, & recentem, nam hisce proximis annis ex zelo 367.
solum, & contentione inualere cœpit; vnde licet modo fidelium consensus eat in sententiam piam

eximentem Deiparam ab originali culpa, suspectus
tamen esse debet, vtpote qui nulla antiquitate suf-
fultus sit. Sed immerito causantur Aduersarij de
Suffragia aliqua depromuntur ab antiquitate pro sententia pia. nouitate nostræ sentẽtiæ, cum tot habeat vetustis-
simos patronos, qui passim à Recentioribus allega-
ri solent. Solum hic referam aliqua ab antiquitate
suffragia pro sententia magis pia. Primum sit de-
promptum ex Additionibus Magistri ad libros sen-
tentiarum Parisiis excusis ann. 1543. Desumitur
etiam ex Roberto Ganguino in Historia de Fran-
Robert. Ganguin. corum gestis lib. 9. fol. 185. Vbi ait ann. 1380. con-
tigisse magni nominis Doctorem ad populum pro
suggestu de Virgine Deipara verba facientem, eã-
que originali noxa infectam fuisse affirmasse: hũc
æmolatus alter Rothomagi de eadem re sermonem
instituens: *Ego*, inquit, *nisi palam ostendero Christi
Matrem paterna origi[illegible] labem dum conciperetur,
contraxisse, Huetus appellare non recuso* (est enim
apud Gallos vox probrosa & ridicula.) eam ob rem
moris fuit apud illos, vt illius instituti homines
Hueti a pueris passim appellitarentur. Cuius facti
veritate mature discussa coram Innocentio VII.
id exinde exposcente Parisiensi Academia, cogitur
Doctor ille Parisios redire, & quæ aduersus imma-
culatum B. Virginis Conceptum temerario ausu ia-
ctauerat retractare compellitur. En plusquam 260.
retro annis iam suffragium ex ore infantium, & la-
ctentium, subscribentibus magnis Doctoribus Pa-
risiensibus pro pia sententia profertur.

Eiusdem antiquitatis Episcopi, Proceres, ac
368. sapientes per vniuersam Galliam eidem piæ sen-
tentiæ suffragati sunt, vt author est VValsinga-
VValsing. mus Anglicanus Monachus Benedictinus in sua
Historia Anglicana ann. 1380. Vbi refert apud
Francos eò proteruiæ deuenisse quosdam acerrime
pro minus pia sententia dimicantes, vt Episcopis
huius rei silentium indicentibus propter exorta
scandala, acquiescere renuerint; imo nec Regi ipsi
id præcipienti paruerint: quocirca ab Ipso rege
interdictum fuit eis, ne per vicos, & ciuitatis com-
pita circumirent, vt eis moris erat; ne plebeculam,
& indoctum vulgus seducerent: ideo compulsi sunt
intra domiciliorum suorum septa contineri, ac
de labore manuum victum, ac vestitum quærere;
inhibitio enim Regis vrgebat, ne egredi extra præ-
sumerent sub capitali pœna.

In eiusdem rei confirmationem aduocare libet
369. Trithemium in Chronico Sponpheimensi sub an-
Trithem. no 1494. Vbi quid sibi contigerit cum quodam
aduersariæ partis Doctore, retulit per hæc verba:
*In capite 7. de Conceptione purissima Dei Genitri-
cis mentionem feci; cuius occasione surrexit quidam
homo satis Doctus, sed nimium temerarius, & super-
bus; opus quantum ad puritatem Conceptionis per-
tinet impugnare voluit &c. Ortum est grande litera-
rium bellum inter eos, quod ferme per biennium dura-
uit; mox enim aduersus VVigandum plures Viri Do-
ctissimi defensores Marianæ puritatis metro scripse-
runt, & prosa, librum Trithemij, & sensus eius de
Conceptione purissima defensantes. Biennio tandem
elapso concordia inter Trithemium, & VVigandum
facta est per Rectorem Vniuersitatis Coloniensis, &
alios sacræ Theologiæ Doctores, ita vt VVigandus opi-
nionem suam contrariam purissimæ Conceptioni Ma-
riæ, & opusculo Trithemij abiuraret, veniamque teme-
ritatis suæ petere ab ipso Trithemio compulsus fuit.
Nihilominus quidam regulares postea in curia Ro-
mana sub Alexandro 6. contra Trithemium impetra-
re, ac laborare subdolè conati sunt, sed nihil profece-
runt: Habebat enim Abbas Trithemius sibi constan-
tissime adhærentes Vniuersitatem Parisiensem, Colo-
niensem, Tubingensem, totumque Ordinem Carmeli-
tarum, Ordinem Minorum, sacrosanctæ Ecclesiæ ma-
iorem cœtum Cardinalium, Archiepiscopos; Episco-
pos, & Principes multos, & pene omnem in Germania
Clerum, ac viros doctos, & eruditos innumerabiles.*
Hucusque Trithemius; vt videas suffragium vni-
uersæ Germaniæ iam ante 140. annos, latum pro
immaculato Deiparæ conceptu. Perperam ergo au-
deat quispiam, piam sententiam, nouam ac recen-
tem appellitare, inter sartorum, ac sutorum impe-
ritum vulgus natam, & educatam; cum constet plu-
ribus ab hinc annis communi Cardinalium plausu,
Procerum, Principum, ac eruditorum hominum
fuisse acerrime propugnatam, Authore Trithemio.
Huc reuocare placuit, quæ Delrius noster affert
lib. 4. disq. mag. cap. 1. q. 3. sect. 4. ex Continuatore Delrius.
Chronici Eusebij fol. 157. ex Surio etiam sub ann.
159. Hoc igitur anno apud Bernates in Heluetiis
quidam inconsulto admodum, ac temerario ausu
B. Virginis immaculatum Conceptum oppugna-
bant, imo commentitiis quibusdam miraculis, suã
apud indoctam plebeculam, opinionem tuebantur,
vsi quodam simplici, ac rudi homine, qui rem to-
tam detexit, nunquam enim Deus illatas Matri suæ
offensas inultas sinit abire. Bernates ergo vltores
egregij cõmentorum, quæ in conceptum Deiparæ
immaculatum iam in vulgus prodierant, Lausa-
nensem Episcopum conueniunt, & vrgent, vt in
eos inquisitio fieret, & animaduerteret: veritate
igitur comperta, detectisque eorum fictitiis mira-
culis, quatuor ex illis Primarij, degradati primum,
postmodum in rogum coniecti fuerunt.

Quartò alij obiectare non desinunt: quoniam
non decet controuersiam de Conceptione Deiparæ 370.
in fauorem piæ sententiæ decidi; quod sæculares
Principes eam definitionem à Romanis Pontifici-
bus ardentĩ studio flagitauerint; at præcauendum
in posterum, ne Hæretici Nouatores ansam nan-
ciscantur ad oblatrandum aduersus Apostolicam
sedem, quasi à Principum potentia compulsi Ponti-
fices, nouos articulos inter fidei decreta reponere
cogantur. Sed nihil referre arbitramur, licet fren-
deant, ac fremant hæretici Centuriatores, rumpan-
tur & Nouatores: quid enim obstare potest, quod
subsannent, ac debacchentur homines peruicaces,
ac nebulones assueti iam Dei Ecclesiam canino ar-
rodere dente, fideique dogmata pedibus proculca-
re, venenatumque sibilum vomere in sanctissima
quæque summorum Pontificum decreta, furunt,
ac torquentur æternum duraturis flammis destina-
ti homines. Quid ergo ob eiusmodi canum latra-
tus Dei Ecclesia à definitione immaculati conce-
ptus Virginei deterrebitur? Absit. Quod vero viri
Primates, ac Principes ex sæcularibus aliquando
omni conatu à Romano Pontifice aliquid ex rebus
controuersis, tanquam de fide sanciatur, impetrare
satagunt; præcipue cum in Dei honorem, cultum-
ve, siue etiam Deiparæ, siue aliorum sanctorum ce-
dit; nihil mirum alicui videri debet, qui catholice
sapiat, hæc enim percrebuit consuetudo in Dei Ec-
clesia à primis eiusdem natalibus. Consulenda acta
Concilij Romani sub Syluestr. c. 1. Vbi videbis Re-
ges, & Imperatores ad tollenda schismata, & sedan-
das populorum seditiones enixe deposcere à Roma-
no Pontifice, vt ad definitionẽ alicuius cõtrouersię,
vel Cõcilium cogat, vel ipse è Cathedra rẽ decidat.

Quinto argumẽtantur ratione desumpta ex sup-
plici libello Eminentissimis Cardinalib. exhibito 371.
ante Gregorij XV. decreti euulgationem in fauo-

rem

reta Immaculati Conceptus Virginei. Derogaret, inquit libellus supplex, integritati, & sinceritati doctrinæ S. Thomæ toties a Sede Apostolica commendatæ, & à sanctis Apostolis Petro, & Paulo, tum & ab ipsa Virgine Deipara, ipsiusque Filio approbatæ, quisquis enim audacter protulerit S. Thomam, propositionem aliquam erroneam sustinuisse, idem consequenti illatione de B. Paulo prolaturum præsumendus est; atque adeò tanquam vehementer de hæresi suspectus puniendus est. Ideo addunt ipsi Innocentium VI. in sermone de laudibus D. Thomæ, cuius initium; *Plusquam Salomon hic.* affirmasse, impugnatores D. Thomæ esse de veritate suspectos. Hæc summa est argumenti illius supplicis libelli. Cuius argumenti vis omnis in superioribus Certaminibus à nobis penitus infracta est. Nunc aliquid addam: & quidem nemo vel mediocris Theologus adduci poterit, vt credat, quantumuis doctrinæ sancti Thomæ addictissimus, in ipsiusque verba iuratus Doctor; videlicet maiorem fidem adhiberi voluisse summos Pontifices scriptis Angelici Doctoris, quam Chrysostomi, Ambrosij, Augustini, & aliorum quorum scripta Romana Sedes dilaudat, & approbat & tamen authore S. Thoma, in horum Sanctorum libris, nonnulla repulit Ecclesia. Quod autem de apparitione Sanctorum Apostolorum, & de aliis reuelationibus additur, non ita sunt intelligendæ, vt quidquid reperitur in omnibus paginis, ac lineis, ita verum sit, vt nequeat subesse falso; alioquin quidquid tradidit S. Thom. esset Scriptura Canonica, quod nullus dicet. Illud autem Assertum, videlicet esse suspectū de hæresi eum, qui in controuersiis arbitrariis D. Thomam non affectetur, falsum omnino est, vtpote indultis plurium summorū Pontificum oppositum; quibus in pluribus Academiis assignantur horæ pro Scoti Cathedra, Durandi, Bonauenturæ, & Nominalium. Præterea refert Ludouicus Manganellis, reuelationem factam S. Amadæo pro Scoti doctrina; quæ sic se habet: *Angelus eruditus Amadeum, ait ipse Amadaus, de Sacramento Altaris monuit, vt in eius difficultatibus cum Scoti doctrina consuleret, dicens: sentias de ipso secundum modum, quem scripsit vnus Doctor Ordinis tui, qui est plenus sanctitate, quia primus gladium exemit pro immaculata Conceptione.* Ad hæc, testimonium illud Innocentij VI. quo dicuntur Impugnatores S. Thomæ esse de veritate suspecti, nusquam apparet; ac proinde tanquam commentitium repellendum. Anne de veritate doctrinæ suspecti dicūtur Nominales, Scotistæ, & Bonauenturæ, & Durandi sectatores, quorum doctrina à Sede Apostolica cum pluribus Academiis approbata fuit, & elogiis aucta.

Amadæus.

372. Instant vltimo aduersariæ factionis propugnatores: Querebantur igitur antequam Greg. XV. indultum in fauorem piæ sententiæ lucem videret; nimirum quia Decretum Pauli V. silentium præcipiens opinioni minus piæ, prorogari non debere ad priuata colloquia, quia vtraque opinio est probabilis: ergo si alteri tantum silentium indiceretur, occludebatur ostium Spiritui sancto, ne per Doctores loquentes in communi, siue in particulari, veritatem detegeret. Respondeo fateri esse iam per Doctores, pluraque rationum momenta veritatem exploratam: vnde merito sanctitas Gregorij XV. silentium illud indictum à Paulo V. ad actus singulos externos ampliauit. Nec vllo modo fieri potest, vt minus pia sententia inter fidei articulos statuatur: siquidem hæc Assertio: *Heresis est affirmare, Dei Genitricem Mariam non fuisse in originali Conceptam.* non solum à Sixto IV. repulsam passa est in Extrauaganti *Graue nimis*; sed etiam tanquam erronea, & a veritate penitus aliena innista fuit: ergo hæc propositio: *Maria Virgo fuit in originali Concepta*: nullo modo tanquam de fide sanciri potest. Fieret enim inde, propositionem, quæ à Sede Apostolica, tanquam erronea damnata fuit, & falsa, omnino esse veram. Bene enim, ac legitimè quiuis inferre posset: hæc propositio est de fide: *B. Virgo fuit in originali peccato concepta*: ergo hæc alia esset hæretica: *B. Virgo fuit sine peccato originali concepta*: ac proinde propositio à Sede Apostolica, tanquam falsa, & erronea damnata, iam esset vera, quod dici non potest sine magno Sedis Apostolicæ authoritatis præiudicio. Iure ergo optimo silentium indictum minus piæ sententiæ, cum nullum possit esse periculum in sustinenda, & propugnanda sententia pia, nullum etiam periculum adsit errandi, siue falsum proferendi.

CERTAMEN XV.

Vtrum liceat impugnare opinionem minus piam in publicis concionibus, ac scriptis editis in Lucem.

373. PLacuit hic prius subiicere clausulam, qua Gregorius XV. ampliauit Constitutionem Pauli V. in fauorem piæ opinionis. Postea integrum eiusdem Gregorij Diploma in fauorem Patrum Prædicatorum S. Dominici subiiciemus. Clausula amplians sic se habet: *Mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica definitus, & per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum; neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis, audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali; nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere, seu tractare, exceptis tamen quibus à Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultū.* Diploma autē pro Patribus Dominicanis sic se habet. Gregor. XV. ad futuram rei memoriam. Eximij, ac singulares fructus, quos dilecti Fratres Ordinis Prædicatorum in militanti Ecclesia, cuius regimini, diuina disponente Clementia, præsidemus, attulerunt, & in dies afferunt, promerentur, vt eosdem Fratres specialibus fauoribus, & gratiis, quantum cum Domino possumus, libenter prosequamur. Aliàs siquidem felicis recordationis Paulus Papa V. Prædecessor noster, post longam, & maturam discussionem, auditis votis Venerabilium Fratrum nostrorum, tunc suorum, S.R.E. Cardinalium, contra hæreticam prauitatem Generalium Inquisitorum, re accuratè, ac diligenter perpensa, prouide considerans, quod quamuis in Constitutione fælic. recordationis Sixti Papæ IV. etiam Prædecessoris nostri, super Conceptione B. Virginis Mariæ, pro submouendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita, à sancta Tridentina Synodo innouata; & deinde in alia Constitutione sanctæ memoriæ Pij Papæ V. similiter Prædecessoris nostri super eadem re, quas idem Paulus Prædecessor innouauit cum quibusdā prouisionibus, & adiectionibus pœnarum, pro efficaciori etiam obseruatione earum; relinquebatur vnicuique libera facultas tuendi, & etiam asserendi vtramque partē, quod scilicet

Greg. XV.

scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, dum tamen neutra, veluti erronea, & hæretica damnaretur. Nihilominus ex occasione Assertionis affirmatiuæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriebantur in populo Christiano cum magna Dei offensa scandala, iurgia, & dissensiones. Propterea volens eiusmodi scandalis ex debito sui muneris prouidere; decreuit, & præcepit omnibus, & singulis cuiusuis Ordinis, & instituti Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus personis, cuiusuis conditionis, status, gradus, ordinis, aut dignitatis tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, etiamsi specialis, specifica, & indiuidua earum esset necessariò mentio facienda; vt in posterum donec articulus huiusmodi à Sancta Sede Apostolica fuerit definitus, vel per eundem Paulum Prædecessorem, & Sedem Apostolicam fuisset aliter ordinatum: non audeant in publicis Concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis quibuscumque actibus publicis asserere quod eadem B. Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Contra facientes autem dictus Paulus Prædecessor voluit, & declarauit subiacere debere; & subiecit censuris, & pœnis contentis in supradictis Cōstitutionibus suorum Prædecessorum, & sua, ipso facto incurrendis. Per huiusmodi tamē prouisionē idem Paulus Prædecessor non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus tunc reperiebatur, præterquam quoad supra dispositā. Vlterius sub eisdem censuris, & pœnis mandauit quod negatiuā opinionē, videlicet quod non fuerit concepta cū peccato originali in præfatis publicis actibus asserentes; Aliam Opinionem non impugnarent, nec de ea aliquo modo tractarent seu agerent. Insuper voluit, & expressè mandauit, vt extra hos casus expressos publicorum actuum, in reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ & illæsæ remaneant, & exactè obseruentur, perinde ac si Decretum huiusmodi non emanasset. Nuper verò Nos sub die 24. Maij 1622. in Generali Congregatione sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico in mōte Quirinali coram Nobis, & Cardinalibus præfatis, ex eisdem causis vitandi scandala, dissentiones, atque discordias in populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & vt accepimus, in aliquibus regionibus iam ortæ sunt ex sermonibus priuatis occasione Assertionis affirmatiuæ, supradictum Pauli Prædecessoris decretum extendimus, & ampliauimus etiam ad priuata colloquia, & scripta; Mandantes, & præcipientes omnibus, & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus huiusmodi à Sede Apostolica fuerit definitus, vel aliter ordinatū, neque etiam in sermonibus & scriptis priuatis audeant asserere quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmatiua aliquo modo agere seu tractare, exceptis tamen quibus à sancta sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen non intendimus reprobare hanc opinionem, nec ei vllum prorsus præiudicium inferre, eam relinquentes in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præterquam quoad in supradicto Pauli Prædecessoris decreto disposita. Voluimusque, & expressè mandauimus, vt in reliquis omnibus, vbi huiusmodi decretis non aduersantur, Constitutiones Sixti, & Pij, & Pauli præfatorum, necnon Alexandri Papæ VI. prædecessorum nostrorum super Cōceptione Beatissimæ Virginis Mariæ firmæ, & illibatæ remaneant; ac exactè obseruentur, perinde ac si huiusmodi decretum non emanasset. Et insuper cum sancta Romana Ecclesia de Beatissimæ, & intemeratæ Virginis Mariæ Conceptione festum solemniter, & officium celebret, omnibus, & singulis personis Ecclesiasticis tam sæcularibus, quam cuiusu' Ordinis, & instituti Regularibus, Mandamus, ac præcipimus, vt in Sacrosancto Missæ sacrificio, ac diuino officio celebrandis, tam publicè, quam priuatim, non alio quàm Conceptionis nōmine vti debeant. Contrauenientes autem voluimus, & declarauimus subiacere debere, & subiecimus censuris, & pœnis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato Decreto nostrorum Prædecessorum, ipso facto incurrendis. Et ita decreuimus, & mandauimus vbique inuiolabiliter obseruari. Non obstantibus in hac parte Constitutionibus supradictis, Decreto præfato Pauli Prædecessoris, consuetudinibus immemorabilibus, nec non omnibus, & singulis, quæ Prædecessores præfati voluerunt non obstare, & aliis quibuscumque in contrarium facientibus. Volentes & decernentes pro obseruatione, & executione nostri huiusmodi Decreti, & omnium in eo cōtentorum, quod contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares cuiusuis Ordinis, & instituti, etiam quomodolibet exemptos; & alias quascumque Ecclesiasticas, & sæculares personas, cuiuscumque status, conditionis, gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, tam Episcopi, & Prælati superiores, aliique Ordinarij locorum, quam hæreticæ prauitatis vbique locorum, Deputati Inquisitores procedant, & in eos seuere animaduertant; Tribuentes eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & authoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi. Nunc autem Nos eosdem Fratres Ordinis Prædicatorum, quos in visceribus gerimus charitatis, specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes: Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris omnibus, & singulis dicti Ordinis Prædicatorum Fratribus, vt de cætero in quibuscunque priuatis eorum colloquiis, siue conferentiis, inter se dumtaxat, & non inter alios, aut cum aliis de materia eiusdem Conceptionis Beatissimæ Mariæ Virginis disserere, & tractare, absque vllo pœnarum in dictis Decretis contentarum incursu, liberè & licitè possint, & valeant, Apostolica authoritate tenore præsentium licentiam concedimus, & Impartimur. Decernentes Fratres præfatos à quoquam, quauis authoritate desuper molestari, perturbari, aut inquietari nullatenus posse, aut debere: sicque & non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, vbique iudicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his à quoquam, quauis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus singulis præmissis, ac Constitutionibus, & Ordina-

tionibus

„ tionibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 28. Iulij an. 1622. Pontificatus nostri anno 2.

Occasione igitur nacta ex verbis illis Greg. XV. tum in Constitutione in fauorem immaculatæ Conceptionis, tum in proximè allata in fauorem Patrum Prædicatorum edita, quæ sic se habent: *Vlterius sub eisdem censuris, & pœnis mandamus, quod negatiuam opinionem, videlicet quod non fuerit Concepta cum peccato originali; in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent.* Vestigari potest, an possit quilibet impugnare opinionem maculantem Conceptum B. Virginis originali labe, productis in oppositum argumentis, ac rationibus, ad firmandam magis piam veritatem, expugnandamque contrariam? Quam quæstionem duplici Asserto sic dirimo.

374. *Scripta, & Libri ex professo impugnantes sententiam minus piam non interdicuntur per Greg. XV. diploma.*

Assero ergo primo per illa verba Gregorij XV. haudquaquam interdici scripta, & euulgatos libros, qui ex professo impugnant opinionem minus piam validissimis rationibus, ipsiusque opposita fundamenta conuellant. Ratio est quia id vsu, & consuetudine inualuit, id vidente, & consentiente summo Pontifice. Tum quia. Decretum Gregor. XV. & Pauli V. solum vetat impugnationem sententiæ minus piæ in publicis concionibus, lectionibus, & aliis quibuscunque actibus publicis; sed disceptatio, quæ per Scripturam fit, & instituitur, non est publica concio, non lectio, nec literaria Palæstra, siue actus publicus, ergo disceptatio scripta, siue prælo mandata, interdicta non est. Confirmatur, quia actus publicus res est cito transiens, Libri autem, & scripta diu permanent: actus ergo actionem innuit, non illius permanentiam, vel aliquem perseuerantem, & consistentem effectum. Actio autem scribendi non est actus publicus, fit enim inter priuatos parietes, ac proinde verbis illis interdicta non est.

375. *Sententia magis pia potest in concionibus, & lectionibus publicis edoceri, ac rationibus stabiliri.*

Assero secundo, licere in concionibus, & lectionibus publicis piam opinionem proponere, & edocere, ac rationibus confirmare, & fundamentis stabilire directè, ac per se; oppositam autem sententiam non licere directè, & ex instituto oppugnare, ac refellere. Probatur, nam Gregor. XV. innouat, & confirmat Extrauagantem illam, quæ incipit, *Super speculam* à Pio V. editam, quæ non prohibet opinionem piam rationibus fulcire, sed ea solum ratione, vt argumentis opinio minus pia directè impugnetur, & ex instituto refellatur, quod solum intendit Pontifex coniunctiua illa clausula: *Rationibus, & Doctorum authoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, & impugnando.* Tum & ex illa Pauli V. *Aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent.* Disputatio ergo, siue congressus ille hic interdicitur, qui institui solet adductis argumentis in propriæ sententiæ Confirmationem, & in oppositæ refutationem, cuius argumenta soluuntur. Theologus ergo, seu Concionator, qui siue in lectionibus publicis, siue ad populum verba faciens stabilit rationibus opinionem piam, nihil agens de opposita directè, licet indirectè, & implicite illam refellat, immunis erit à pœnis, & censuris per Pontifices præfatos latis. Imo nonnulli arbitrantur, neque illos incurrere has censuras, qui tacito Doctorum oppositæ sententiæ nomine dissoluunt argumenta, hac loquendi formula: si vero alicui in mentem veniat: vel si menti vestræ offeratur &c. Quia sub his verbis non continetur disputationis forma, hæc enim petit sententiarum collationem, vt patet apud Marcell. in leg. 1. Accusat. ff. ad Senatus cōsult. Turpill. Vlpian. in l. 1. §. Quæsitum est. ff. Quod Legator. Video etiam passim id fieri à Doctoribus, & Concionatoribus timoratæ conscientiæ, nullo contradicente, imo annuente, & approbante doctissimorum hominum suffragio.

Paul. V. Non licet sententiam minus piam directè, & ex instituto oppugnare, & refellere in lectionibus, & concionibus publicis.

Marcell. *Vlpian.*

Solum obstare possent dictis verba Pij V. in Motu proprio relato; *Super specula*, vbi hæc apponuntur verba: *Per Apostolica scripta mandamus, quatenus nemo popularibus concionibus, vel vbicunque promiscua virorum, & mulierum multitudo conuenire solet, de huius controuersia alterutra parte disputare rationibus, vel Doctorum authoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione vniusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat.* Et subiicit pœnas suspensionis, priuationis dignitatum, & inhabilitatis ad illas obtinendas. Circa quæ verba animaduertendum est cum Granado de Concep. disp. 3. c. 33. nomen illud, *Disputatio*, in propria, & stricta significatione accipi oportere, videlicet vt significat concertationem, aut pugnam intellectus. In concionibus ergo, vel in cœtu virorum, ac mulierum interdicitur controuersia Conceptionis, ita vt vtraque sententia proferatur, & vtriusque sententiæ argumenta, ac solutiones partis aduersariæ proponantur: nullatenus autem interdicitur explicatio sententiæ piæ, eiusdemque Confirmatio, productis authoritatis argumentis, ac rationum momentis, quibus eadem veritas constabiliri possit; imo nec ibi prohiberi arbitror simplex principiorum propositio, ex quibus quilibet partis aduersariæ rationes conuellere facile queat. Cui explicationi valde subsidiatur Caiet. 2. 2. q. 10. ar. 7. vbi ait, disputationem formaliter acceptam sitam esse in argumentorum vtriusque sententiæ productione: Quocirca dum Canones prohibent fidelibus, ne cum infidelibus, aut coram illis disputationes, & controuersias ineant, id solum interdicitur. Quam doctrinam approbant Gregor. de Valent. Lorca, Ledesma. Sanchez in summa lib. 2. cap. 6. n. 9. 376.

Pius V. *Granado.* *Caiet.* *Valent.* *Sanchez.*

Huic explicandi modo subscribit Paulus Comitolus lib. 6. resp. mor. q. 40. referens nobilem quendam Concionatorem in ciuitate Perusina, sententiam magis piam, productis argumentis, in maximo hominum confluxu è suggestu laudibus extulisse; insuper subdocuisse qua ratione aduersariæ partis argumenta elidi possent: ob quæ mox eius nomen delatum fuit, vtpotè qui præfatis verbis Motus proprij Pij V. non paruisset. Res vtrinque exagitata fuit, ac demum in consessu plurium Theologorum, quorum vnus aderat Comitolus, quæstio decisa fuit; maior enim suffragiorum pars sententiam Comitoli secuta fuit, videlicet præfatum Concionatorem, nec pœnas Motus proprij Pij V. incurrisse, nec præceptum verbis illis relatis contentum perfregisse. Siquidem verba illa Motus Pij V. non quamlibet disputationem vetant, sed solum eam, quæ & confirmet sententiam asserentem B. Virginem fuisse à noxa originaria immunem; & oppositam sententiam directè, & ex instituto refellat. Ac proinde in alterutram partem de hac controuersia disceptare, atque disserere præfata verba non prohibent; bene tamen interdicunt disputationem confirmantem, & sta- 377.

Comitol. lib. 6.

 bilien

bilientem alteram senteotiam argumentis, ac rationibus, & aduersariam refellentem, & infirmantem Atqui prædictus Concionator sententiam, quæ eximit B. Virginem à peccato originali, rationibus, ac testimoniis Doctorum productis stabiliuit; illis vero vsus non est ad oppositam sententiam refellendam, & impugnandam, ergo præceptum contentum verbis illis Pij V. non perfregit.

378. Instabis fieri non posse, vt quis Patrum sententiis, ac rationibus confirmet B. Virginem sine prima Protoparentis labe fuisse Conceptam, quin oppositam sententiam oppugnet. Respondeo ita esse, vt in Confirmatione alterius partis, quasi esse imbibitam oppositæ partis confutationem; verum verba Pij V. requirunt vt rationes probandi, & refellendi sint diuersæ, nam confirmatio, & probatio alicuius sententiæ distincta omnino est a refutatione sententiæ oppositæ. Quare ille proprie refellere, seu refutare dicendus non est, qui aduersariæ sententiæ rationes, & argumenta subticet, & dissimulat, aut non recensendo dissoluit; quod vsus, & consuetudo optima legum Interpres confirmat; quotidie enim Concionatores de illibata magnæ Matris Conceptione disserentes, argumentis à Patrum, ac Doctorum testimoniis: tum à ratione depromptis audimus coram fidei Iudicibus, quin præiudicium aliquod Constitutioni Pij V. inferator: & ita prædictus Concionator ex Doctorum illorum consessu, non solum liber, verum & laudibus, ac plausibus exceptus euasit.

379. Pius V. Granado. Rursus expendenda sunt verba illa Motus proprij Pij V. *Vbi promiscua multitudo virorum, aut mulierum conuenire solet.* Vnde arbitror cum Granado cit. duas aut tres mulieres, totidemque viros non sufficere, vt non liceat de negotio Conceptionis disputationem inire; cum id non sufficiat ad multitudinem: cum ergo verba illa sint pœnalia restringenda potius, quam amplianda sunt. Nec item sufficeret solum mulierum confluxus, vel virorum solum, vt coram illis non liceat hac de re disceptare; quia solum Pontifex prohibet disputationem in eo loco, vbi confluere solet promiscua virorum, aut mulierum multitudo; nec video cur virorum solum concursus non sufficeret, vt non liceat coram illis disputare hac de re; sufficiat autem mulierum solum affluxus, cum verba Pontificis de vtrisque eodem modo loquantur. Posset autem in hac re, sicut in reliquis materiis, materiæ paruitas reperiri: vnde si quispiam vnum argumentum aduersariæ sententiæ adduceret, ac refelleret; arbitror grauiter eum non delicturum aduersus verba præfati Motus proprij Pij V. Addiderim, communem Iurisperitorum, ac Theologorum Salmanticensium, & Complutensium senteotiam fuisse, Motum proprium præfatum Pij V. quoad ea, quæ addit super Extrauagantes Sixti IV. circa prohibitionem supradictam, vsu non fuisse Rodriq. receptum: Vnde Rodriquez tom. 1. qq. reg. q. 57. art. 2. verba faciens de hoc motu proprio Pij V. ait *Notandum est non esse in vsu, quoad pœnas impositas illis, qui in popularibus concionibus, vel turba populi disputant de hac immaculata Conceptione. Nec etiam est in vsu quoad pœnas impositas illis, qui vulgari sermone de ea scribunt afferendo propriam sententiam, & contrariam refellendo.*

380. Demum per verba illa in Breui addita: *Vel de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat.* Solum illa scriptio, seu dictatio interdicitur, quæ fit adhibita disceptatione, siue mentis pugna, ea ratione, qua paulo ante explicuimus. Quare si scriptis mandentur, vel prælo committantur Libri Concionum, vel discursus, siue tractatus patrio sermone, qui opioionē piam directa solum, & ex instituto fulciant, sicut nuper dicebamus licere Concionatoribus fidelibus pro rostris eandem proponere, & edocere, nihil contra verba præfata delinquetur, licet essent in viridi obseruantia. Cuivis ergo licitum, ac sanctum, ac valde pium, & eidem B. Virgini pergratum erit patrio idiomate libros cudere, qui immaculatam, & omnis labis prorsus immunem Conceptionem Deiparæ fulciant, nouarumque rationum momenta producant, Patrum testimonia, ac Sacrarum Paginarum loca afferant, vt eandem sententiam nouitus firment; dum modo propria, & formalis disputatio handquaquam interseratur; hæc enim sola, vt monui, verbis illis à Pio V. prohibetur.

CERTAMEN XVI.

Ad examen vocantur habitæ de immaculato B. Virginis Conceptu Reuelationes, & de Miraculis eandem veritatem contestantibus.

Qvam circunspecte, ac cautè, & quidem non sine magno delectu, ac longo præuio examine, maturaque præmissa discussiboe, admittendæ sint priuatæ Reuelationes; vel ex eo facilè perspici potest, quod non semel Angelus Satanæ animarum impostor, & hostis, in Angelum Lucis se transferat, vt animas deludat; & sub specie alicuios veræ reuelationis, falsas subministret phantasias, ac vera deliramenta propinet. Non igitur omni spiritui fidendum; nec tamen ideo omnes reuelationes statim explodendæ; nec facilè illis fides adhibenda, qnio maturum consilium præeat, ac diligens examen, tum personarum, quibus reuelatio fit; oportet etiam expendere, vtrum à sacræ Scripturæ sensu deuiet, vel ab his, quæ ab Ecclesia, & in vniuersum à Doctoribus recepta sunt, deflectat. 381.

Varias de immaculato Beatæ Virginis Conceptu Reuelationes, quæ vulgo circunferuntur, nunc missas facio; qualis est illa, de qua Bernardus epist. 174. meminit, dum ait: *Sed profertur scriptum superna, vt aiunt, reuelationis. Quasi & quiuis non queat scriptum æquè producere, in quo Virgo videatur idipsum mandare, & de parentibus suis, iuxta Domini mandatum, dicentis. Honora Patrem tuum, & Matrem tuam; ipse mihi facile persuadeo scriptis talibus non moueri, quibus nec ratio suppeditare, nec certa inuenitur fauere authoritas.* In Officio etiam Conceptionis à Sixto IV. approbato, frequentius miracula, ac reuelatiooes sententiam magis piam confirmantes referuntur. His & aliis prætermissis, veniam ad celeberrimam orbe toto reuelationem factam non semel sanctæ Brigittæ viduæ, videlicet lib. 1. Reuelat. c. 9. & lib. 6. c. 45. & 55. & sermone Angelico c. 20. Prædixerat ergo in longum tempus protrahendam disceptationem hanc, definito tamen tempore decidendam docet Conceptis his verbis: *Scito, loquitur Virgo Deipara, quod Conceptio mea non omnibus nota fuit, quia voluit Deus, quod sicut ante legem scriptam, præcessit lex naturalis, & electio voluntaria boni & mali, & postea venires lex scripta, quæ cohiberet omnes*

Bern. Brigitta.

nes inordinatos motus: sic placuit Deo, quod amici sui pie dubitarent de Conceptione mea, & quilibet ostenderet zelum suum, donec veritas clarosceret tempore ordinato.

Caiet. Antonin.

382. Oppoount autem Caietan.tom.2.opusc.tract.1. cap.5. §. *Noua autem reuelationes.* S.Antonio.2.p. sum. Theologiæ tit.8.c.2. has nouas reuelationes, vtpotè contra Scripturam sacram, & Patres, phantasias, & figmenta potius dicenda: quibus reuelationibus alias ipsi opponunt oppositas, quarum vnam factam fuisse aiunt S. Catharinæ Senensi: & subiungit Caietanus huius sanctæ testimonium præstare testimonio S. Brigittæ; illa enim legitimè in sanctorum album adscripta fuit, quod de Sancta Brigitta dici non potest; cum à Bonifacio 9. tempore Schismatis, quo oullus certus Papa exstabat, intet sanctos adnumerata fuit. Verum hanc Caietani respoosionem, meritò temeritatis, & impietatis damnat Corduba lib.1. q.44. §. *Sed certè hec onasio.* Quia reuelationes S.Brigittæ iam etant maturo consilio, & deliberatione discussæ, & approbatæ per Greg. XI. Vrbanum 6. & Mattin.V. postea iterum confirmatæ in Bulla Canoonizationis eiusdem S.Brigittæ à Martino V. legitimo Pontifice edita: non ita tamen ab Ecclesia probantur, sicut Prophetarum reuelationes in sacra criptura contentæ; alioquin vt bene monet Vasq. in 3.p. tom.2.disp.117. c.6.num.78. tanquam de fide iouiolabiliter credendæ essent; solum ergo tanquam pietati conformes probaurur, ita vt absque vlla soperstitione, ac mali suspicione prudenter à quolibet fideli suscipi possint. Quocirca eas, figmenta, & muliercularum somnia appellitare, pias fidelium aures offendit: eademque ratione liceret cuilibet, multa alia sanctorum miracula deoegare, eorundemqne reuelationes, quæ nondum ab Ecclesia tanquam fidei dogma recipinntur; quod impietatis speciem præsefert, & maxima ingeneraret scandala. Qua censuræ nota inusserunt Doctores Parisienses illam Erasmi propositionem, quæ sic se habet: *Quod sanctorum Historia, & similes narrationes non sunt magnificandæ, neque ea quæ de eorum miraculis scripta sunt* Quam sic perstringit, & notat Parisiensium censura, vt refert Vasq. citat. *Quod licet non omnia, quæ in Sanctorum vitis leguntur, pari gradu certitudinis amplectenda sint; ipsa tamen propositio, quoad eius primam partem, pias aures offendit, & ad irreuerentiam in sanctos, & contemptum Ecclesiastici officij prouocat, Vvicleffi insania conformis: & si quid in diuinis officiis minus dignum Christiana pietate compertum fuerit, non quorumuis, sed illorum tantum authoritate id corrigendum est, ad quos potissimum spectat; secunda vero pars ex Porphyriano trahitur errore.*

Cordub.

Vasq.

Reuelationes S. Brigittæ absque mali suspicione à fidelibus suscipienda.

Doctores Parisiens.

Cathar. Senen.

383. Reuelationem à S.Catharina Sen. habitam, & oppositam reuelationi S. Brigittæ refert S. Antoninus; & habetur inter orationes ipsius oum.16. quæ incipit Deitas æterna; & sic se habet: *Datum est nobis Verbum æternum per manus Mariæ, & de substantia Mariæ induit naturam absque peccati originalis macula, & hoc quia non hominis, sed Spiritus Sancti inspiratione facta est illa Conceptio. Quod quidem non fuit sic in Maria, quia non processit ex massa Adæ operatione Spiritus Sancti, sed hominis, & quia tota illa massa erat putrida, non poterat nisi in putridam naturam anima illa infundi, nec poterat purgari, nisi per gratiam Spiritus sancti, cuius quidem gratia non est subiectum susceptibile corpus, sed Spiritus rationalis, aut intellectualis; & ideo non poterat Maria à macula ista purgari, nisi postquam anima infusa est corpori: quod quidem sic factum est propter reuerentiam thesauri diuini, qui in illo vase debebat reponi; nam sicut fornax consumit guttam aquæ in modico tempore; sic facit Spiritus sanctus de macula peccati originalis. Nam post Conceptionem eius statim fuit ab illo peccato purgata, & gratia magna data. Tu scis Domine quia ista est veritas.* Hæc nobis ex S.Catharina obiiciunt aduersariæ factionis Propugnatores: cum autem nequeant vllo modo de eadem re haberi diuinæ reuelationes oppositione contradictoria inter se pugnantes, necessum est, vt ex duabus altera suppositititia, ac figmentum sit, & ab impostore spiritu adinuenta, quænam verò à populo Christiaoo tanquam vera, ac pietati conformior sit suspicienda, quænam amandanda procul, paulo fusius nobis discutiendum est, iuxta præfixos a Theologis, & Patribus Canones, ac regulas de dignoscendis reuelationibus, quæ io quatuor præcipuas redigi consueuerunt. Prima, vt reuelatio vera sit, opus est vt cohæreat cum his, quæ in sacris codicibus edocentur, & cum his, quæ Ecclesiasticis Traditionibus communiter ab Ecclesia recepta sunt. Secunda, vt aliquod importent Ecclesiæ emolumentum, ac fidelium profectui, animarumque saluti subseruiant. Tertia, vt mature discutiatur qualitas personæ, cui similes reuelationes contingere solent. Quarta, vt præeant longa examina, & approbationes à viris probatæ virtutis, tum scientia, & doctrina conspicuis; & vt ab Ecclesia recipiantur, & proponantur tanquam veritati, & pietati conformes. Quælibet ergo his circunstantiis vestita reoelatio tanquam vera haberi debet, non ita vt sibi infallibilem certitudinem vendicet, sed moralem præseferat quandam veritatem, ita vt temeritatis notam incurreret, qui illam tanquam falsam ab homioum memoria abolendam assereret.

Quatuor regula proponuntur ad dignoscendas veras reuelationes.

Nunc iuuat ostendere in reuelatione S.Brigittæ pro immaculato B. Virginis Conceptu nullam ex adductis regulis desiderari. In primis enim valde conformem esse pluribus sacrorum voluminum locis fusiori stylo, integrisque voluminibus à Neotericis Doctoribus ostensum est; nullique sacræ Scripturæ textui opponi luculenter tradunt omnes Tridentinæ Syoodi Patres: qua de re præstat audire Cardinalem Ioanoem de Turrecremata c.6. Prologi, cui reuelationum Sanctæ Brigittæ examen demandatum fuit, inquit ergo: *Plane omnes, & singulos articulos, accurato satis studio iuxta vires meas examinaui, & nullum eorum piè, ac modestè intellectum reperi sacræ Scripturæ, aut Sanctorum Patrum sententiis aduersum, sed consonum, ac conformem: satis repuso vnumquemque, & omnes eos, iuxta eorum modestiam, ac piam intelligentiam esse admittendos, & posse legi in Ecclesia sancta Dei.* Et subiungit c.4. *Ex isto signo videtur capi efficax argumentum ad ostendendum, reuelationes B. Brigittæ factas, in his libris contentas à Spiritu Dei processisse, quoniam ipsa conformes esse videntur sacræ Scripturæ, & reuelationibus diuinis.* Iam vero & Traditioni Ecclesiasticæ eiusmodi reuelationem consentire fusius in superioribus Certaminibus disputauimus, & patet ex Galatino lib.7. de arcan. Cath.c.5. Baronio in notis ad Festum Conceptionis in Martyrologio: Lucio Dextro, & Paulo Orosio ad annum 400. qui à D. Iacobo Conceptionis immaculatæ Festum promanasse pronunciant. 384.

Turrecrem.

Quis autem inficias ire possit hanc reuelationem 385.

nem valde ad diuini cul ns augmentum conducere, animarumque profectum adaugere, quæ secunda erat regula reuelationes dignoscendi: siquidem per nouas has reuelationes Ecclesia in dies in doctrina fidei clarius, & plenius instruitur, & informatur; ac plurima, quæ mysteriorum reconditorum tegumentis, aut sub ignorantiæ caligine delitescebant, reserantur; & quæ probabilia sunt cum formidine partis oppositæ habebantur, pulsis tenebris, detecto obscuritatis velo, iam paulatim, nouis rationibus adinuentis, ac reuelationibus nouiter factis, tanquam infallibilia ab Ecclesia suspiciuntur, ac fidelibus proponuntur. Profectui etiam fidelium valde conducunt eiusmodi reuelationes, dum illis proponitur, & commendatur, quod eos in maiorem Dei, ac B. Virginis cultum, ac Religionem vehementer accendit. Cuius rei testes adscisco tot solemnitates votiuas institutas; tot festiuos cultus adauctos nostro sæculo per vniuersas Hispaniæ prouincias, per omnes Europæ ditiones, quibus Religio Catholica quotidie spiritualibus incrementis augescit, cælestium donorum auctibus cumulatur; Religionis, cæterarumque virtutum decoramento circumuestita splendet, Christique fideles feruentissimis amoris in Dei Genitricem affectibus accenduntur. Quod suo suffragio contestatur præfatus Cardinalis Turrecremata c. 1. dum ait Gregor. II. & Vrbanum VI. præuio examine per viros grauissimos, *Comperisse reuelationes omnes S. Brigittæ ad vtilitatem legentium, seu audientium pro saluberrimo fidelium dogmate, in sancta Ecclesia licet in perpetuum cum deuotione, & reuerentia studiosissime esse obseruandas. Quam ob rem plures Principes Romam venientes, & alij suos nuncios mittentes pro libris reuelationum habendis instanter petiuerant.* Et Solitarius Author non contemnendus in epi . ante lib. 8. reuelat. c. 6. pollicetur se ex septem capitibus depromptvrum argumenta, quibus ostendat visiones illas non solum à Deo auditas, verum & Sanctæ huic factas, vt erudirentur, & informarentur Christi fideles, & in virtutis viam dirigerentur, & in commodum, ac profectum totius corporis Ecclesiæ: & quidem stat promissis, ea enim quæ spopondit Theologicè complet.

Solitarius.

386. Iam ad tertiã regulam gradum faciamus, quam in eo sitam esse diximus, videlicet, vt habeatur ratio qualitatis personæ, cui reuelatio facta fuit; & in primis constãtiam, sanctam Brigittam, eo sanctitatis splendore præfulsisse, vt Ecclesia eam in Sanctorum album retulerit: ac simul subiiciamus suffragia probatissimorum virorum eiusmodi reuelationes commendantium; & simul quartum Canonem reuelationes dignoscendi ipsis aptissimè competere ostendemus. Plurium ergo Doctorum morum probitate præstantium, Sapientia ac doctrina clarissimorum, & in rebus asceticis valde strenuorum exstant iudicia, quæ post longas experientias, post discussiones, ac diligentissima examina, quorum meminit Cardinalis Turrecremata cap. 1. cit. contestantur vnanimi voce, prædictas reuelationes Spiritus sancti adflatu fuisse immissas. Subditque Turrecremata, ipsius S. Brigittæ adhuc superstitis rogatu, ac precibus ab Archiepiscopo Vspalensi, & tribus aliis Episcopis, Abbate, & altero Episcopo Giennensi examinatas fuisse, & post maturum consilium, eas non à deceptore spiritu, sed ab Spiritu sancto promanasse, concordi iudicio censuerunt. Præterea anno Domini 1377. post obitum ipsius Sanctæ, Gregor. II. iterum eas reuelationes ad examen vocauit, & discutiendas tradidit doctissimis, ac grauissimis Viris Cardinalibus, & Magistris, tum & Magistro sacri Palatij, & aliis: *Quibus inspectis*, ait Cardinalis Turrecremata, *& tum omni diligentia sæpius transcursis, attenteque intellectis, cum nihil in eis reperiri potuit reprobum, aut suspectum, aut orthodoxæ nostræ fidei dissonum, vel aduersum, sed totum quidquid in eis continebatur exstitit veritate conspicuum, & sanctitate præclarum, plenum, perlucidum, atque perfectum.* Vlterius anno 1379. ab Vrbano VI. nouo examini traditæ sunt magnorum mundi luminarium in Theologia Magistrorum, videlicet Cardinalis Corsiensis, Cardinalis de Anglia, Cardinalis de Vrsinis, Cardinalis Ianuensis, & Cardinalis de Manupelle, & Episcopi Vibenerani, aliorumque plurium Theologorum, quos recenset Turrecremata, à quibus omnibus eædem reuelationes tanquam Dei spiritu plenæ, habitæ sunt. Quæ cum ita sint, & quod præcipuum est, authore Antonio Corduba lib. 1. q. 44. & Alphonso Mendoza q. quodl. examinatæ, ac discussæ, & approbatæ fuerunt à Concilio Constantiensi; temeritatis nota graui notandus Caietanus de Concep. cap. 5. dum eas reuelationes vocat figmenta, ac muliercularum deliria: quæ verba tanquam temeraria, ac piarum aurium offensiua explodenda penitus sunt, & ab eius scriptis obliteranda. Nec debilius argumẽtum esto veritatis earundem, quod asserit Martinus V. in Bulla Canonizationis eiusdem S. Brigittæ, idemque contestantur Michaël de Medina, & Nicolaus Sanderus, nempe aliquas ex illis reuelationibus ipso euentu confirmatas. Bene Tertul. in Apologet. aduersus Gentes c. 20. probat quarundam reuelationum certitudinem ex adimpletione aliarum similium eidem personæ factarum; *Idoneum opinor*, ait, *testimonium diuinitatis veritas diuinationis. Hinc igitur apud nos futurorum quoque fides tuta est, iam scilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur; eadem voces sonant, eadem literæ notant, idem Spiritus pulsat.* Liceat eodem iaculo ferire Antagonistas; plures reuelationes S. Brigittæ euentu ipso, nec tantillum à veritate aberrarunt. Itáne tantum immaculati B. Virginis Conceptus veritas in dubium reuocabitur? vel tanquam de re suspecta reuelationem respuemus.

Reuelationes Brigittæ maturo consilio, & longa discussione ad examen vocantur, & approbantur.

Gregor.

Vrban. 6.

Cordub.

Caiet. *Temeritatis arguendus Caietanus dũ vocat reuelationes S. Brigittæ figmenta, ac muliercularum deliria.*

Martin. V. Medina. Sander. Tertul.

387. Sed obtendunt nobis reuelationem S. Catharinæ Senens. præfatam. Verùm mirum cuilibet videri possit, eiusmodi reuelationem solum intra Aduersariorum penates contigisse, quod non leuem suspicionem ingenerat, illam omnino fictam, ac suppositiam fuisse; cuius suspicionis non leuia subiiciam signa. Primum esto, quod Raymundus Capuanus S. Catharinæ gesta omnia compilauerit, Thomas item Senensis, & Stephanus Carthus. tum & Surius eiusdem vitam conscripserunt; & quidem nec verbum huius factæ reuelationis meminerunt, cum tamen citatus Stephanus eiusdem S. Catharinæ Amanuensis, omnes eius reuelationes diligentissimè conscripserit. Quis igitur credat, hanc vnam neglectam, vel memoria elapsam? Deinde cum ambæ coætaneæ fuerint, & B. Brigittæ reuelationes in totius orbis theatro, videlicet Romæ examini traderentur per summos Pontifices Gregorium II. & Vrbanum VI. quibuscum sancta Catharina familiarissimè se gessit, & tanquam authenticæ veritati, ac pietati consonæ ab ipsis commendatæ fuerint; qui fieri potuit,

Reuelationem S. Catharinæ Sen. esse suppositiam ostenditur.

vt

vt reuelatio opposita Sanctæ Catharinæ cælitus illapsa, si vera esset, non fuisset magni ponderis, vt ab ipsis Pontificibus nullatenus S. Brigittæ reuelatio approbaretur; ne falsum aliquid pro vero fidelibus proponerent; præsertim cum superstite S. Catharina plurium annorum catalogo aliis, & aliis succedentibus Pontificibus, reuelationes Sanctæ Brigittæ exactissimum doctissimorum virorum iudicium, & examen subirent. Profecto, me iudice, si aliquid, quod aduersariorum sententiæ aliquo modo adfaueret, vel solum ab ore S. Cathatinæ elaberetur, quasi miraculum esset, quod illi rem hanc prætermisissent, quæ maximè ad suam constabiliendam sententiam conduceret; præcipuè cum illi, authore Cathetino lib. de Concep. Virg. in expugnatione vltima: *Qui, & quæ sunt, & quæ non sunt, vndique excauarunt, & collegerunt ad hoc ipsum.* Maximum ergo indicium est ad suspicandum, reuelationem illam fictitiam prorsus, ac suppolititiam fuisse.

Catherip.

388. Quid quod verba illa S. Catharinæ superius relata, non vtique pro doctrina à Deo reuelata, sed pro collocutione ex propria sententia, iuxta ea, quæ ebiberat à sui Ordinis Doctoribus proferre potuit, vt author est Delrius noster lib. 4. disquis. mag. q. 1. sect. 4. Ambrosius Catherinus cit. Ægidius de Præsentat. lib. 3. de præseru. B. Virg. q. 6. art. 4. §. 2. Antonins Corduba lib. 1. q 44. Cuius declarationis non leue indicium accipe: nempe verba illa haudquaquam reperiri inter reuelationes S. Catharinæ, quarum exstat libellus, sed solum inter eiusdem orationes circumferri. Quod si aduersæ partis Doctores obiectent, orationes illas in exstasi, & raptu illapsas, ac proinde ab intellectu prædictæ Virginis cum Deo coniuncto, & veritatis Luce perfuso prouenisse, idcoque inter reuelationes veras, siue prophetias annumerandas esse. Verum licet primum aduersariis permittamus; non tamen quod reuelatio fuerit à Deo immissa; neque enim in eiusmodi raptibus semper intellectus ita Deo coniungitur, & ab ipso submergitur, vt nequeat in alia obiecta collimare; cuius rei testem do D. Th. in qq. disputatis q. 13. de raptu art. 3. ad 3. *Solum*, inquit, *in Dei Visione per essentiam, quæ est raptus vehementissimus fit omnimoda abstractio à sensibus: in reliquis vero non opus est, vt omnino ab exterioribus actibus abstrahatur, sed potest circa alia obiecta operari.* Potuit ergo Sancta Catharina, quamuis aliquo modo in extasi in Deũ eleuaretur, circa doctrinam à Magistris inditam versari, eamque exterius proferre, ac proinde speculatiue à vero deflectere; quod nihil de eius Sanctitate detrahit, teste S. Anton. 3 p. tit. 19. c. 11. Vbi refert reuelationem Sanctæ Elisabethæ Hungariæ Principis, vbi affirmabatur cælitus sibi allocutũ; corpus B. Virginis post eius obitum per 40. dies in Sepulchro permansisse, quod falsũ omnino, & ipsi D. Anton. visum est dutũ, & contra communẽ Doctorum sensũ, & Ecclesiæ Traditionem; & subinfert S. Doctor: *Nec propterea detrahimus sanctitati eius, quia non semper quæ sancti viderunt in Spiritu, eadem vt Propheta viderũt, sed iuxta suas mẽte conceptas imaginationes.* Nec ergo nos præiudiciũ aliquod inferemus sanctitati D. Catharinæ, licet affirmemus, eam sententiam protulisse in oratione illa, siue raptu, quam à suæ Familiæ Doctoribus alte ebiberat, ac certam fallibilibus solum rationibus innixa censebat; ac ex consequenti in re Theologica speculatiuè à vero aberrare potuisse; non tamen diuino lumine tunc præeunte.

Delrius. Ægid. de Præsent. Cordub.

D. Thom.

Antonin.

Verum enim vero pro ea sententia constans sto hanc reuelatiooem Sanctæ Catharinæ suppositam omnino fictitiam esse: quod nunc præstat ostendere, vt ea è medio sublata, opposita reuelatio firmior, ac constantior euadat. Hanc igitur reuelationem Caietanus, & alij ex aduersariis ex S. Antonino deprompserunt, qui solus nescio à quibus primus hausit: ideo forsan Canus lib. 11. de locis c. 6. Sanctum Antoninum verbis illis sugillat: *S. Antoninum ex leuiusculis fundamentis, ac coniecturis suam historiam contexuisse.* Idemque subnectit: *De Vincentio Bellouac. & D. Antonino liberius iudico, quorum vterque non tam dedit operam, vt res veras certasque describeret, quam ne nihil omnino prateriret, quod scriptum in schedulis quibuslibet reperiretur. Ita ad historiam vnamquamque existimandam, momentoque vno ponderandam, non artificum statera, sed ne populari trutina visi sunt: Quamobrem boni licet, ac minimè fallaces viri, quia tamen neque authores eos, à quibus suos scripsere libros, diligenter examinarunt, nec res iustis libratas ponderibus memoria prodiderunt, apud criticos graues, atque seueros, authoritate carent.* Noster item Antonius Posseuinus in suo apparatu contestatur Cano: *Antoninus*, inquit, *non pauca congesserat in suos libros, quæ sine dubio, si apud nos viueret modò elimaret, & cum in cælis Beatissima luce fruatur, haud dubium quin percupiat sua recognosci, & puriora quam olim erant tractari.* Vbi plura excidisse ex incuria in examinandis, ac seligendis authoribus minus veritati consona adnotat. Tertium adiungo testem vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Nimirum Antonium Cordubam lib. 1. q. 44. *Dominus*, ait, *Florentinus in suo historiali, dum D. Catharina vitam perstringit, nihil eius rei meminit, nisi quod in vita B. Brigitta, id quod ferebatur à fratribus suis Dominicanis de B. Catharina opposuit contra illam reuelationem S. Brigitta, nihil tamen producens certum, nisi rumorem quorundam, qui id confixerunt.* Demum qui velit alios huius Viri sanctissimi in Historia errores, leuiusque quam deceret examen plurimarum rerum, adeat Petrum Maturum Gallum in epist. Dedicatoria ad Magistrum Generalem Prædicatorum, & in notis ad opus S. Antonini. Hinc nihil mirum si affirmauerimus, reuelationem S. Catharinæ ab Aduersariis prætensam, nullo graui authore inniti, nec solido aliquo fundamento stabiliri, falsoque ab aliquo fuisse confictam, vt sanctæ Brigittæ reuelationis fidem debilitaret, vt ait Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. §. *Tertio augetur.* Ægidius de Præsentat. cit. Granado disp. 3. de essentia peccati Originalis c. 13. Corduba cit. & Catherinus, cuius hæc sunt verba. *Quare mihi merito incessit suspicio, quod zelator quidam paternarum Traditionum, caudam illam orationis malè superioribus cohærentem, & variè etiam in variis libris se habentem, si rectè memini, contulisse de suo, quod & indicat friuola illius, & satis iam confutata rationis adiectio. Credo enim vt haberent nostri, quod contra B. Brigitta reuelationes afferrent, vt eas saltem hac via obscurarent, interim eiusmode confictè opposuerunt, & vt proprium est fama, quæ semper vires acquirit eundo, addiderunt. Quod tamen nusquam legitur ex eius ore testatum, quod ipsa similiter habuit ex reuelatione, quibus parcat Deus.* Per caudam orationis, intelligit verba illa: *Tu scis Domine, quia ista est veritas.* Quæ in calce reuelationis D. Catharinæ apposita fuisse censet Catherinus, vt fidem prædictæ reuelationi conciliarent. 389.

Canus. Anton.

Posseuin.

Cordub.

Suar. Ægid. de Præsent. Granado. Cather.

Nunc

390. Nunc autem breuiter perſtringeodæ ſunt regulæ ſingulæ reuelationum admitteudarum, vt clarius eluceat,reuelationem illam S. Catharinæ ſuppoſititiam, ac falſam eſſe, & à veræ reuelationis tramite deuiare. Et primum cum ſacra Scriptura nullo modo cohærere affatim oſtenſum eſt in ſuperioribus;locutiones enim vniuerſales ſacræ Scripturæ, quibus comprehendi videbatur,iam Spiritus ſanctus per Synodum Tridentinam luculenter oſtendit nolle de B. Virgine intelligi. Similiter nullus non videat illam reuelationem multum à ſecunda regula aberrare,cum tot ſcaodala in variis prouinciis excitauerit aduerſaria ſenrentia, ergo reuelatio,quæ tali doctrinæ patrocinatur nihil vtilitatis, multum autem nocumenti importare Eccleſiæ poteſt, ac ſpirituali animarum profectui. Quos rumultus peperir in Gallia? Quæ diſſidia, quas ſimultates,quæ odia inteſtina per totam italiam, & Hiſpaniam non diſſeminauit; Imo horrenda ſacrilegia intulit in Heluetiam, quæ omnia impulere Chriſti Vicarium Paulum V. vt eam è ſuggeſtibus, è Cathedris,& ab omni publico conſeſſu illam eliminaret, ergo reuelatio, quæ talem ſententiam fouet, cum nihil vtilitatis, & commodi Eccleſiæ Dei allatura ſit, plorima autem damna illatura, non eſt cur admitti debeat. Circa tertiam regulam, nihil niſi magnum, ac præclarum de diua Catharina proferri poteſt; imo exinde anſam ſuſcipimus, vt aſſeramus, à Deo ipſi nullatenus fuiſſe inſtillatam: quod ſi Aduerſarij conſtanter reuelationem eſſe contendant; conſtanter & nos cum Petro Celoyherio lib.4. de ſpect. & aliis cenſemus in ea D. Catharinam fuiſſe deluſam; cum oppoſitam, quæ immacularum Deiparæ Conceptum tutatur, Eccleſia poſt longum examen approbarit. Quod vero ad quartam regulam attinet, ſolum quidam ex Aduerſariis, eam reuelationem ſimpliciter referunt, nullo præmiſſo examine, nulla præuia diſcuſſione, nec priuata, nedum publica: quiſnam Pontifex eam commendauit? vel viris doctis quiſnam Chriſti Vicarius examinandam propoſuit? Nulla ergo illi fides habenda. Rectè enim Caietanus 2.2. q. 184. art. 6. inquit: *Nulla eſt admittenda reuelatio circa rem aliquam toti Eccleſiæ communem, niſi ſpeciali ſcriptura teſtimonio, vel aliquo miraculo confirmetur.* Prætenſa autem reuelatio, nec miraculo aliquo; imo nec humana aliqua approbatione,præuio facto examine approbata reperitur, hæc ergo reuelatio tanquam ſuſpecta, ac ſuppoſititia penitus reſpuenda eſt.

391. Ex hactenus dictis rectè inferre poſſumus,ſummum Pontificem,licet nullum aliud exſtaret fundamentum, nec ſubeſſet ratio,qua niteretur pia de immaculato B. Virginis conceptu ſententia, vna dempta B.Brigittæ reuelatione,poſſe litem decidere,ac præſentem controuerſiam dirimere;ac fidelibus ſententiam piam tanquam fidei dogma proponere;& quidem plurium Pontificum veſtigiis inſiſtendo;qui plura in Eccleſia ſanxerunt priuatis innixi reuelatiooibus,quarum authoritas,nec maior, nec prẹſtantior exſtitit fide,& credibilitate debita reuelationibus S.Brigittæ. Siquidem Pius I. decidit quæſtionem illam adeo controuerſam de die,quo Paſcha Domini colendum foret, reuelatione facta Hermeti Fratri ſuo permotus, vt ipſe Pius docet epiſt.1. Decretali, & refertur c.de conſec.diſt.3.c. Noſſe.His verbis: *Noſſe vos volumus quod Paſcha Domini, die Dominica annuis ſolemnitatibus ſit celebrandum. Illis ergo temporibus Hermes Doctor fidei,& ſcripturarum effulſit inter nos: & licet nos idem Paſcha prædicta die celebremus,quia tamē quidam inde dubitarunt ad corroborandas animas eorum eidem Hermæ Angelus Domini in habitu Paſtoris apparuit, & præcepit ei, vt Paſcha die Dominico ab omnibus celebraretur: vnde & vos Apoſtolica authoritate inſtruimus, omnes eadem ſeruare debere; quia & nos eadem ſeruamus, nec debetis à capite quoquo modo diſſidere.* Atqui alius Angelus è cælo delapſus ſanctæ Brigittæ B.Virginis Conceptum per totum orbem coli oportere oſtendit,eumque Conceprum abſque peccati originalis labe fuiſſe peractum in aliis apparitionibus ipſi ſanctæ Brigittæ reuelatum fuit, ergo ſicut Pius Papa per reuelationem Hermetis,ſtatuit diem,quo Paſcha coleretur,poterit etiam nunc Pontifex Innocentius X. piam ſenteutiam definire, huic reuelationi innixus.

Poteſt Pontifex reuelatione S. Brigittæ innixus litem dirimere pro immaculata Virginis Conceptione.

Pius I.

Deinde Vrbanus IV. Religioſæ cuiuſdam fœminæ reuelatione ductus, ſanctiſſimi Corporis Chriſti Feſtum inſtituit,vt hereſim cōntrariā verbo ſimul,& facto procul ab Eccleſia eliminaret,vt innuit ipſe Pontifex in diplomate dé Inſtitutione huius feſti, incipiente: *Tranſiturus*, &c. De quo conſulendus Bzouius tom.13. Annal. ad ann.1230. n.16. ergo ſimiliter Pontifex, qui modo Eccleſiæ clauum tenet, poterit rem hanc vltimò definire, cum tot extent de immaculato B.Virginis Conceptu reuelationes, præcipuè S. Brigittæ à pluribus Pontificibus poſt longum, & exactum examen approbatæ. Demū in Sanctorū album retulit Eccleſia Paulum primum eremi cultorem,ex eo ſolum,quia S.Antonius ſe illius animam in cœlum migrantē inſpexiſſe teſtatus eſt;quod à D.Hieronymo Eccleſia hauſit,cui ex alicuius S. Antonij diſcipuli narratione res hæc conſtare potuit, vt S.Hieron. ſubindicat in vita D.Pauli,cuius ſanctitas nemini patere potuit,niſi ſancto Antonio, quia à decimo ætatis anno,in quo eremum incoluit vſque ad 113. quo è viuis deceſſit,oeminem,niſi ſanctum Antonium viderat. Modò ſic: Reuelatio illa ſanctitatis Pauli Antonio facta, & ab eius diſcipulis Hieronymo,& per hunc ad Eccleſiam transfuſa ſufficere potuit,vt ab ipſa Eccleſia Paulus in ſanctorum numerum adſcriberetur,ergo reuelatio Helſimo facta de immaculato B.Virginis Conceptu à ſancto Anſelmo relata; tum & reuelatio S. Brigittæ de eodem myſterio,à plurimis viris,ſanctitate,doctrina, ac virtute conſpicuis examinata,& approbata ſufficere debent, vt hæc veritas à ſummo Eccleſiæ Paſtore ſanciatur.

392. Vrban. IV.

Bzouius.

Quod autem ad miracula ſpectat,quantum ponderis, & authoritatis virtuti, ſanctitati,ac veritati deferant, nullus ignotat. Quippe Deus operibus ſupernaturalibus dolum, ac mendacium approbare non poteſt. Quocirca miracula ab ipſo patrata ad comprobandam veritatem ſeotentiæ piæ, manifeſtè eandem ſententiam confirmant, ac roborant. Si autem omnia in ſummam redigere teotarem, magno opus eſſet volumine. Quare aliqua ſolum leni calamo tangam, quæ ab Scriptoribus optimæ notæ, ac fide dignis accepi. Primum occupet locum ſubtilis Scotus, vtpotè qui primas fert in propugnanda ſententia pia; hic ergo Academiam Pariſienſem ingreſſus immaculatum Dei Genitricis Conceptum propugnaturus;cumque in ipſo ingreſſu imaginem B. Virginis ſupra ſcholarum fores collocatam, reuerenti cultu ſuſpiceret, ac ſalutaret illis verbis: *Dignare me laudare te Virgo ſacrata.* Ipſa Virgo Deiparens veluti reſalutans caput grataoter inclinauit, quaſi gratulabunda,

Aliqua referuntur miracula pro Confirmatione veritatis immaculati Conceptus Virginis.

quod

Lezan. quod Scot. pro ipsius immaculata Concept. acerrimè decertaret. Ita Lezana in Apolog.c.15. ex aliis.

Equidem dum Minorissa trãsirē, quæ vrbs est celebris in regno Cathaloniæ ob specum, in quo commoratus fuit Sanctissimus meus Parens Ignatius, & vbi exercitiorum spiritualium libellum conscripsit, & plurimos raptus, ac exstases subiit; hic accepi à Patribus nostræ Societatis illius Collegij eiusmodi miraculum, quod per Traditionem à Parentibus in filios dimanauit; imo etiam postea ad meas manus deuenit trãssumptum quoddam fide authenticum instrumentum, in quo idem miraculum approbatur authoritate, & subscriptione magni illius Magistri, ac Primarij Theologiæ Professoris Salmanticensis F. Basilij Ponce de Leon, (Basil. Ponce de Leon.) per hæc verba. Vidi, inquit, schedulam quandam transsumptam fideliter à suo originali per Actuarium, per tres alios actuarios, siue scribas iuxta regni leges approbatum. In qua Scheda testes oculares contestabantur Canonicum quendam, qui aduersus immaculatam B. Virginis Conceptionem acriter dimicabat, (alioquin pius, & B. Virgini addictus) pluribus mucronis ictibus transfossum mortuum corruisse; quatuor autem transactis horis rediuiuum surrexisse, sicque allocutum non sine adstantium stupore. Equidem per hoc tempus Purgatricibus flammis addictus fui, & B. Virginis Mariæ suffragatione ab æterno ioferno carcere liber euasi, ipsius etiam precibus iterum in hanc vitam redij, vt coram vobis omnibus constanter defendam, & asseram, verissimam esse sententiam asserentem, Dei Genitricem Mariam absque vlla peccati originalis macula fuisse Conceptam, in cuius veritatis Confirmationem statim nouem transactis horis iterum ex hac vita decedam, vt re ipsa contigit. Hanc schedulam, seu transsumptum approbauit prædictus Doctor, ac sua authoritate, & subscriptione muniuit Salmant. 8. Nou. ann. 1616.

Tolosæ in Gallia non nemo pro rostris aduersus piā sententiā perorauit: finita cõcione ad Altare B. Virginis rē sacram facturus accessit. Inspexit imaginē Deiparæ concionator, quæ è marmore cõstructa erat, & protinus ipsa vultū auertit, quasi ægre ferēs, & dedignata illū aspicere. Ita Pelbart. in Stellario lib. 4. p. 2. art. 3. Subiicitqoe Carthagena to. 2. lib. 1. hom. 19. in perpetuā rei memoriā vsque modo prædictā imaginem auerso vultu perdurare in eodē Cœnohio Tolosano. Deinde prædictus Concionator cæcus permansit, cumque vouisset in posterum piam opinionem acriter propugnaturum, & contrariam abiuraturum, visum recuperauit.

Rem mirissimam libuit hoc loco conscribere, vt nouū robur addamus piæ sententiæ. Innoc. 8. cõfirmauit Ordinē sanctimonialium immaculatæ Conceptionis ann. 1489. cuius fundatrix fuerat DD. Beatrix de sylua, quæ reuelationē hausit à Deo de die Confirmationis: cumq; Diplomata Apostolica eiusdē Confirmationis in capsula quadā asseruata in naui veherentur, naufragiū passa, simul & Bullę non cõparuerunt. Sed res ò mira! D. Beatrix in arcula suimet Conuentus Toletani illas adinuenit. Cumq; illa ignara rei nesciret quodnā esset illud diploma, ostēso illo, & inspecto à Fr. Garcia de Quijada postea Episcopo Guadicensi, vidit esse Bullam Cõfirmationis diu desideratā: in stuporē actus tem Monialibus patefacit, ac miraculum euulgatur. Et Ecclesia Metropolitana Toletana celebri põpa comitata primoribus, ac plebeiis ciuitatis in cõuentū sanctimonialiū aduenit, ac rē sacram in honorē tanti miraculi peregit, habita concione ad populum. Ita Pet. de Salaz. lib. 8. Chron. Castel. Porreño lib. de Concep. Palao Dec. in Defens. Dom. fol. 70.

Fr. Ioann. de Viterbo apud Italos priuatim, ac publice piā sententiam insectabatur, in morbū incidit, iamque vltimū vitæ subibat periculū, cum in memoriā venit factū Alexand. Alens. qui dū festum immaculati Conceptus Mariani peragere renueret, subito morbo corripitur, cumq; votū nuncupatet celebrandi immaculatæ Conceptionis festum, repente conualuit. Ergo Ioann. ægrotus oculos in B. Virginis imaginē defigens sic fatur: *O B. Virgo Maria, si verū est, quod sine peccati macula Concepta fuisti, rogo mihi sanitatem donare digneris in signum vestræ puritatis, & ego voueo, & promitto toto tēpore vita mea celebrare festum Conceptionis, & prædicare, & annūciare populis innocentiā vestram, & retractare quidquid alias in contrariū prædicaui* Quibus dictis, subito à morbo liher, & incolumis euasit, statimque cymbalorum conuentus reboatibus prodigij, ac miraculi euidentiam notam fecit; ac postea Librum conscripsit de immaculata B. Virginis Dei parentis Conceptione. Ita refert Guerrero Concordant. 17. P. Andreas Mendo in suo memoriali pro immaculata B. Virg. Concept. fol. 10.

Franciscus de Coris Mediolanensis eques piæ sententiæ defensor acerrimus, dū febri ethica corripitur, à quodam Regulari innititur, inter loquendum forte incidit sermo de immaculato B. Virginis Conceptu, Regularis stabat pro contraria sententia, ægrotus autem piam sęntentiā pro aris & focis tutabatur, ac demum in ea verba prorupit: *Rogo Deum, vt faciat iudiciū inter me, & vos.* Moxq; ægrotus sanus factus est, at Regularis statim febri eadem ethica laborauit. Refert idem Guerrero.

Magister quidam Parisiis concionem habiturus adornandę concioni serio iocumbebat aduersus piā sententiam; & ecce ipsi Virgo B. apparuit agminibus stipata cælestibus sic eum alloquens: O *Magister, quid ego vnquam tibi feci, quia hoc mane, vis contra meum honorem prædicare.* Pœnitentia ductus Magister mutauit animum, ac sententiam: & Virgo B. ad Gabrielem sermonem intendens ait: *Vade, & doce hunc, sermonem, quem mane faciet vniuersitati Parisiensi.* Gabriel itaque accedens ad eum inquit: *Aperi os tuum, & implebo illud.* Quo quidē facto desiderio exarsit Concionator propugnandi pro sententia pia; & quidem præstitit, habita illo die concione ad Academicos Parisienses, in qua pluribus, ac solidissimis rationib. immaculatū B. Virginis Conceptū stabilinit. Ita habet Franc. de Mayrones ser. de Concep. Alia plura referūt citat. Doctor.

CERTAMEN XVII.

Insurgit aduersus eos, qui icones cudi posse negabant de immaculata Concept. sub inscriptione illa, Concepta sine peccato originali.

ANsam præbuit huic certamini Edictū quoddā Magistri Sacri Palatij tempore Pauli V. 393. quo iussit auferri à metallorum incusoribus quascunq; icunculas, & imagines Cõception. Virginis Deiparæ, hac circumducta inscriptione, *Concepta sine peccato originali*: simulq; prohibuit, ne in posterū absq; expressa eius licentia eiusmodi imagūculæ cuderentur; adhibetque rationē huius prohibitionis Paulo V. Pontifici, tunc Ecclesiā moderāti; quia videlicet sine licentia ipsius hoc fieri non poterat, & eiusmodi licentiam denegandam videri his temporibus: nam his iconibus indulgentiæ applicari solent, ac euulgantur, & distribuuntur per omnes Ecclesiæ ditiones, ac proinde controuersiam Conceptionis Beatę Virginis iam omnino direm

diremptam pro parte negante fuisse, videri posset; videlicet Virginem Deiparam sine vlla noxa originali fuisse Conceptam, quod luculenter propalat expressa Conceptionis imago adiectis circum verbis illis. *Concepta sine peccato originali.*

394. *Recte possunt icones accudi cum inscriptione illa, Concepta sine peccato originali.*

Sed perperam eas icones cudendi facultas ablata est; nihil enim in ejs relucebat, quod sanctum, piumque non fuerit: deinde longo vsu, & consuetudine approbatæ fuerunt ab Ecclesia eiusmodi imagines; nec inscriptio illa aliquid continet, quod religiosum non sit, ac pium, cum sensum adiectæ inscriptionis ipsæ icones referant; eadem igitur facultate, qua hucusque imago Conceptionis incusa est, incidi potest & inscriptio illa; si enim licet imaginem aliquam mysterium aliquod exprimentem depingere, nihil oberit adiectis verbis idem inculcare, & exprimere; imagines enim nihil aliud sunt, quam materiales inscriptiones, quod innuunt verba illa psalmi 86. *In Scripturis populorũ, id est in imaginibus.* Et patet à simili: si enim in lamina sanctissima sponsalia Iosephum inter & Mariam Virginem insculperentur; postea vero circunduceretur inscriptio illa: immaculata B. Virginis cum S. Iosepho sponsalia; anne ex eo interdicendæ icones illæ: atqui inscriptio illa: *Concepta sine peccato originali*, nihil aliud superaddit, quam id quod icones repræsentant, & exprimunt; siquidem ex tempore, quo inualuit opinio pia, illa Apocalypseos imago his icunculis accommodata fuit, vt exprimeretur immaculatus B. Virginis Cõceptus: quod adeo verum putant Aduersarij ipsi, vt nullam intra claustra, templa, sacella, domos, & cellas permittant eiusmodi iconem, qua Ecclesia, & fideles vti solent, vt expliceut, & exprimant immaculatum B. Virginis Conceptum; imo neque in globulis precariis icuncula aliqua reperitur, quæ hoc referat mysterium, licet tales icones pluribus donatæ sint indulgentiis; rati inde inferri ipsos in nostram abire sententiam, ergo immerito, & cum magno præiudicio piæ sententiæ prohiberentur huiusmodi icunculæ metallo cusæ, quantumuis inscriptio illa circumducatur, cum per longam annorum supputationem imagines Conceptionis depictæ fuerint in Ecclesia, quæ immaculatum B. Virginis Conceptum in ipso animationis instanti præseferrent, nullo Pontifice prohibente, imo annuentibus pluribus, & ad earundem vsum allicientibus plurium indulgentiarum collatione.

395. *Indulgentiarum largitio intuitu immaculatæ Cõceptionis, non est definitio eiusdem.*

Reclamant Aduersarij, negandam esse licentiam hæc medallia accudendi, illis enim cusis applicari possunt indulgentiæ, quæ à summo Pontifice concedi solent iconibus, granulis, ac globulis precariis, ex quo vtpote meticulosi timent futurum esse, vt hæc controuersia pluribus quasi iam definita visum iri. Sed debile prorsus argumẽtum; quod vt ostendam aio, indulgentiam nihil aliud esse, quam actus quidam spiritualis iurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra sacramentum: quibus verbis continetur omnis indulgentia siue realis, siue personalis, siue localis. De reali ergo solum procedere potest aduersariorum suspicio illa; vtrum ex eo quod indulgentiæ applicentur illis iconibus, iam definita maneat hæc controuersia. Quod autem indulgentiæ applicari possint his imagunculis Conceptionis, nulli dubium esse potest, sicut applicari possunt aliis iconibus, & globulis: nec hinc inferant aduersarij opinionem magis piam quasi de fide sanciri: nam indulgentia actus est spiritualis Iurisdictionis; definitio autem alicuius articuli spectat solum ad potestatem clauis scientiæ, quæ penes Pontificem solum sedem figit; at iurisdictio penes plures ex suo officio. Nullus autem dempto summo Pontifice, neque ex iure humano, vel diuino, neque ex officio, vel delegatione potest per se aliquod dogma tanquam de fide statuere, ergo male inferunt ex eo quod indulgentia alicui rei concedatur, censeri debere definita. Ideo ergo indulgentia alicui imagini conceditur, non vt credatur fide diuina quod repræsentat, sed vt imago illa maiori cultu, ac veneratione suspiciatur, & vt fidelium memoria erga ipsum prototypum maiori deuotione excitetur; ad quod sufficit, vt hæ icones, seclusa indulgentia, sint instrumenta quædam ad honestos actus, & Religioni deseruientes, quod totum reperitur in his Conceptionis imagunculis. Indulgentia itaque solum est remissio pœnæ temporalis, non definitio infallibilis veritatis. Quid plura? nonne plures Pontifices ipso facto maximas contulere indulgentias intuitu immaculatæ Conceptionis B. Virginis, vt vehementius Christiani populi ad eam venerandam inflammarentur. Sixtus IV. Vrbanus IV. Clemens V. Martinus V. Eugenius IV. Leo X. Sixtus V. hi omnes recitantibus officium Conceptionis plurimas dilargiti sunt indulgentias; nec tamen ideo piam sententiam definierunt. Falso ergo percelluntur fundamento, qui suspicionem concipiunt ab indulgentiarum largitione iconibus Conceptionis concessa, sub illa inscriptione, *Concepta sine peccato originali* rem hanc in posterum, tanquam fidei dogma suspiciendum iri. Nonne Clemens VIII. muneris primo, & secundo sui Pontificatus anno excusis, eandem Conceptionis imaginem expressit his literis circumductis, *Tota formosa.* Quæ Virginis Deiparæ Conceptionem vndequaq; pulchram, ac sine vllo deformitatis næuo prædicant. nec ideo in mentis alicuius venit à Pontifice definitum fuisse, B. Virginem fuisse sine labe conceptam.

396.

Rursus Iulius II. aliique Pontifices pluribus indulgentiis cohonestarunt Constitutiones, ac viuendi ritum Monialium Conceptionis profitentes, in quarum Constitutionum vouendi forma expresse asseritur, B. Virginem nulla fuisse peccati originalis macula conspersam. Item Adrianus VI. speciali bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex*: confirmauit Toletanam immaculatæ Conceptionis confraternitatem à Ferdinando, & Elisabetha erectam, vbi sæpius inculcatur B. Virginis Conceptio sancta, priuilegiata, præseruata, ac mundissima, quam Confraternitatem pluribus indulgentiis cumulanit; non tamen ideo licuit alicui asserere, ab Ecclesia piam opinionem tanquam de fide fuisse propositam; ergo ille Aduersariorum scrupulus, ac timor tã futilis, & euanidus explodendus est. Quibus rationibus conuictus Cardinalis Cobelutius, cui commissa res est à Paulo V. respondit æquũ sibi videri, rationiq; valde consonum, vt facultas icunculas illas accudendi concederetur cũ inscriptione illa; *Concepta sine peccato originali*: attamẽ occurrendum errori populorum, ac meticulosæ aduersariorũ suspicioni, qua verebantur per hanc inscriptionẽ icunculis superadditam, absolutè, & sine restrictione, dari ansã, vt plures existimarent, iam piã sententiam penitus esse definitam: ideo sibi videri addendam præfatæ inscriptioni, particulã illam, *vt piè creditur*, vel hæc alia, *vt piè credit Ecclesia.* Sed merito à piæ sentẽtiæ Propugnatorib. talis restrictio admissa nõ fuit, sed omnino explosa, quia sẽsus illius particulæ, *piè creditur*; valde ambiguus est: multa enim pie credũtur ab hominibus, imo & ab Ecclesia, quæ omnino certa nõ sunt; ipsiq; Aduersarij

plane

plane fatentur sensum esse Ecclesiæ in festo Conceptionis præseruationem intelligi ab originali; Ordinem prætereа, confraternitates, templa, & alia huiusmodi instituta fuisse ab Ecclesia in Conceptionis immaculatæ commendationem. Sed hæc omnia, inquiunt, solo niti fundamento piæ cuiusdam credulitatis, quæ cum falsitate speculatiua, & maiori probabilitate sententiæ affirmantis B. Virginem Deiparam cum peccato fuisse Conceptam, bene cohærere potest. Ad hæc si ea apponeretur, particula prædicta inscriptioni, roboraretur eorum suspicio, aduersariorumque iactantia asserentium nolle Pontificem absolutè proferri B. Virginem absque originali Conceptam. Ex quo plures in Hispania tumultus recrudescerent; his enim non contenti Aduersarij, adhuc in dies instarent, vt penitus aboleretur, & abraderentur plurimi tituli, & inscriptiones in templis, foribus, compitis, & plateis passim insculptæ, nisi adijceretur illa particula, *vt piè creditur.*

397. Quod vt luculentius appareat, animaduerto nomen piæ credulitatis latius porrigi; versatur enim aliquando circa res, quæ solum innituntur feruenti quodam, imprudenti tamen zelo, & nulla recta ratione innixo. Prudenter Canus huius piæ credulitatis assertores sugillat lib. 12. de locis c. 11. *Viri quidam Pij, in vita rebusque gestis Christi Domini magis comminiscuntur, quam contemplantur; qua etiam scribunt, nam tam vere, & prudenter, quam deuote, & feruenter, quorum est interdum caca quidē, ac temeraria in assentiendo credulitas.* Item pia credulitas esse potest circa res, quæ aliquo nituntur fulcro, vt pro veris credantur, falsitati tamē subesse possunt, vt tradit Gerson Alphab. 14. literis I.E. L. Alphonsus de Castro de iusta hæreticorum punitione lib. 1. c. 3. Sic piè creditur, hominem ex hac vita cum Ecclesiæ sacramentorum receptione abeuntem, viam salutis arripuisse; cum tamen sæpe contingere possit, vt æternis sit flammis addictus. Insuper versatur pia credulitas circa res, quæ ex aliqua definitione eliciuntur, vel communiter docentur ab Ecclesiæ Doctoribus, in rebus ad fidem spectantibus: hac ratione plures piè credunt B. Paulum vita superstitem diuina essentia aliquando ad tempus potitum fuisse. Demum pia credulitas attingere potest res, quæ formaliter fide diuina creduntur, vel quæ ad fidem accedunt; sic authore D. Th. quodl. 9. art. 16. pie credendum errare nō posse Pontificem in Sanctorum Canonizatione, quod de fide esse plures adstruunt Doctores. Ex quibus piæ credulitatis acceptionibus inferes, nihil esse adeo opinioni, aut fallibilitati obnoxium, nec ita verum, quod pia credulitate attingere non possimus.

Canus.

Pia credulitas versatur sæpe circa res, quæ falsitati subesse possunt.

Gerson. Castro.

398. Hæc igitur controuersia, ex quo tempore in stadio scholastico exagitari incæpit, iam sub piæ opinionis nomine propugnabatur, authore D. Bonau. in 3. dist. 3. ar. 1. q. 1. & suaderi potest ex c. *Cum præexcelsa.* Vbi iam sub opinionis piæ vocabulo nuncupatur. Quocirca in hūc scopum collimauit Vincentius Bandellus, vt piæ sententiæ nomen penitus abraderet, sed irrito conatu. Deinde temporum tractu maiora incrementa capiebat hæc pia sententia, dum à Doctoribus fouetur; in Academiis edocetur nuncupato voto; à Pōtificibus indulgentijs cōmendatur; & ab Ecclesia solēni cultu suscipitur: ac Demum à Paulo V. statuitur, vt hæc solum sententia è cathedris, & suggestibus edoceatur, ita vt nec moraliter, nec physicè, vt monuimus, falsitati subesse possit: itaque non solum piè quoquomodo credenda sit, sed ea certitudine, quæ non sit fidei, sed alia minori, licet omnium maxima, excepta dumtaxat fidei infallibilis, vt videre est in Catherino tribus Libris de Conceptione; & in Ægidio de Præsent. præcipuè lib. 3. q. 6. art. 1. §. 9. & in Iacobo Granado disp. 6. de essentia peccati c. 5. Et merito, dum enim Ecclesia indixit festum Conceptionis, ipsiusque officium, nequit à vero deflectere in huiusmodi cultu, & in Religionis approbatione sub nomine immaculatæ Conceptionis.

399. Sed argumenti huius vim elidere contendunt Aduersarij, dum aiunt non coli ab Ecclesia Cōceptum immaculatum, aut sententiam piam, tanquam certam, vel summe probabilem, sed solum pia credulitate, id est tanquā piam, & aliquo modo probabilē: ac proinde addunt, falsitati subesse posse, cū quidquid sub pia credulitate creditur, non statim verum re ipsa esse necesse sit: siquidē veritas diuerso innixa est fundamento, quam credulitas pia. Vnde eò audaciæ deueniunt, vt doceant suam sententiam esse veram, nostram vero piam; suam quippe sedē in intellectu fixisse, nostram in pia voluntatis affectione; suam sapientium, ac Doctorum suffragiis comprobatam, nostram rudis vulgi, pij tamen populi, quod vt ipsi opinantur, voluit Pius V. quando in motu proprio liberam concessit licentiam, vt quisque pro suo affectu in eam eat sententiam, quę sibi vel probabilior, vel magis pia visa fuerit, vbi nomine probabilioris, aiunt illi, suam venire sententiam: nomine vero magis piæ nostram intelligi. Sed his & aliis dicteriis abunde in superioribus certaminibus occurrimus. Quod autem nulla ratione expediat illam inscriptioni prædictæ superaddi particulam, nempe; *piè creditur.* Inde constat; nam res ad statum pristinum reuocaretur, quo gaudebat, antequam Ecclesia Conceptum immaculatum vniuersali cultu veneraretur; & quidquid certitudinis pia sententia tot annorū lustris, sibi comparauit, omnino deperderet. Quis autem nō videat, eiusmodi additamentum ab aduersariis inuentum; profecto admissa illa particula, *piè creditur*, nullum superesset solidum fundamentum, quo nostri Doctores fulciant sententiam piam, imo destituuntur omni telo, quo aduersarios expugnare possint: Etenim quidquid illis obijcias de festi veneratione, de Ordinis institutione, templorum, ac confraternitatum erectione, de miraculis, reuelationibus, & communi fidelium consensu, vnanimi Doctorū, & Academiarum suffragio, indulgentiarū dilargitione; hæc inquā omnia argumenta ab his capitibus petita facillimo negotio eludunt, dum aiunt, hæc omnia piam nostrā sententiam solum intra cancellos piæ credulitatis alicuius reponere; nec aliter licere opinari, cū summus Pontifex statuerit per publicam, ac celebrem inscriptionem illam cusis iconibus superadditam, nempe *Concepta sine peccato originali, vt piè creditur.* Quod autem pie creditur ex se falso obnoxium esse potest; idemque dicendum de illa alia particula, *vt pie credit Ecclesia.* Hucusque autem Ecclesia vniuersalis absolutè, & sine vlla restrictione B. Virginem à peccato originali omnino immunem fuisse, intrepidè, & constanter affirmauit, qua intentione absoluta, & minime restrictiua huius mysterij cultum instituit. Quippe eodē loquendi genere, quo vtitur Ecclesia in aliis eiusdē B. Virginis, & Christi festis celebrādis, quorū mysteria tanquā vera, & omnimodę certitudinis ducit, ac suspicit, vtitur etiā in solēnitate Cōceptionis: nec enim vnquā interposuit in officio Cōceptionis verbū aliquod, ex quo dubitādi ansa ab aliquo arripi posset: quare nō sine præiudicio magno,

Ecclesia hucusque absolute, & sine vlla restrictione B. Virginem ab originali immunem fuisse constanter affirmauit.

magno,& iniuria huius festiuitatis, quæ absolutè, & absque vllo addito restringente, immaculatam B. Virginis Conceptionem colit, illius particulæ adiectio superponeretur. Tunc enim eo piæ credulitatis genere solum tenerentur credere immaculatum B. Virginis Conceptum, quo modo pie credit Ecclesia, ac fideles Reliquias, quæ alicubi asseruantur esse alicuius sancti, quas tanquam res sacras colit, & adorat, & tamen non est omnino infallibile Sanctorum Virorum esse reliquias; imo & contingere potest, vt sint sceleratorum hominum ossa, proque veris reliquiis, vel ex ignorantia, vel ex malitia supponuntur. Idem suo modo dici potest de aliqua hostia, quæ tanquam consecrata fidelibus adoranda proponitur, ac pie creditur esse consecrata; & forsan vel ex defectu intentionis, vel sacramenti Ordinis, non erit consecrata: eodem modo, aiunt Aduersarij, licet Ecclesia pie credat B Virginem fuisse sine peccato conceptam, potest nihilominus concipi à parte rei macula peccati originalis fœdata. Quod recte roborari putant ex cap. *à nobis*, de sententia excommunicationis, vbi Innocentius III. hæc habet verba: *Iudicium Dei veritati, quæ non fallit, neque fallitur, semper innititur: iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem hominum sequitur, quam & fallere sæpe contingit, & falli.* Quæ verba capienda sunt, ni errare velimus, de iudicio solum probabili, & pio, non definitiuo: licet ergo pie credat Ecclesia B. Virginem sine peccato fuisse conceptam, falli tamen potest, & oppositum reapse verum esse.

Innoc. III.

400. Tandem ex eo amandanda est illa particula restrictiua, *Vt pie credit Ecclesia*, quia denudat propugnatores piæ opinionis iure sibi præstito à Paulo V. in diplomate edito die 31. Aug. ann. 1617. in quo interdicit Aduersariis suā publicare, aut defendere sententiam in publicis lectionibus, concionibus, conclusionibus, & aliis quibuscunque publicis actibus asseri, aut dici: nostram autem sententiam è contrario publice defendi, edoceri, promulgarique posse, ac debere absque restringente aliqua particula: cur ergo medalliorum incusoribus limitatio illa erit affigenda.

CERTAMEN XVIII.

An sententia Pia statum Beatificationis, siue Canonizationis nacta fuerit.

401. PRæmittimus primo, Ecclesiam dum in alicuius Sancti honorem, siue alicuius mysterij dies festos instituit, ac peragit, ac omnibus fidelibus celebrandos proponit; siue in illius cultum sacra Deo offert, templa, & altaria erigit, verè tunc sanctitatem illius Viri, siue mysterij, in rerum sanctarum catalogum adscribere. Subiungamus exempla; quando Ecclesia diem S. Pauli, siue Conuersionis eius ad meliorem frugem; siue etiam celebrandam proponit Natiuitatem B. Ioannis, & Virginis Deiparæ, eo ipso mysterium illud, ac diem, tanquam sanctum colendum proponit, cum ordine, ac respectu ad sanctitatem illius Viri, siue illius mysterij illa die peractam. Quod nihil aliud est, quam virum illum in Sanctorum album transcribere; vel etiam mysterium aliquod tali die peractum in festorum catalogo reponere. Quod est quædam festi Canonizatio; licet enim Canonizatio ex primaria institutione in viros sanctitate conspicuos cadat, vt patet ex eiusdem definitione, quæ ex Innocentio afferri solet in c. 2. De Reliquiis, & Veneratione Sanctorum, & ex Bellarm. lib. de Sanctorum Beatitudine c. 7. recte autem accommodari potest reliquis mysteriis, siue Christi D. & B. Virginis, siue alicuius Sancti Natiuitati, vel Conuersioni, vt patet in pluribus Christi D. & B. Virginis festiuitatibus, vt puta in Transfiguratione, & Ascensione Domini; in Visitatione, Præsentatione, ac Natiuitate B. Virginis; quæ solemni cultu tanquam sanctæ vniuersali fidelium cœtui celebrandæ proponuntur, officia propria ordinantur, templa construuntur, eriguntur altaria. Quocirca Canonizatio etiam proprie sumpta, non solum personis sanctitate præcellentibus adaptatur, sed etiam alicui mysterio, cuius sanctitas maturo Ecclesiæ iudicio ab omnibus suspicienda sanciatur. Ex quo inferes Canonizationem nihil aliud esse, quam publicum Ecclesiæ testimonium, quo aliquid Sanctum decernitur, & veneratione dignum, siue persona, siue res aliqua, vel mysterium tali die peractum. De quo videndus Suarius tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 3. num. 2. Hinc fit, vt quemadmodum in alicuius Sancti inter Cœlites annumeratione, plura illius sanctitatis indicia, ac testimonia ad exactissimum examen vocantur, de ipsius vitæ integritate, ac de miraculorum veritate: ita etiam antequam Ecclesia aliquod mysterium catalogo festorum inserat, vt tanquam sanctum à fidelibus suspiciatur; in examen adducit, diuque discutit, vel sacræ Scripturæ, vel sanctorum Patrum testimonia, vel Ecclesiasticarum Traditionum ritus, vel Theologorum placita, vel denique reuelationes, & miracula illud mysterium contestantia prudenti discussioni, ac maturæ deliberationi committit. Quibus præmissis Ecclesia vel Pontifex è cathedra publicam illius mysterij celebrationem indicit, veramque illius mysterij sanctitatem decernit. ac fidelibus venerandam proponit in Christianæ religionis augmentum; quod nihil aliud est, quam illius mysterij Canonizatio vera, ac propria Quæ omnia præcessisse affirmat ad institutionem Festi Conceptionis B. Virginis, Baronius in Annotat. ad Martyrolog. VIII. Decembris. Videndus idem in Annotat. tom. 12. sub ann. 7. Imo Arnoldus Vuyon lib. 5. ligni vitæ c. vlt. refert tempore Caroli V. Francorum regis ann. 1375. Præsentationis B. Virginis festum institutum fuisse eisdem de causis, eodemque miraculorum genere, quo Conceptionis eiusdem festum ab Anselmo quondam institutum fuit.

Bellarm.

Suar.

Quæ requiruntur ad veram alicuius mysterij Canonizationem.

Baron.

402. Præmittimus secundo, Pontificem, siue Ecclesiam errare non posse non solum in Canonizatione sanctorum, sed neque in Canonizatione festorum, ac Mysteriorum; ac proinde quotiescumque Ecclesia aliquod mysterium, ac festum catalogo festorum à fidelibus, cultu, ac veneratione colendorum decernit; iam illud mysterium, ac festum tanquam vere sanctum, cultuque adorandum proponit. Quod eisdem fulciendum fundamentis, quibus innituntur Doctores, dum asserunt summum Pontificem errare non posse in sanctorum Canonizatione. Sicut enim ex eo Ecclesia à vero deflectere non potest, dum aliquem hominem in sanctorum syllabum refert, quia Spiritus sancti ductu, adflatu, ac prouidentia dirigitur, vt late probant Doctores. Vide Cordubam de Potestate Papæ quæstio 12. Non igitur patietur Spiritus Sanctus Ecclesiam in his, quæ ad fidem, & bonos mores spectant, fallibilibus testimoniis percelli: atqui

Ecclesia neque in Canonizatione sanctorum, neque festorum, aut mysteriorum errare potest.

Cordub.

atqui nouorum festorum, ac mysteriorum institutio etiam spectat ad bonos mores, Ecclesiæque regimen, ac fidelium profectum, ergo neque Ecclesia errare poterit in similium festorum Canonizatione, valde enim detraheretur authoritati Ecclesiæ, si mysterium aliquod, siue festum tanquam sanctum fidelibus proponeret colendum, quod in se sanctum non esset, nec veneratione dignum; quod confirmari potest authoritate S. Leonis Papæ epist. 4. c. 2. Vbi hæc habet: *Verum quia Spiritus Sapientia, & intellectus ita Apostolos, & totius Ecclesiæ erudiuit Magistros, vt in Christiana obseruantia nihil inordinatum, nihil pateretur esse confusum, discernenda sunt causa solemnitatum &c.* Quod suo firmat suffragio S. Th. 2. 2. q. 93. art. 1. *Consuetudines*, inquit, *Ecclesiæ in diuino cultu nihil veritati repugnare.* Vnde sicut Ecclesia nequit tribuere cultum, cui non debetur; ita nec fieri potest, vt Deo tribuat cultum eo modo, & ea de causa, qua tribuere non debet, vt conceptis verbis docet D. Thom. cit. etenim talis cultus opponeretur virtuti Religionis per excessum, & ratione mendacij esset perniciosus. Cum igitur Ecclesia in his, quæ ad diuinum cultum spectant, errare nullo modo possit; & festorum, ac mysteriorum celebritates ad diuinum cultum attineant; necessario fit, Ecclesiam in festorum eiusmodi institutione errare non posse; vtpote quæ in his Spiritus sancti ductu feratur, ne aliquid non sanctum colat, ac superstitioni subiaceat. Quod etiam expresse tradidit S. Bernardus epist. 174. ad Canonicos Lugdun. *Ego*, inquit, *quod ab Ecclesia accepi securus & teneo, & trado; accepi sane ab Ecclesia, illum diem cum summa veneratione colendum, qua assumpta est de sæculo nequam, sed & ortum Virginis didici in Ecclesia, & ab Ecclesia indubitanter haberi festiuum, atque sanctum, firmissimè cum Ecclesia sentiens in vtero eam accepisse, vt sancta prodiret: nec fallitur omnino sancta Ecclesia sanctum reputans ipsum eius Natiuitatis diem, & omni anno cum exultatione vniuersa terra votiua celebritate suscipiens.* Contestatur huic veritati S. Ildephonsus lib. de Virginitate, vbi ex publica festi Natiuitatis B. Virginis institutione, eam sine peccato originali natam affirmat: *Sed quia*, inquit, *eius Natiuitas solemniter colitur, constat ex authoritate Ecclesiæ, quod nullis, quando nata est, subiacuit delictis.* Quare censeo non sine ingenti temeritate, & impietate, imo & errore, dici posse, Ecclesiam errare posse in festiuitatibus instituendis, cum spectent ad fidem, pietatem, Dei cultum, & totius Ecclesiæ ædificationem, animarumque profectum, ac Religionis augmentum.

S. Leo. — D. Thom. — Bernard. — Ildephons.

403. Præmittimus tertio, Episcopos olim ante Alexandrum III. & Innocentium III. potuisse in suis Diœcesibus, viros sanctitate præditos in Sanctorum album referre, siue sub nomine Canonizationis, siue Beatificationis, ipsisque votiua festa instituere, & fidelibus illius suæ Diœcesis celebranda proponere. Ita communiter Theologi Bellarm. tom. 2. lib. 1. de Sanctorum Beatitudine c. 8. Suar. tom. de Relig. lib. 2. de Sanctorum festis cap. 11. & colligi potest ex cap. 1. de consecrat. dist. 1. vbi hæc habentur verba: *Et illa festiuitates, quas singuli Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collaudauere.* Quam potestatem post Alexandrum III. Sedes Apostolica sibi merito arrogauit, vt patet ex cap. de Reliquiis, & Veneratione Sanctorum, & ex Innocentio III. in c. 2. eiusdem tituli.

Bellarm. Suar.

Quibus sic præmissis Censeo primo sententiam piam, quæ docet B. Virginem absque peccati originalis labe fuisse conceptam, pluribus sæculis ante Alexandrum III. fuisse nactam quasi statum Beatificationis. Quod suaderi potest ex eo, quod plures Episcopi in Græcia ante annos mille, & trecentos, in Anglia ante sexcentos, in Gallia ante annos quingentos; in Hispania ante annos ducentos, festum immaculati B. Virginis Conceptus instituerunt, ac solemniter colendum proposuerunt; nec absque Romanæ Ecclesiæ consensu, ac tacita approbatione, vt fusè probant Pineda & Ojeda tractatu de Concept. Dum enim Ecclesia huiusmodi festi institutionem in pluribus Diœcesibus peragi experta est; dum non interdixit, tacitè approbauit. Hinc ortum commune illud axioma: Quidquid potest Papa in tota Ecclesia, potest Episcopus in sua diœcesi, nisi prohibeatur: quod vt docet Suarius de censuris disp. 7. sect. 4. verum non est in his, quæ ad iurisdictionem spectant; bene tamen in his, quæ ad ordinariam, & communem animarum gubernationem, vt docet idem Suarius cit. §. *Quapropter.* Cum ergo ante annum 1160. non fuerit interdictum Episcopis viros sanctitate præcellentes in sanctorum syllabum referre, & in eorum cultum festiuos dies instituere, rectè potuit Conceptionis festum, ac legitime institui in aliquibus Diœcesibus, cum talis festi institutio, pluribus retro sæculis ante Alexandrum III. præcesserit: sicut ergo particulares illæ Ecclesiæ in Sanctorum Canonizatione, ex consensu tacito, vel expresso summi Pontificis errare non poterant, ita neque in institutione festi Conceptionis, annuente, & non contradicente Papa. 404.

Sententia pia pluribus retro sæculis nacta fuit statum Beatificationis. — Suar.

Quod si aliquis opponat D. Bernardum in epist. cit. coarguisse Canonicos illos, quod sine Ecclesiæ Romanæ authoritate Conceptionis festum veneratione publica coluissent. Respondere possumus, iam tunc forsan prohibitum fuisse ab Ecclesia, ne Episcopi in suis diœcesibus festum aliquod nouum in honorem alicuius instituerent absque Sedis Apostolicæ authoritate; non enim constat Alexandrum fuisse huius prohibitionis primum authorem: imo ex cap. 1. de reliquiis, & venerat. Sanctorum. rectè colligit Suar. cit. id iam antea Episcopis fuisse prohibitum. Quæ prohibitio nondum extabat, quo tempore in Græcia, Anglia, Hispania, & Gallia primitus Conceptionis festum celebratum fuit. 405.

Bern.

Quibus positis firmari potest nostrum primum Assertum, quia sicut illa dicitur Beatificatio alicuius Sancti, qua conceditur ad petitionem aliquorum, vt aliquis vita functus in aliqua Prouincia, vel Religione possit appellari Beatus, & de ipso diuinum officium recitari, & Missæ sacrificium de eo peragi; quod antiquitus etiam ad Episcopos pertinebat, vt ait Ludouicus de Torres de fide disput. 17. dub. 2. ita similiter tunc alicuius mysterij festum, quasi statum Beatificationis nancisci merito dici potest, quando annuente Papa in aliqua Prouincia, vel regno tale festum ab illius Diœcesis Episcopo instituitur, ac Officium diuinum de tali mysterio recitatur, de eoque Missæ Sacrificium peragitur. Sed pluribus retro sæculis, iam in aliquibus Prouinciis, Conceptionis immaculatæ solemnitas instituta fuit ab Episcopis particularium illarum diœcesium cum particulari officij diuini recitatione, ac Missæ sacrificio, ergo merito 406.

Torres

dici potest Conceptionis immaculatæ festum quasi Beatificationis statum iam antiquitus sortitum fuisse, præcipue cum id fieret, annuente, & nullo modo contradicente Pontifice.

Sententia pia iam modo quasi statum Canonizationis consecuta est.

Suar.

407. Censeo secundo, Conceptionis immaculatæ Mysterium, ac festum iam quasi Canonizationis statum consecutum fuisse. Ita Suar. tom.2. in 3. part. disp.3.f.5. per hæc verba: *Tandem vero Ecclesia Romana ante* 200. *annos celebritatem hanc generaliter amplexa, cultoribus eius singulares indulgentias impertit: unde quodammodo videtur Conceptionem Virginis canonizasse.* Idem assertum sustinent Ægidius de Præsentat. lib. 3. de Præseru. Virg. q.6. ar.1. §.9. Frater Franciscus de S. Ioseph Ordinis Capucinorum in Prouincia Sanguinis Christi in opusculo Paulo V. dicato. Suadetur hoc placitum, quia Canonizatio in eo sita est, quod Pontifex iubeat vniuersaliter pro omni Ecclesia cultum, ac venerationem alicuius sancti, & applicando nomen hoc festiuitatibus ab Ecclesia indictis: tunc festum aliquod canonizari dicitur, quando cultus vniuersali Ecclesiæ indicitur; tunc enim adest testimonium publicum Romanæ sedis decernentis festum illud esse veneratione dignum, ac proinde sanctum, atque vt tale communi festorum catalogo adscribendum. Quæ omnia præstitit Romana Sedes circa immaculatæ Conceptionis mysterium, & expressius id præstitere Paulus V. & Greg. XV. in suis Constitutionibus alibi à me citatis, in quibus præcipiunt vniuersis Christi fidelibus, vt peragant festum Conceptionis sub hoc nomine: Innocentius item 10. qui nunc Ecclesiæ clauum fælicitèr moderatur, Diem Conceptionis Deiparæ festiuo cultu vniuerso orbi celebrandum indixit; ergo dici posset Conceptionis Marianæ festum, quasi statum Canonizationis assecutum, ea ratione, qua festa, sine mysteria canonizari possunt. Præstat hic audire illustrissimum D. D. Angelum Manrique in tractatu de definitione piæ opinionis c.3.n.13. *Ecclesia*, inquit, *hoc festum celebrat officio omnino proprio, atque mysterium multoties exprimente, quod compositum à Leonardo de Nogarolis clerico Veronensi; idemmet Sixtus IV. approbauit Apostolica, vt ipsemet ait, authoritate, concessisque indulgentiis---Quam approbationem, & concessionem corporis iuris etiam inseri voluit, extatque in Extrauaganti* Cum præexcelsa, de Reliquiis, & venerat. Sanctor. *Porro quanta Ecclesiastici officij ab Ecclesia approbati sit authoritas, maxime si lectiones, vt vocant, demas, nullus Theologus potest dubitare. Verum de hoc specialius certum est, cum in eius approbatione summus Pontifex eisdem verbis vtatur, quibus in Canonizatione Sanctorum vti consueuit. Omnipotentis Dei*, inquit, *Pontifex, ac Beatorum Apostolorum Petri & Pauli authoritate*, & infra, *authoritate Apostolica statuimus. vt non immerito possit iudicari, Virgineam Conceptionem per hanc Bullam, Sanctorum Canoni ab eo fuisse adscriptam, adeoque definitam omnino sanctam.* Quid nostro instituto opportunius dici posset.

Ægid. Franc. de S. Ioseph Minorita.

Paul. V. Greg. XV.

Innoc. X.

Angel. Manrique.

408. Opponet autem quispiam hinc sequi contra mentem Pontificum, vt sicut post alicuius sancti Canonizationem, nemo potest sinistrè de illius sanctitate sentire: sic etiam post quasi Canonizationem huius festi Conceptionis, nullus poterit in posterum, oppositum opinari. Aliqui facile se ab hoc modo expediunt; aiunt enim sententiam piam eo modo, quo canonizata est, gaudere illo priuilegio, vt non possit quispiam ei præiudicium inferre; non enim dicitur Canonizata immaculata Conceptio, sed ipsius festum, vt sententia magis pia. Similiter dicitur sententia pia canonizata in ratione opinionis, ac proinde neminem posse etiam interius sentire, hanc opinionem non esse talem, vt merito potuerit Ecclesiam mouere ad præscriptum cultum. Addunt aliqui ipsam Conceptionem fuisse canonizatam eo genere Canonizationis imperfectæ, quæ statuit cultum, & festiuitatem externam, non tamen definit aliquid circa veritatem mysterij definitione verbali, & expressa, ideoque nec præcepto verbali, & expresso prohibet dissensum internum. Pius V. dum ait, nihil in hac re expresse, & formaliter definitum fuisse, non negat probabilem, & virtualem definitionem. Deest quidem verbalis, & expressa Ecclesiæ definitio de sanctitate Conceptionis, vt necessario credenda: sed dicunt aliqui opinando solum virtualem esse definitionem, quia festa moraliter loquendo emanare non possunt, nisi ab infallibili sententia de sanctitate rei festo publicata, quod licet de fide non sit, assensum tamen sublimiorem exposcit, quam qui in probabilibus sententiis reperitur. Pontifices hucusque nihil è Cathedra docuerunt circa controuersiam; nimirum an liceat sine peccato sentire Mariam Virginem in originaria labe conceptam; sed solum inhibuerunt, ne quis dicere audeat, lethaliter peccare eum, qui alterutram partem tuetur: nihil autem agunt de assensu interno, sed permisit externam professionem opinionis affirmatiuæ Ecclesia, absque nota hæresis, & erroris, & iussit, ne vtriusque partis Assertores se inuicem verbo, aut scripto de reatu peccati lethalis coarguerent. Cum ergo Doctores opinatiuè solum illud de virtuali definitione docent, nullam volunt imponere censuram opinioni minus piæ: sic supra nos ostendimus, si quis affirmet opinionem piam probabiliter sibi videri de fide; non ideo censuræ nota contrariam opinionem inurit. De quo consulendus Ludouicus de Torres in Selectis Centuria 2. dub. 55. Ex festo igitur Conceptionis colligi nequit tanta certitudo, quanta in alicuius sancti Canonizatione solet esse; nam Pontifex ipse, qui hoc festum indicit, mentem suam sufficienter aperit, dum ait, se solum probare sententiam negantem B. Virginem peccati originalis labe fuisse infectam, vt piam, magisque probabilem. De quo Suarius tom.2. in 3. p. disp.3. sect.3. §. Dico secundo.

Torres.

Suar.

409. Quam responsionem vt fulciant eius assertores admittunt Ecclesiam in festorum celebratione errare non posse, quando simpliciter, & absolutè festa illa instituit; tunc enim illius festi sanctitatem absolute sine vlla hæsitatione, aut formidine partis oppositæ decernit, & iubet: secus vero si illa festa, eorumque sanctitatem, solum tanquam pium, magisque probabile declarat; tunc enim ex talis celebratione festi, non bene infertur certitudo aliqua indubitata, sed solum certitudo quædam pia & probabilis, quæ falsitati subesse possit. Festum autem immaculatæ Conceptionis non ita fuit institutum tanquam continens infallibilem veritatem absolute tenendam, sed solum institutum fuit tanquam continens veritatem magis probabilem, ac piam. Quod ex eo confirmari potest, quod Ecclesia illud festum instituens immaculatæ Conceptionis, oppositam sententiam libere permisit sustineri, vt constat ex Extrauaganti *Graue nimis* Sixti IV. & ex Constitutione Pij V. *Super specula*. Vbi perspicuis verbis

Sixtus IV.
Pius V.

bis liberam cuique facultatem relinquit, vt quisque quam voluerit partem seligat dummodo sententiam contrariam seueriori aliqua nota non inurat. Ita Recentiores aliqui nodum illum soluere
Suar. Vaz. se putant ex Suario cit. & Vaz. tom. 2. in 3. p. disp. 117. c. 5. n. 57.

410. Verum enim vero tantorum virorum pace, censeo maiorem certitudinem inferri, quam ipsi autumant, piæ sententiæ, ex solemni cultu immaculatæ Conceptionis à Sede Romana instituto, & indicto. Assero ergo ex festo immaculatæ Conceptionis, eam elici certitudinem sanctitatis huius mysterij, non quæ sit ex fide, valde tamen consonam fidei principiis, quæ omnem procul ambigat falsitatis formidinem, eamque inducat probabilitatem, quæ falso subesse nequeat. Ita Franciscus à sancto Ioseph cit. §. 4. & 5. Ægidius de Præsentat. lib. 3. de Præseruat. Virginis quæst. 6. artic. 1. §. 10. & quotquot asserunt sententiam piam ita esse veram, vt reapse falsitati neque moraliter, neque physice obnoxia queat esse. De quo supra egimus. Et primum negandum est, summum Pontificem hoc Conceptionis festum approbantem, dixisse vnquam, se solum probare sententiam piam, vt magis piam, magisque probabilem. Sed enim Sixtus IV. primus huius festiuitatis per vniuersam Ecclesiam author, nunquam in duplici sua Constitutione edita de hoc mysterio, asseruit se opinionem negantem in B. Virgine peccati originalis maculam, solum approbasse vt piam, & magis probabilem; ibi enim solum coarguit eos, qui scienter ausi sunt asserere, hæreticum esse eum, qui censet B. Virginem ab originali labe fuisse immunem, ac lethali peccato se commaculare eos, qui immaculatæ Conceptionis festo intersunt; quas propositiones damnat vt falsas, & erroneas, easque sub excommunicationis pœna prohibet, eademque ratione excommunicat eos, qui hæresis nota inurunt eos, qui affirmauerint B. Virginem peccato originali subiacuisse. Solum ergo docet Pontifex, opinionem minus piam non esse erroneam, neque esse peccatum lethale illam sustinere. Nec quidquam aliud in Constitutionibus Alexandri VI. & Pij V. reperitur, qui solum liberam cuilibet facultatem præbet tenendi quam maluerit huius controuersiæ partem; quod quid distinctum est, ac dicere: immunitatem B. Virginis à peccato originali solum esse magis piam, magisque probabilem.

Ex festo generali immaculatæ Conceptionis elicitur ea sanctitas huius mysterij, non quæ sit ex fide, sed quæ falsitati subesse nequeat.

Francisc. à S. Ioseph.

Ægid.

411. Instant aliqui licet Ecclesia Romana nondum expresse declarauerit immunitatem hanc B. Virginis solum esse magis piam, & magis probabilem; satis tamen id innuisse, dum liberam cuique facultatem relinquit, quam maluerit partem huius controuersiæ seligendi: si enim per festum immaculatæ Conceptionis hanc B. Virginis exemptionem à peccato originali, non solum vt magis probabilem, ac piam, sed vt certam physice, ac proinde nullo modo falsitati obnoxiã iudicasset; non vtique liberam cuique relinqueret facultatem, vt quam vellet partem eligeret. Verum in ea semper sententia persisto, vt asseram summum Pontificem per festi immaculatæ Conceptionis institutionem, & per contrariæ sententiæ indictum silentium, non solum intendisse addere maiorem probabilitatem, ac pietatem nostræ piæ sententiæ, sed illam probabilitatem fidei principiis consonam, quæ falsitati subesse nequeat; non veroillam, cui falsitas reapse non repugnat. Quod autem libera illa facultas à Pio V. facta, vt quisque possit, quam velit sententiam sustinere, non obstet, quominus ex institutione festi immaculati conceptus eliciatur certitudo huius mysterij à se abiegans omnino omnem falsitatem perspicuum fiet ex dicendis.

412. Vt igitur à falsis vera seiungamus animaduertendus est multiplex veritatis gradus, tum in naturalibus, tum in supernaturalibus: quemadmodum enim in naturali veritate alia est euidentior & certior aliis, quia vnius lumen alio est euidentius; sic veritas mathematica maior est omni alia veritate naturali, certitudo etiã metaphysica maior quam physica: sic etiã in veritate supernaturali multiplex datur gradus, ita vt alter sit altioris certitudinis altero: & ideo Theologi in propositionibus ad fidem spectantibus varios discriminant veritatis gradus; siquidem alius est gradus veritatis fidei, quæ talem sortitur certitudinem vt oppositum contineat falsitatem hæreticam: alia est veritas proxima fidei, quæ adeo certa censetur, vt oppositum, licet non sit hæreticum, sit tamen hæresi proximum, & error. Alia elicitur veritas fidei principiis consona, & vnanimi fere Doctorum consensu approbata, cuius oppositum, vel est temerarium, vel periculosum, & non satis pium. Quod fuse tractat, & exenterat Votum Platonis, & quidem Theologice, & erudite. Inter hos veritatis supernaturalis gradus hoc reperitur discrimen; gradus enim veritatis primi generis proponitur ab Ecclesia tanquam veritas ad salutem necessaria, quæ ab omnibus fidelibus implicite, vel explicite credi debeat; cuius oppositum tanquam hæreticum exploditur, & excommunicatione, aliisque censuris & pœnis animaduerti solet. Secundus gradus veritatis supernaturalis ita est certus, vt oppositum sit error in fide, ac proinde nunquam permittitur ab aliquo affirmari, & edoceri. Porrò gradus tertius & imperfectior veritatis supernaturalis eam continet certitudinem, quæ fidei sit consentanea, non tamen ita perspicue, vt oppositum non toleretur ab Ecclesia; ac proinde oppositum placitum licet falsum reputetur, non tamen interdicitur ab Ecclesia; quod non sufficit vt asseramus eam veritatem esse talis naturæ, cui falsum subesse possit, quia cum veritas immaculatæ Conceptionis aliquo modo ad fidem spectet, neque attingi queat lumine naturali solum, sed supernaturali, ita certa esse debet, vt reapse falsa esse nequeat.

Multiplex veritatis naturalis, quã supernaturalis gradus explicatur.

413. Ex his Theologice depromes, non solum Infallibili veritate certa esse, quæ tanquam fidei dogmata ab Ecclesia proponuntur, verum etiam quæ absque fidei definitione ab Ecclesia vel fidei proxima, vel principiis fidei maxime consona habentur: siquidem hæc est fidei supernaturalis præstantia, vt non modo quæ fide diuina creduntur procul à se falsitatem omnem dispellant, sed etiam quæ eidem fidei consentanea sunt, & vt talia ab Ecclesia censentur, nequeant falsitati subesse: imo veritas quæ tanquam fidei principiis consentiens ab Ecclesia fidelibus proponitur, non solum errorem, & falsitatem excludat, sed possibilitatem, vt falsa sit, & veritati contraria. Quare nulla assertio probabilis ea probabilitate, quæ falsum non excludat, ad fidem spectare potest, aut coerceri sub aliquo Catholicæ veritatis gradu; quippe veritas ad fidem pertinens, sub quolibet accipiatur gradu, necessario supponit veritatem; qua posita vestigatur, an aliquo modo ad fidem spectet, & ad quem veritatis gradum: cum ergo assertio illa negans B. Virginem peccato originali fuisse infectam, ad fidem spectet iuxta iudicium sedis Apostolicæ, non eam tanquam

 fidei

fidei articulum decernentis, ſed vt veram & piam in fide fidelibus proponentis, profectò cenſendum, certum eſſe, præfatam propoſitionem negantem B. Virgini originariam labem, reapſe ita eſſe veram, vt falſitati nequeat vllo modo ſubiacere. Quod non ſolum certum eſſe, ſed etiam de fide docet eſſe Ægid. Ægidius de Præſentat. lib. 3. de Præſeruat. B. Virg. q. 2. art. vnico num. 15. & ratio à priori eſt, quam iam protulimus, nempe quia multum authoritati Eccleſiæ detraheretur, ſi aliquid ad diuinum cultum ſpectans fidelibus proponeret tanquam pium, & fidei diuinæ conforme, quod reipſa falſitati obnoxium poſſet eſſe.

414. Male ergo inferunt aliqui ex eo quod Pius V. liberam cuicunque reliquit facultatem ſeligendi quam maluerit huius controuerſiæ partem, elici Eccleſiam, vel Pontificem feſtum immaculatæ Conceptionis inſtituentem, ſolum cenſuiſſe, præſeruationem B. Virginis à culpa originaria, probabilem, & piam, non vero omnino veram, ac certam, ita vt falſo ſubeſſe non poſſit. Quod inde ſuaderi poteſt, quod immaculati Conceptus feſtum inſtitutum fuerit ab Eccleſia in Dei cultum, & honorem, videlicet vt hac pia ſententia Deus coleretur, & B. Virgo hoc ſingulari priuilegio exornaretur; Sixtus IV. id enim intendit Pontifex Sixtus IV. in Extrauag. 1. de reliquiis, & veneratione SS. dum ait: *Dignum, quin potius debitum reputamus, vt omnes Christi fideles omnipotenti Deo de ipſius immaculatæ Virginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & inſtitutas propterea in Dei Eccleſia Miſſas, & alia diuina officia dicant, & vt illis interſint, indulgentiis, & peccatorum remiſſionibus inuitare, vt exinde fiant Virginis meritis, & interceſſione gratia aptiores.* Si ergo feſtum hoc in Dei cultum, & honorem inſtitutum fuit, nequit eſſe incertum, Deiparæ immaculatum Conceptum fuiſſe ſanctum, ſed enim Eccleſiæ authoritati maximum inferretur præiudicium, ſi aliquid aut falſum, aut incertum tanquam ſanctum colendum proponeret; præcipuè cum in his Spiritus ſancti ductu feratur. Falſo ergo innituntur fundamento prædicti Doctores dum cenſent ſufficere immunitatem à peccato originali eſſe piam, & probabilem probabilitate illa, cui falſitas reipſa non repugnat, vt poſſit ab Eccleſia Conceptionis immaculatæ feſtum ſolemni ritu peragi: cum enim Eccleſia Conceptionis virgineæ ſanctitatem eius feſto colat, neceſſario cenſendum eſt, illius ſanctitatem eſſe piam ea pietate, quæ ad fidem ſpectet, authoritati Eccleſiæ innixa, quæ in his, quæ ad Dei cultum conducunt Spiritus ſancti ſpeciali afflatu ducatur; alioquin proponeret Eccleſia colendum id quod re ipſa verum non eſt, nec ſanctum, ſed falſitati, & ſuperſtitioni obnoxium

415. Quod vt penitius introſpiciatur, duplex eſt diſtinguenda pietas, & probabilitas; altera reipſa omnino certa, & infallibilis, quæ omnem à ſe excludat falſitatem; altera dubia ſolum quæ talis ſit naturæ, cui falſitas reipſa non repugnet; qualis eſt illa, qua plures Doctores opinantur B. Virginis merita, & gratiam longo interuallo ſuperare omnium Angelorum, & hominum merita & gratiam collectiue ſumptam; tum & Virginem Deiparam pluries vita ſuperſtitem diuina eſſentia gauiſam; fomite peccati omnino caruiſſe; rerum omnium cognitione in primo Conceptionis inſtanti floruiſſe; & alia id genus, quibus integrum hoc opus inſperſum eſt; quæ priuilegia B. Virgini deferimus ea ſolum pietate ducti, quæ non omnino tollat formidinem partis oppoſitæ; ac proinde quæ probabilitatem inducant, non vero certitudinem, vnde re ipſa falſitati ſubeſſe poſſunt, quia non innituntur principio aliquo infallibili, ſed ſolum rationibus validiſſimis ex congruentia deſumptis. Pietas autem primi generis, quæ fundatur in aliquo principio infallibili ad fidem ſpectanti, qualis eſt Eccleſiæ authoritas in his, quæ ad Dei cultum conducunt, eſt omnino certa, quæ omnem falſitatem procul à ſe propulſet: fidei enim valdè conſentaneum eſt, Eccleſiam in his à vero deflectere non poſſe; hac pietate gaudet veritas, qua credimus Virginem Deiparam ſine peccato originali fuiſſe natam, adeoque in vtero fuiſſe ſanctitate donatam; tum & corpore & animo in cælum aſſumptam; quia hæc myſteria ab Eccleſia Spiritus ſancti afflatu celebrantur, ex qua ſolemni celebratione credimus illa myſteria ita eſſe vera, vt re ipſa falſitati ſubiacere non poſſint, quia eſt pietas ſpectans ad Dei cultum, & honorem ex Spiritus ſancti lumine deducta, Eccleſiam mouentis ad illum cultum Deo, & Virgini Matri exhibendum; ac proinde principio veritatis infallibili innixa, & aliquo modo ad fidem ſpectans; at fidei diuinæ nulla reperitur pietas, aut veritas ſolum probabilis, cui falſitas non repugnet, ſed quæ ſit omnino certa, & falſitatem excludat. Cum ergo veritas ſanctitatis Conceptionis Virgineæ deſumatur ex ſolemni ipſius feſto, authoritate Eccleſiæ indicto in Dei honorem, & Deiparæ cultum, vtique ita erit certa, ac pia vt excludat omnem falſitatem.

Quamuis autem Eccleſia ita Conceptionis feſtum inſtituerit, vt liberam relinquat facultatem oppoſitum opinandi, dictis obeſſe non poteſt, 416. quia nihil implicat Eccleſiam immaculati Conceptus Virginis Deiparæ ſanctitatem ſolemni cultu ſuſpicere, eamque tanquam certam amplecti, & infallibilem, & ſimul liberam concedere facultatem cuicunque, quam maluerit opinionem aſſectandi; & ratio eſt, quia veritas immaculati Conceptus, licet ſit reipſa infallibiliter certa, non tamen illam continet certitudinem ita euidentem, ſed ſolum fidei conſonam. atque adeo oppoſitam ſententiam tolerat Eccleſia, illamque aliquibus ſeruatis conditionibus permittit, donec labentibus annis eadem Eccleſia Spiritus ſancti ductu eam de fide ſtatuat, & oppoſitam omnino prohibeat. In cuius rei confirmationem ſubiungam exemplum in feſto Aſſumptionis B. Virginis, quod antiquiſſimum fuit, vt probat Suarius tom. 2. in 3. Suar. p. diſp. 21. ſect. 2. & tamen plures hanc veritatem in dubium verterunt, vt patet in ſerm. de Aſſump. qui nomine S. Hieronymi circumfertur. patet Hieronym. etiam ex Auguſt. ſerm. 134. de Sanctis; & tamen Auguſt. huius feſtiuitatis veritas ab Eccleſia inſtituta, ita certa erat, vt omnem falſitatem arceret, vt patet ex Suario cit. §. *Sed quæres.* Canus addit eſſe petu- Canus. lantem temeritatem id negare lib. 12. de locis c. 12. quem aſſectatur Corduba lib. 1. qq. Theolog. Cordub. q. 17. Catharinus lib. 4. Contra Caiet. plus audet, Cathar. dum ait id eſſe de fide. Licet Abul. in Matt. q. 230. Abul. ſolum aſſerat, eam ſententiam eſſe probabiliorem: quare rectè cohærere poſſunt certitudo ad fidem ſpectans omnem falſitatem excludens, cum eo quod Eccleſia ita illius veritatis certitudinem amplectatur, vt oppoſitum non interdicat, nec puniat, ſed aliquo modo, & ad maiora incommoda fuganda permittat; non tamen ex eo approbat illud, ita vt reipſa verum eſſe poſſit, ſolum tolerat Eccleſia, dum

dum illud non prohibet, nec punit, quia illius veritatis certitudo, quam probat, in ipsius honorem festum indicens, adhuc non est ita euidens in fide, vt oppositum condemnet.

417. Ex quibus omnibus iam clarescit solutio difficultatis propositæ n.408. licet enim Pontifex liberam cuicunque fecerit facultatem amplectendi oppositam sententiam, inde tamen non fit, ab Ecclesia Conceptionis immaculatæ sanctitatem, ac veritatem non coli, & haberi tanquam certissimam, sed solum vt magis piam, & probabilem, non tamen ita vt falsitati non sit obnoxia: certitudo quippe ad fidem attinens ex celebratione festi immaculatæ Conceptionis desumpta, recte stare potest cum eo, quod Pontifex ita sanctitatem, ac veritatem huius mysterij approbet, & proponat, vt oppositam affirmari sententiam sublato scandalo permittat, donec ab Ecclesia hæc veritas inter gradus certitudinis fidei reponatur, & oppositum prohibeat, & puniat.

Bannes. Quibus ita propositis quiuis inferet; quemadmodum de veritate sanctitatis alicuius viri sancti, vel cuiusuis mysterij ab Ecclesia vel in sanctorum album, vel in sanctarum rerum catalogum adscripti firmiter tenendum est, tenaciterque sentiendum id ita esse sicut Ecclesia proponit: ita etiam idem de Conceptionis B. Virginis sanctitate suo modo, & cum proportione dicendum. Quod autem nulli liceat, aut asserere, aut tenere aliquid quod sanctitati opponatur eorum, qui in sanctorum catalogum iam sunt adscripti; est communis modò Theologorum sententia, summum Pontificem in tantò canonizationis negotio errare non posse; & oppositum affirmate, & temerarium, & scandalosum esset, quin etiam hæresim saperet. ita relictis aliis Bañes in 2.2.q.1.a.10.dub.7. vbi hæc habet: [*Temerarium est valde, & scandalosum, & hæresim sapit, dicere, quod Papa, aut Concilium possit errare in Canonizatione sanctorum. Sensus conclusionis est, non solum quod Papa non possit errare abutens sua potestate; hoc enim iam diximus esse hæreticum. sed sensus est quod asserere aliquem Sanctum canonizatum ab Ecclesia, aut Pontifice, non esse in cælo, dignum est præmissis censuris.*] Melchior Canus

Canus. Episcopus Canaricus. lib.5. de locis c.5. arguit eos, si non tanquam hæreticos, saltem tanquam temerarios, impudentes, & irreligiosos, additque ab Ecclesia puniendos, qui Ecclesiam in canonizatione sanctorum errare posse dicerent. At vt supra vidimus; eodem modo loquendum est de sanctitate alicuius mysterij iam ab Ecclesia in festorum catalogum adscripti; ac de sanctitate alicuius viri sancti ab Ecclesia in sanctorum syllabum relati, ergo eadem ratione firmiter tenendum est, & credendum de sanctitatis veritate mysterij conceptionis. Confirmatur ideo Papa, vel Ecclesia in re canonizationis errare non potest, quia nequit in perniciem leges inferre; in perniciem autem, & contra bonos mores refunderetur, si in re Canonizationis errare, aut fallere posset. Recteque infert Canus cit. si vnum aliquod huius generis decretum in dubium reuocare liceret, proculdubio Hieronymi, Ambrosij, & Augustini, & reliquorum sanctitas in quæstionem sine crimine reuocari posset. Ergo eodem modo si de decreto colendæ Conceptionis immaculatæ B. Virginis toti Ecclesiæ exhibito dubitare permittitur, vel negare eo religioso cultu sanctam B. Virginis Conceptionem esse suspiciendam, ac venerandam, æque etiam licebit affirmare, eademque proferre de B. Virginis Præsentatione, Assumptione, & aliis, vt de Natiuitate eiusdem, de quo festo sic arguit S. Ildephonsus Ildeph.
lib. inscripto, *Contra eos, qui disputant de Virginitate, & Purificatione B. Mariæ.* Ait ergo, si B. Virgo ab vtero matris sancta non prodiisset, minime eius Natiuitas colenda foret, ergo ratione sanctitatis colitur. Idem ergo de Conceptionis festo proferri posse non nemo existimabit; de qua canit Ecclesia in octauo Responsorio officij de Conceptione B. Mariæ: *Sentiunt omnes tuum iuuamen quicumque celebrant tuam sanctam Conceptionem.* Quemadmodum ergo si de sanctitate, ac Beatitudine alicuius orta fuisset dubitatio, sedaretur vtique si ab Ecclesia vniuersis Christi fidelibus proponeretur tanquam sanctus colendus: ita prorsus de veritate cuiuscumque mysterij, vel quoad existentiam, vel quoad sanctitatem, altercatione, dubietateve suborta; si ab Ecclesia mysterium illud colendum proponeretur, iam deinceps nullus debet dubitationi remanere locus. Nam in vtroque euentu vis & ratio Canonizationis viget. Hic etiam suas exerit vires ratio D. Thom. in 3. sent. D. Thom.
distinct. 3. q. vnica a 1. & 3. p. q. 27. a. 1. vbi sic arguit: *Ecclesia non solemnizat nisi pro aliquo sancto, solemnizat autem Natiuitatem B. Virginis, ergo sancta nata fuit.* Quod argumentum idem robur habet in nostro euentu: si enim Ecclesia non instituit solemnitatem, nec officium diuinum ordinat, nec in honorem alicuius Deo sacra offert, templa construit, altaria erigit, nisi pro aliquo sancto, vel pro re aliqua sancta. Atqui hæc omnia præstat Ecclesia pro immaculata B. Virginis Conceptione, ergo sancta fuit, & immaculata.

419. His autem recte respondebis, si asseras; ideo de Virgineæ Conceptionis sanctitate dubitari, ac in oppositum abire sine crimine posse, non vero de quocumque alio in sanctorum album adscripto, quia de hoc non exstat Ecclesiæ permissio, sicut de Conceptionis controuersia, de qua exstat authoritas permissiua oppositum sentiendi in extrauaganti *Graue nimis*; & in alia Constitutione Pij V. quæ incipit *Super speculam.* Sed hanc responsionem ita infirmare conantur aliqui; nimirum quia inde manifeste infertur, veritatem de sanctitate Canonizati ab Ecclesia, non esse infallibilem, sed falso subesse posse, quæ illatio sic firmari potest; quoniam alioquin Ecclesia nulla ratione permitteret oppositum sustineri posse, vt de Conceptione dicitur; ac proinde sententia S. Ildephonsi, & S. Thomæ, & omnium Theologorum hoc æuo asserentium Ecclesiam nunquam in catalogum sanctorum referre nisi sanctum, pessum ibit. Itaque eius argumenti vis in eo sita est, nempe quod instituta semel ab Ecclesia Conceptionis festiuitate, resultauerit ipsa Conceptio immaculata, quodammodo Canonizata, adeò vt si de ipsa dubitari liceat, sustineri nequeat sententia asserentium, non licere in dubium reuocare sanctitatem illius, qui in sanctorum album relatus est. Sed enim negari non potest Conceptionis solemnitatem prius fuisse ab Ecclesia institutam, quam Sixtus IV. eam approbãs in Extrauag. *Graue nimis*, permiserit teneri etiam oppositum, vt ex tenore Bullæ patet, ait enim: *Sane cum sancta Romana Ecclesia de intemerata, semperque Virginis Mariæ Conceptione publice festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super hoc Officium ordinauerit.* Si ergo instituta semel solemnitate Conceptionis licuit Romano Pontifici postmodum permittere teneri oppositum, nempe Conceptionis festum quodammodo canonizatum, non

esse

esse Sanctum; poterit etiam Ecclesia, & quilibet Pontifex rationabili ex causa, de Sanctitate alterius ab Ecclesia Canonizati, de quo non sit aliqua determinatio de fide, idem aliquando permittere: ac proinde quod Ecclesia tanquam Sanctum colit, vel quia Solemnem instituit festiuitatem, vt patet de Natiuitate, Præsentatione, & Assumptione B. Virginis, vel per Solemnem Canonizationem, vt de pluribus Sanctis; non erit adeo certum, & infallibile, quod nequeat impune oppositum sustineri. Quæ omnia proponit Fr. Franciscus à S. Ioseph Suessa Ordinis Minorum discalceatorum Regularis obseruantiæ Pœnitentiarius in Ecclesia Lateranensi, Paulo V. tunc Ecclesiæ totius clauum tenenti, in memoriali, vel supplici libello typis mandato.

Suessa Minor.

420. Vlterius dicat aliquis summum Pontificem, qui festum Conceptionis approbauit, non fuisse suæ intentionis illud Canonizare, sed probare tantum, tanquam pie creditam immaculatam B. Virginis Conceptionem, magisque probabilem; eo enim ipso quod eius successor, nempe Sixtus IV. præfatum festum approbans, & indicens, oppositam sententiam sustineri posse permisit, alterutramque nulla censuræ nota inuri prohibuit; iam declarauit, Pontificis prædecessoris, Conceptionis immaculatæ festum pro vniuersali Ecclesia instituentis intentionem fuisse eam, qualem ipse Sixtus IV. in Extrauaganti *Graue nimis*, luculenter explicat. Solum opponi posset contra hanc responsionem, quia prius quam Sixtus IV. Prædecessoris mentem interpretaretur, vel Sanctitas Conceptionis B. Virginis ex institutione festi ipsius pro vniuersali Ecclesia, nacta fuit certitudinem infallibilem, quæ inest Sanctitati Canonizatorum, vel non: si primum asseratur, ergo veritas sanctitatis Canonizati est infallibilis: si vero secundum dicatur; infertur institutionem festiuæ solemnitatis pro vniuersali Ecclesia absque expressa permissione oppositi, non inducere certitudinem infallibilem de sanctitate festi ab Ecclesia instituti; ac proinde de veritate alicuius mysterij ab Ecclesia vniuersali instituti per solemne festum, (nondum tamen fide diuina crediti.) poterit aliquando, si id ratio suadeat, Ecclesia permittere oppositum sustineri: idemque dici poterit eodem fundamento de veritate sanctitatis alicuius Sancti iam inter Diuos relati, adeoque iudicium Ecclesiæ in re Canonizationis non esse infallibile, cuius oppositum tenent communiter omnes Theologi.

421. Cui ratiocinationi nouum addi potest robur. Si enim institutio Festi Conceptionis pro vniuersali Ecclesia, sine expressa permissione oppositum sentiendi: (Sic enim ab initio institutum fuit ab Ecclesia Festum Conceptionis immaculatæ.) non induxit infallibilitatem de sanctitate Conceptionis, quia labente tempore, ab Ecclesia oppositum sustineri permissum fuit; ergo idem contingere poterit cuicunque alteri mysterio, eadem ratione aut simili ab Ecclesia instituto; vel etiam cuilibet Sancto ab Ecclesia in Diuorum numerum adscripto. Et claritatis gratia subiiciamus exemplum, in solemnitate Natiuitatis B. Mariæ. Exorta fuit controuersia inter hæreticos, & Catholicos de sanctitate Natiuitatis B. Virginis tempore D. Ildephonsi; & Ecclesia vt litem dirimeret, solemne festum instituit Natalitiis B. Mariæ absque permissione expressa oppositæ sententiæ, vt patet ex D. Ildephonso, & D. Th. citatis; qui vt propugnent certitudinem infallibilem sanctitatis Natalitij Mariani, nullam aliam definitionem Ecclesiæ, vel alicuius Pontificis afferunt, nisi prædictam solemnitatem ab Ecclesia institutam. Quibus præmissis sic argui potest: vel enim per præfatam festi natalitij institutionem, iam sanctitas Natiuitatis B. Virginis fuit veluti Canonizata, vel non: si primum, ergo similiter per institutionem solemnis Festi Conceptionis eiusdem Virginis pro vniuersali Ecclesia, iam sanctitas Conceptionis sortita est statum Canonizationis; quod enim controuersia versaretur tunc inter Catholicos, & Hæreticos; nunc autem inter Catholicos tantum, nihil refert ad præsens institutum. Si vero secundum dicatur, videlicet per solemne festum Natiuitatis Mariæ, non fuisse Canonizatam sanctitatem Natiuitatis B. Virginis, ergo falso nituntur fundamento S. Ildephonsus, & S. Thomas, dum concludere nituntur illos, qui negabant B. Virginem sanctam fuisse in suo ortu, ex institutione festi natalitij eiusdem: Deinde hinc inferre liceret, sustineri posse modo sententiam asserentem B. Virginem adhuc in Natiuitate, sanctam non fuisse, quod nefas est dicere.

Responderi posset, sanctitatem Conceptionis Virgineæ valde exstitisse dubiam, ac controuersam, quo tempore institutum fuit ipsius festum pro tota Ecclesia, & Romanus Pontifex, qui festum Conceptionis indixit, oppositam sententiam non prohibuit. Ex quo elici potest, sub eadem tantum probabilitate Pontificem Conceptionis festum immaculatæ instituisse, sub qua tunc immunitas eiusdem Virginis ab originali propugnabatur vltro citroque inter Doctores vtriusque factionis; quare permissionem factam sustinendi oppositam sententiam, sicut ante institutionem eiusdem Festi Conceptionis: & patet ipsa experientia doce, cum subsequentes Pontifices Sixtus IV. Pius V. & alij diplomata excuderint, in quibus permittitur opposita sententia sustineri. Si instabit quispiam vlterius sic: si instituta ab Ecclesia alicuius festi solemnitas siue de aliquo mysterio, siue de aliquo Sancto viro, de cuius sanctitate ante talem institutionem dubium, & controuersia exorta fuerat inter Catholicos; huiuscemodi dubium, & controuersiam non dirimit penitus, sine alia expressiori definitione de certitudine sanctitatis festi instituti, vel de aliquo mysterio, vel de aliquo viro sancto, & sine aliqua prohibitione sustinendi oppositum; inde fiet, vt in præteritis, siue futuris ab Ecclesia statutis festis, siue Canonizationibus, tum mysteriorum, tum sanctorum virorum, quorum dubia, & controuersa sententia præcessit, vel præcedet de sanctitate ipsorum, sub eadem dubitatione coli ab Ecclesia censeatur illud statutum festum. Sed his omnibus hic productis Respondendum est standum esse Ecclesiæ, & Pontificum determinationi sufficienter per Constitutiones suas expressæ. Quare rationes omnes, & intellectum nostrum subiiciendum esse, & captiuandum in obsequium Ecclesiæ, ac Christi Vicarij declarantis suæ mentis esse, vt ita festum Conceptionis immaculatæ à Christi fidelibus per vniuersum terrarum orbem peragatur, vt nolit tamen, vt opposita sententia prohibeatur, sed pro libito possint Aduersarij in sua permanere sententia donec Ecclesia, siue Pontifex è Cathedra aliud decernat. 422.

CERTA

CERTAMEN XIX.

An inter Martyres annumerandus sit ille, qui mortem subiret pro veritate immaculatæ Conceptionis B.Virginis.

423. PRimùm hîc ob oculos proponendam censeo dilocidam Martyrij definitionem à P.Gregorio de Valentia allatam tom.3.disp. 8.q. 2.p.1. vbi ait: *Martyrium est testimonium, quo morte ipsa pro Deo testificatur quis aliquam fidei veritatem, vel in se ipsa, vel in aliquo virtutis opere relucentem.* Vnde non solum ille inter Martyres est referendus, qui mortem subit pro aliquo fidei articulo; sed etiam qui pro aliquo virtutis opere, in ipso enim fides diuina resplendet. Hinc Ecclesia S. Matthæum tanquam Martyrem suspicit, ac veneratur, qui in Virginitatis propugnationẽ, sanguinem, ac vitam profudit. Sanctum etiam Thomam Episcopum Cãtuariens. inter Martyres reponit Ecclesia, qui pro immunitate Ecclesiastica tutanda mortem oppetiit. Quærimus ergo an etiam qui mortem pateretur pro tutanda immunitate à peccato originali magnæ Matris, inter Martyres esset computandus? Alphonsus de Castro lib.1. de iusta Hæreticorum punitione c.8. dub.4. Laurentius Portel in dubiis Regul. *Verbo, Conceptio Deipara* n.6. partem amplectuntur negantem. Primus enim ait: *Ego quidem Virginem Deiparam sine peccato originali conceptam fuisse credo, attamen non tam firmo animo hanc teneo sententiam, vt illam putem esse fidem Catholicam, atque adeo pro huius sententia tutela non libenter ceruicem gladio opponerem.* Portel autem erroneam docet esse hanc propositionem: *Qui pro defendenda Deipara ab originali moreretur, verum subiret martyrium.* Excessit proculdubio hic author, dum nimis seueriori censura sententiam contrariam inurit; vt videbimus Certaminis decursu.

Valent.
Inter Martyres est computandus qui pro aliquo virtutis opere mortem subit.
Castro.
Portel

424. Vt autem certamen facilius, ac dilucidius ineatur, distinguere oportet duplex iudicium in hac controuersia pro veritate immaculati Conceptus Virginei; alterum practicum, & ad opus vergens, quale est illud: Bonum est his positis circumstantiis, festum immaculatæ Conceptinnis cultu, ac veneratione suspicere; & hanc Virginis Deiparæ exemptionem ab originali pro cathedris edocere, pro rostris in concionibus publicis fidelibus persuadere. Alterum iudicium est mere speculatiuum, quod in sola huius veritatis contemplatione situm est; vt si quis diceret: Verum, ac certum est, B. Virginem immunem prorsus exstitisse à noxa otiginaria. Quo præmisso.

425. Assero primo, illum qui mortem oppereret propter cultum, ac venerationem immaculatæ Conceptionis Virginis Deiparæ, & quia hanc edocet veritatem, & tanquam tutam, piam, ac veram persuadet; omnino tanquam Martyrem esse habendum. Ita Aluarus de Palacios in suis discursibus pro immaculata Conceptione discursu 2. Ægidius de Præsentat. lib. 3. de Præseru. Virginis q. 8. §.4. Granado de Concep. disp. 3.c.31. & affirmat ita sensisse magnum Doctorem Suarium io Epistola quadam manuscripta. Ludouicus de Torres in selectis disp. parte 2. disp. 31. dub.1. Vbi ait, hanc conclusionem semel, & iterum delatam fuisse ad Senatum snpremum sanctæ inquisitionis, ac iudicatum esse, non esse dignam censura, adeoque concessam fuisse facultatem illam tutandi in publicis actibus: & quidem in conclusionibus Cæraugustæ habitis, quibus interfui, delata fuit præsens thesis; ac demum supremum sanctæ Inquisitionis Tribunal facultatem concessit, vt publicè desenderetur. Eam etiam plurimi Recentiores Doctissimi amplexi sunt.

Verus Martyr exsisteret qui pro cultu immaculatæ Conceptionis mortem oppeteret, & pro hac veritate edocenda.
Aluarus
Ægid.
Granado
Suar.
Torres.
Supremum Inquisitionis tribunal facultatem fecit prædictam propositionem publicè edocendi.

426. Ratione autem sic stabiliri potest quia ille tanquam martyr est habendus, qui pro aliquo virtutis actu morti se committit, sed festum immaculatæ Conceptionis religiosa veneratione colere, & hanc veritatem edocere pro Cathedris, ac pulpitis, est actus virtutis; saltem si eius veritatis non habeat iudicium incertum, & imprudens, ergo qui morti se dederet, pro quolibet ex his actibus, verus martyr existeret. Maior propositio huius argumentationis est vniuersaliter recepta. Videndus Raynaudus libelln de martyrio per pestem. Et colligunt id Doctores ex D.Th 2.2.q.124. art.5. vbi docet, omnium virtutum opera, quatenus referuntur in Deum esse fidei protestationes, per quam innotescit nobis, Deum à nobis eiusmodi opera deposcere, ac pro eis nobis præmia dilargiri; quare iuxta hanc considerationem rectè esse posse martyrij causam; & ratio est perspicua, quia martyr Christi ille dicitur, cuius morte suffragium fert doctrinæ per Christum reuelatæ coram mundo, & Angelis; at Christi doctrina est omnis virtutis actus. Minorem propositionem multipliciter roborare possumus; quia huius veritatis, videlicet immaculati Conceptus assertio, ac propugnatio, est apta materia ad vota, & iuramenta emittenda, vt ptoximo sequenti Certamine monebimns; & quidem perperam, nec sine temeritate id damnari potest, cum tot Doctores, & Academiæ id iuramentum nuncupauerint cum notitia, ac plena scientia summorum Pontificum; at votum non solum dè quolibet virtutis actu, sed etiam de meliori bono soler esse, ergo propugnatio immunitatis à peccato originali actus est virtutis. Secundo, firmatur eadem minor, quia huiusmodi immunitatis assertio, ac defensio in Dei honorem refunditur, ceditque in cultum Virginis Deiparæ, ergo est actus Religionis. Antecedens patet, cum plures Pontifices Conceptionis festum colendum fidelibus proposuerint, vt ex dictis tota hac Palæstra satis constat. Tertio, Eadem minor stabilitur, quia actus affirmans, & propugnaos hanc Deiparæ exemptionem ob originali, quocunque modo concipiatur, siue ex parte obiecti materialis, siue formalis, siue ex parte intellectus continet booitatem virtutis, quid ergo deesse potest, vt sit materia martyrij: ex parte obiecti materialis iam constat, quia illa est materia, quæ cedere potest in Dei, & Deiparæ cultum, & honorem; alioquin non posset esse materia festi iostituendi, & indicendi per vniuersalem Ecclesiam: ex parte autem obiecti formalis, res etiam est certa, quod enim refunditur in Dei honorem, & Virginis Deiparæ cultum, habet ex se bonitatem obiectiuam propter se experibilem; nec enim potest esse indifferens actus in Dei cultum elicitus; & multo minus ex se potest esse malus, alioquin Ecclesia fidelibus fem colendam proponeret, quæ superstitioni subiacere posset, quod nefas est dicere. Neque ex parte intellectus desideratur aliquid, vt possit esse actus virtutis; siquidem actus virtutis non deposcit ex parte intellectus actum fidei diuinę circa materiam singularem, quã attingit; nec enim postulat actũ, quo credatur illud esse à Deo reuelatum, sed sufficit iudicium prudens dictans

dictans & veritatem, & bonitatem rei, id autem totum in præſenti reperitur; ſiquidem actus virtutis Religionis eſt adorare abſolute, & [illegible] hanc hoſtiam conſecratam, cum tamen fides nō doceat, hanc numero hoſtiam eſſe cōſecratam ſufficit ergo iudicium prudens dictans hanc hoſtiam eſſe conſecratam: tum etiam actus virtutis charitatis eſt huic inopi Eleemoſynam erogare, quia pauper eſt, vel ad ſubleuandam eius miſeriam, nec tamen fides docet hunc numero hominem eſſe pauperem; ſolum datur iudicium prudens ea de re. At in noſtro euentu reperitur iudicium prudens dictans poſſe nos aſſentiri huic veritati exemptionis B. Virginis à peccato originali; imo & dictans dignum eſſe, vt aſſentiamur illi, cum Sixtus IV. aſſerat in conſtitutione citata *Dignum eſt, quin potius debitum reputamus, vt omnes Chriſti fideles omnipotenti Deo de ipſius immaculatæ Virginis mira Conceptione laudes, & gratias referant.* Quis autem affirmare audeat hoc iudicium tot validiſſimis fundamentis innitens, hancque veritatem ſuadēs, imprudens eſſe, præſertim cum hæc immunitas ita ſit vera, vt nec moraliter, nec phyſice poſſit falſitati ſubeſſe; vt oſtendimus late ſuprà. Conſulto dixi; niſi quis de hac veritate iudicium eliceret imprudens, quia mente non perſpiceret fundamenta, ac probationes robuſtiſſimas, quæ hanc veritatem confirmant: tunc enim ex parte intellectus deeſſet iudicium prudens dictans, & proponens rei veritatem, ac bonitatem, ac proinde non poſſet ſubminiſtrare obiectum martyrij; non ob defectum veritatis, & bonitatis in Conceptione immaculata, ſed ob defectum intellectus non attendentis, nec perſpicientis rationes talis veritatis.

Sixtus IV.

427\. Aſſero ſecundo: tanquam verus martyr eum putandus foret, qui morti ſe obiiceret, vt propugnaret veritatem ſpeculatiuam immunitatis à peccato originali Virginis Deiparæ: ratio eſt, quia propugnare veritatem certam, & infallibilem rerum, quæ cedunt in Dei honorem, & obſequium, eſt actus virtutis Religionis: atqui defendere veritatem immaculati Conceptus Virginei eſt actus virtutis, qui cedit in Dei honorem, & B. Virginis obſequium: ergo qui pro ea veritate propugnanda morti ſe dederet, tanquam verus Martyr computandus eſſet; rite igitur inſpectis ingentibus, & efficacibus huius veritatis rationibus, ac fundamentis validiſſimis, quæ tota hac Palæſtra ſparſim iecimus, prudentiſſime crederet quis hanc veritatem eſſe certam, & infallibilem; ſiquē in illius propugnationem mortem obire non recuſaret, verè martyrij palmam conſequeretur.

Tanquam verus Martyr computandus qui mortem ſubiret vt defenderet veritatem ſpeculatiuam immunitatis ab originali in Deipara.

428\. Attamen oppoſitæ ſententiæ Propugnatores acutiſſima in nos contorquent, vt ipſi putant, ſpicula, noſtramque ſententiam labefactare contendunt. Aiunt primo, Pia ſententia non adhuc creditur fide diuina, non eſt enim infallibilis veritatis, ſicut alia fidei dogmata, ergo nequit eſſe obiectum martyrij, quippe martyrium proteſtatio eſt alicuius veritatis, quæ ad fidem ſpectat, ſiue in ſeipſa, ſiue in aliquo virtutis opere, atqui defenſio veritatis immaculati Conceptus Virginei, non eſt proteſtatio veritatis fidei, neque in ſeipſa, cum non ſit fidei dogma, neque in aliquo virtutis opere, ſiquidem piam ſententiam propugnare non eſt opus, nec actus virtutis alicuius, ſed defenſio alicuius opinionis, quæ virtus non eſt: ſicut ergo qui ſanguinem, ac vitam profunderet pro alicuius opinioni tuitione, non ſolum non inter martyres eſſet adnumerandus, imo imprudentiæ, & temeritatis nota ſugillaretur, ergo eodem pacto de eo cenſendum eſſet, qui gladio ceruicem ſupponeret, vt piam immaculati conceptus opinionem ſuſtineret.

Hoc tamen telum facile elidimus; fatemur ergo illa omnia, quæ nobis obiiciuntur vera eſſe in illo, qui ſolum haberet opinionem, ſeu iudicium incertum cum formidine partis oppoſitæ de veritate immunitatis immaculati conceptus Virginis Deiparæ; ſed enim quamdiu duceretur incerto illo iudicio, quantumuis mortem ſubiret pro illa veritate ſpeculatiua, ſibi tamen propoſita vt dubia, & incerta, martyrij aureolam non conſequeretur, quia ſola opinio actus virtutis non eſt, nec ſufficiens obiectum martyrij: docent enim Theologi tractatu de virtutibus, virtutem in intellectu reſidentem, opus eſſe, vt ſit actus falſum omnino excludens; ac proinde qui pro ſola propugnanda opinione morti ſubiiceretur, nequaquam ſufficienti ferretur motiuo ad martyrium neceſſario; nam opinio vt ſic, nec eſt actus virtutis fidei diuinæ, nec alicuius virtutis opus, in quo fides reſplendeat. Quin potius per martyrium quis quaſi ſuo ſanguine ſubſcribit, & ſuffragium fert, illam veritatem, pro qua ſanguinem profundit, eſſe certiſſimam, ergo qui incertam putat, & falſitati obnoxiam, mentitur non verbo, ſed opere, ergo martyr eſſe nequit. Subiicio ad rem præſentem ſatis aptum exemplum: ad iuramentum neceſſum eſt, vt qui iurat certam putet veritatem illam, quam iureiurando confirmat, ſin minus, periurus erit; ita qui ſanguine ſuo veritatem aliquam proteſtatur, opus eſt, vt illam omnino certam putet, nequit enim firmiori atteſtatione veritatem illam firmare, quam ſi ſanguinis ſui profuſione illam conteſtetur. Nos autem ſupponimus illum, qui veritatis immaculati conceptus aſſertor eſt, ferri iudicio certo, & euidenti; illam videlicet veritatem, quam propugnat eſſe certiſſimam, ductus tot validiſſimarum rationum vi ac pondere. 429.

Secundum aduerſariæ partis telum eſt; quia martyr eſt teſtis doctrinæ Chriſti, ſed exemptio Deiparæ à peccato originali non eſt doctrina per Chriſtum reuelata, neque enim eam Chriſtus atteſtatus fuit, neque ab Eccleſia definita. Verùm falſum; neceſſarium eſſe, vt aliquid cenſeatur doctrina Chriſti, vt ab ipſo fuerit reuelata, vel ab Eccleſia definita; & patet in propoſito exemplo, neque enim Chriſtus reuelauit, vel Eccleſia definiuit, hanc numero hoſtiam eſſe conſecratam, ſat ergo erit, vt ſit doctrina Chriſti, quod ſit iudicium prudens dictans illam veritatem, maxime ſi illa veritas eam contineat certitudinem, quæ omnem excludat falſitatem: quis autem aſſerere audeat, non eſſe Chriſti doctrinam, quam Eccleſia inſtituit, ac religioſo cultu celebrat. 430.

Tertium euibrant telum: homo hæreſi infectus aliquod fidei myſterium denegans, ſi pro alio propugnando mortem ſubiret, haudquaquam martyr eſſet dicendus; non enim pateretur mortem pro Chriſto, nec pro Chriſti doctrina, ſed pro ſua; ac proinde vt aliquis ſit Martyr Chriſti, neceſſum eſt, vt moriatur pro veritate aliqua, quatenus à Chriſto reuelata, quod non reperiretur in præſenti euentu. Reſpondeo veriſſimum eſſe aſſumptum; vt autem aliquid cenſeatur doctrina Chriſti, neceſſum non eſt, vt fide diuina credatur, vt oſtendimus. Hæreticus ille non poſſet habere iudicium prudens dictans illud myſterium eſſe credibile, quia cum ſigna reddentia prudenter credibile illud myſterium, æque reddant credibile myſterium ab

ipſo

ipso negatum, eo ipso quod negat ille signa sufficientia ad vnum mysterium, non potest iudicare prudenter illa sola esse sufficientia ad aliud; atque adeo iudicium illius Hæretici inniteretur aliis signis insufficientibus, essetque imprudens, & ideo mortem oppeteret non pro Christi, sed pro sua doctrina.

432. Quartum Telum depromunt Aduersarij ex pharetra Edicti cuiusdam Lusitanæ Inquisitionis ex Decreto Pauli V. ann. 1619. mens. Maij. Vbi hæ propositiones damnantur. *Festum Conceptionis immaculatæ etiam in particularibus Ecclesiis, inconsulto Pontifice, quondam institutum, sic eius immunitatem ab originali conuincit, vt ei falsitas subesse non possit. Vnde quamuis eam de fide institutio huius festi definire non potuerit, inter veritates tamen ad fidem pertinentes collocauit. Quare verum subiret martyrium, qui pro defensione eius moreretur.* Quæ verba premens Laurentius Portel citatus subiungit: ex tribus erroribus contentis in prædictis verbis, tertium esse videlicet illum, qui pro defendenda immunitate Deiparæ ab originali, morti se committeret, esse inter martyres adnumerandum. Sed neque hnc telum ferit; propositiones enim in præfatis verbis contentæ nullo modo in sensu à nobis explicato damnantur. Sed alio longe distincto, nempe quia aiebat author illarum propositionum, præcisè ex vi festi quondam instituti in particularibus Ecclesiis, inconsulto Pontifice, iam esse ita certam, & veram exemptionem B. Virginis ab originali, vt inter veritates fidei adnumerari posset; ac proinde qui pro illa propugnanda moreretur, verum subiret martyrium; quod nobis omnino displicet, censemus enim ex vi institutionis festi Conceptionis immaculatæ, non per Ecclesiam aliquam particularem, sed per Ecclesiam Catholicam, annuentibus summis Pontificibus, esse veram propositionem illam.

Paul. V.

CERTAMEN XX.

An vota, & iuramenta de tuenda immunitate Virginis Deiparæ sint valida, licita, & laudabilia.

His refragantur votis, ac iuramentis Bandellus, qui Parisienses Doctores ob hæc vota, & iuramenta ab ipsis præstita temerarios, ac præsumptuosos appellitat, magis ipse temerarius, & arrogans tract. 2. contra immaculatam B. Virginis Conceptionem part. 2. ratione 12. Caiet. tract. de Concep. cap. 5. Academias quas plures esse fatetur, quia contra suam sententiam decreuerunt, ait contra Sanctorum, & communem priscorum Doctorum doctrinam in his, quæ sunt fidei præsumptuosos esse. Ioannes etiam à Montesono, & Ioannes Veti votifragi nuncupata à se vota, & ab aliis, sæpius irrita facere tentarunt, è suggestu contra à se edita vota, ac iuramenta fati; vt liquet ex sententiis latis in ipsos ab ipsa Parisiensium Academia, vt videre est apud Episcopum Trejo in legatione sua: Alij fidem etiam præstitam Parisiensibus de colenda Immaculata Conceptione non semel perfregerunt, teste Catherino in Præfat. ad Capitulum Generale Patrum Prædicat. & in explanatione controuersiæ exortæ inter Senenses, & Prædicatores §. Defens. 3. vbi hæc adiicit verba: *De rebus Parisinis neme est qui melius loqui sciat, quam ego, & scio vobis dicere quod in tali solemnitate, nempe Conceptionis, aliqui non celebrant; aliqui quando non est qui videat, id est quando nullus adstat, celebrant sub titulo Sanctificationis; alij sussurant, & loquuntur intra dentes, ac nihil exprimunt. Alij pro meliori affectione, qua ad illud Gymnasium tenentur, quod decoxit ad facem celebrant secundum intentionem illorum capitesorum.* Rationes autem, quibus ducuntur hi, & alij Doctores aduersariæ partis, vt hæc vota, & iuramenta irrita, & inualida esse probent, postea commodiùs teferam, ac refellam.

Trejo.

Cathar.

Doctores igitur Parisienses ingenti laude, & commendatione dignissimi, vtpote qui omnium primi, voto publicè nuncupato de affectanda semper, ac edocenda immunitate B. Virginis à peccato originali; statutum in sua celebri Academia sanxerunt, ac promulgarunt, ne in posterum opposita sententia è cathedris edoceretur, neque in conclusionibus propugnaretur, quod præstitum fuit ann. Domini 1330. de quo videndus Ioannes Baccon. in 4. dist. 2. q. 4. a. 3. legemque condidit eadem Academia, ne vllus ad Magisterij, aut Doctoratus, vel alios dignitatis literariæ gradus conscenderet, quin prius voto se adstringeret in publico Theatro, se nullo vnquam tempore edocturum B. Virginem peccato originali subiacuisse. Ita refert Iacobus Bordanus tom. 2. suæ Chronologiæ; quod Decretum vsque ad hæc tempora in viridi obseruantia perseuerat. Doctores autem Parisienses moti sunt ad id præstandum, quia vt referunt P. Petrus Possinus in libello, cuius titulus est *Vincentia* victus, tum & Andreas Duuallius tom. 1. in 1. 2. tract. de peccatis q. vlt. ex Pelbarto lib. 1. stellar. Parte 1. art. 5. Videlicet Scotum à facultate Theologica Parisiensi Colonia Lutetiam, accersitum fuisse, vt piæ sententiæ coram Doctoribus rationem redderet; cumque argumenta numero ducenta illi contra immaculatam Conceptinnem obiecta fuissent, omnia, & singula tam fœlici memoria repetiit, tanta, soliditate soluit, tantaque verborum, & sententiarum vbertate suam sententiam probauit, vt omnes in suam sententiam mirabiliter pertraxerit; adeo vt ab omnibus per totam Academiam Victor antonomasticos fuerit proclamatus, & Theologica facultas edixerit, ne in posterum opposita sententia publicè in scholis Parisiensibus edoceretur: & post aliquot annos, mandauit, ne vllus licentia doctorali donaretur, nisi prius iureiurando, se immaculatam B. Virginis Conceptionem pro viribus propugnaturum obstringeret: quod etiam nunc inuiolabiliter obseruatur. Hucusquè Pelbartus. Academiæ Parisiensis exemplo perculsæ aliæ simile statutum sanxerunt, Coloniensis ad ann. 1494. teste Trithemio in sua Historia Chronologica, & constat ex illius Vniuersitatis statutis ad ann. 1496. idem votum exposcere à suis Doctoribus Academiam Valentinam referunt Soarius tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. §. Secundum fundamentum, & Vaz. tom. 2. in 3. p. disp. 117. c. 6. §. Dico autem. Idem præstitisse Academiam Barchinonensem multis ab hinc annis confirmat statutum de iuramento emisso ann. 1618. typis mandatum, ad Philippum III. missum; in quo Patriæ Consules, & Academiæ Doctores admonent se nullo nouo obstringi voto, sed antiquitus emissum instaurare. Academia Moguntina ann. 1501. æmulata fuit Parisienses, & Colonienses

434.

Doctores Parisienses laude digni, vtpote primi qui vota pro defendenda immunitate ab originali nuncupauerint.

Baccon.

Plures Academiæ exposcunt à suis Doctoribus votum defendendi immunitatem B. Virginis ab originali.

nienses Theologos, teste Episcopo Trejo in sua legatione ex Surio; ac decreuit, sentiendum Beatissimam Virginem Mariam sine labe peccati originalis conceptam, & deinceps nemiuem in ea Academia promoueri debere in sacra Theologia, quin prius, interposito iuramento, fidem dederit, se contrariam opinionem nullo modo approbaturum. Has Academias reliquæ nouiores affectatæ sunt: Hispalensis ann. 1617. Complutensis, Salmanticensis, Eborensis, & fere omnes, quæ Hispaniarum subiacent imperio. Ecclesiæ item Cathedrales idem votum nuncuparunt. Hispalensis cum suo Archiepiscopo, & Clero ann. 1617. Barchinonensis cum Archiepiscopo Tarraconensi, ac omnibus ferme Episcopis illius Principatus anno 1618. Compostellana in plena totius Archiepiscopatus Synodo ann. 1619. Cæsaraugustana Ecclesia S. Mariæ del Pilar cum suo religiosissimo Clero iureiurando se constrinxit se eandem sententiam defensuram. Aliæ item quamplures harum exemplo idem præstiterunt.

435. Assero nunc primo: valide, licite, ac laudabiliter poterit quæuis persona particularis, siue etiam respublica, siue communitas se voti Religione obstringere ad sectandam, edocendam, ac propugnandam opinionem piam liberantem Virginem Deiparam à peccato originali. Probatur, materia illa, qua Deus colitur, valide, licite, ac laudabiliter voto confirmari potest; atqui festiua immaculatæ Conceptionis celebratione Deo cultus exhibetur. Ergo &c. Deinde illa veritas in cuius Confirmationem, & obseruantiam Religio specialis à Sede Apostolica instituta, & approbata fuit, proculdubio voto confirmari potest, cum cedat in Dei honorem, & cultum: sed ab Innocentio VIII. & Iulio II. instituta, & approbata fuit Religio specialis in Conceptionis immaculatæ honorem, cuius Constitutiones approbantur à Pontificibus, ab eisdemque præcipitur, vt Moniales cum professionem emittunt, hac formula vtantur. *Ego N. amore, & obsequio Domini nostri, & Sanctæ Conceptionis gloriosæ Matris eius absque peccati macula conceptæ.* Ergo valide, licite, & laudabiliter hæc vota poterunt nuncupari. Præterea hæc vota plurimum conducunt, vt decreta Pontificia melius obseruentur: duo enim præcipit Paulus V. in sua Constitutione, ne scilicet opposita opinio affirmatiua in publico consessu edoceatur, vel euulgetur: alterum vt non impugnetur directè aduersariorum argumenta refellendo. In his autem votis nulla fit mentio oppositæ sententiæ; sed pia sententia, quam inbet Pontifex edoceri, emisso voto promittitur propugnari, ac defendi; oppositam autem, quam Pontifex à publicis actionibus dispulit, qui eiusmodi vota emittunt, obstringuntur nullo vnquam tempore edocere; ergo non solum valide, & licite vouebit, sed etiam omni laude digna censebitur Communitas illa, siue particularis persona, quæ doctrinam ab Ecclesia Romana interdictam in publicis actibus, ob animi promptitudinem, & obedientiam erga Romanam Sedem, voto se obligat nunquam tradere, nec edocere, sed oppositam in publicis consessibus euulgare, ac defendere; tantum ergo abest, vt per hæc vota Pontificiis Constitutionibus contrauentum fuerit; vt potius Ecclesiæ menti, & intentioni sit magis fautum.

Quauis communitas, siue persona particularis potest laudabiliter voto se Religione obstringere ad propugnandā immunitatem B. Virginis ab originali.

436. Per quæ præcluditur via Aduersariis, dum alunt horum votorum emissione, repugnare nos summorum Pontificum diplomatibus, in quibus libera relinquitur cuique facultas, vt quam velit, teneat sententiam; sed quotiescumque Respublicæ, & Academiæ, seu Ecclesiæ Cathedrales decernunt, ne quispiam ad earum gradus, officia, ac dignitates conscendat, quin prius voto spoponderit, defensurum se B. Virginem fuisse ab originali macula omnino immunem, libertas opinandi præcidiutr, quod nihil aliud est, quam opinionis minus piæ manifesta reprobatio; quam tamen summus Pontifex reprobare non audet. Dicimus ergo hæc vota nulla ratione Decreto Pontificio aduersari, dum libere pia sententia defendenda sub voti Religione suscipitur; nec opposita alicuius censuræ nota insimulatur. Quod vero Academiæ, & aliæ Communitates decernant peculiaribus statutis, vt id voueant eius alumni, qui ad officia, dignitates, & gradus pertingere satagunt; merito id statuunt, siquidem iure suo vtuntur, dum suis honoribus solos dignos censent eos, qui in B. Virginis obsequium piæ sententiæ defendendæ, ac propugnandæ voto consecrantur. Sic ex Indulto Romanorum Pontificum, Religio Monialium immaculatæ Conceptionis, quamlibet Virginem, nisi sub hac conditione, in suum cœtum admittere detrectat.

Ecclesiæ Cathedrales merito decernunt ne quispiā ad eorum gradus conscendat quin prius voto se adstringat defendendi hāc immunitatē.

Instant; votum vt obligationem inducat, ac veri voti rationem sortiatur, necesse est, vt sit spontaneum, non vi extortum, vel coactum; sed vota hæc de tuenda immunitate B. Virginis, vi extorquentur, quia plures vouent, non quod ita sentiant, sed vel metu perculsi, vel precibus allecti, vel vi adacti, ne scilicet Regi Catholico inuisi sint, qui huic mysterio addictissimus est, vt hac ratione ipsius animum subornent. Sed perperam Aduersarij hæc vota coacta vocant; imo omnino esse spontanea, vel ex eo euinci potest, quod nemo vi compulsus, nec metu cadente in constantem virum adactus; imo sponte, alacriter, incredibili iubilo, reuerenti cultu, lætis plausibus ad vota sua, ac iuramenta præstanda confluxit. Nec quispiam hucusque repertus, qui reclamauerit vim sibi inferri, siue metum incuti ad eiusmodi votum eliciendum. Quod si Præsules aliqui quosdam è subditis rationibus allexerint, vt in sententiam piam ab Ecclesia approbatam abirent, & ad eam tutandam voti Religione obstringerentur; id vtique effecerunt, vt sic tumultus sedarent, dissidia finirentur, scandala è medio tollerentur. Vbinam hic vis & coactio? nisi manifesta calumnia in tot integerrimos Viros, ac Doctores iactata. Addunt plures Doctores cum Suario tom. t. de Relig. lib. de essentia & honestate voti c. 7. Vota metu extorta, licet ad hunc finem timor incutiatur, valida ac firma esse iure naturæ ac diuino. Academiæ ergo, & Ecclesiæ Cathedrales neminem vi cogunt, vt oppositam opinionem abiuret, sed vltro ipsarum honores, & gradus ambientibus, hanc indicunt conditionem, quam si velint amplecti, optata nanciscuntur; ac proinde esse valida, ac licita eiusmodi vota conditionata; ac sub tali onere conferri dignitates, & honores Ecclesiasticos, latè disputant, & docent Bellar. tom. 1. lib. 1. de Cleric. c. 18. Vasq. tom. 3. in 3. p. disp. 247. & 248. Clithtouæus in propugnaculo de continentia Sacerdotum c. 6. & 7. Michaël de Medina lib. 1. de continentia c. 49. 437.

Suar. *Bellarm.* *Vasq.* *Medina.*

Reclamant adhuc Aduersarij, Votum semper fieri de re meliori, vt tenet communis Doctorum sententia cum D. Th. 2. 2. q. 88. art. 2. Sed melius non est voto se alligare ad credendum, & propugnandum opinionem piam, quæ forsan re ipsa falsitati 438.

sitati subest; nec enim infallibiliter vera est, cum non sit ab Ecclesia definita, ergo melius est assensu solo probabili ei adhætere, ac liberum permanere, vt Ecclesiæ quamlibet ex duabus sententiis proponenti, assensum, & obsequium præbeat. Sed ex dictis tota hac Palæstra, tota huius argumenti vis eneruatur facile, cum ostenderimus, veritatem immunitatis Deiparæ à peccato originali adeo esse certam, & infallibilem, vt falsitati subiacere nequeat. Nunc addiderim, hæc vota proculdubio esse de re meliori; dum illis promittimus credere, ac defendere id, quod iuxta communem Doctorum, Academiarum, ac totius Ecclesiæ vniuersalis consensum, cedit in maiorem B. Virginis cultum, magisque fidelium pietatem fouet, tumultus sedat, pacem conciliat, Religionem amplificat, quæ omnia maius bonum sunt, quam non ita credere, vel oppositæ sententiæ adhærescere: vt igitur aliquid maius bonum censeatur, cum re sibi opposita conferri debet, quod si bonitate eam superet, absolute tanquam melius, & maius bonum amplectendum est; ac proinde materia sufficiens ad votum, vt docent Tolet. lib. 4. sum. cap. 17. num. 6. Suar. lib. 2. de materia voti cap. 7. Atqui consultius, ac longe melius est assentiri vniuersali Doctorum consensui, & Ecclesiæ Romanæ conformari in tuenda pia sententia, quam paucorum ex aduerso opinantium, sententiam sequi, ergo apta est materia voti. Deinde materia huius voti Dei Genitrici Religiosus cultus exhibetur ad virtutem Religionis spectans, quod longe melius bonum censetur, quam nullum Religionis actum exercere. Præsertim cum quis vouet se in omni euentu, & quocunque tempore sensurum, ac defensurum piam de Immaculato Conceptu sententiam, semper secum imbibitam habet illam conditionem; nisi summus Pontifex, vel Ecclesia Catholica aliter statuerit, quæ conditio ita est voto affixa, vt licet eam non exprimat vouens, semper tamen voto inclusam esse fatentur Doctores cum Suario citato: sub hac ergo conditione quodcunque emittitur votum: id faciam, nisi aliud occurrerit melius faciendum: Vnde licet fieri nullo modo possit vt Ecclesia sententiam piam respuat, cum sit ita certa quæ falsitatem omnino excludat; si tamen admitteretur euentus, in quo Ecclesia illam respueret; tunc cum apertè constaret de excessu bonitatis oppositæ sententiæ, pia explosa, minus piæ adhærere possemus sine voti fractione.

Tolet. Suar.

439. Obiectant alij; qui vouent se semper credituros, ac defensuros B. Virginis ab originali immunitatem, plurimis se obiiciunt periculis, seseque quamplurimorum scrupulorum stimulis exponunt spontaneè, nam ex nuncupato voto tenentur piam sententiam, quoties occasio sese obtulerit, defendere, ac credere; at actus credendi, cum sit circa mysterium supernaturale, vt elici possit, opus est auxilio supernaturali, quod semper non obtinebit; quia leuitate ductus votum de re dubia emisit, quare Deus illud non tenetur conferre; nec habitus fidei supernaturalis ad eiusmodi actus eliciendos concurrit, cum sint de re ancipiti, & quæ subesse potest falsitati; neque habitus supernaturalis fidei potest concurrere ad assensum rei falsæ; ex quo accidit, vt ex defectu auxilij supernaturalis non possit assensum fidei elicere, vnde votifragus existet. Sed hæc nihil vrgent, non enim est opus vt actus credendi immunitatem ab originali in Virgine Deipara, sit quoad substantiam supernaturalis, nec enim habet obiectum supernaturale formale, cum non innitatur reuelatione diuina, vnde ex hoc capite nihil vrget obiectio; & quamuis supernaturalis esset illa credulitas, & censeretur necessarium auxilium supernaturale ex motiuo supernaturali, & ex virtute Religionis, ex qua hæc vota procedunt, non adesset periculum illud in obiectione cautum; nec enim Deus denegat auxilium, vt promissa vota opere exequantur, iuxta illud Augustini in psalm. 131. *Nemo præsumat viribus suis reddere quod vouerit, qui te hortatur vt voueas, ipse te adiuuat, vt reddas.* Quod vero subiungunt Deum non suppeditare auxilia, vt ea credantur, quæ dubietati, aut falsitati obnoxia sunt; dicimus adeo veram, ac certam esse sententiam piam, ad eumque certitudinis gradum deuenisse, vt reapse falsa esse non possit: si tamen per impossibile opposita sententia definiretur, non ideo actus credulitatis, quo nunc piæ sententiæ assentimur, esset practicè falsus, siquidem iuxta momenta, quibus nititur, censetur omnino certa, nec practice falsa esse potest, dum eiusmodi sit fulta fundamentis: subiungam exemplum satis appositum in adoratione hostiæ non consecratæ, quam prudenter quis censet esse consecratam; hic actus adorationis, vel fidei diuinæ, etsi speculatiue falsus sit, non tamen practice, sed est supernaturalis, ac meritorius, per Dei auxilium elicitus, quin potius rectè quis posset vouere quotidie illam hostiam latriæ cultu suspicere; nec ad voti impletionem ex parte Dei deesset auxilium; & quamuis Sacerdos postea seriò affirmaret, se nullam habuisse intentionem consecrandi, vel ex alio capite posset contingere hostiam illam non fuisse consecratam; nunquid ex eo actus adorationis præteritus superstitiosus fuisset practicè, & contra virtutem Religionis? non vtique, sed ad Religionem pertinens, meritorius, & ex Dei auxilio elicitus: eodem modo in nostro euentu dicendum est; nihil ergo periculi imminere potest, quod fideles, & Virgini Deiparæ addictos ab eiusmodi votis nuncupandis retardare possit; *alioquin nemo militet*, vt dicebat Ambrosius lib. de Viduis, *ne aliquando vincatur, nec pedis vitatur obsequio qui gradiendi periculum reformidat; nec oculi intendat officio, qui concupiscentia timet lapsum.* Nullus ergo ad clericatum conscendat, nec Religionis votorum vinculis vinciatur, quia subest lapsuum discrimini, & fractionis periculum timere potest.

August.

Ambros.

Assero secundo integrum esse cuicunque particulari personæ, siue etiam reipublicæ, & communitati, se iurisiurandi Religione obstringere ad sectandam, edocendam, ac propugnandam sententiam liberantem Virginem Deiparam à peccato originali. Quod Assertum eisdem fulciendum fundamentis, quibus primum innititur. Et confirmari potest ex Innoc. 3. cap. *Etsi Christus, de iureiurando.* Vbi ait: *Cum necessitas exigit, pro re licita, vera, & honesta possumus nos iureiurando, seu voto adstringere.* Nunc autem suadetur ratione speciali, quia ex Hieronymo in cap. 4. Hieremiæ. Tres repetiuntur conditiones ad Religionem iuramenti, ait enim: *Animaduertendum quod iuramentum hos habeat comites, veritatem, iuditium, & iustitiam.* Quod D. Hieronymi placitum reliqui Theologi amplexi sunt; atqui hæc tria requisita repetiuntur in doctrina affirmante Deiparam exemptam fuisse à noxa originaria: ergo sufficiens est materia iuramenti. De veritate quidem huius doctrinæ affatim dictum est, præsertim cum ad veritatem 440.

Innoc. III. Hieronym.

ritatem iuramenti assertorij sufficiat vt iuramentum emissurus prudenter existimet rem ita se habere, vt docent Doctores in controuersia de iuramento. Quod autem iustitia rectè cadat in sententiam piam facile constabit, si prius quid nomine Suar. iustitiæ sit intelligendum, viderimus. Suar. lib. 1. de iuram. cap. 3. num. 4. nomine iustitiæ non solum intelligit particularem iustitiam, sed etiam generalem; ita vt idem sit materiam iuramenti iustam esse debere, ac honestati esse conformem. Quis autem neget esse honestissimum, eam puritatem Virgini Dei Genitrici deferre, qua maior sub Deo excogitari nequeat. Iudicium etiam huic iuramento rectè competere plaunm est, quod hoc loco nihil aliud est, quam vt matura, ac prudenti deliberatione iuramentum fiat; & vt adsit pia, ac necessaria causa; quæ omnia in præsenti reperiuntur. Sanch. Confirmatur, nam vt bene Sanchez lib. 3. oper. mor. cap. 9. num. 11. quando iuramentum soli Deo nuncupatur, eadem materia ad eius valorem, & honestatem requiritur, quam votum exigit; tunc enim induit naturam voti; ad votum autem ostendimus, esse materiam aptissimam immunitatem Deiparæ ab originali, ergo eadem immunitas rectè poterit iuramento constabiliri. Licitum ergo erit, ac Deo honorificum, ac pergratum iuramento assertorio se obstringere, se ita censere Virginem Deiparam omnino immunem ab originali macula exstitisse: iuramento item promissorio, se in posterum docturum, ac defensurum hanc piissimam immaculati Conceptus virginei veritatem.

441. Cum igitur hæc vota, & iuramenta in laudem Dei, ipsiusque cultum cedant, & in Dei Genitricis obsequium, non est formidanda nec nouitatis suspicio, nec superstitionis occasio, præcipuè cum totius fere orbis Academiæ illa ediderint; ac proinde nulla quam sciamus reperitur, quæ sententiam minus piam teneat, & edoceat, vt ipse Bar- Medina. thol. Medina Ordinis Prædic. in 3. p. q. 27. ingenne confitetur. Et quidem hæc vota, & iuramenta præstita experientia teste mirum in modum pietatem alunt, Religionem corroborant, reuerentem in B. Virginem cultum adaugent, ac fugatis tumultibus, seditionibus procul explosis, minus pia reiecta sententia, pacem firmarunt, & concordiam stabilierunt. Item hæc iuramenta promissoria plures Pontifices comprobarunt. Nam Innoc. I Innocentius III. ad ann. 1360. sententiam, quam Academia Parisiensis tulerat aduersum Ioannem Montesonum confirmauit, in qua compellebatur palinodiam recantare in eo quod effutiuerat aduersus sententiam piam, votum, ac fidem datam ex præscripto illius Vniuersitatis, cuius ipse erat Alumnus, perrumpens: Ergo coëgit Pontifex eum, vt Româ Lutetiam Parisiorum adiret, ibi dicta coram populo retractaturus, cuius facti meminit Robert. Guaguinus lib. de Francorum Re- Guagu. Gerson. gum gestis. Qua de re videndus etiam Gerson epist. ad studentes Collegij Nauarræ tom. 1. suorum operum. Ioannes item Veri, eiusdem Ordinis Prædicatorum in causa eadem cum eadem Academia, interposita ab ipso appellatione ad summum Pontificem exaudiri non potuit, vt refert Cordu- Cordub. Salaz. ba lib. 1. qu. 44. §. *Nouerint vniuersi*. Salazar. de Concept. c. 42. sub finem sæculi 15. Insuper votum nuncupatum à Ciuibus Senensibus de colendo Immaculatæ Conceptionis festo in omni sua ditione approbauit Pontifex, ac laudibus extulit, ipsorum annuens votis speciali diplomate, quo ipsi Dominicani eodem voto adstringerentur, vniuersæque ciuitati in re tam pia conformarentur, Catherino Cather. teste in præfatione ad Capitulum Generale Prædicatorum; & in explicatione controuersiæ exortæ inter Senenses Ciues & Fratres Prædicatores. Demum votum sanctimonialium Immaculatæ Conceptionis, de tenenda, ac credenda semper immunitate ab originali B. Virginis in ipsa solemni professione, 4. Pontificibus probatum fuit, semper ergo Pontifices his votis, ac iuramentis adfauerunt.

Placuit ad finem hic subiicere formulam Voti, 442. ac iuramenti præstiti ab Imperatore Ferdinand. III. & à celeberrima Vniuersitate Viennensi an. 1649. erecta prius ingenti colnmna operis sumptuosi, in cuius vertice ingentis magnitudinis statua assurgebat, quæ sine macula Conceptam Dei Genitricem referebat, quæque labantibus imperij rebus fulcri vices gereret. Rem omnem hic subiiciam, vt accepi ex fidelissima narratione illinc ad nos transmissa, & ab ipsa Viennensi Academia in lucem edita, ac Imperatori Ferdinando dicata, quæ sic se habet.

MARIA VIRGO
IMMACVLATE CONCEPTA
PVBLICO VOTO FERDINANDI III. ROMAN. IMP.
in Auſtriæ Patronam electa, & ab antiquiſſima, ac celeberrima Vniuerſitate Viennenſi, dicto ad Aras publico Sacramento futuris temporibus defendenda.

SACRATISSIME IMPERATOR.

VM Auguſtiſſimæ Maieſtatis Veſtræ pietatem loquuntur ſaxa. Nos ſcribimus. Communi ſtudio æternitati laboramus, dum Maieſtas Veſtra meretur. Miraculum videmus, pietatem in foro. Sciat ſecutura poſteritas Pietati FERDINANDI III. tēpla non ſuffeciſſe, dū Altaria Virgini ſine macula conceptæ ſtatuuntur in foris. Aſſurgere Maieſtas Veſtra iuſſit in ſublime Coloſſum, Canópæam credimus columnam, quę & affinia Lucis & Ducis nomina promeretur illud, quia ab obliuionis tenebris Pietatem vindicat: hoc, quia Maieſtas Veſtra non ſemel Auguſtiſſimi Parentis exemplo, Deiparam Virginem ſuam Belli-Imperatricem nominauit; Adiecit & Votum: fecit, quod Imperatorum nemo. Exemplum Cæſaris nobis imperium rati, æterno iurauimus Sacramento in Vniuerſitate Auſtriaca Viennenſi immaculatam Virginis Conceptionem tueri ſemper & propugnare. Hoc damus: quidquid igitur Maieſtati Veſtræ offerimus, aut ſuum eſt, aut de ſuo. Noſtrum ſolum eſt demiſſiſſimum Obſequendi ſtudium, quod iterum Sac. Maieſtati Veſtræ ab exercituum Deo, victorias: à vitæ Fonte vitam precari ſubmiſſiſſime de genu aduouemus. Sacratiſſ. M. V. Deuotiſſima, & obſequentiſſima Vniuerſitas.

Ferdinandus III. Roman. Imperator Voto publico Mariam Virginē immaculatè Conceptam in Auſtriæ Patronam elegit.

Ferdinandus III. Imperat. Rom. primus nuncupato Voto Virginem Deiparā immaculatè Cōceptam coluit.

Quo tempore Vvandalicus turbo, iam vniuerſam propè Germaniam ſecundo Marte per- 443.
uagatus, Bohemiæ ſe ſe, ac hereditariis Auguſtiſſimæ Auſtriadum Familiæ prouinciis violentior infundebat: ſacratiſſimus, iuxta ac pientiſſimus Imperator FERDINANDVS III. vt labantibus Imperij, fideique rebus fulcrum ſubiiceret, laborioſi pariter ac ſumptuoſi operis Columnam erexit: futuram poſteris ſæculis non minus Auſtriacæ pietatis monumentum, quam ſtatutum (vt ſperare licet) furori Baltico Coloſſum terminalem. Moles eſt, ſi materiam ſpectes, ſolido exciſa lapide, & perferendis in æuum ſine offenſione cœli iniuriis perquamidoneo. Baſim circumducti per artem, quaterna in latera, æqualibus à ſemet ſpatiis diſcedentia, coronant Cancelli, & modico ab eadem interuallo diuiſi anguſtam in circuitu viam aperiunt. Baſi, qua parte coëuntibus lateribus in angulos acuitur, quaterna inſiſtūt, vel Heroum, vel Angelorum ſimulacra, qui caput galea, vmbone pectus, læuam clypeo, ac enſe dextram armati ictum ſinguli in ſubiectum pedibus monſtrum delibrant. Ac primus quidem qui Orientem proſpicit in draconem vires omnes inſumere videtur, cui ingenioſum lemma ex Sacris adſcriptum de pelta emicat. *Ipſa cōnteret.* Alter qui frontem Occidenti porrigit, pari armorum niſu in edomitum leonem intentus epigraphem præfert, *Conculcabis.* Tertius qui vultu ad Meridiem conuerſo aſpidem calcat, & ferienti ſimilis contrucidat, inſcriptionem de clypeo oſtentat, *Ambulabis ſuper.* Poſtremus qui in Aquilonarem plagam, & vultu & armis minatur in Baſiliſcum deſæuiens, hoc proculcatam belluā lemmate alloquitur: *Non pro te lex.* Media in proceram altitudinem aſſurgit columna, & prope paris cum ædibus altitudinis ſupremo vertice portat ingentis magnitudinis ſtatuam quæ ſine macula Conceptam Dei parentem Virginem, eam antiqui ſerpentis caput victore calcaneo proterentem, quam velut è ſublimi ſpecula in ſuorum ſalutem excubantem repræſentat. Stabat iam in ampliſſimo ac

Vrbis capaci foro ante ædes Sacras domus professæ Patrum Societatis Iesv solidata Moles; Sed dubiæ adhuc eam inspectantium nutabant cogitationes, quam tandem in partem pientissimi Cæsaris sese consumeret deliberatio; donec incisa basi Epigraphe omnem sustulit dubitationem: ea verò fuit, Augustissimo ipso Imperatore dictante in hæc verba concepta, & artificioso Chronographico conclusa.

DEO OPTIMO, MAXIMO,

Supremo Cæli, terræque Imperatori, per quem Reges regnant.

Virgini DEIPARÆ Immaculatè Conceptæ, per quam Principes imperant, in peculiarem Dominam Austriæ Patronam singulari pietate susceptæ; se, Liberos, Populos, Exercitus, Prouincias, Confidit, Donat, Consecrat: & in perpetuam rei memoriam Statuam hanc Ex Voto ponit FERDINANDVS III. Augustus.

Tunc scilicet patuit, Austriacæ pietatis consilia in Immaculatam Virginis Conceptio-
444 nem publico, ac peculiari cultu, & honore prosequendam, vel studio & amore propugnandam conspirasse. Sed ne in re, noua quidem, & hactenus a seculis inaudita, fragile quidquam, & quod ætatem non ferret, statueretur; placuit coactis in consilium Austriæ Ordinibus, prouinciali ac vrbico Senatui, Religiosorum Superioribus, Episcopo, & Clero, ea, quæ Publicum contingerent, & nisi conspirantibus Capitibus ægrè perennarent, in deliberationis argumentum proponere. Ea verò fuerunt: Venisse sibi in mentem diu amatam ac priuato semper honore cultam Immaculatam Virginis Conceptionem, in publicam etiam venerationem promouere: Hanc in rem erectam à se Statuam, quam etiam solemni Ecclesiastico ritu à Pontifice velit dedicatam. Velut proinde, iubeantque diem Decembris Octauam Immaculatæ Conceptioni Sacram, non solùm Festo ritu à Statibus & vniuerso populo celebrari, quod iam pridem gloriosissimæ memoriæ Augustissimus Parens Ferdinandus II. decreuisset, sed pridiano etiam Ieiunio anteueniri, ac omnium Voto Austriæ Patronam dici. Neque difficile fuit extorquere ab iis consensum, quibus exemplum Principis est imperium: proni iuerunt omnes in sententiam, in quam præiuit primus Imperator. Dicitur ergo dedicationi dies XVIII Maij labentis Anni M.DC.XLVII. qui vbi illuxit vniuersam prope Ciuitatem ad pietatis obsequia excitauit. Conuenerunt enim sub horam octauam matutinam cumulatissima panegyri Sacratissimi Cæsaris, non tam imperio, quàm exemplo prouocati Serenissimi Archiduces Filij Ferdinandus IV. tunc Bohæmiæ, ac mense pòst Vngariæ Rex, solemnibus Comitiis inauguratus; Serenissima Maria-Anna nunc potentissimo Hispaniarum Regi Regina desponsata; tres, Sedis Apostolicæ, Catholici Regis, ac Reipubl. Venetæ Legati; Aula Cæsarea ac Regia, Reginæque Gynæceum; & omnis summi, mediique nominis Nobilitas; Religiosi Ordines, omnis hominum conditio, ordo, status, & sexus ad sactas ædes R R. Patrum Discalceatorum ordinis sancti Augustini, Aulæ Cæsareæ conterminas, quas cùm confluentium multitudo fecisset angustiores, effusus in plateas Populus innumerus vias ipsas, & fora meatibus coarctabat, gaudebatque, vt sic in pietatis partem venire. Exinde ergo per instructas æquali ponte vias, non minus modesto ac ad pietatem comparato, quàm Augusta Maiestate verendo ordine, processum est ad Templum Reuerendorum Patrum Societatis Iesv professorum, in summo foro situm, vbi ad quietem composito subeuntium strepitu Reuerendus Pater Ioannes Gans è Societate Iesv, SS. Theologiæ Doctor, & Sacræ Cæsareæ Maiestati à conscientia, ad stipatissimam concionem, quâ pollet summâ & per principes Cathedras iam à plurimis annis maximo cum plausu approbatâ dicendi facultate, ea facundiæ vbertate de laudibus Immaculatè Conceptæ Virginis, præsentique eius in rebus calamitosissimis patrocinio dixit, quam vehemens animorum motus ac certa omnino in auditorum pectoribus impetrandæ per eiusdem auxilium tranquillitatis spes consequeretur. Dictionem excepit sacra ad summas Aras Liturgia faciente ad Cæsareos symphoniacorum choros, Illustriss. ac Reuerendissimo Principe Philippo Federico Episcopo Viennensi. Iamque ad eam partem deductum erat Sacrificium, qua pacis osculum præsenti Principi per Subdiaconum in priuatum Oratorium deferri consueuit, cùm Augustissimus ipse Imperator, dissimulata Maiestate, toto oris, corporisque habitu ad pietatem æquè, ac demissionem composito, in publicum egressus, ad cancellos summæ Aræ, ad quam solemnis pompa agebatur constitit, seseque humi in genua demissè prouoluit, donec oblata hostia per sacrificantem Antistitem absumeretur. Tum verò posito gladio in manus Illustrissimi Comitis Ioannis Rodulphi à Puchaim intimi sui Consiliarij, ac supremi Camerarij, intra ipsos cancellos progressus obuiam habuit conscientiæ suæ arbitrum iam præfatum R.P. Ioannem Gans, vnà cum ministrante Clero, qui impositam Euangeliorum libro Voti formulam teneret. Immolans autem Pontifex

ad

ad postratum Cæsarem conuersus, latentem in Eucharistia Deum, cui votum ediceretur proponebat. Tum voce, quę à circumstante populo facilè exaudiretur, Votum auspicatus Cæsar.

445. *Omnipotens* (inquit) *sempiterne Deus, per quem Reges regnant, in cuius manu sunt omnium potestates, & omnium iura regnorum: Ego Ferdinandus coram diuina tua Maiestate humiliter prostratus, meo, meorúmque Successorum, & inclyta huius prouinciæ Austria nomine, Immaculatam Filij tui Matrem semper Virginem MARIAM, hodie in peculiarem Dominam, & Patronam huius Archiducatus inuoco, & assumo; Insuper voueo, ac promitto eiusdem Immaculatæ Conceptionis festum, quod cadit in diem octauum Decembris, solemniter, etiam quoad forum, in hac Prouincia, quotannis prauio, more Ecclesiæ, ieiunio consueto, in eiusdem peruigilio celebrandum. Te deprecor, supreme Cæli, terraque Imperator, qui, quod Matri tuæ impenditur tibi impensum reputas, Votum hoc meum, quod suggerere clementer dignatus es, benigno fauore prosequere, atque ad protegendum me, Domum meam, Populósque mihi subiectos dexteram tuæ Maiestatis extende. Die 18. May 1647. in Ecclesia Domus professæ Societatis Iesu ante Aram summam in manu Principis & Episcopi Viennensis Philippi Friderici de familia Breineriorum.*

Formula nūcupationis ab Imperatore Ferdinando III. pro cultu B. Virginis Immaculatè Concepta.

Finierat, & dictus R.P. Cæsareæ Maiestati à secretis conscientiæ, conscriptam Voti formulam, ad seræ posteritatis memoriam, in domo professa conseruandam receperat: cùm de Pontificis manu sacratissimam synaxim accepit Imperator, & cancellis iterum, iunctis ante pectus manibus egressus, eo corporis situ, ac reuerentia hospitem Deum adorauit, qui etiam circumstantes peculiari religionis ac pietatis sensu afflaret. Exactum iam erat Sacrificium; sed nec dum pietatis officia terminata. Placuit enim Augusto, post adoratum Deum, secunda Religionis obsequia in eius Immaculatè Conceptam Matrem conferre. Assumptâ ergo in pietatis consortium vtraque Serenissima Prole Vngariæ, Bohemiæque Rege Ferdinando, ac Hispaniarum Regis sponsa Maria-Anna, comitante Pontifice, ac Clero vniuerso, de angustis Ecclesiæ parietibus in fori patulum, ad erectum sine macula Conceptæ Virgini Trophæum se se penetrat Imperator: Effunduntur simul Religiosi Ordines omnes, ac vndantis populi nimbus; surgentémque medio in foro Molem stipatissima obsidione coronant. Accedit vicinior Statuæ sacrorum Pontifex, & conceptis eandem verbis, ac solito ritu, Dei, Immaculatæque Virginis Matris honori consecrat, dedicatque. Insecutus est symphoniacorum omnium è tota vrbe collectorum, & in plures, quà vocum, quà instrumentorum, ac etiam tubarum campestrium, ac tympanorum choros diuisorum plausus, qui cum Lauretanam elogiorum seriem Augustissimæ Matri decantarent, calidam in circumprostrato populo deuotionem, certamque præsidij fiduciam, excitarunt. Ascenderat iam, non tam suo, quàm pietatis calore feruidior dies in meridianam stationem, cùm dimissa Matutina Imperatoris, Vespertinam cepit Imperatrix Eleonora solemnitatem meditari. Iussit enimuerò post Solis occasum ita forum omne illustrari, vt nulla circumpateret fenestra quæ non geminato luminari prætexta Augustissimæ familiæ insignia irradiaret: Cancellos deinde, qui Colossum ambiunt, totidem resplendere lampadibus, quot ipsi columnellis assurgunt: ac demum pensilibus lucernis in vastæ magnitudinis coronam, aut plenam Iridem eleganter ductis statuam ipsam redimiri. Valuit ea quidem res ad amænum oculorum spectaculum, ad quod plebs omnis, omnisque ciuitas effunderetur, sed vel maximè ad incendenda nouæ pietatis officia, ad quæ meritò Augustissimus ipse Ferdinandus III. Augusta Eleonora, Rex Bohemiæ Ferdinandus, ac Hispaniarum Regis sponsa Regia Maria-Anna, obductis iam cœlo tenebris Maiestatis suæ lucem conferrent. Tenuit ea pompa in alteram noctis horam; neque priùs spectatorem demisit, quàm post imploratum melico concentu per Augustos Virginis titulos cœli præsidium, impertita Pontificis manu ac voce benedictio populum signasset.

Sic terminatus est dies ille, perpetua apud posteros luce radiaturus, quo Augustissimus 446. Ferdinandus Immaculatè Conceptæ Virginis Imaginem populorum deuotioni proposuit, Ipse secuturæ posteritati pietatis exemplar proponendus. At verò ne vno die nata denasceretur sequentibus veneratio; Placuit sacratissimo Cæsari de pietatis consulto imperare, vt occidentis hebdomadæ vesper, hoc est Sabbathi crepusculum, decātato syllabo Lauretanę Virginis encomiorum, & dictis per Sacerdotem de B. Virginis Immaculata Conceptione pro Imperatore, & pro pace Orationibus, celebraretur. Atque vt iussum promoueret liberalitate, statuit æterna fundatione sexcentos annuos Rhenenses, ex quibus ducenti quadrageni Musices directori, ac duodenis vocibus in stipendium cederent: Alij decem supra ducentos in melica instrumenta, & organum impenderentur: quinquageni curatis ac facigeris ad aram statuæ adstituris persoluerentur, Centenis denique emeretur maioris campanæ pulsus, quo populus ex D. Stephani turri ad dictam solemnitatem euocetur.

M 4 Hoc

447. Hoc itaque in perpetuum rite sanctéque stabilito, sub vespertinum Sabbathi Crepusculum, post datum diuturniorem, è dicta turri D. Stephani maximi, campani æris pulsum, magna semper plebis, ciuium, mediæ summæque nobilitatis multitudo in forum congregatur, & dum Lauretanis salutatur Immaculata Virgo elogiis, in genua procidua, suas, publicasque rei necessitates deprecatur. Accedunt & peruigilia festique omnes Augustissimæ Virginis dies, quibus sanctius terminandis eadem semper celebritate conuenitur. Auspicium iis datum est ipso Visitantis ad Elisabetham Virginis, qui primus tunc adueniebat, festo die, quando pientissimo Eleonoræ Voto, ac desiderio, omnes totius vrbis Sodalitates partita deuotione ita sibi Octauam totam, vnà cum peruigilio pie obeundam diuiserunt, vt quot diebus vna vel plures magno funalium Illustres splendore, & ad Antistitis comitatum numeroso Clero candidatæ per confertissimam adgeniculantium multitudinem propinquiores se inferrent statuæ, & Virginis affusæ simulacro, pro sacratissimi Imperatoris incolumitate, qui tunc bellicis viciniot periculis ad ægram agebat Protectricem suam deprecarentur. Ac primum quidem Vesperum peruigilij sortita est venerabilis Congregatio *Defunctorum*, ex æde D. Augustini ad forum delata; cuius Illustrissimam cæteroquin pompam Augustæ Imperatricis Eleonoræ præsentia fecit Augustiorem. Ipse Visitantis Virginis dies cessit Parthenico cætui sub titulo Immaculatæ Conceptionis D. Virginis ad sanctum Hieronymum congregato, cuius solemnitatem auxerunt Regiæ Maiestates Ferdinandi IV. & Mariæ-Annæ sponsæ. Tertius inde Dies datus est sodalitati Corporis Christi, quæ ex Nobilioribus Hispanis ad S. Michaëlem sub directione Reuerendorum PP. Barnabitarum conflata est. Quartum sibi vendicauit Excellentissimus & Reuerendissimus Antistes Viennensis cum Sanctissimi Sacramenti sodalibus, in Basilica sancti Stephani congregatis. Quintum solemnem fecerunt Congregatio sanctæ Crucis, ex templo Reuerendorum PP. Franciscanorum Conuentualium, & sancti Sebastiani ex æde Reuerendorum PP. Benedictinorum ad Scotos adducta. Sextum magna celebritate coluit sodalitas Sacratissimi Rosarij, quæ ab ipsis RR. PP. Ordinis S. Dominici, quorum directione ea excolitur deducta, sine macula Conceptæ Virginis supplex fuit. Septimus quoque Augustæ Eleonoræ præsentia radiauit, vt Augustiorem redderet apparatum sex Congregationum in Domo professa PP. Societatis IESV institutarum, quæ ex Proceribus Austriacis, Ciuibus Viennensibus, Opificibus Germanis, Tyronibus mechanicarum Artium, ac Italis coaluerunt. Octauus dies obuenit sanctæ Barbaræ sodalibus in Cæsareo conuictorum Collegio congregatis. Postremum denique Vnitæ tres Collegij Academici Congregationes, sub titulis Purificatæ, sine macula Conceptæ, ac gloriosè in Cœlos Assumptæ Virginis, sibi festiue obeundum assumpserunt. Interea grauiores Imperij Regnorumque curæ Augustissimum Cæsarem Vienna Pragam euocauerant; ac inde secundi cum Serenissima Maria Leopoldina Serenissimorum Leopoldi, & Claudiæ Archiducum filia Hymenæi Lincium transtulerant. Mox verò vbi se se Viennæ restituit, quasi ad propagandum, quem cæperat Virginis sine macula Conceptæ honorem rediisset, nouum adinuenit in Augustissimam Dei Parentem religiosi cultus argumentum. Nam sua nondum pietate satur, versare consilia cæpit, an eundem quoque in Vniuersitatem suam Austriaco-Viennensem secure posset deriuare. Sed in eam facile partem vniuersa consumpta est deliberatio, in quam pietas inclinabat. Accedebat pietati pondus ab exemplis aliarum celebrium per orbem Christianum Vniuersitatum. Coloniensis & Moguntinæ, apud Surium de rebus memor. Anno 1051. Parisiensis, apud Gordonium, & Canis. lib. 1. Deipar. cap. 7. Salmanticanæ, Toletanæ, Complutensis, Cæsar-Augustanæ, Illerdensis Tarraconensis, Barcinonensis, Hispalensis, Valentinæ, & aliarum per Hispanias Academiarum, apud Barbosam ad sess. 5. Conc. Tridenr. in Remiss. & Balth. Porenn. in cap. 28. quæ adamantino iam olim sancito statuissent, neminem ad capessenda Academici honoris insignia admittere, qui non prius dicto Sacramento polliceretur ex singulari in Virginem affectu, eiusdem Immaculatam Conceptionem asserere, & pro virili propugnare. Sed acrius mentem incitabat tum propensior in hanc Immaculatæ Conceptionis partem Ecclesiæ sensus, quantumuis hactenus in eo sententiarum litigio determinatum sit nihil; tum facultatis suæ, ac supremi in Vniuersitatem Dominij legitima potestas; qua probabiles quascumque, & ab Ecclesia non reiectas opiniones, non minus suæ Vniuersitati tuendas, propugnandasque præcipere valeat; quam suprema Religionum capita, vel ad docendas Angelici Doctoris, vel ad defendendas Scoti, aut cuiuscumque alterius Magistri sententias, suos obligare potuerunt. Demum ad faciliorem consultationis terminum deduxit Ratio, quæ suadebat decere in ea potissimum Vrbe, in qua & semetipsum August. Imperator ad Immaculatæ Conceptionis cultum ac venerationem Voto, & Proceres, populumque suum ieiunij præcepto adstrinxisset, inconcussam omnino de eadem Immaculata Conceptione vigere

Celebriores Europæ Vniuersitates præstito iuramento B. Virginem immaculate conceptam tuentur.

Surius. Gord. Canis. Barbos.

vigere sententiam, Ne dum inter sapientes plena est docendi libertas; populus quoque scindatur in partes, & inchoatæ nuper religionis in Virginem calor extinguatur. Pronum enim est frigescere Venerationem, quam non sustinet firmata personæ cultæ excellentia. His ergo permotus argumentis Pientissimus Imperator, huiusmodi decretum, ad Vniuersitatis Rectorem, & Academicum Consistorium expedit.

DECRETVM.

QVæ Nostra sit in Virginem sine Originali macula Conceptam deuoti animi inclinatio, ex eo abunde intelligere potuistis, quod impetrato prope hinc à biennio omnium Ordinum consensu, eandem Nos in Archiducatus nostri, & Sceptrorū, Coronarumque Tutelarem Patronam publico Voto elegerimus; eiusdemque immaculatæ Conceptionis festum die octauo Decembris, quotannis præuio ieiunio celebrandum susceperimus, ac eiusdem honori erectam in summo foro statuam solemniter dedicauerimus. Quoniam verò etiam propagari in dies, & videmus cum gaudio, & auemus quammaxime eiusdem Immaculatæ Conceptionis cultum ac Religionem, ne quam fortè opinionum diuersitas, & sententiarum lites apud imperitum vulgus pariat confusionem, aut voluntatum animorumque scissionem, ideò expedire iudicauimus, ab Vniuersitate nostra, quam sanæ, probæque Doctrinæ parentem agnoscunt omnes, perennaturum statutū erigi, quod ad Magistratus Academici instaurationem quotannis dicto Sacramento innouetur, vt nemo in Austriacam hanc Vniuersitatem nostram, siue ad cuiuscumque officij administrationem, siue ad honoris gradum in quacumque facultate suscipiendum admittatur, siue in alia Vniuersitate promotus, in nostram assumatur, nisi prius edito Iuramento polliceatur se, donec aliter à Sede Apostolica determinatum fuerit, publicè ac priuatim velle piè tenere, & asserere gloriosam Dei genitricem MARIAM absque originalis peccati macula fuisse Conceptam; eandemque opinionem, non modo in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, aliisque actibus publicis defendere, ac propugnare; sed etiam neque priuatim dicto, vel scripto vel quouis discursu in aduersum quidquam tractare, quod alias summorum Pontificum Constitutionibus cautum, & à plutibus Vniuersitatibus actitatum non ignoratis. 448.

Decretū Imperatoris Ferdinandi III. ad Vniuersitatem Austriacam de præstando iuramento à suis Doctoribus pro defensione immaculatæ Conceptionis.

Quare mandamus tibi, Rector, & toti Academico Consistorio, vt eiuscemodi statutum erigatis, quantocyùs Facultatibus ac Nationibus intimetis, & cum omnibus facultatum Decanis, Procuratoribus Nationum, omnibusque Doctoribus, Magistris, Licentiatis, Baccalaureis, & Vniuersitatis membris, ac subditis, ad proximam Virginis ab Archangelo salutatæ celebritatem, iuramentum in formam Vniuersitatis solemniter deponatis, idque reuolutis Annis sub Magistratus Academici renouationem, priusquam primum Consistorium celebretur, renouetis. Præcipimus insuper, ipso Deiparæ sine macula Conceptæ festo à Theologica facultate, eiusdem honori, publicam in Basilica D. Stephani orationem ad Academicos de more haberi, eodemque sub vesperum die Virginis Lauretanæ encomia in summo Vrbis foro decantari, atque suo spectabiles habitu Vniuersitatis Rector, Decani, Nationum Procuratores comparere iubemus. Non intendimus tamen hoc nostro sancito Ordini sancti Dominici quidquam præiudicare, aut derogare; confidimus tamen, eiusmodi ab illis subiecta Vniuersitati, & facultatibus præsentanda, quæ in præsenti causa id præstent, quod in aliis per Christianum Orbem Vniuersitatibus simile statutum habentibus, Ordo ille perinde Constitutionibus suis, ac Pontificiis illæsis, præstare potest. Non dubitamus fore omnino, vt Rector, Consistorium, ac tota Vniuersitas nostra hæreditarij sui Principis ac Domini successorisque legitimi piorum fundatorum obsequio se conforment; quare nostram quoque gratiam, ac fauorem sibi indubitatè deuincient. Viennæ 19. Ianuarij 1649. 449.

Excepit illud Vniuersitatis Rector ea, qua par erat reuerentis animi significatione; & ne piissimam Cæsaris mentem moraretur, quantocyus ad Consistorium, & Academicos Primates retulit. Vbi vt in negotio tanti momenti sponte omnia etiam, inuito nemine, peragerentur, proniores que Academicorum voluntates ad Cæsaream mentem flecterentur; communi Senatus placito moles hæc, in quatuor facultatum Decanos inclinata est; iussique illi suorum mentes sollicitare. Indicuntur ergo à Decanis facultatum comitia: referunt quisque ad suos; versantur sententiæ à præsentibus, & absentium quoque suffragia requiruntur. Sed antequam omnium, vel explorati fuissent animi; vel in sententiam venissent singuli, iam euoluta fuerat Virginis ab Archangelo salutatæ celebritas, quam præstando Sacramento indixerat Imperator. Idcirco quantumuis Vngarici Regni Comitiis Posonij distineretur, 450.

neretur, suæ tamen semper in Immaculatæ Virg. Conceptionem religionis memor, cum certo nuncio accepisset, lenta, ac nimi animorum cunctatione suam plus nimio differri voluntatem; Altero, sub Tertio Idus Aprilis, expedito decreto, præcepit Vniuersitatis Rectori Senatum Academicum conuocari, Communi senatusconsulto statutum præfatum erigi, Sacramentum indictum in Basilica Diui Stephani, imminente proximè S.Gregorij Festo deponi, & eodem inclinante die ad decantandas in summo foro Lauretanæ Virginis Litanias, Vniuersitatis Doctores ornatu & amictu Academico vestitos comparere.

451. Paruit Imperanti Rector. Diem condicit Senatui, conueniunt vocati, auditóque S. C. M. decreto, Vnanimi omnium votorum consensu statutum erigunt; atque ad S.Cæs. M. Posonij Regni Vngarici curis distentam, Admodum R. P. Zachariam Trinckelium e Societate Iesu Domus professæ Præpositum, S. Theolog. Doct. eiusdémque facultatis Decanum spectabilem ablegant, qui post delatam obsequentissimæ Vniuersitatis promptam ad Cæsaris genua Obedientiam, factámque eiusdem sub Imperatoria tutela calidam commendationem, erectum statutum exhiberet, diémque dici postularet, quo inter cantati Sacri solemnia Rectori, cum Academicis Proceribus in manus Vniuersitatis Cancellarij Iuramentum esset emittendum, ac demum, vt demissa, iusta, ac efficaci, qua posset, oratione, Augustissimo Cæsari persuaderet, vt pro sua in Virginem propensione futuram solemnitatem sua ipse præsentia dignaretur reddere Augustiorem. Nec mora, accelerat iter Legatus: Posonium prosperè attingit: auditur & prolixè, & benignè ab Imperatore, summo cum gestientis animi gustu statutum approbante, & suam ipsam præsentiam in proximam SS. Trinitatis Dominicam, post terminata comitia, ac perpetuam etiam gratiam Vniuersitati adpromittente.

452. Sed quoniam, vbi Regni tractantur negotia, vnum facilè ex altero nascitur, & ducta in catena curæ sæpe plures destinato dies sibi deposcunt, detentus ad eum diem Posonij Imperator, etiam Academicorum Vota tantisper suspendit in Dominicam, quæ proximè in Augustissimam Corporis Christi celebritatem insequitur. Tunc enim verò publicam circumlati sanctissimi Sacramenti supplicationem in domo professa Patrum Societatis Iesu prosequuturus, mandat ad eum diem in templo dictæ professæ Domus Societatis Iesv inter cantati Sacri solemnia Iuramentum emitti.

453. Illuxerat iam duplici solemnitate serenus dies, cùm sub horam sextam matutinam frequentissimo numero Academici omnes ex Iussu Rectoris magnifici ad Domum Vniuersitatis congregantur, indéque suas Decani, ac Theologica facultas induti Epomides, ad ædem Sacram Professæ Soc. Iesv procedunt domus. Aduenit Augustissimus Imperator, inchoatur solemnis Liturgia, ac vbi iam Symbolum fuisset decantatum, Admodum R.P. Leonardus Bachin è Societate Iesu SS. Theologiæ Doctor Sac. Cesar. Maj. Imperatrici Mariæ Leopoldinæ à Confessionibus, orationem facundissimam habuit, qua miram SS. Sacramenti cum Deipara Virgine Immaculatè Concepta, ac huius cum illo coniunctionem demonstrauit; ac etiam eo die Virgini sine macula Conceptæ Iuramentum ab Academicis præstari gratulatus est, quo SS. Ferculo publici honores decernuntur. Ab Oratione prouolutus ad Aram, qui solemnitatem faciebat Vniuers. Cancellarius, positis super libro Euangeliorum digitis, primus Iuramentum deposuit. Tum suis egressi subsellijs Magnificus Vniuersitaris Rector, Prænob. & Excellent. D. Guilielmus Mannagetta cum Proceribus Academiæ, & quatuor facultatum Decanis, ad Altare sunt progressi, & singuli de charta propria in manus Reuerendiss. Vniuersitatis Cancellarij tenentis Sacrum Euangeliorum Librum, suo primum, deinde suorum nomine Iuramentum, spectante desuper magno animi sensu Imperatore, & tota Vniuersitate humi procumbente deposuerunt. Prosequutus deinde solemne Sacrificium Reuerendiss. Cancellarius. Inde Sacrorum Pontifex Illustrissimus, ac Reuerendissimus Princeps Episcopus Viennensis oneri successit, & Sacratiss. Ferculum circumferendum assumpsit, Cæsare, cum Leopoldo filio comitante, quos, vt erat congregata Vniuersitas, pompa omnino singulari, & hactenus nunquam visa, est prosequuta.

Porro vt Vniuersitatis superius commemoratum statutum maius sortiretur in posteras ætates firmamentum: placuit August. Cæsari publico Diplomate illud ipsum stabilire: Cuius tenor est vt sequitur.

Cæsaris semper Augusti Ferdinandi III. Diploma.

454 NOs Ferdinandvs III. diuina fauente Clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclauoniæ &c.

&c. Rex; Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, &c. Marchio Morauiæ, Dux Lucemburgiæ, ac superioris & inferioris Silesiæ, VVitembergæ & Iecke, Princeps Sueuiæ, Comes Absburgi, Tirolis, Ferretis, Kiburgi, & Goritiæ, Landgrauius Alsatiæ, Marchio Sacri Rom. Imp. Burgouiæ, ac superioris & inferioris Lusatiæ Dominus, Marchio Sclauonicæ Portus Naonis, & Salinarum: tenore præsentium Notum facimus, quibus expedit Vniuersis; comparuisse coram Nobis, Honorabilem, deuotum, Nobis dilectum P. Zachariam Trinckelium. Domus professæ Societatis IESV Viennæ Præpositum, Theologiæ Doctorem, & pro tempore eiusdem facultatis Decanum, vt pote ab Vniuersitate nostra Viennensi ad Nos ablegatum, & Literis credenrialibus sufficienter ab eadem prouisum, qui demisse Nobis exposuit, qualiter eiusdem Vniuersitatis Rector, & Consistorium post omnium Facultatum informationes, & Vota, tam scripto quàm viua voce prolata, tandem Vnanimi sententiarum conspiratione, iuxta benignissimum nostrum placitum, & mandatum die 19. Ianuarij currentis Anni 1649. Viennæ emanatum, peculiare statutum condiderint, perpetuis deinceps temporibus valiturum, atque obseruandum. Cuius quidem statuti Nobis ab eodem Patre Zacharia Trinkelio reuerenter exhibito tenor est talis:

STATVTVM

De Immaculata Beatæ Virginis Conceptione ab Vniuersitate in posterum asserenda, ex mandato Sacræ Cæsareæ Maiestatis factum, in pleno Consistorialium, & è quatuor Facultatibus delegatorum Congregatione, Vnanimi omnium votorum consensu conclusum 11. Maij Anno Domini M. DC. XLIX. & à Sacra Cæsarea Maiestate Confirmatum 17. Maij.

FEstum Beatissimę Virginis Mariæ absque peccati originalis macula Conceptæ, tanquam singularis Patronæ, vt alia Vniuersitatis festa maiora post præcedentis diei Ieiunium deinceps quotannis publica Chori & fori solemnitate ab omnibus membris Academicis in templo S. Stephani celebretur: & finito Sacro à facultate Theologica, in honorem huius Tituli, Latina Oratio habeatur. 455.

Statutum Vniuersitatis Viennensis pro defendenda immaculata Conceptione B. Virginis.

Eodem die, absolutis Vesperis, Rector, & Decani consueto habitu ornati, subsequentibus Academicis, ad B. Virg. Columnam à Sacra Cæsarea Maiestate ante templum Domus professæ Societatis IESV in foro erectam procedant, ibique flexis genibus, Litanijs Lauretanis intersint.

Nemo inposterum ad gradum Bacchalaureatus, Magisterij, vel Doctoratus, aut alibi promotus in aliquam facultatem recipiatur, nec ad Professuram, vel consessum Consistorij admittatur, nisi priùs ad manus Reuerendissimi Domini Cancellarij Academici præstiterit sequentis formulæ Iuramentum.

Ego N. spondeo, voueo, ac iuro, me iuxta summorum Pontificum Pauli V. & Gregorij XV. Constitutiones, publicè, ac priuatim velle piè tenere, & asserere, Beatissimam Virginem Mariam Dei genitricem absque Originalis peccati Macula Conceptam esse, donec aliter à Sede Apostolica definitum fuerit. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

In præsentatione Doctorandorum, post emissam fidei professionem, idem Iuramentum iuxta formam hîc præscriptam subnectatur.

Hoc ipsum Iuramentum Dominica infra Octauam Corporis Christi, Reuerendissimus Dominus Cancellarius Academicus in templo Domus Professæ Societatis IESV, præsente Sacr. Cæs. Maiest. inter cantati Sacri solemnia, post dictum à se Symbolum, Ipse primus, flexis genibus ante Altare Deo præstet. Postmodùm ad eiusdem confidentis manus, Rector suo, ac totius Vniuersitatis, similiter Decani facultatum Academica toga, & epomide ornati, suo & suorum collegiatorum nomine, idipsum ritè præstent. Tandem die ac loco designandis reliqui Doctores omnes & singuli, siue Facultati, quam profitentur, incorporati sint, siue extra facultatem, Collegia, Vniuersitatis matricula comprehendantur; coram ipso Domino Cancellario emittant.

Quæ omnia vt in viridi posthac obseruantia perennent, quotannis post instaurationem noui Magistratus, Academici, antequam primum Consistorium celebretur, Rector electus, Festo aliquo sibi commodo, in æde Sacra D. Stephani præfatum iuramentum, nomine totius Vniuersitatis inter Missarum solemnia; post *Credo* decantatum, vti prima vice factum, præsentibus Omnibus Decanis, & Facultatum Doctoribus innouabit.

Cæterùm cùm Sacr. Cæs. Maiestas clementissimè Ordini S. Dominici nihil præiudicare

aut

aut derogare velit per suum decretum huius rei causâ emanatum, confidat tamen, vti sese etiam iidem Patres beneuolè obruleirunt, eiusmodi ab illis subiecta, Vniuersitati & facultatibus præsentanda, quæ omne id in hac causa præstituri sint, quod in aliis Catholicis Vniuersitatibus simile statutum habentibus, Ordo illorum secundum suas constitutiones & Decreta Pontificum præstat. Censuerunt Facultates, eosdem Patres nullo, vigore præsentis decreti, Iuramento in hac causa obligandos esse, rogandamque suam Sacr. Cæs. Maiestatem, vt hoc Vniuersitatis iudicium, & statutum clementissimè dignetur approbare.

Humillimè Nobis proinde supplicans, vt supra insertum statutum ad maius robur, & firmitatem, seræque posteritatis memoriam, auctoritate nostra Cæsarea, atque Archiducali benignissime confirmare & ratificare dignaremur.

456. Cum igitur statutum hoc, Nobis volentibus, à prænominata Vniuersitate Viennensi ita factum & conditum sit, ex quo Nos specialem Beatissimæ Virginis Matiæ in multis & magnis Regnorum, & Imperij nostri difficultatibus opem, & patrocinium eidem Virgini Deiparæ immaculatè Conceptæ in peculiarem Austriæ Patronam assumptæ; Nos, Liberos, Populos, Exercitus, Prouincias, & omnia denique singulari pietatis affectu & cultu Dedicauimus, Donauimus, & Consecrauimus; atque in perpetuam eius rei memoriam, in Vrbe nostra Vienna conspicuam ante templum Domus professæ Societatis IESV, in publico ibidem foro Columnam ereximus, & Immaculatè Conceptæ Virginis Imaginem in supremo eius columnæ vertice collocatam, Populorum deuotioni proposuimus, nec non solemni Voto, Nos, nobisque subiectos populos, ac præcipuè quidem Austriacæ Prouinciæ Ordines, atque omnes eius, ac Ciuitatis nostræ Viennensis Incolas, atque inhabitatores Vniuersos; accedente ac præhabito eorundem libero consensu obligauimus, præmisso Ecclesiastico de more Ieiunio eiusdem Immaculatæ Conceptionis diem, Octaua Decembris quotannis publicè ac solemniter etiam quoad forum, festum agere, vt hæc ipsa pietas in subditorum nostrorum animis solidiores radices ageret, & omnis etiam quæ ex diuersarum opinionum & sententiarum, maxime inter Viros doctos, à quorum sensu reliqui pendere solent, propugnatione & publicatione siue ea in Ecclesiasticis Cathedris, siue in publicis scholis, siue etiam in priuatis sermonibus, & scriptis fiat, facilè exoriri poteſt perturbatio, dissensio & iurgia, & quæ inde consequitur Dei offensio in terris nostris hæreditariis tollerentur.

457. Ideò animo bene deliberato, maturo accedente consilio, déque certa nostra scientia antedictum Statutum ab Vniuersitate nostra Viennensi confectum benignissimè approbamus, ratificamus, atque confirmamus: Volentes, ac etiam auctoritate nostra Cæsarea & Archiducali firmiter statuentes, & Iubentes, vt statutum istud perpetuis à modò & in futurum temporibus suum robur & firmitatem obtineat, atque ab omnibus piè, sincerè, candidè & inuiolabiliter obseruetur, harum vigore literarum manu propria subscriptarum, & sigillo nostro Cæsareo communitarum. Dat. in Arce nostra Possonij die 17. Maij 1649. FERDINANDVS III. Ioannes Matthias Prickelmair m. p. Zacharias Constantinus Kirchmair. m. p.

458. Hæc est Augustissimi Cæsaris FERDINANDI III. nullo Antecessorum prouocata exemplo in Te, pietas; Hæc Vniuersitatis Religio, hæc nobilium, Ciuium, plebisque Viennensis æternùm, vt auguramur, duratura deuotio, ô terræ Optima, Cælique Maxima Imperatrix Matia! De Immaculata tua Conceptione nulla apud nos esse poterit controuersia, in cuius confirmationem stant saxei Colossi, & dicta ab Vniuersitate pugnant Sacramenta. Litem indixerit Ferdinando Cæsari, & Vniuersitati nostræ iuratum certamen, qui Te non dixerit Immaculatam. Qui ne degeneres simus sub tanto Capite subditi, dicimus millenis vocibus vno animo, *Aue Immaculatè Concepta Virgo MARIA.* Tu verò Virgo Mater semper Immaculata, quæ tuo simulacro in Columnam extolleris, respice de sublimi in prostratam tuis honoribus Austriam: Circumspice propiùs propiúsque semper in nostra funera succedentes bellorum insultus, & vbi deficiunt humanæ vires, Vna pro nobis decerta castrorum acies ordinata; Tu quoque Magnæ Matris maior Fili, Deus Fortis, Bellator Deus, Deus Exercituum, defende, quæsumus, Beata Maria semper Virgine sine macula Concepta intercedente, Augustissimam ab omni aduersitate familiam, & toto corde Tibi prostratam Vniuersitatem ab hostium propitius tuere clementer insidiis.

FORMVLA

FORMVLA IVRAMENTI PRÆSTITI, AC VOTI NVNCVPATI A NOBILISSIMA, ET ILLVSTRISSIMA RELIGIONE EQVITVM DE CALATRAVA, IN DEFENSIONEM MYSTERII IMMACVLATÆ CONCEPTIONIS B. VIRGINIS DEI GENITRICIS MARIÆ;

Dum celebrarentur Comitia huius Ordinis in Cœnobio S. Martini, in Curia Philippi IV. Hispaniarum Regis, die 23. Decembris ann. 1652.

Quam conscripsit ex mandato Congregationis Generalis Frey D. Hieronymus Mascarenas eiusdem Ordinis Eques, supremi Consilij Ordinum Militarium, Prior de Guimaraens, & Episcopus electus de Leyria.

IN nomine Sanctissimæ Trinitatis, Patris, Filij, & Spiritus Sancti, nec non Beatæ Virginis MARIÆ Dei Genitricis absque vlla peccati Originarij macula Conceptæ; tum & magnorum Patriarcharum sancti Benedicti, ac sancti Bernardi nostrorum Parentum. Sub Patrocinio sanctissimi Patris nostri INNOCENTII X. Vniuersalis Ecclesiæ Romanæ Pontificis Maximi. Omnibus notum sit, Nos Frey D. Didacum Gomez de Sandoual, Commendatarium Maximum inclytæ, & illustrissimæ Religionis EQVITVM DE CALATRAVA in vtriusque Castellæ regnis, Comitiorum eiusdem Religionis Præsidem, iussu Cæsareæ, & Catholicæ Maiestatis PHILIPPI IV. ex Authoritate Apostolica coactorum Matriti die decima Iulij anno 1652. Tum & reliquos omnes Commendatarios, Equites, ac eiusdem Ordinis Religiosos in comitiis congregatos in Templo Diui Martini Ordinis sancti Patris nostri Benedicti. Nos igitur omnes asserere, perpensis vtique prius plurimis, ac maximis in nostrum inclytum Ordinem beneficiis à Beata Virgine cœlorum Imperatrice collatis, à die qua hic Ordo eam in specialem Patronam, & Aduocatam sibi delegit, nempe ipsamet die, qua ortum habuit, in Conuentu sanctæ Mariæ de Calatraua veteri. Cùmque hic Ordo ritè perpendat Dei interesse, honori Virgineo prouidere, qui ab æterno eam prælegit Pater in Filiam, Filius in Matrem, Spiritus sanctus in Sponsam, Templum, ac Sacrarium: Quam Cœlites omnes tanquam suam Induperatricem agnoscunt, ac suspiciunt; vniuersus Christicolarum cœtus tanquam communem misericordiæ Matrem, Gratia plenam, fidelium solatium, vniuersi populi Christiani patrocinium confitetur; quæ sine vlla intermissione coram Deo, sua potenti suffragatione, & interuentu, nobis peccatorum veniam extorquet. Ob quæ reuerenti cultu, ac corde demisso eam veneramur, & extollimus in omnibus Mysteriis, in quibus sancta & Catholica Ecclesia Romana eam laudibus euehit, & extollit: & in spem acti, futurum vt aliquando tandem mysterium Immaculati sui Conceptus, tanquam fidei dogma sustineatur. Interim autem de communi omnium consensu

consensu decretum fuit, vt voto, ac iuramento constringeremur ad tuendam eiusmodi immunitatem ab omni originaria culpa in Conceptu Beatæ Virginis Mariæ, sub venia, & protectione sanctæ Sedis Apostolicæ, cui semper debitam obedientiam, & animi submissionem huc noster Ordo præstitit. Itaque nostri Catholici, ac Religiosissimi Regis PHILIPPI IV. nostri Ordinis Administratoris perpetui, ex speciali Sedis Apostolicæ authoritate, vestigiis inhærentes, in affectu, ac veneratione huius Mysterij, ac sententiæ piæ; præeunte eiusdem approbatione, & consensu quoad hanc partem, & pium factum, præcedente etiam nostri Capituli Generalis matura consultatione; congregati sumus canonice in hac sacra domo nostri Patriarchæ sancti Benedicti, vbi seriò, & acriter Immaculati Conceptus Virginei sententia defenditur; eiusdémque solemnitas festiua pompa, magnóque apparatu peragitur; ad præstandum iuramentum, votúmque nuncupandum, quod iam in nostro Capitulo Generali decretum fuit. Quamobrem simul congregati ritè, ac canonicè, voce, ac vice omnium Equitum, Religiosorum, & Sanctimonialium nostri inclyti Ordinis præsentium, absentium, ac futurorum; prudenti consideratione perspicientes, Beatam Virginem ab æterno fuisse à Deo Optimo, Maximo, prælectam in sui Parentem charissimam, ac proinde eam etiam exemisse ab illa prima Protoparentum labe originaria. Cúmque hæc sancta, ac pia sententia ab omnibus in vniuersum Religionibus sustineatur, & ab aliquibus speciali voto emisso, imò & vbique à sanctis Præsulibus Episcopis, Archiepiscopis, Communitatibus, Academiis totius Europæ; & quod præcipuum est ab vniuersali Romana Ecclesia celebretur hæc eadem Immunitas Mariana à culpa originaria, vt constat ex pluribus indultis Pontificiis, officiis approbatis, indulgentiis elargitis, vt ad hoc festum celebrandum magis promoueant fideles. Optantes & Nos tantarum gratiarum participes fieri; ac gratum hoc obsequium Virgini Dei Genitrici exhibere, in commune nostrum omnium solatium, fidelium exemplum, ac gratitudinem, & obseruantiam in eandem Deiparam, Matrem nostram, ac omnium peccatorum Asylum, coram Deo omnipotenti Trino, & Vno, Patre, Filio, & Spiritu sancto, eademque Virgine MARIA, & coram nostris Parentibus sanctissimis Benedicto, ac Bernardo; omnibus etiam Angelis, ac cælestibus Spiritibus curiæ cælestis, & coram omnibus præsentibus, quos testes exhibemus nostri iuramenti, Iuramentum præstamus, ac Votum nuncupamus, nos semper defensuros, affirmaturos, ac propugnaturos, Gloriosissimam Virginem MARIAM Dominam nostram absque vlla peccati Originarij macula fuisse Conceptam, & nunquam in Adamo deliquisse, quin potiùs in primo instanti sui fœlicissimi Conceptus, quo vnita fuit ipsius anima corpori eiusdem, ingenti gratiæ diuinæ cumulo fuisse præuentam, & à peccato Originali præseruatam; quæ omnia ob merita præuisa Passionis, ac mortis Christi Domini eiusdem Redemptoris præstita fuere. Quocirca seriò affirmamus eandem Beatam Virginem verè, & propriè, & nobiliori redemptionis genere fuisse redemptam. In qua certissima veritate tuenda ob honorem tantæ Virginis, Deo fauente, vsque ad mortem decertabimus. Quod vt firmius permaneat, & in perpetuum in hac nostra sacra Religione inuiolabiliter perseueret, id tanquam statutum, decretum, ac definitum omnimoda, authoritate nobis commissa pronunciamus, ac decernimus, vt semper in suo robore & viridi obseruantia perduret. Quod statutum in nostris Actis capitularibus inscribi mandamus inter omnes alias nouas definitiones. Insuper votum, ac iuramentum præstamus, nullum admittendi ad professionem in hac nostra Nobilissima Religione, quin post alia vota nostri Ordinis, hoc votum speciale, & iuramentum præstet. Ad hæc simul etiam vouemus solemnem cultum huius festiuitatis Conceptionis Immaculatæ, habita ad populum concione eadem die celebrandum, qua Ecclesia vniuersalis, vel alia die eiusdem Octauæ, ea forma, quam in nouis definitionibus declarabimus. In quorum omnium obseruantiam hoc Votum, & Iuramentum præstamus in manibus D. D. Hieronymi Mascareñas nostri Ordinis Equitis, Episcopi de Leyria electi, & iureiurando confirmamus, manibus super viuificam hanc Crucem, & super hæc quatuor Euangelia impositis, ea omnia adimplendi. Quod iuramentum, ac Votum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ Romanæ submittimus, ac sanctissimo Patri nostro Innocentio X. sub cuius protectione, & patrocinio illud collocamus; Illum humiliter exorantes, vt illud benigno excipiat affectu, nobísque suam benedictionem impertiat. Demum reuerenti animi demissione Deum Optimum, Maximum deprecamur, vt interuentu Beatæ Virginis Mariæ adfaueat, & auxilium præstet Regi nostro Philippo, eiusque Catholicam Monarchiam dilatet, ac protendat, vt in dies fides Christi Domini eiusque Diuæ Parentis

Gloria

Gloria succrefcat, & augeatur: noftramque nobiliffimam Religionem perpetuo fuo obfequio confecratam, ac mancipatam, feruet, adaugeat, ac muneribus cœleftibus & temporalibus exornet, ad maiorem ipfius Dei Omnipotentis gloriam, Sanctiffimæ fuæ Parentis decus, Catholicæ fidei propagationem, fanctæ Romanæ Ecclefiæ exaltationem, ac veram & exactam præftiti iuramenti, ac voti obferuantiam, facti in hoc Cœnobio fancti Martini Matritenfis, Ordinis facri noftri gloriofi Parentis fancti Benedicti, die Lunæ 23. Decembris anno 1652.

FORMVLA IVRAMENTI PRÆSTITI AB ILLVSTRISSIMA, ET INCLYTA RELIGIONE SANCTI IACOBI IN REGALI SACELLO REGIS NOSTRI PHILIPPI IV. femper Augufti, Adminiftratoris perpetui dicti Ordinis;

In defenfionem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis MARIÆ, Aduocatæ, & Patronæ dicti Ordinis Equitum S. Iacobi.

IN nomine Sanctiffimæ Trinitatis, Patris, Filij, ac Spiritus Sancti, & ad maiorem ipfius gloriam, & honorem, & præfertim IESV CHRISTI Domini noftri Filij eiufdem Beatæ Virginis, Angelorum Imperatricis, & hominum. Omnibus notum fit; Cùm Nobiliffimus, & Inclytus Ordo Equitum fancti Iacobi horum Catholicorum regnorum Caftellæ vtriufque & Legionis, ritè perpenderit eiufdem Beatæ Virginis patrocinium erga hunc Nobiliffimum Ordinem, quo medio tot egregia patrauit facinora, ac innumerabiles victorias ab infidelibus reportauit, in defenfionem, & propagationem noftræ fanctæ fidei, ac patriæ incolumitatem; tum alia quamplurima tum fpiritualia, tum & temporalia emolumenta, quibus hunc eundem Ordinem exornauit, ita vt fupremum gloriæ faftigium teneat. Quæ omnia beneficia in fe collata fatetur ob ardentiffimum affectum erga Beatam Virginem MARIAM, obfequiúmque maximum in Ipfam præftitum; veftigiis inhærendo fui Gloriofiffimi, ac Sanctiffimi Patroni Apoftoli Iacobi. Quam erga Virginem Deiparam pietatem, ac cultum femper hic facer Ordo exhibuit, non modo in celebrandis MARIÆ gloriis, facrifque myfteriis, verum etiam præcipuè à fuis incunabulis Immaculatæ eiufdem Conceptionis defenfioni feriò incumbens, eiufdem Officium ab immemoriali Traditione recitans, ac celebrans folemni cultu per octo dies continuos facrum Immaculatæ Conceptionis Virgineæ Myfterium: in qua re iure quidem optimo præponitur, & primas ferr inter omnes alios facros Ordines militares. Quocirca cenfuit matura deliberatione præmiffa, hunc pium huius Religionis affectum, vt in dies magis magifque fuccrefcat, ac omni pofteritati teftatum relinquat, nouo fe Iuramenti, ac Voti vinculo conftringere defendendi, tenendi, ac profitendi hanc veritatem, videlicet Immaculati Conceptus Beatæ Virginis, inhærendo veftigiis tot Ecclefiarum Cathedralium, Prælatorum, Religionum, Academiarum, aliarumque Communitatum, ac Cœtuum totius Europæ idem Iuramentum ac Votum emittentium. Ad hæc, hic facer Ordo obtenta priùs facultate à Philippo IV. Rege Magno, ac femper Augufto, huius Nobiliffimi Ordinis Equitum

Diui Iacobi Capitis, ac Domini, authoritate Apostolica, sequens Decretum sanciuit.

Noster hic sacer, & inclytus Ordo, die Translationi sancti Iacobi dicato Congregatus in Regali Sacello, & coram Maiestate Augusta eiusdem Philippi IV. Iuramentum præstabit, ac Votum nuncupabit per se, & nomine, & vice totius Ordinis, Equitum, Religiosorum, ac sanctimonialium ipsius, tenendi, profitendi, ac defendendi veritatem Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis, & ab omni peccati originarij labe immunitatem. Præterea vt in posterum ex statuto ipsius Ordinis nullus ad professionem dicti Ordinis admittatur Eques, Religiosus, siue Monialis, quin priùs in ipso actu profitendi idem Iuramentum, ac Votum præstet. Et licèt Diuus Iacobus Apostolus sit huius Ordinis nostri Patronus, ac Tutelaris; vt maius obsequium in Beatam Virginem Dei Genitricem exhibeamus, tum & in ipsum Diuum Iacobum; facultate concessa à Summo Pontifice Vrbano VIII. communi consensu totius Ordinis, ac fortunatissimo auspicio, Sacrum hoc Immaculatæ Conceptionis Deiparæ mysterium; eandemque Beatam Virginem prout Immunem ab omni peccato originali in Patronam specialem totius Ordinis deligit: Statuitque vt in posterum Festum Immaculati Conceptus eo solemni ritu peragatur, quo Insignes Ecclesiæ Patroni celebrari solent; qua die, statuit etiam, vt omnes ad sacram synaxim accedant, sicut reliquis diebus in quibus sancitum est, in hoc Ordine vt omnes sacram Eucharistiam recipiant. Denium vult hic sacer Ordo vt de his omnibus certior fiat Sanctissimus Papa noster Innocentius X. per litteras ab ipso exposcendo, vt factum Immaculatæ Conceptionis Mysterium confirmet, & stabiliat.

Quæ omnia vt melius executioni mandentur, Nos Equites inclyti Ordinis sancti Iacobi Congregati in Regali Sacello Philippi IV. Regis nostri huic actui præsentis die 30. Decembris Translationi sancti Iacobi dicata, huic rescripto manu nostram subscribimus tum nomine, & voce totius huius inclyti Ordinis, & omnium Equitum, Religiosorum, ac Monialium ipsius, instaurantis nostrorum Maiorum in Beatæ Virginis Immaculatam Conceptionem, pietatem, & affectum; tum & nouo vinculo nos ipsos obstringentes Profitemur, affirmamus, ac protestamur Beatam Virginem Dei-Genitricem MARIAM in primo instanti suæ Conceptionis, & animationis fuisse ab omni peccati originalis macula exemptam, & immunem; & simul nobiliori redemptionis genere fuisse redemptam ex præuisis Christi Domini ac Filij sui meritis. Et simul Iusiurandum præstamus, ac Votum nuncupamus Deo Optimo Maximo, & Beatæ Mariæ semper Virgini Dei Genitrici, Diuo Iacobo Maiori, Apostolo, Patrono nostro, ac Domino, Diuo etiam Augustino, sub cuius regula militamus; tum & omnibus Sanctis Curiæ Cœlestis, coram Catholica Maiestate Regis nostri Philippi IV. tenendi, & defendendi hanc veritatem non solùm intra priuatos nostros parietes, sed etiam publicitus animo, & ore, vita, & morte iuxta vniuscuiusque sexum, statum, & conditionem: tum & conandi pro viribus hanc sanctam doctrinam euulgare, propagare, ac stabilire apud fideles omnes. Quod ita promittimus, & iureiurando firmamus per Deum Omnipotentem Dominum nostrum, ac per sanctam pectoris nostri Crucem; quod Votum, & Iuramentum sanctæ Sedi Apostolicæ, tum & nostro sanctissimo Papæ Innocentio X. submittimus, sub eiúsque protectione, & patrocinio illud constituimus, ab eo enixè postulantes illud recipiat, nobísque suam Pontificiam benedictionem largiatur.

CERTA

CERTAMEN X[illegible]

An sit B.Virgo [illegible] peccato originali, Christus ex [illegible] productus [illegible] etiam [illegible] ceretur

4[illegible] Teme[illegible] tot quidam [illegible] D. [illegible] & Gene[illegible] Verum [illegible] valde [illegible] A[illegible] *Expiata sit* [illegible] *prima pr*[illegible] *hic ac si ma a prima* [illegible] *Adae vocem, maledictione* [illegible] *Verbum Patris de carne pe*[illegible]*, quod* [illegible] V[illegible] neu[illegible] m ex Patribus [illegible], qui praelici [illegible] pta licto A[illegible] culpa [illegible]

460 [illegible] A[illegible] ex pecc[illegible] qua[illegible]

461 [illegible] onatoris [illegible]

re cen[illegible] A[illegible] quantum [illegible] B. V[illegible] originali [illegible] cepit infecta [illegible] D[illegible] peccato orig[illegible] be [illegible] nequeunt [illegible] venturum. [illegible] videtur primo, quod pactum de transfundendo peccato originali in posteros [illegible] tum fuit [illegible] ad illos, qui [illegible] propagatione ex commixtione [illegible] utique [illegible] Christus autem D. Sp[illegible] commixtione concipi[illegible] subito possetm[illegible] V[illegible]go B[illegible] Afferunt [illegible] D. [illegible] Ve bi [illegible] pec[illegible] *Ver* [illegible] V[illegible]g[illegible] Conceptu[illegible] peccatum originale. E[illegible] Ps. 44. [illegible] *De[illegible] oleo laetitia prae* [illegible]. Quod [illegible] Patrem in[illegible] Hypostatice [illegible] D. Ham[illegible] fuit V[illegible] acumque a[illegible] peccati ori[illegible] *ba*[illegible] [illegible] *per* [illegible] *omnes in* [illegible]. Q[illegible] [illegible] Adam is per peccatum omnes p[illegible]; ita Christus D. non solum ex se [illegible] peccato caruit, & illius [illegible] pax ex[illegible] tem [illegible] [illegible] lavatio [illegible], & [illegible] non [illegible]

[illegible] peccatum quia semen v[illegible], quo medio transfunditur peccatum originale, [illegible] Christi Conceptio [illegible] ad[illegible] m pec[illegible] potuit [illegible] stum, [illegible] A[illegible] en p[illegible]ter[illegible] D.T[illegible] dist. 3[illegible], [illegible] quod damn[illegible] peccato pri[illegible] Iobus c. 14. [illegible] *[illegible] re mundum de immundo [illegible] tum semi[illegible]* [illegible] August. [illegible] de N[illegible] S. [illegible] Capreolus [illegible] pec[illegible] tura [illegible] quae [illegible] peccato, & infe[illegible] proles, est [illegible] ad [illegible] spec[illegible] reperitur [illegible] recta & [illegible] ad rectam [illegible] innocentiae, nec [illegible], aut cor[illegible] po[illegible] es ab Adamo in posteros [illegible] Christus D. non [illegible] e [illegible] Virgine sola produs, ergo non potuit labe 462

[illegible] Christi [illegible] ginatos [illegible] B. V[illegible] D.Th. [illegible] currit ad Christi Con[illegible] longe probabi[illegible] miss. Et [illegible] contex[illegible] in Christi [illegible] non potuisse[illegible].

463. De[illegible] natu[illegible] qui [illegible] tux, [illegible] qu[illegible] cat, sic [illegible] gratia [illegible] [illegible] fusque [illegible] non poterat [illegible] tis à p[illegible] Christi [illegible] Imo [illegible] de C[illegible] nitatem [illegible] Verbo, [illegible] potuisse [illegible] ipse [illegible] ucide [illegible] re [illegible] Christo D[illegible] [illegible] bus p[illegible]

Granad.

Anselm.

CERTAMEN XXI

An si B. Virgini daretur O[illegible], ma[illegible] peccato originali carere, an cum [illegible] esse Mater Dei.

464. IN[illegible] B.V[illegible] esse [illegible] Deum [illegible] tant Theolog[illegible] inquit Be[illegible] *Alioqui [illegible]* [illegible] B.V[illegible] boni. Bonum [illegible] ris [illegible] ex par[illegible] tionæ operationi [illegible] se excell[illegible] posito.

465. N[illegible] [illegible] e Mater Dei [illegible] Mater Dei [illegible] cuiusque

iustitia origin[illegible], cuius [illegible] induceret peccatum originale, ergo potius eligeret B. Virgo Dei [illegible] peccato [illegible] [illegible] sine [illegible] eligere [illegible] Matrem [illegible] D[illegible] iusti[illegible] Dei [illegible] Virgo [illegible] M[illegible] naturalem D[illegible] sic [illegible] se, M[illegible] [illegible] V[illegible] ipsa Virgo [illegible] Mater [illegible] Pe[illegible] [illegible] D. Thomas [illegible] M[illegible] D. Th. [illegible] Virgo [illegible] De[illegible] [illegible] ex bo[illegible] Praeterea [illegible] De[illegible] [illegible] Materni [illegible] prae[illegible] Materni [illegible] B. V[illegible] [illegible] peccatum [illegible] mater

ita [illegible]

D. Thomas

466.

ma[illegible] te Dei [illegible] est illa priuari, ne peccatum incurreret originale; siquidem peccatum originale in posteris omnium [illegible] leuissimum, etiamsi cum [illegible] ialibus [illegible] cebimus [illegible] ec d[illegible] esse Theologorum [illegible] eueniat bo[illegible] le est malum mo[illegible] ad maternitatem [illegible] si [illegible] em [illegible] posset, [illegible] ese in [illegible] m Dei [illegible]

[illegible]

467 Cordub. [illegible] Moral. Florent. [illegible] Materni[illegible] [illegible]

Con[illegible] Cord[illegible] Mor[illegible] des [illegible] de [illegible] date B. Virgini [illegible] Maternitate Dei, [illegible] en peccat[illegible] Pro[illegible] um ra[illegible] ad [illegible] Materni[illegible] [illegible] B. V[illegible] pecca[illegible] offerrem Dei, [illegible] cum De[illegible] [illegible] Secun[illegible] re di Mater[illegible] nempe [illegible] peccatum [illegible] & cum [illegible] Ma[illegible] B. V[illegible] et Maternitas Dei. Q[illegible] & [illegible] D[illegible]

[illegible] & ami[illegible] ci[illegible] pis reliquis o[illegible] is antefert; [illegible] ui Dei amicitiam a[illegible] per instans, [illegible] quantumuis max[illegible] postponet [illegible] ipsius gratiam & amicitiam demereretur. P[illegible] B. Virgo faciebat [illegible] Dei amicitiam, a[illegible] per instans [illegible] am Dei Maternitatem, per qu[illegible] præ se sumpsam [illegible] iuxta communem Theolo[illegible] cum Christo [illegible] [illegible] ine [illegible] tatem [illegible] trahebat, at Dei ami[illegible] [illegible] eam [illegible] nation[illegible] De[illegible] eue[illegible], quæ [illegible] mari [illegible] ebet, [illegible] latere [illegible]

T[illegible] volun[illegible] 468 [illegible]

[illegible] re [illegible] per Ma[illegible] Dei, quis autem [illegible] Dei [illegible] fas [illegible] peccati, [illegible] volunta[illegible] [illegible] per M[illegible] Dei [illegible]

Per h[illegible] 469 [illegible] la [illegible] ra [illegible] [illegible] onem nostræ [illegible] comp[illegible] est M[illegible] Dei [illegible] or[illegible] al, sed [illegible] tum a[illegible] portat[illegible] le peccatum, [illegible] Dei, & c[illegible] ip[illegible] inimicitia, quæ [illegible] perq[illegible] editur, [illegible] habenda, quam [illegible] boni [illegible] m ma[illegible] Dei. [illegible] fundament[illegible] tiæ rationi[illegible] emus [illegible] ecede[illegible] re pe[illegible] omne [illegible] ratio[illegible] elle [illegible] anne[illegible] xam [illegible] fferi[illegible] & [illegible] licet ad m[illegible] lum [illegible] longe deficere à [illegible] to [illegible] onesto [illegible] que bono quantu[illegible]

CERTA

CERTAMEN XXIII.

Vtrum maiori odio prosequeretur B. Virgo peccatum Originale quam Veniale.

470. Granad. IAcobus Granado tractatu de Concep[illegible] 8 n.4. & in 1. [illegible] controu. 6. de pecc[illegible] p.2 sect.4. tuetur pec[illegible] origi[illegible]le [illegible] grauius quo[illegible] ve[illegible] cundu[illegible] in ratione [illegible] eniale pecc[illegible] exce[illegible] D.Thom. origin[illegible] quod innuit S.Th. [illegible] vbi hæc ha[illegible] *Peccatum veni[illegible] ori[illegible] comparatum, quodammodo est mi[illegible] [illegible] da[illegible] modo [illegible] peccatum e[illegible] ve[illegible] omp[illegible] tum huic, [illegible] vel illi, magis habet de [illegible] pe[illegible] quia veniale est voluntarium [illegible] luntate huius per[illegible] non autem originale [illegible] originale comparatum ad naturam est grauius quia priuat naturam [illegible] bono, quam veniale* [illegible] at. Cui consonat Bellarm. Bellar. tom.3. l[illegible] 4 de amissione gratiæ [illegible] enim: *Originale minus graue est [illegible] ratione voluntarij, quam quod [illegible] veniale, quamuis [illegible] ne mali grauis [illegible] cum priuet hom[illegible] em* Salmon. Suarez Dei. Adsane S[illegible] n 1 cap.5. e[illegible] R Suar. in 3.p.q.1.art.4.in comm[illegible]

471. Granad. Quod autem peccatum [illegible] male [illegible] grauius quolibet peccato ve[illegible] pr[illegible] do, qui[illegible] peccatum e[illegible] 2. diuinam [illegible] inimicitia[illegible] [illegible] & [illegible] hoc [illegible] eit peccatum originale, non ve[illegible] catum originale [illegible] lute, & [illegible] est. Maior propositio vnani[illegible] Theolog[illegible] fragio adm[illegible] cum ex eo [illegible] probat[illegible] pec-

[illegible] B. Virginem maiori odio prosecuturam peccatum originale, quam veniale.

catum le[illegible] no[illegible] ex [illegible] enim ratio v[illegible] aliquando repe[illegible] in al[illegible] pe[illegible] ex meta pecca[illegible] aliquo mortali quod ex v[illegible] passi[illegible] titur, [illegible] antia [illegible] Minor [illegible] infantibu[illegible] quo[illegible] iræ [illegible] Deo in[illegible] nascun[illegible] quo[illegible] veniale[illegible] pecca o[illegible] mul[illegible] go simpliciter, & [illegible] ute [illegible] est [illegible] originale, quam veniale. Hu[illegible] Hier. Flor. tur P. Hieronymus de Florentia conc. [illegible] punct.1.ex qua infert Virginem [illegible] odio prosecuturam peccatum ori[illegible] niale [illegible] detestaretur [illegible] grauiu[illegible] est, Deique inimic[illegible] quod per[illegible] est, De[illegible] lit, quale e[illegible] peccatum veni[illegible]

472. Aliȷ Doctores in oppo[illegible] tunt; affirmant enim pecc[illegible] tum esse peccatorum leuissimum [illegible] si cu[illegible] veni[illegible] conferatur. Pro ha[illegible] S.Th. in [illegible] dist. [illegible] q.2 ar.[illegible] V[illegible] g[illegible] us in [illegible] c.18.[illegible] & [illegible] 82. [illegible] Bel[illegible] fidium fere S.[illegible] 5. con[illegible] docet paruul[illegible] tos, qui [illegible] decedu[illegible] uros d[illegible] n[illegible] pœna[illegible] esse[illegible] [illegible] & [illegible] [illegible] quia [illegible] voluntate.

Peccatum originale omnium esse leuissimum, licet comparatur cum veniali, quinam confusum, D.Thom. Vige[illegible]

sed ab aliena dependet [illegible] quod [illegible] veniale voluntate propria patratur, originale autem [illegible] volu[illegible] tate o[illegible], ergo quo [illegible] est voluntarium pec[illegible] e, quam peccatum veniale, e[illegible] mus [illegible] secundum se censeri debe[illegible] en[illegible] Res exemplo planior fiet: odium Dei est [illegible] re suo omnium maximum pe[illegible] si [illegible] plene deliberatum, decre[illegible] esse minor [illegible] pec[illegible] al[illegible] quia [illegible] um esset [illegible] euen[illegible] peccatuo[illegible] veniale [illegible] De[illegible] potest [illegible] ene[illegible] dem [illegible] odium, [illegible] tum [illegible] inter Deum [illegible] ræte[illegible] ream co[illegible] q[illegible] pec[illegible] e[illegible] ab[illegible] mum [illegible] quam qua[illegible] bet [illegible]

Qui[illegible] us præ[illegible] dupl[illegible] g[illegible] 473.
[illegible] propo[illegible] B. V[illegible] em ab[illegible] [illegible] a pec[illegible] [illegible]

B. Virgo [illegible] peccatum veniale [illegible] originale [illegible] sua Conceptione [illegible]

[illegible] 474.
[illegible]

ſpirituale reportaret, vel damnum aliquod arceret; quod autem maius bonum ſpirituale B. Virgini obiici potuit præſeruatione ab originali delicto? quodve maius nocumentum præcauere, quàm macula originalis piaculi non infici? neque Dei inimicam conſtitui? ergo B. Virgo potius ſe debebat exponere diſcrimini culpæ venialis, quam velle infici peccato originali. Quæ rationes nonnullam præſeferre videtur probabilitatis ſpeciem iuxta ſenſum propoſitionis ſuperioris hic explicatum.

475. *B. Virgo, ſi ipſi daretur optio, potius ſeligeret præſeruationem ab omni peccato veniali actuali, quam immunitatem ab originali.*

Attamen cum hic ſermo ſit de nobiliori operandi modo, videlicet ex motiuo, & fine excellentioris perfectionis, iuxta quam B. Virgo ſemper operata fuit, & in illo euentu, etiam operatura eſſet. Ideo cenſeo cum Lugo citato, B. Virginem potius ſelecturam præſeruationem ab omni peccato veniali actuali, præ immunitate à macula peccati originalis in primo ſui Conceptus inſtanti. Et ſuaderi poteſt, quia nocumentum illud incurrendi peccatum originale per vnicum momentum, non ita graue exiſtimatur, vt potius illud ſit fugiendum, præ offenſa actuali veniali, cum odium inteſtinũ cuiuſlibet offenſæ Dei ex feruėtiſſimo amore Dei ortum maiori horrore auerſetur ac deteſtetur quamlibet Dei offenſam, licet venialem, quàm culpæ originalis incurſionem, quæ non coniungitur cum actuali peccandi voluntate, nec peccatum propria voluntate commiſſum includit. Sublimior igitur virtutis perfectio, ac præſtantior Dei amor apparet in voluntate electiua carentiæ immunitatis à culpa originali ſolum per vnicum inſtans, nullo interueniente peccato à propria voluntate commiſſo, quam in eo quod ſe exponat certo diſcrimini Deũ offendendi per proprium actum à ſua voluntate procedentem. Fateor teneri aliquando Parochum, vel confeſſarium ſubire diſcrimen labendi venialiter, vt ſuum munus obeat, vel ſuperiori præcipienti pareat, ac ideo tunc vtrumque teneri confeſſiones audire, tametſi, magiſtra experientia, vterque exiſtimaret, ſe id muneris cum certo diſcrimine labendi venialiter executurum: verum in illo euentu functio proprij muneris, vel charitatis vrgentis actus, & obtemperantia præcepti cenſentur maius bonum: vel potius incuria, & negligentia in obeundo ſuo munere, tum & inobedientia in executione præcepti iubentis ſuperioris, exiſtimatur maius malum, quam ſit periculum labendi venialiter.

476. Iuuat nunc nouum addere robur dictis, vt hic ſentiendi modus dilucidiur oſtendatur, & quidem ex Cardinali Lugo cit. Velit quiſpiam peccato lethali adſtrictus, ac Deo infenſus in Dei gratiam, & amicitiam per actum contritionis redire, quo tempore peccatum aliquod actuale facillimo negotio in altero arcere poteſt, nonne plus rectitudini, ac præſcripto rationis conformaretur, ſi peccatum illud in altero arceat, & amoueat, ac nouam Dei offenſam impediat, cum facile id præſtare poſſit, licet aliquantiſper differat proprium peccatum pœnitentia obliterare; quam è contra, nouam Dei offenſam non impedire, vt actum contritionis eliciat? ergo potiori ratione poſthabenda eſſet carentia gratiæ, & amicitiæ Dei per inſtans ſine proprio actu peccati, ipſi nocumento offenſæ Dei per proprium actum contrahendæ: & ratio huius eſt, quia peccatum incurrere habituale, non eſt actu Deum offendere, cum poſſet actu contrario illud peccatum originale, vel habituale actu odiſſe, ac deteſtari; ſolum ergo erit Dei auerſionem pati, ipſiuſque inimicitiam incurſam, nec retractatione obliteratam: at feruentior Dei dilectio, ac præſtantior in Deum amor plus hominem adigit, ne Deum nouo peccato actuali ſibi infenſum faciat, ac vel leui offenſa lædat, aut vel paruam illi iniuriam irroget, quam vt ipſe Deus amorem erga nos ſuum oſtendat per gratiæ collationem: adeoque plus nos mouet feruentior Dei amor, vt offenſam Dei actualem præcaueamus, quam vt præteritæ offenſæ veniam extorqueamus ſollicitius ſatagit Dei Charitas, vt à nobis peccatum nouum actuale procul amandet, quam vt amicitiam, ac beneuolentiam Dei erga nos expoſcat, ac deprecetur. Quare non ita veritati conſona videri debet illa propoſitio, nempe B. Virginem maluiſſe carere priuilegio exemptionis ab incurrenda macula originariæ culpæ in primo ſui Conceptus inſtanti, quam priuilegio exemptionis à peccato veniali.

Quamobrem vt titulo certaminis faciamus ſatis: ſi Virgini Deiparæ daretur optio, vel delinquendum eſſe venialiter, vel neceſſarium eſſe incurrere peccatum originale; affirmandum eſt, B. Virginem potius electuram non peccare venialiter actu ſuo proprio, quam originale peccatum incurrere; peccatum enim veniale ſemper eſt illicitum, ergo nunquam licite eligi poteſt: in cuius rei declarationem, appoſitum ſatis exemplum adducit Lugo citatus: ineat Deus pactum cum parente meo in ordine ad aliquod præceptum, iungatque voluntatem meam cum voluntate mei parentis, ita vt ipſius voluntas morali æſtimatione mea imputetur, & operatio mei parentis cenſeatur mea; tunc ſi parens meus ex malitia, vel paſſione in aliquod veniale peccatum me adigeret, intermiſcens minas, ſe præceptum illud à Deo impoſitum fracturum, cuius tranſgreſſio in me refunderetur, quia mea voluntas contenta eſt in ipſius voluntate, vt monui: ſi nolim peccatum illud veniale committere; profecto in hoc euentu non mihi liceret illud peccatum veniale patrare, alioquin ſi liceret, iam non eſſet peccatum: itaque potius permittendum mihi eſſet peccatum mei parentis, tametſi mihi moraliter idem imputaretur; quam voluntate propria venialem Dei offenſam incurrere. 477. Lugo.

Quod ſi vlterius huius doctrinæ, quæ difficilis alicui videri poſſit, rationem ſciſciteris, ea eſt, quia actus ardentioris amoris erga Deum ſuper omnia à voluntate propria procedit, adnectitque intima quadam, & affectiua vnionis fibula voluntatem ſic diligentis, cum Deo amato, cui ſtrictiſſimo amoris vinculo obicem maximum interponeret peccatum etiam veniale per propriam voluntatem patratum, quod licet non reſecet vnionis affectiuæ cum Deo coniunctionem; amoris tamen intenſionem, ac feruorem tepefacit, & imminuit: at peccatum per alienam voluntatem patratum, licet mihi morali quadam æſtimatione attribuatur, bene tamen poſſet mihi illud diſplicere, imo poſſem illud actu contrario odiſſe, atque adeo actum dilectionis Dei poſſem non interrumpere, ſed ipſi intime adhæreſcere ex parte mei affectus feruentiſſimi; licet ex parte Dei deſideraretur mutuus dilectionis affectus, ac reciprocus amor, cui obicem ponit macula illa moralis à voluntate aliena in me transfuſa. Ardentior autem Dei dilectio non tam ſollicitat, & exambit amorem Dei erga me, quam toto niſu impellit ad affectum meum erga Deum nouis auctibus intendendum; ac proinde maiori deteſtatione auerſatur id quod affectiuæ cum Deo coniunctioni opponitur, illam vel minuens, vel extenuans, quod efficit peccatum veniale; quam id 478.

quod

quod tollit tantum vinculum illud affectiuum reciprocum ex parte Dei se tenens erga me; quod præstat peccatum originale.

479. Superest iam extremum veluti ciere impulsum, quo arietabimus in mutum oppositæ sententiæ, iam fere prioribus ictibus quassum, vt tandem corruat, dirutóque, veritatem huius nostræ sententiæ stabili robore firmemus, quod quidem facilius præstabimus, si fundamenta oppositum sensum constabilientia conuulserimus. Primum sic se habet: illud maiori odio habendum est, quod plus Deus auersatur, & odit, atqui Deus maiori odio auersatur hominem originali peccato maculatum, quam eum, qui solum culpa veniali infectus est: ergo magis teneor arcere à me peccatum originale, quam veniale. Hoc fundamentum diffinditur distinctione illius propositionis: maiori odio prosequi teneor, ac maiori cautione prouidendum, ne faciam id quod Deus plus auersatur, & odit; vera est propositio; non vero magis auersari teneor, vt non permittam id quod minus Deus odit: & patet, Deus quippe magis auersatur peccatum lethale alterius, quam veniale à me commissum, & tamen plus teneor auertere, & impedire peccatum veniale à mea voluntate patrandum, quam ad auertendum, vel non permittendum peccatum lethale alienum: pari modo plus præcauere debeo peccatum veniale per meam voluntatem patrandum, quam ad impediendum, ne dicar delinquens per voluntatem alienam, cui addicta erat mea voluntas, & in illa contenta, morali æstimatione.

480. Secundum fundamentum: ardentior Dei Charitas plus odit id, quod grauiorem infert Deo iniuriam; sed originale peccatum grauius est veniali, ergo plus teneor præcauere originale, illudque odisse, quam solum veniale. Eadem distinctione diruitur hoc fundamentum: plus Deus odit peccatum grauius, si vtrumque à mea voluntate promanet, verissimum est. si vero vtrumque non procedat à mea voluntate, falsum omnino assertum: quamuis enim peccatum originale sit grauius in se, quia secum importat gratiæ carentiam, quod simpliciter grauius nocumentum censetur, me tamen minori reprehensione dignum efficit, quia voluntate mea actuali illud non patraui: peccatum vero veniale propria voluntate committendum est, adeoque magis obest vnioni ardentissimæ charitatis mei ipsius cum Deo, quam peccatum originale ab Adamo in me transmissum. Quod tanquam verissimum amplexatur Cardinalis Lugo, quando peccatum originale secum non afferret discrimen damnationis æternæ; pro quo discrimine arcendo, ne scilicet æternum Deo careret, subiungit ille, prudenter quilibet posset subire periculum committendi peccatum veniale.

481. Si vero instituatur sermo de voluntate inefficaci, eo nempe euentu, in quo B. Virgini daretur optio vel eligendi exemptionem à venialibus per voluntatem propriam patrandis; vel immunem esse à peccato originali. Vestigamus ergo, quænam voluntas electiua ex his duabus esset magis consona rectæ rationi: nempe, malo me immunem à Deo seruari à peccato originali primi parentis, ita vt reipsa in Adamo non deliquerim, nec eius peccatum in me serpserit; quam quod me exemptam præstiterit ab omni peccato veniali à me patrando: luculentius dicam; esset ne eligibilius optare suum lapsum in Adamo sine voluntate propria; quam culpam venialem à voluntate propria committendam? Consequenter ad ea, quæ supra protulimus decidenda est lis hæc cum eodem Cardinali. Censeo ergo Virginem Deiparam electuram potius lapsum in Adamo, & peccatum originale contrahere per voluntatem alienam, quam per propriam voluntatem delinquere venialiter; optaret igitur potius lapsum in Adamo, tanquam magis consentaneum rectæ rationi, quam lapsum in veniale voluntate propria; plus enim satageret Virgo Deipara Deo nec vel leui offensa displicere, quam reliqua omnia mala, & incommoda, etiam carentiam gratiæ per instans pati. Cuius rei ratio ea est; licet enim peccatum originale magis separet diuinam voluntatem, ipsumque Deum ab homine: attamen peccatum veniale actuale à propria voluntate patratum magis propriam voluntatem nostram secernit à Deo, quam aliqualem seiunctionem nostræ voluntatis à Deo plus detestatur dilectio in Deum ardentissima, ac cum recta ratione conformior; quia verus Dei amans potius cognita Dei pulchritudine, ac multiplici bonitate vires exerit in Deo diligendo; quam sit sollicitus, vt ipse à Deo diligatur. Iuxta hunc sensum, toto hoc certamine, à nobis expositum, explicanda est sententia Granado, & aliorum initio proposita; eiusque ratio distinguenda, quatenus nostræ sententiæ aduersatur.

CERTAMEN XXIV.

Vtrum in lumbis Abrahæ B. Virgo decimata fuerit; & an dempta B. Virgine, alius purus homo immunis fuerit à culpa originali.

PRimam quæstionem exagitat S. Th. 3. p. q. 31. art. 8 de Christo D. eademque ratione exagitari posset de Virgine Deipara. Ansam autem ad id præbet S. Paulus ad Heb. 7. per illa verba: *Intuemini autem, quantus sit hic* (scilicet Melchisedech) *cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha.* Vbi ex eo probat Apostolus Sacerdotium Leuiticum longe inferius fuisse Sacerdotio Melchisedech, quia in Abraham decimas persoluit leui, & cum decimas pependit Abraham, in lumbis suis continebat prolem omnem Leuiticam. Erat igitur Abraham Israëlitici populi Princeps, ac caput, vnde Abrahamides dicti, cum ergo ille Melchisecho decimas soluerit, omnem ipsius posteritatem, quæ tunc iam in lumbis suis aliquo modo continebatur, decimas exsoluisse ipsi Melchisedeco censendum est: licet ergo Tribus leui nunquam decimas per se ipsam alicui soluerit, quia tamen ipsius caput Abraham decimas Melchisedecho soluit, infert Paulus totam illam Tribum in lumbis parentis contentam, easdem decimas pependisse. Cum ergo Christus D. ac Virgo Deipara hoc modo exstiterint in lumbis Abrahæ, ab eo enim progeniti sunt; vestigare similiter possumus, an dicendi sint decimati in illo. Quod autem Christus D. eiusque Genitrix Maria ab Abrahamo descenderint per Tribum Leuiticam, res est comperta. 482. Hebr. 6.

Hinc addisces cur Abrahamus dum famulum Eliezer ad iuramentum adegit, manum subter femur suum supponere coëgit Gen. 24. *Pone manum tuam subter femur meum, vt adiurem te.* Nonne aptius super rem aliquam sacram, aut super altare manum superponeret, vt religiosiori iuramento adstringeretur ad standum promissis; vt Palæstra III. Certamine 2. monuimus. Haudquaquam respondet August. magno quidem acumine serm. 75. de tempore 483. Gen. 24. August.

tem pore. Ac si diceret, inquit S. Doctor: *Mitte manum suam ad altare, aut ad arcam Testamenti, aut ad templum Dei, & iura mihi: fœmur tangebat, & per Deum cæli, & terra iurabat. Quod ipse Dominus,* subdit idem q. 62. in Gen. *cæli, & terra in ea carne venturus esset, quæ de illo fœmore propagata est.* Quasi Abrahæ lumbi, à quibus post longā generationum seriem edendi in lucem erant Christus D. eiusq; Parens alma Maria; altare, ac templū sanctissimum omni veneratione colendum censerentur.

484. Concors autem Doctorum, & Interpretum vox est, Christum D. non fuisse decimatum in Abrahamo; & merito, hi enim soli decimari dicuntur, & in lumbis Abrahæ esse, qui media potentia generatiua per naturalem generationem maris, ac fœminæ ab ipso progeniti dicuntur, & qui non modo secundum substantiam corpoream, sed etiam secundum concupiscentiam carnalem ab illo deriuantur, vt bene monet S. Aug. lib. 10. super Gen. *Non autem ille, nempe Christus, decimatus est, cuius caro inde non feruorem libidinis, sed materiam medicaminis traxit. Quam cum ipsa decimatio ad figurandam medicinam pertinuerit, illud in Abrahamo decimabatur, quod curabatur, non illud vnde curabatur: eadem tamen non Abrahæ, sed ipsius primi, terrenique Parentis simul habebat, & vulnus prævaricationis, & medicamentum vulneris, vulnus prævaricationis in lege membrorum repugnante legi mentis, quæ per omnem inde propagatam carnem seminali ratione inscribitur medicamentum vulneris, in eo quod inde sine opere concubinali, in sola materia corporali per diuinam Conceptionis rationem de Virgine assumptum est.* Negat ergo S. Aug. Christum fuisse decimatum in lumbis Abrahæ, quia cum Christus non fuerit ex semine virili progenitus, non aptè dicetur carnem Christi, in Abrahæ lumbis extitisse. Ita etiam S. Th. 3. p. q. 31. ar. 8. Suar. ibidem in commentario. Cornel. à Lapide in c. 7. epist. ad Heb.

August.

D. Thom. Suar.

485. *B. Virgo decimata dicitur in Abraham.*

Iidem autem Doctores cōstanter defendunt Virginem Mariam decimatam fuisse in lumbis Abrahæ. Qui enim erant in lumbis Abrahæ secundum seminalem rationem, dicūtur in illo decimati, quia filius contentus in virtute seminali Patris, dicitur contineri in potentia generatiua ipsius, ad quod opus non est acto concipi in peccato originali, sed vt ex vi Conceptionis, primæuæ labi fœtus esset obnoxius, & indigens Christi redemptione; atque adeo dicitur Deipara in lumbis Abrahæ decimata, non vero Christus, persona namque Christi erat increata, & solum extitit in lumbis Abrahæ secundum corpuleotam substantiam, & non cootinebatur aliter in vittute seminali Abrahæ, neque erat in potentia naturali ipsius, cum eius Conceptio, & generatio fuerit Spiritus sancti ope peracta. Qua de re videndus Tena Episcopus Tertuseosis in epist. ad Hæbr. diffic. 5. c. 7. n. 6. Confirmatur, ex eo Leui pronepos Abrahæ dicitur ab Apostolo decimatus in Abraham, quia eo decimas offerente Sacerdoti Melchisedech, adhuc Leui erat in lumbis eius, sed pari ratione Maria Virgo erat in lumbis Abrahæ, ergo decimata fuit in illo. Deinde illud in Abraham deeimabatur, quod curatione indigebat, vt supra dicebat Aug. sed B. Virgo indiguit redemptione, cum ex se obnoxia fuerit peccato, ergo decimata fuit in Abraham. Hæc est vera, & communis sententia.

Tena.

486. *B. Virginem decimatā non fuisse in Abrahamo probant alij.*

Dicere tamen posset non nemo; an cum aliqua probabilitate, alij viderint. Nempe B. Virginem in Abrahamo non fuisse decimatam. Primo, quia ex eo quod Tribus Leuitica decimas rependerit, non per semetipsam, sed quia in lumbis Abrahæ continebatur, & ipse Abraham illas exsoluerit; dicitur in lumbis Abrahæ decimata: contineri autem in lombis Abrahæ, nihil aliud erat, quam in eius virtute generatiua naturali cohiberi; atqui humanitas B. Virginis omnem virtutem naturalem parentum, ac proauorum perfectione superauit, vt alibi monebimus, ergo in lumbis Abrahæ non fuit decimata. Confirmari potest; ex eo putat Apostolus citatus Tribum Leuiticam inferiorem esse Melchisedecho, quia per Abraham, in quo continebatur, decimas pependerit ipsi Melchisedech, quod inglorium tantæ Virgini reputaretur. Deinde ex verbis S. Aug. relatis id ipsum firmari posset, de Christo enim sermonem instituens, inquit: *Non autem ille decimatus est, cuius caro inde non feruorem libidinis, sed materiam medicaminis traxit.* Modo sic, B. Virgo ex purissimis elementis fuit compacta, non ex feruore libidinis; id enim habuit singulare Deiparæ Conceptio, & generatio ex parte materiæ seminalis parentum, quæ ab infectione omni defæcata fuit ex Christi meritis; Item perpurgata ab omni fæce, cruditate, impuritate materiali, & morali; ergo eius nitidissima caro ex generatione parentum non feruorem libidinis, sed materiam medicaminis hausit; ideoque in lumbis Abrahæ decimata non fuit, quia Deiparæ Conceptio, ac generatio non omnino naturalis, sed longe altior, & sublimior fuit.

August.

Ad hæc idem suaderi posset, quia vt Virgo B. sicut & reliqui posteri Abrahæ, qui continebantur in lumbis eius, dicerentur in eodem decimati, necessaria fuit Dei institutio, & ordinatio, sine qua non dicerentur posteri Abrahæ in lumbis eius existere, nec decimas exsoluisse; nisi enim actiones Abrahæ ex diuina ordinatione instituerentur ad significandum aliquid, quod postea ab ipsis Abrahæ posteris exequendum esset, non dicerentur in eius lumbis contineri. Quare negari posset B. Virginem inclusam in illa Dei ordinatione, & pacto cum Abrahamo inito; solum enim illo comprehendebantur, qui in lumbis Abrahæ, & in eius potentia generatiua naturali continebantur; Virgo autem Deipara in nullo ex parentibus, ac proauis tanquam in causa principali, sed solum in Dei omnipotentia contenta fuit. Quemadmodum ergo infra ostendemus B. Virginem non inclusam fuisse in pacto & decreto cum Adamo, ideoque neque peccatum originale, neque eius debitum incurrisse, licet ab Adam descenderit. Eodem modo Virgo Deipara, quæ licet ortum duxerit ab Abrahamo, non tamen per generationem secundum omnes circunstantias naturalem, præsertim cum perfectio humanitatis Deiparæ causas naturales supergressa fuit, adeoque à Deo tanquam à causa principe ortum habuit, dicenda non est contineri in lumbis Abrahæ, eodem modo quo reliqui posteri, neque in ipso fuisse decimata. 487.

Postremo iuuat quæstionem illam decidere; qua certitudine sit tenendum, omnem purum hominē, dempta B. Virgine, culpæ originariæ subiacuisse. Nam Luysius Turrian. in suis selectis Centuria 2. dub. 2. asserit non defuisse aliquos, qui ausu temerario id priuilegium alicui sancto detulerint: ratio autē, qua ad id proferendū moti sunt, ea esse potuit, quia non desunt aliqui Doctores, qui asserunt aliquos sanctos, vtputa Ioānem Baptistam immunem extitisse ab omni culpa actuali, inde forsan intulerunt, præseruatos etiam fuisse ab originali, innixi verbis August. lib. 5. contra Iulianum cap. 9. 488.
vbi

August.

vbi affirmat Chriſtum D. nulli ſubiacuiſſe peccato originali, quia nullum efficit peccatum actuale, & ſubdidit hæc verba: *Omnino neceſſarium eſt, profectò enim peccatum maior feciſſet, ſi paruulus habuiſſet; nam propterea nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis acceſſu, quia nullus eſt hominum præter ipſum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Aliqui Doctores docent tam Ioannem Baptiſtam, quam reliquos puros homines aliquibus leuibus maculis, ſaltem quæ ex ſurreptione contingunt infectos fuiſſe. Sic Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 23. ſect. 4. cum S. Aug. cit. & lib. de natura, & gratia c. 36. Anſel. de Conceptu Virginali c. 16. Quare ſingulariſſimum, ac ſpecialiſſimum fuit B. Virginis priuilegium, vt nulla vel leui macula attaminaretur; quod ſi nonnulli id extendant ad Ioannem Baptiſtam, & alios; perperam tamen inde inferat aliquis, Baptiſtam, ſiue quemlibet alium ſanctum originali peccato non ſubiacuiſſe.

Suar.
Aug.
Anſelm.

489. Quàm verò ſit certum, nullum purum hominem, B. Virgine dempta, gauiſum fuiſſe priuilegio exemptionis à peccato originali, diſquirat aliquis? Turrianus cit. aſſerit oppoſitum eſſe non ſolum temerarium, ſed etiã erroneũ. S. Th. 2. 2. q. 81. a. 3. ait iuxta fidem Catholicam id eſſe firmiter tenendũ. Soar. 3. p. to. 2. d. 24. ſect. 4. ſolum ait, eſſe omnino certum, Ioannem Baptiſtam peccati originalis macula infectum fuiſſe. Granado de Concep. diſp. 4. c. 2. cum Valentia tom. 2. diſp. 6. q. 11. p. 2. putat eſſe de fide, omnes puros homines, dempta Deipara, originalem labem incurriſſe. Locutiones enim ſacrorum voluminum tanquam vniuerſales ſub ſe cohibent omnes homines. Sacra item Concilia decernunt omnes homines in peccato concipi, præcipue Tridentinum ſeſ. 5. in decreto de peccato originali. Ea igitur propoſitio: nullus purus homo præter Deiparam immunis fuit à peccato originali: amplectenda eſt tanquam de fide; ſiquidem veritas illorum vniuerſalium verborum conſtare debet in ſingularibus; neque aliquod indiuiduum eximi debet verbis illis generalibus, quin Eccleſia authoritate ſua eximat: at Eccleſia nullum, dempta Virgine Deipara, excipit, ergo tanquam fidei dogma tenendum eſt, omnia naturæ humanæ ſingularia per ſemen virile propagata, præter Deiparam originale peccatum incurriſſe.

Torres.
D. Thom.
Suar.
Granad.
Valent.
De fide eſt, nullum purum hominem, dempta Deipara, immunem fuiſſe ab originali.
Trid.

PALÆSTRA IV.

An Titulus vel vox, IMMACVLATA, ſit deneganda, vel potius affigenda Conceptioni Virginis Deiparæ.

490. TERVM ad antiqua certamina reuocamur: En Aduerſarij viribus reſumptis inſurgunt, & conatus toties irritos nouiter experturi aperto campo non audent, ſed ex inſidiis adoriuntur; inſtaurant prælia, certamen redintegrant, ac totis viribus contendunt, nec à fidelium cœtu colendam, nec in officiis Eccleſiaſticis, vt hactenus, retinendam *Immaculatam B. Virginis Conceptionem*; ſed ſubſtituendam, *Conceptionem immaculatæ Virginis*: quo vnico ariete firmiſſimam piæ ſententiæ arcem demoliri, ac ſolo æquare conantur. Anno ergo 1647. cœpit apud nos euulgari, nempe perhonorificum titulum illum Immaculatæ Conceptionis è Sacris libris expungendum iuſſu Vrbani VIII. Quod edictum Sanctiſſimus D. N. Papa Innocentius X. vt à Prædeceſſore editum fuerat, promulgare decreuerat. Quare iam per almam vrbem euulgari cœpit, non quidem legitime, & iuridice, ſed priuata Aduerſariorum induſtria, Decretum in ipſorum fauorem, quod mox verbo ad verbum ſubiiciemus. Quo facto R.P. Antonius Ribera ordinis Minorum in Romana Curia Commiſſarius Generalis, vt certior de re fieret, adiit Sanctiſſimum D. N. Innocentium X. Pontificem, & ad ſacros eius pedes prouolutus, cauſam piam agens; id ex eius ore accepit Oraculum: ſe nihil ad eam diem de huiuſmodi decreto reſciuiſſe. Quo audito, Aduerſarij id inique ferentes, libellos ſupplices Eminentiſſimis Cardinalibus Congregationis Sanctæ Generalis Inquiſitionis obtulerunt, cauſam ſuam ſollicite admodum agentes, hos libellos integros infra etiam apponemus. In hac ergo Palæſtra, omni contentione titulum illum, *Immaculata*, affigendum eſſe Conceptioni B. Virginis oſtendemus, ac validiſſimis rationibus propugnabimus.

CERTAMEN I.

Propugnatur titulus Immaculatæ Conceptionis non obſtante Decreto Generalis Inquiſitionis Romanæ.

491. DEcretum quoddam editum à Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquiſitionis anſam præbuit Doctoribus ad exagitandum, vtrùm vox illa, IMMACVLATA, quæ Conceptioni B. Virginis præponi ſolet, eſſet omnino abradenda, vel potius ipſi tribuenda. Iuuat hic prius inſerere illud decretum; & poſtea varias illius expoſitiones afferemus, quibus res tota dilucidior fiat; & conſtans, ac perpetuus Eccleſiæ vniuerſalis vſus, & conſuetudo inconcuſſa omnino perſeueret. Formula igitur decreti, cuius vera intelligentia hic exagitanda ſuſcipitur, hæc eſt, deprompta ex

transſumpto quodam eiuſdem Decreti ab Hiſpalenſi Cathedrali ad Conchenſem Eccleſiam tranſmiſſo.

Decretum Generalis Congregationis Inquiſitionis Romanæ ſuper titulum Immaculata.

Feria IV. die 20.Ianuarij ann.1644.in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & vniuerſalis Inquiſitionis habitæ in conuentu ſanctæ Mariæ ſuper Mineruam,coram Eminentiſſimis DD.Cardinalibus contra hæreticam prauitatem Inquiſitoribus Generalibus à Sede Apoſtolica deputatis. Eminentiſſimi,& Reuerendiſſimi D.D.Cardinales Inquiſitionis Generalis prædictæ decreuerunt, quod quando agitur de tribuendo titulo, *Immaculata*,Conceptioni B. Virginis.nullo modo permittatur,ſed ſolum dicatur, Conceptio Immaculatæ Virginis; & ita obſeruari mandauerunt. Loco ſigilli † Ioannes Antonius Thomaſius Sanctæ Romanæ Inquiſitionis Notarius.

492. Pono primum,hoc decretum editum non fuiſſe, vt fidelibus promulgaretur,nec vnquam fuiſſe promulgatum,vt volunt plures; nunquam enim conſtitit de anno,die,nec de loco publicationis, licet conſtet de anno,& die,quo factum fuit,atque adeo tale decretum ſolum fuit ſimplex propoſitio, vt in vniuerſali officio Conceptionis ab aliis Congregationibus,prohibito non addeterur vox. *Immaculata*; Nunc autem fundamenta proferemus,quibus conſtet tale Decretum nullum præiudicium inferre poſſe opinioni piæ. Itaque Decretum tollens titulum Immaculatæ Conceptionis, nequit intelligi de creatione animæ, quæ cum ſpiritus ſit, nequit concipi,nec de ipſa affirmari poteſt Cõceptio,quæ proprie eſt eductio ex præſuppoſito ſubiecto; anima autem ex nihilo creatur.Non igitur hoc decreto lædi poteſt immaculata creatio animæ,cum non ſit Conceptio, tum propter conſtantem omnium fidelium conſenſum,& Conſtitutiones à ſede Romana editas,& à Tridentina Synodo approbatas in fauorem piæ ſententiæ. Germani per Concilium Baſileenſe,quod authore Caniſio lib.1. de Deipara c.7.approbatum fuit,quoad hanc partem, ſatis ſuã mentem in fauorem piæ ſententiæ explicarunt; ſiquidem in illo Concilio decretum fuit,ſententiam affirmantem immunitatem Deiparæ ab hæreditaria macula Protoparentis, eſſe fidei conſonam, & Scripturis ſacris,ac cultui Eccleſiaſtico appoſitam, optimæ rationi conformem. Galli item à ducentis retro annis ſuffragati ſunt eidem piæ ſententiæ, teſte Miranda tract.de Concep.c.99.dum Doctores Pariſienſes ſententiam ferunt aduerſus homines non pios, tanquam ſcandoloſos, & Eccleſiaſtico cultui rebelles,& coguntur palinodiam recantare, ac retractare verba,quæ in ſententiam piam effutiuerunt. Hiſpani ſatis ſuperque ſui in ſententiam piam vnanimis conſenſus ſpecimen reddiderunt, tot feſtiuis immaculati Conceptus ſolemnitatibus inſtitutis, tot in Academiis à Doctoribus nuncupatis votis pro ſententia pia tuenda,& edocenda: & ante annum 1530.Authore Albertino,ſententia minus pia apud Hiſpanos temeraria, ſcandala gignens, malè ſonans habetur, annuente ſupremo Senatu Fidei; quia Conſtitutiones Pontificiæ ſolum vetant eam inuri nota hæreſeos, erroris, & peccati mortalis: dum enim aliqui Doctores ſuis ſcriptis auſi ſunt ſententiam maculantem Conceptum Virgineum labe originaria, tanquam erroneam explodere, vt ſcribit Albertinus in tractatu de agnoſcendis aſſertionibus Catholicis q. 17. eorum ſententia de mandato Superiorum ſupprimi iubetur,corrigi,& moderari; ita vt minus pia ſententia non tanquam erronea habeatur. Fieri ergo non poteſt, vt aduerſus hunc firmum, conſtantem, & vniuerſalem conſenſũ aliquid tentauerint Eminentiſſimi Cardinales Generalis Inquiſitionis per præfatum illud decretum in fauorem minus piæ ſententiæ, quam Caniſius lib. 1. de Deipara c. 7. iam ante octoginta annos vocat inuiſam, exploſam, debilitatam, & quodammodo penitus eiectam.

Quod robotari poteſt ex illorum Doctorum ſententia, qui arbitrantur propter defectum præcepti, & propoſitionis Eccleſiæ, non eſſe hæreticum,neque erroneum, nec peccatum mortale aſſerere B.Virginem peccati Originalis macula fuiſſe conſpurcatam: ſicut modo non eſt peccatum mortale, neque hæreticum, neque erroneum apud Græcos diſſentientes infallibili veritati non propoſitæ ab Eccleſia ſub præcepto,videlicet de Chriſto in Azymis celebrante. Et confirmant ex Virginitate Virginis Deiparæ in partu, quæ Authore Caniſio lib. 2. de Deipara cap.2.non fuit, propter imbecillitatem aliquorum tradita ſub præcepto, primis naſcentis Eccleſiæ temporibus; cum tamen ſemper fuerit infallibilis veritatis perpetua Deiparæ Virginitas. Patet etiam ex pluribus determinationibus Conciliorum Generaliũ ſub inſtructione Pontificis, quæ tamen determinationes omnino erant infallibiles, quamuis ante Eccleſiæ præceptum,& propoſitionem, ſeu promulgationem,nullam obligationem inducant. Nonne proceſſio Spiritus ſancti à filio fuit infallibilis veritatis antequam aduerſus Græcos ab Eccleſia, tanquam fidei dogma proponeretur? 493.

Ex his capitibus magis piæ ſententiæ Propugnatores, licet infallibilitatem omnimodam ipſi tribuant; ex defectu tamen præcepti, & propoſitionis Eccleſiæ,eximunt oppoſitum opinantes ab omni ſiue hæreſis,ſiue erroris,ſiue peccati nota. Hanc autem infallibilitatem piæ ſententiæ recte depromunt ex vnanimi fidelium conſenſu, pauculi licet refragentur:quemadmodum enim, etſi vna pars ex ſexaginta tribus Patrum Concilij Chalcedonenſis non aſſentita fuit definitioni Epiſtolæ ſancti Leonis, ob eſſe non potuit; quominus definiretur: ſic etiam licet ex vno millione fidelium vniuerſalis Eccleſiæ, pars vna ſola diſſentiat ſententiæ piæ, hæc procul dubio erit infallibilis omnino apud nos, & recte definiri poterit ab Eccleſia; ſupra enim oſtendimus, eandem infallibilitatis vim adeſſe in communi Eccleſiæ conſenſu extra Concilium, atque in Generali Concilio. Quo vnanimi fidelium conſenſu poſito, opus non eſt ad definitionem,Concilij Generalis coactione.Plures enim veritates ſancitæ ſunt per ſolam Sedem Apoſtolicam, vt patet ſub Pio V. & Gregorio XIII.contra Baium. Clemens etiam VIII. definiuit abſolutionẽ per literas inualidam eſſe. Paulus V.contra aſſerentes in oleo non benedicto ab Epiſcopo validã eſſe vnctionem extremam. Ex quibus principiis facile quiuis deducere poteſt Eminentiſſimos Cardinales in præfato Decreto nihil molitos eſſe aduerſus immaculatam animæ Deiparæ creationem, quæ vt diximus, nulla ratione conceptio dici poteſt. 494.

Deinde cenſeo titulum *Immaculatæ*, non excludi à conceptione prima inanimata per prædictum decretum: ſiquidem fideles dum Conceptionem Virginis Deiparæ feſtiuo cultu honorant, id non intendunt. Dein quia conſtat ex ſancta Brigitta libro 1. reuelation. cap. 9. ſine libidine Parentum ex feruenti obedientia, & dilectione Dei fuiſſe peractam: cui ſubſcribunt Dionyſius 495.

Carthuſ. Caniſ.

Carthuſ.lib.de laudibus Virginis art.6.Caniſ.lib.1. de Deipara cap. 7. At dici non poteſt, reuelationem Pontificibus pluribus approbatam, tum & à Conciliis, quoad pietatem, & probabilitatem, per Cardinalium decretum fuiſſe reprobatam, & excluſam. Confirmatur, quia materia futuri corporis Deiparæ, & virtus formatiua, vel generatiua inſtrumentalis in ipſa recepta, vel paulo ante congreſſum parentum, vel in ipſa commixtione ſeminum, ſunt defæcatæ ab omni macula phyſica, & morali, vel ſaltem ante tempus animatæ Conceptionis, ſi verum eſt quod ait Bozius lib. 9. capit. 8. Vaz. in 3. part. tom. 2. diſp. 117. Galatin.lib. 1. cap. 5. Spinel. tractatu de feſtis num 1. Martyrologium Græcorum die 9. Decembris, vbi aſſeritur Maria pura ante Conceptionem. Id innuunt verba Damaſceni orat. 1. de Natiuit. Virgin. dum ait: *O Beatos Ioachimi lumbos, ex quibus immaculatum ſemen profluxit!* Vbi ante congreſſum parentum defæcatam fuiſſe illam materiam, ex qua compingendum erat corpuſculum Deiparæ, ſubindicat. At ſi in ipſa commixtione ſeminum facta fuit materiæ purificatio, proculdubio principia naturalia, & inſtrumentalia efficientia diuinitus emundata fuerunt, & ad ſtatum moralis ſanitatis, & naturæ integræ redacta, vt aliqui volunt; & ſuadent ex Sancta Brigitta ſerm. de Virginis excellentia cap. 1. vbi ait: materialia futuri corporis Virginei principia ante Conceptionem animatam fuiſſe pura, & clara, ſicut Elementa in prima creatione ante peccatum: & in ſermone Angelico ſic fatur Angelus eidem S. Brigittæ: *Vere ſine omni ambiguitate credendum eſt, quod materiam illam, ſtatim quando in Anna vtero Concepta, & collecta fuit, de qua materia Maria formari debebat, ipſe Deus diligebat pluſquam omnia humana corpora à viro & muliere generata, & generanda per mundum vniuerſum.* Cui ſenſui adſtipulantur verba Fulberti ſerm. de Natiu. Virgin. *In huius*, inquit, *Conceptione haud dubium eſt, quin vtrumque parentem viuificus, & ardens Spiritus Sanctus ſingulari munere repleuerit.* Et ſerm. de Annunc. ſubdit: *immaculata ſemper extitiſti ab exordio tuæ creationis.* Videndus S. Anſelmus homil. de Concept. vbi vocat Sanctiſſimum corpus Virgineum, non ſolum in primo inſtanti copulationis cum anima, ſed etiam ante. Hortatur ibidem fideles, vt colatur prima Conceptio inanimis, aut ſaltem ſecunda animata. Venerabilis item Amadæus raptu 4. ait S. Gabrielem ſibi reuelaſſe materiam Conceptionis futuri corporis Deiparæ ipſa nocte congreſſionis parentum puriſſimam fuiſſe.

Bozius. Vaz. Galat. Spinel. Damaſc. S.Brig. Fulb. Anſel. Amad.

496. Vlterius ex feſtiuitate animatæ Conceptionis 8. Decembris die, conſtare poteſt ante animationem fuiſſe immaculatam, & puram materiam futuri corporis, & virtutem formatiuam ipſi inſidentem; quia conſtat inter Philoſophos ex S. Thom. 1. 2. quæſt. 113. art. 7. & 3. part. quæſt. 75. art. 7. ideò non poſſe dari tantam celeritatem, aut in tempore, aut in inſtanti operationis agentis, quia reperitur reſiſtentia oppoſitorum patibilium, quorum abſentia arguit puritatem antecedentem ad Conceptionem animatam: tum quia organizatio quantitatiua fuit celerrima, & qualitatiua forſan in inſtanti; vtraque autem omni ex parte abſolutiſſima. Ex hac autem materiæ puritate, & virtutis generatiuæ inſtrumentalis ipſi inſidentis, nunc deducunt aliqui nouum robur illius ſententiæ iam approbatæ non ſemel à ſenatu Inquiſitionis ſupremæ, denegantis Virgini Deiparæ debitum proximum peccati originalis: ſi enim materia futuri corporis, & vis generandi, quæ ipſi inerat, ita antecedenti purificatione fuerunt defæcata, vt iam quaſi ſtatum naturæ integræ ſortirentur, vt illi Doctores aſſerebant, ergo nullo modo poterant eſſe tradux culpæ hæreditariæ. Verum in hoc ſentiendi modo horum Doctorum, illud tanquam certum admittendum eſt, illam materiæ emundationem ex meritis Chriſti factam fuiſſe, reddidiſſeque immunem à debito abſoluto, & proximo, non remoto, & conditionato; id eſt contraheret debitum illud; niſi Deus aliter prouidiſſet.

D.Thom.

Demum cenſeo, corpus Mariæ Virginis ab initio nullam habuiſſe maculam, ſeu qualitatem morbidam, ſiue veſtigium peccati originalis; ideò iure quidem optimo Eccleſia celebrat Conceptionem corpoream Immaculatam, quatenus ex parte termini corpus, anima, & vnio ſunt Immaculata, ac per conſequens productio ipſius. Et quidem monſtro ſimile appareret, anima Immaculata cum corpore maculato; anima ſine næuo originariæ culpæ, corpus illo fœdatùm: anima ſine vlla ægritudine gaudens naturæ integritate; corpus verò vitiatæ naturæ morbo affectum. Quod ex eo recte probat Caniſius lib. 1. capit. 6. quia opus erat vt Maria Virgo perfectiorem animam, nitidiúſque corpus nanciſceretur, quam Primigenia Eua, cuius fuit Virgo correctio, ideoque nulli corpus eius maledictioni obnoxium. Recte in rem hanc Cardin. Petr. Damian. ſerm. 3. de Mariæ Natiuit. *Quid rogo vitij in eius mente, vel corpore vendicare ſibi potuit locum, quæ ad inſtar cœli plenitudinis totius diuinitatis meruit eſſe ſacrarium?* & addit ſerm. de Aſſumpt. *Caro Virginis ex Adam aſſumpta maculas Adæ non aſſumpſit, & nihil vitij habuit in mente, nihil in corpore.* Cardinalis Nicolaus Cuſanus lib. 8. exercit. *Virgo*, ait, *ſola poſt Adæ lapſum, non indiga, ſed plena originali iuſtitia, vt Eua, & multo-magis creata fuit.* Subſidiatur Sophron. in Synodica actione 11. Sextæ Synodi: vbi dicitur Virgo Deipara Sancta ab omni labe ſecundum corpus, & animam, ac mentem libera. Ex huius Synodicæ epiſtolæ verbis Palacios in 3. diſput. 1. cum Fabro, Maiore, & alijs, quos alibi, Deo fauente, latius proferemus, defert B. Virgini à primo Conceptu ſtatum integræ naturæ. Adſauent huic Immaculatæ puritati corporis Virginei à principio ſuæ conditionis S. Ildephonſus, Richardus, Cyprian. Concilium Francofordien. Gregor. Thaumat. Damaſcen. Idiota, & alij, quos longum eſſet hic percenſere; & alibi nos dabimus: adi nunc ſi vacat Salazarium noſtrum de Concept. cap. 23. & 24. Vnum Dionyſ. Carthuſ. non prætereibo, qui lib. 1. 2. & 3. de præconio, & dignitate B. Virginis affirmauit: *Mariam Adamum in ſtatu innocentiæ verſantem, omni virtutum, ac donorum copia, & perfectione longe ſuperaſſe.* 497.

Corpus Virgineum ab initio ſuæ formationis nullam habuit maculam, nec veſtigiũ culpæ originariæ.

Caniſ. Pet Dam. Card.Cuſ. Sophr. Palac. Salaz. Dion.Carth

Firmatur amplius aſſertum ex Caniſ. lib. 4. de Deip. cap. 19. vbi late probat B. Virginem, nullas alias habuiſſe imbecillitates, niſi quas Chriſtus D. aſſumpſit. Nos etiam infra cum Ildephonſo & aliis Doctoribus ei denegamus corporeas contumelias, quæ illatæ ſunt ad punitionem primæ præuaricationis. Huic plurima ſunt huius coloris teſtimonia, quibus Patres Virginem Deiparam cohoneſtant. S. Damaſcen. orat. 5. de 498.

Caniſ.

Anselm. Salm.

de Natiu. Virgin. Mariam vocat humanæ naturæ venustatem, & primigeniæ Euæ correctionem. S. Ansel. hom. de Concept. Sanctissimum vocat corpus virgineum in prima sui cum anima coniunctione. *Quid magnum*, iuuat concludere cum Salmerone tom. 13. tract. 10. *tribuere, ac deferre Mariæ Dei genitrici, quod quilibet sua iure habuisset, si Adam non peccasset.* Vnus Lutherus hanc veritatem denegat, à Canisio relatus lib. 1. c. 8. *Cæteros*, inquit, *homines, tam corpore, quam animo concipi in peccato: Christum autem sine peccato tam corpore, quam anima: Mariam autem iuxta animam conceptam sine peccato, iuxta corpus vero sine gratia, & in peccato.* Omnia vera, quæ profert Lutherus, dempta vltima parte, videlicet, iuxta corpus fuisse sine gratia, & in peccato. Quam partem, adduci non possum vt credam, decretum Eminentissimorum Cardinalium approbasse; quasi corpus, vt terminus, & vniu cum anima, & productio vnionis, & principia immediata productionis fuerint maculata, & maculantia.

Christ. Cas. Athan. August.

499. Postremo aliqua hic subiungam, vt nouum dictis robur addatur. Festum Præsentationis B. Virginis à Pio II. & Paulo II. primo inter festos Ecclesiæ Latinæ dies relatum, (postea à Pio V. ablatum, vt non omnino certum; & demum à Sixto V. instauratum, ob testimonia, quæ ex Francisco Turriano accumulat Christophorus de Castro in Historia Deiparæ cap. 3.) non pro se tot solidis nititur fundamentis, quot Conceptio B. Virginis, vt dicatur Immaculata. Assumptio præterea Deiparæ in cælos cum corpore apud Epiphanium hæresi 78. ambigua, & apud Hieronymum valde dubitata, & incerta, vsque ad annum 464. tandem publico cultu hanc veritatem de Assumptione in corpore Ecclesia celebrat, ante annum sexcentesimum, vt constat ex Nicephoro lib. 17. capit. 18. cum tamen sola authoritas S. Athanasij homil. de Sanctissima Deipara, & Augustini libr. de Assumptione Virgin. tom. 9. cum vsu quarundam Ecclesiarum hoc festum vniuersale reddidit. Siquidem Sanct. Damascenus And. Cret. Metaphrast. & alij, nihil sua authoritate de nouo inuehere potuerunt, sed inductum potius supposuerunt. Modo autem robustiora apparent fundamenta, quam olim ad Assumptionis festum publico cultu inchoandum; vt vox, *Immaculata*, affigatur Conceptioni, quæ depromi possunt ex Patribus, & rationibus, ex reuelationibus approbatis, ex Pontificibus statim recensendis. Primum igitur Sedes Apostolica decreuit, non Sanctificationem, nec spiritualem Conceptionem B. Virginis celebrari; sed Conceptionem, seu Virginem Mariam conceptam animo & corpore constantem; ac proinde hanc B. Virginis Conceptionem, vt Immaculatam approbat, dũ illius sanctitatem honorat festiuo cultu. Alexander V. teste Varzo in 3. distinct. 3. & Bernardino de Bustos serm. 4. de Concept. approbauit, vt Minores dicerent *Conceptionem immaculatam.* Sixtus IV. in Extrauag. *Graue nimis*, de Reliquiis, & veneratione Sanctorum, appellat Conceptionem Immaculatam, & damnat eos, qui condemnant *eiusdem immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes*: Idemque in Extrauag. *Cum praeexcelsa*, approbat officium Leonardi Nogarolis, in quo à Vespetis, & Inuitatorio vsque ad finem frequenter repetitur *Immaculata Conceptio.* Quas duas Extrauagantes Concilium Tridentinum sess. 5. confirmat, atque adeò titulum Immaculatæ Conceptionis approbat. Sixtus V. in Bulla relata à Rodriguez, vt author est Laurentius Portel in dubiis Regularibus verbo *Conceptio*, appellat Purissimam Conceptionem; additque pium esse, ac laude dignum, illam vt talem suspicere. Paulus V. ann. 1615. fauet indulgentiis eorum pietati, qui dixerint Antiphonam cum oratione illa: *Deus qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c.* De quo Hieronymus Rodriguez resolut. 30. Gregorius XV. in Decreto coram inquisitione Romana expungi iussit, & abradi sanctificationis nomen, aut vocem æquiualentem ab officiis de Conceptione, & apponi vocem Conceptionis complectentem corpus, & animam B. Virginis, & vtriusque copulam; vt omnibus palam fieret einsmodi Conceptionis sanctitatem ab Ecclesia, religiosa veneratione coli. Demum Vrbanus VIII. die 21. Maij Anno 1627. in litteris expeditis pro Iubilæo de Conceptione in Conuentu Minorum Salmanticensi defert Conceptioni titulum *Immaculatæ*, ita Hieronymus Rodriguez resolut. 30.

Bernard. de Bustos. Sixt. IV. Plures Pontifices approbarunt titulum immaculatæ Conceptionis. Conc. Trid. Sixt. V. Portel. Paul. V. Rodrig. Vrban. VIII.

500. Quæ omnia luculenter ostendunt, Decretum supra memoratum, cui nec adfuit, nec subscripsit Pontifex, nihil tentasse aduersus titulum, ac vocem *Immaculata*, quæ à tot Pontificibus, & à Synodo Tridentina approbata, ac toties confirmata fuit. Quocirca cum Conceptio B. Virginis Immaculata dicatur iuxta dicta; nos profectò corpus Virgineum, vt immaculatum in primo instanti physice, & moraliter multo magis, ac si in paradiso productum fuisset ante Adæ præuaricationem suspicimus, si vera sunt quæ ex tot Patribus, ac Doctoribus supra protulimus. Nec nobis obtendant Aduersarij, locutiones generales Patrum aliquorum, qui adstruunt Virginem Deiparam Conceptam, ac natam fuisse, sicut & reliqui homines concipiuntur: obstare enim hoc nihil potest; quippè S. Ignatius ad Trallian. Cyrillus de Incarnatione Vnigeniti cap. 24. S. Athanas. de Incarnat. Christi, Quinta Synodus collatione 6. & alij PP. docent Christum D. Conceptum, & natum, vt nos vel secundum legis naturæ, exclusis peccati imperfectionibus, & inclusis pluribus priuilegiis coniunctis cum passibilitate, & mortalitate. Deinde Christus à Theologis intellectualis dicitur, vt nos, & quia discursus circa probabilia secum inuoluit imperfectionem, verùm, & proprium discursum non efformabat: & licet esset risibilis, nunquam tamen potentiam in actum deduxit, quia risus imperfectionem dicit; de quo videndus Cardinalis Lugo de Incarnat. disp. 21. sect. 3.

Ign. Mart. Cyril. Athan. V. Synod.

501. Sensus igitur fidelium est, vt ex prædictis fundamentis erui potest, à Pontificibus approbatus in fauorem Immaculati corporis Virginei, videlicet corpus, animam, vnionem, actionem productiuam vnionis, principium immediatum efficiens eiusdem Conceptionis, saltem in primo instanti vnitionis animæ cum corpore, fuisse Immaculata. Et quidem Sixtus IV. in quodam decreto definitiuo, quod refert Diago lib. 2. capit. 33. hæresis nota inurens illam propositionem: *Iustitia originalis B. Mariæ fuit ex natura, & non ex gratia.* Saltem virtute approbat, Deiparam quoad corpus & animam in primo instanti ex gratia donatam fuisse Iustitia originali, vel nactam statum integræ naturæ. Quod ergo S. Thomas in 3. dist. 3. fatetur fieri

Q 2 potuisse

potuisse, vt Virginis Mariæ Parentes, præter sanctitatem personalem, in sanctitatem, & integritatem naturæ ante peccatum redigerentur: id præstitum fuisse de facto censet Doctores supra relati; indeque eliciunt filiam genitam originarij delicti non fuisse debitricem. Id etiam reapse contigisse asserunt circa materiam, & agens instrumentale futuri corporis Deiparæ Virginis, vt ante animationem restituerentur statui naturæ integræ per eam sanitatem, & sanctitatem, cuius capaces sunt res inanimatæ, & quæ reperirentur in paradiso, si in lapsum non rueret Protoparens; quod innuit Damascenus cum Martyrologio Græco vt supra vidimus.

CERTAMEN II.

Duplex supplex libellus Aduersariorum refertur pro tuendo asserto Decreto Congregationis S. & Generalis Romanæ Inquisitionis.

502. 1. PRior supplex libellus sic se habet. Eminentissimi, ac Reuerendissimi Domini. Ad agnoscendum quam prouide sancta Romana, & vniuersalis Inquisitio decreuit titulum Immaculatæ, non esse addendum Conceptioni, sed Virgini; annotanda maximè est diuersa acceptio huius nominis, *Conceptio*, ante Gregorium X V. & post illum: licet enim nomen *Conceptio*, in suo proprio significatu, solum importet formationem fœtus in vtero; ante Gregorium tamen apud multos idem valuit vsus huius nominis, *Conceptio*, quod *Immaculata Conceptio*: vnde Fratres Prædicatores ad fugiendam omnem æquiuocationem, & melius propriam sententiam explicandam, vtebantur voce, Sanctificationis, & cauebant à nomine Conceptionis, quasi idem importaret Conceptio, & Immaculata Conceptio: & ideo contenderunt fautores immaculatæ Conceptionis, apud eundem Gregorium, vt præciperet omnibus, quod in celebratione solemnitatis, non alio, quam Conceptionis nomine vterentur; quod Pontifex vt cultus esset magis vniformis concessit, innuens nomen *Conceptionis* esse de se indifferens ad vtramque sententiam: quod vt magis etiam insinuaret, declarauit expressis verbis, per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti, sed relinqui in eodem statu, ac terminis, quibus erat ante emanatum Decretum, & ad hoc rursus curarunt iidem apud Vrbanum VIII. vt declararet festum celebrari, non pro Conceptione quomodolibet accepta, sed pro Conceptione immaculata, quod constantissime renuit Vrbanus asserens, quod neque recedere à vestigiis Prædecessorum debebat, qui vtramque opinionem in sua probabilitate reliquerant, neque affirmare poterat Gregorium opposita, & inter se repugnantia protulisse. Quod si declarasset nomine Conceptionis, Immaculatam Conceptionem intellexisse, declarasset Gregorium sibimet fuisse contrarium, dum ex vna parte asserit, se nullum præiudicium inferre velle opinantibus B. Virginem fuisse in peccato conceptam, & ex alia parte, plusquam notabile præiudicium ipsis inferret iubendo quod Ecclesia vniuersalis Conceptionem Immaculatam celebraret.

Libellus supplex prior Aduersariorum aduersus titulum Immaculata, proponitur.

2. Quis ergo non videat diuersitatem status in acceptione huius nominis, *Conceptio*, ante Greg. X V. & post illum? Hæc igitur diuersitas in causa fuit, quod adeo attente post Gregorium, curatum sit, quod nullo modo adderetur titulus *Immaculata*, Conceptioni, sed Virgini, itavt neque etiam recitarine hic titulus ipsi Conceptioni adnecteretur; cum enim satis compertum esset, Aduersariorum intentum esse populis persuadere, Ecclesiam, præseruationem definiisse, dum voluit quod omnes sub nomine Conceptionis celebrent; quasi apud Ecclesiam idem esset Conceptio, & *Immaculata* Conceptio, iuxta prædictam vulgaris huius nominis acceptionem; ne populi in hunc errorem inciderent, prudentissimeautum est, quod sub Gregorij prædecessoribus, non adeò cauendum erat, quia tunc licitum vnicuique erat, vti quo volebat nomine, nec aderat præceptum vt in vniuersa Ecclesiæ sub vnico nomine Conceptionis hoc festum celebraretur.

3. Vnde non mirum quod aliqui Pontifices ab Aduersarijs citati aliquando recitatiue addiderint titulum *Immaculata* ipsi Conceptioni. Cæterum non ita Vrbanus VIII. Gregorij successor, vt videre licet in Bulla, quæ incipit, *Imperscrutabilis, &c.* Qua erigitur Religio militaris sub invocatione Conceptionis Deiparæ, vbi nunquam titulus Immaculatæ adiungitur Conceptioni, sed Virgini; & hoc ex speciali mandato ipsius Vrbani VIII. Præterea cum ex officio summus Pontifex prouidere debeat, ne aliqua doctrina, siue assertum aliquod reputetur vniuersalis Ecclesiæ sensus, si de eius veritate dubitari possit, & oppositum ab ipso Pontifice tanquam verum, & ab eadem vniuersali Ecclesia tenendum possit definiri. Cum igitur opinio Præseruationis Deiparæ à peccato originali dubia sit, & oppositum possit ab Ecclesia definiri, & nihilominus Romani Pontifices iustis de causis iudicauerunt silentium imponere defendentibus Conceptionem in peccato originali, ita vt neque etiam in priuatis colloquiis cum sæcularibus liceat ipsis de hac materia differere, insensibiliter eò deueniret negotium, vt vniuersa Ecclesia præter ordinem Prædicatorum haberet veritatem Præseruationis, tanquam certam, & ab Ecclesia definitam. Cogitur ergo ipsa Ecclesia eiusmodi cautelis ad sustinendam opinionem adeò in Sacra Scriptura fundatam, & omnium antiquorum Patrum, & Doctorum consensu firmatam.

4. Concluditur ergo quod non valet argumentum ex permissione ab Ecclesia facta ante Gregor. X V. & post illum, quia stabilitur per Gregorium, Decretum, quod omnes nomine Conceptionis vtantur: curandum magis est, quam antea, vt hoc nomen maneat in sua indifferentia, & non vsurpetur vt antea pro Conceptione Immaculata, vt intelligatur Ecclesiam velle, quod omnes sub Immaculatæ Conceptionis nomine celebrent.

5. Dicunt Authores oppositæ sententiæ iure cautum esse, ne in Ecclesiastico officio, seu Pontificiis constitutionibus addatur terminus *Immaculata*, cum adhuc Ecclesia non definierit controuersiam. Cæterum cum eadem Ecclesia libere permittat illis, quod publicè, & priuatim possint de ea loqui, illamque defendere, quod tamen prohibet alteri parti; cur non poterunt etiam illam typis mandare, & diuulgare, non quasi rem definitam, & certam, sed piam & probabilem?

6. Ad quod dicimus, in præsenti non controuerti de impressione opinionis, sed de inhærendo decretis Pontificiis, rescripsit Sacrum Tribunal Inquis.

Inquisitionis, ne permittatur addi Conceptioni terminum *immaculatæ*; videlicet per adiunctum epithetum distrahatur sensus huius nominis, Conceptio, quod de se indifferens est à proprio significatu, idque præsertim in impressione, quæ præsefert approbationem Ministrorum sanctæ Sedis, Inquisitorum scilicet, seu Magistri sacri Palatij, quod non contingit in locutionibus priuatis, nec etiam publicis.

Vel ergo reuocanda est Gregorij XV. Bullà, vel omnia post ipsum acta, & præfatæ Bullæ inhærentia Decreta prout est illud, de quo controuertitur, sunt omnino sustinenda. Hactenus prior supplex libellus Aduersariorum oblatus Eminentissimis Cardinalibus S.R. Inquisitionis.

Posterior supplex libellus pro Decreto eisdem Eminentissimis Cardinalibus exhibitus.

503. *Libellus supplex posterior Aduersariorū aduersus titulum immaculata.* 8. Eminentissimi, & Reuerendissimi Domini. De titulo *Immaculatæ*, tribuendo Beatissimæ Virgini, non autem Conceptioni exstar S.R. Inquisitionis Decretum, cuius arcana consilia obsequi fideles debent, non scrutarij: hoc tamen nonnullos parum considerasse, porrectæ Scripturæ, ac libelli supplicis satis superque manifestant. Et licet ea sit Eminentissimorum Patrum sapientia, & huius supremi Senatus authoritas, vt quæ vniuersali lege decernunt, nec impugnatorem admittant, nec indigeant propugnatore. Aliqua tamen Fratres Ordinis Prædicatorum, in eiusdem Decreti, & solidæ veritatis obsequium expendenda humiliter proponunt, vt subinde colligatur, quam valida sint quæ pro eodem Decreto infringendo congesta fuere.

9. Recolendum primo quod in re, de qua agitur, plura pro temporum circumstantiis à summis Pontificibus statuta fuerunt, vt à definitione abstinentes, & vtramque sententiam in gradu probabilitatis relinquentes, excitatas fidelium turbas prouide componerent.

10. Ante Decretum felic. Record. Gregor. X V. de officio recitando sub nomine Conceptionis, retenta à Dominicanis voce Sanctificationis, ex nominum distinctione inferebatur opinionum distinctio, ita vt Conceptio præseruationem apud eius vocis assertores importaret: sanctificatio vero alteram sententiam exprimeret. Itaque tunc idem erat apud illos dicere, Conceptio, ac immaculata Conceptio: & Fratres Prædicatores à nomine Conceptionis, & immaculatæ Conceptionis æque abstinebant. Vnde Sixtus IV. vbi damnat impugnantes recitatores officij Leonardi de Nogarolis, nihil de titulo ab Authore imposito sollicitus fuit: intentum enim Pontificis fuit, vt illa sententia non damnaretur, nec officium illud recitantes mortaliter peccare putarentur; cui deinde cætera summorum Pontificum Decreta ad vtriusque sententiæ probabilitatem seruandam peculiariter directa adhæserunt: sed cum ad hoc contentiones exardescerent affirmatiue opinantibus à Paulo V. silentium indictum est.

11. Demum (quod Spiritus sancti assistentiam summo Pontifici in Ecclesiæ regimine mirè demonstrat.) dum Aduersarij sub Gregorio X V. summo conatu partis affirmantis præiudicium exquirunt; Decretum prodiit vtramque sententiam in sua probabilitate confirmans, cuius vigore Fratres Prædicatores nomine Conceptionis, sanctificationem intelligunt; Aduersarij præseruationem.

12. Hoc igitur Decreto sincerè, & vt iacet, inspecto, quo directè omnibus iniungitur, vt in officio, non alio, quam Conceptionis vtantur nomine: falluntur qui putant Dominicanos tantum ligari, vt à nomine Sanctificationis abstineant. Decretum vniuersalis Ecclesiæ Pastoris est, omnes instruit, omnibus præcipit, & voces omnes præter Conceptionem excludit.

13. En ergo temporum distinctio necessario attendenda: siquidem aliquando idem erat dicere apud plures, Conceptio, ac, immaculata Conceptio; & post Gregorium non idem sonat: ac proinde quæ de Sixto I V. aliisque Pontificibus antè Gregorium X V. afferuntur quoad titulum Immaculatæ Conceptionis anacbronismi fallaciam continent.

14. Ex quo patet, quod præcipuum Aduersariorum argumentum desumptum à concessione officij Nogarolis facta à Sixto I V. tantum abest, quod vrgeat post Gregorium X V. quod imo hisce temporibus officium illud videtur non esse amplius recitandum, quia expresse alio vtitur, quam Conceptionis nomine, hoc est, præseruationis, & immaculatæ Conceptionis; cum enim actus priores corrigantur per posteriores, Gregorij XV. Decreto abrogata huiusmodi concessio videtur, & per consequens pœna alias pro temporis exigentia vsum dicti officij improbantibus imposita. Sit argumentum rem ita euincens.

15. Nomen Conceptionis, quo ex Decreto Gregorij vti debemus, compatitur in vtraque sententia negante. Immaculatam: ergo non est nomen, cui apponendum sit adiectiuum *Immaculatæ*, ergo si dixerim, *Conceptio immaculata*, vtor alio nomine, quam Conceptionis, ergo si recitem officium Nogarolis, Decretum Gregorianum frango.

16. Nec valet quod dicitur, alios summos Pontifices post Sixtum I V. Atque etiam sacrum Concilium Tridentinum Sixti I V. Constitutiones confirmasse, scopus enim confirmationis est, vt neutra opinio censuræ subdatur; non autem vt officium Nogarolis confirmetur: & quod præcipue attendendum est, implicat confirmationem Gregorij cadere sub his, de quibus ipse aliter expresse disponit.

17. Semper Tridentinum Concilium nihil aliud intendit, quam vtramque partem controuersiæ indefinitam relinquere, & contentionum occasiones resecare sub pœnis à Sixto I V. taxatis; non autem approbare voluit officium Nogarolis.

18. Hoc patet euidenter, nam sanctæ Memoriæ Pius V. dum officium Nogarolis in reformatione Breuiatij, in officium Natiuitatis commutauit, profitetur expresse in constitutione, *Quod à nobis*, &c. se Concilio Tridentino inhærere, itaque recessisset potius à Concilio in eiusmodi reformatione, si Concilium præfatum officium confirmare voluisset.

19. Additur quod expuncto à Romano Breuiario officio prædicto, gratis euulgatum est idem officium à Pio V. viuæ vocis Oraculo Fratribus Minoribus fuisse concessum, nunquam huiusmodi Oraculi legitimum protulerunt, aut proferre possunt documentum: imo ex oraculi propriorum officiorum illius Ordinis inspectione euidenter concluditur, concessionem Pij V. non includere Nogarolis officium, sed aliquot annis à morte Pij V. transactis,

transfactis, prodiit priuata quædam impressio dicti officij, oraculo prædicto insignita. Ex quo colligi potest, quam facile pietatis prætextus imposturas pariat. Nec enim à defuncto Pontifice oraculum prodire poterat, qui dum viueret, noluit officium illud tanquam ex Apostolicæ Sedis authoritate recitari.

20. Reliquæ vero assertæ summorum Pontificum concessiones, cum Oraculum Pij V. supponant iuxta petentium suppositionem huius defectus obreptionis vitio laborare videntur, quæ quanti ponderis sint Eminentiæ vestræ dignentur expendere. Hoc vnum quod ad rem attinet religiosissime obseruandum videtur, ne expresse ab Apostolica Sede officium immaculatæ Conceptionis approbetur, eiusque titulus excudendus concedatur, nisi & Gregoriano Decreto, & alteri controuersiæ parti præiudicium illatum velint.

21. Sub initium Pontificatus fœlicis recordationis Vrbani VIII. id validissime conquisitum fuit magnorum Principum coaceruatis instantiis, vt & festum, & Officium immaculatæ Conceptionis concederetur, quæcunque tunc de Sixto IV. aliisque allata sunt, nunc ipsissimis pene verbis refricantur, vt facile inferri possit petitionis variari prætextum; non sensum. Post adhibitas consultationes, summa Decreti fuit, nihil agendum in alterius sententiæ præiudicium; & ideo nihil omnino fuit concessum.

22. Annotanda secundo est insignis quæ fit æquiuocatio, quod enim aliquando fidelium pietati, quoad officium immaculatæ Conceptionis permissum est, imo concessum, (nec enim Conceptionis vocabulum reformidamus pro his temporibus, quibus etiam officium Sanctificationis à summis Pontificibus, & signanter à Iulio III. concessum, & approbatum fuit.) pro sensu Ecclesiæ Catholicæ firmatur, Ecclesiæ consuetudinis titulo confidentissime decoratur, & quam strictè, & rigorose sumatur ab ipsis, patet; dum Sanctorum Patrum authoritati diserte præfertur; quæ si attentius inspiciantur, ita rem describunt, vt immaculatam Virginis Conceptionem iam Ecclesiæ authoritate definitam supponant.

23. Sed Ecclesiæ sanctæ fixa est, & perpetua consuetudo colendi, non nisi certam, & indubitatam sanctitatem, quod pro comperto habent S. Bernardus, S. Ildephonsus, & S. Thomas, qui hac vnica ratione Natiuitatem Virginis sanctam fuisse tradunt, quia Ecclesia ab antiquo eam celebrat, nunquam ergo dici potest ex Ecclesiæ sensu celebrari Conceptionem in primo instanti immaculatam, hoc enim adhuc est indefinitum, atque ideo dubitationi subiectum, qui aliter dixerint, videant quomodo hæreticorum os obstruere valeant, qui aduersus infallibile Ecclesiæ iudicium calumnias ingeminant.

24. Recte Bellarminus Chemnitio respondens arguenti, nos celebrare quod nescimus, dum fatemur controuersiam de Conceptione adhuc indecisam; obiectum, ait, primarium cultus in hac celebritate, esse primam gratiam Virgini B. Collatam, abstrahendo à tempore, vel instanti, quo collata fuerit, quod hausit ex D. Th. docente, celebrari officium Conceptionis in ratione Sanctificationis eius factæ in vtero matris; quia incertum est, quo die, quoue temporis momento eius Sanctificatio facta sit; recte Ecclesia memoriam eius agit die anniuersario Conceptionis. Non instituuntur ab Ecclesia festiuitates iuxta has vel illas, quæ falli possunt opiniones. Sanctitas ergo dubia, & in opinione posita non proponitur colenda, primo enim, & per se respicitur obiectum cultus; secundario vero fidelium Pietas.

25. Quare necessario dicendum est, sanctitatem Conceptionis B. Virginis, quæ colitur in Ecclesia Catholica, & iuxta sensum Ecclesiæ Catholicæ, non esse illam, quam aliqui in primo instanti ponunt, nec illam, quæ ab aliis ponitur in secundo instanti, quia vtrumque dubium, & opinabile est, & à parte rei aliter se habere potest, sed est illa sanctitas pro instanti illo, quo vere fuit sancta.

26. Ex his corruit argumentum à verbis Responsorij desumptum: *Quicunque celebrant tuam sanctam Conceptionem.* Facta vi, quod idem sit sanctum, & immaculatum, vt inferatur Ecclesiam celebrare Conceptionem immaculatam, quia celebrat eam sanctam. Vox, *sancta*, in sensu ab Ecclesia intento tam primom quam secundum instans complectitur, siue vt abstrahit à primo, vel secundo, & cum sit terminus positiuus, sufficit vt in altero instanti verificetur: vox autem, *immaculata*, exprimit sanctitatem per negationem cuiuscunque maculæ, ideo videtur excludere maculam pro quocunque instanti, & per consequens minus apte, & minus proprie ad vtrumque instans referri potest.

27. Sed etiam si idem esset sanctum, & immaculatum, non sequitur, per hoc instans Conceptio dicitur sancta, ergo dici potest immaculata: ratio est, quia vox, *sancta*, neutri opinioni est alligata, & vere conuenit Conceptioni Virginis pro eo instanti, quo fuit sancta. Vox autem, *immaculata*, est alterius opinionis protestatiua, quod probatur ad satietatem ex ipsa Aduersariorum scriptura, & ex eorum supplici libello, vbi clarissime per immaculatam Conceptionem, sententiam, quam ipsi tuentur, intelligunt; & cuius definitionem hisce artibus saltem indirecte extorquere contendunt. Itaque vox, *immaculata*, cuius vsum petunt, non se habet indifferenter ad vtrumque instans, sicut vox, *sancta*: ideo ante controuersiæ definitionem, ab illa voce abstinendum, vel certe non est positiua Ecclesiæ probatione promenda.

28. Indulgentiarum concessiones obiiciunt, non secus, ac si illæ controuersiam dirimerent; argumentum decantatum; cui occurrit Guillielmus Estius Doctor Duacensis, dicens indulgentias non esse concessas opinioni, sed pietati.

29. Nouimus equidem in eiusmodi concessionibus titulos Ecclesiarum, confraternitatum &c. supponi, non diligenter exquiri, si quis colligeret, & in argumentum redigeret Indulgentias obtentas titulo epistolæ à Messanensibus B. Mariæ Virginis assumptæ, iam non esset inter apocrypha reiicienda, si hæc authoritas vrgeret.

30. Imo quod præcipue ad rem nostram accedit, dum actum aduersus titulum stellarij immaculatæ Conceptionis, Apostolica sedes dignis de causis insurgit, confraternitates delet, & publicum eius exercitium pœnaliter prohibet; innumeræ extorquentur Indulgentiæ, ergo stellarij confraternitates authoritate Ecclesiæ firmantur simul, & abrogantur. Hæc magis vrgent vbi de expresse vetitis agitur. In controuersia de Conceptione, Ecclesia Mater piam fouet intentionem vtriusque partis affirmantium & negantium sine præiudicio veritatis, & non intellectuum assensus, sed voluntatis pios motus spiritualibus fauoribus prosequitur.

31. Sub

31. Subditur approbatio voti quarundam monialium sub titulo immaculatæ Conceptionis. Sed Idem respondemus, approbationem scilicet ad vouentium pietatem referri, non ad titulum, quem Pontificum Diplomata continent recitatiue tantum, non vero dispositiue, nec inconueniit approbari Religionem particularem, quæ erga piam, & probabilem opinionem, deuotionem gerat; non enim aliquod falsum approbatur, dum pius modus viuendi, non opinandi, comprobatur.

32. Magna vis fit in eo quod summi Pontifices quomodocunque aliorum vel pietati, vel opinioni obsecundantes titulum Immaculatæ Conceptionis in suis Bullis admiserunt, quamuis recitatiue, non tamen illi definitiue adhærendo; quare ergo titulum eundem non admittet summus Pontifex Innocentius X. nihil tamen definiendo, & ita opinantium pietatem tantummodo pie fouendo? Quæ totius obiectionis summa videtur.

33. Sed & nos interrogando obiectionem soluemus. Antiquiora repetentes nouem enumeramus Romanos Pontifices, qui nec recitatiue, nec dubitanter, sed assertiuè, & clare docent Beatissimam Virginem in peccato originali fuisse conceptam. Damus pro nunc Innocentij II. verba: *Eua siquidem sine culpa produxit, sed filios produxit in culpa. Virgo autem gloriosa fuit quidem in culpa producta, sed filium sine culpa produxit.* Innocentij III. verbo sunt: *Spiritus sanctus prius in Virgine venerat, quando in vtero Matris animam eius ab originali peccato mundauit.* Innocentij V. verba illa sunt: *B. Virgo fuit in vtero matris sanctificata, non ante animationem, quia tunc gratiæ capax non erat, nec etiam in ipsa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxisset, & sic non eguisset vniuersali Christi redemptione, quod non est dicendum, sed piè considerandum est, quod cito post animationem, vel ipsa die, vel hora, non tamen ipso momento à peccato fuit per gratiam mundata, & sanctificata, aliter fuisset æqualis puritatis cum Christo, hoc non est dicendum.*

34. Quare ergo Sanctissimus D. N. Innocentius X. Innocentios prædecessores quomodocumque locuti fuerint, laudabiliter non sequetur? Quidquid pro responso afferatur, & nostram, & Ipsorum obiectionem soluet. Status quæstionis, temporum discretio, contentio inter fideles, posteriora Pontificum decreta attendenda sunt; hæc loquendi formulas prudenter, ac prouide moderantur, atque præscribunt.

35. Habemus euidens experimentum nullatenus prætereundum. Erigitur à fel. recordat. Vrbano VIII. religio militaris sub inuocatione Conceptionis Deiparæ, instantibus Ducibus Mantuæ; quoties titulus exprimitur in Bulla incipiente *Imperscrutabilis*, diligentissime cauetur, vt verbum *Immaculata*, iungatur Virgini, non autem Conceptioni; & cum in aliqua impressione domi tunc facta, titulus Immaculatæ Conceptionis, vel per errorem, vel fraudem irrepsisset, sedulo mandante Papa, emendatus fuit, & recollecta, vt probe intelligamus, Vrbanum noluisse in præsenti statu quæstionis vti Immaculatæ Conceptionis titulo, non tantum dispositiue, sed nec etiã recitatiue, nec prædictorum Ducum pietatem referendo, cum tamen Iul. II. Leon. X. Sixti IV. non ignorasset exempla.

36. Hine patet decretum, imo decreta, à Sacra Congregatione sub eodem summo Pontifice Vrbano VIII. emanata circa titulum hunc, non esse aliquorum priuatum intentum, quod nonnulli ausi sunt suspicari, sed ipsius summi Pontificis, tem apostolico zelo expendentis mandatum.

37. Recentiora ergo ex vtraque parte sequenda sunt, nam si vetusta reuoluantur, plura multo pro FF. Prædicatorum, hoc est Sancti Thomæ sententia, quam pro opposita exstabunt, quæ modo reticentur, cum de principali quæstione non agatur; nec nos ad apochriphas Apostolorum definitiones, ad confictas reuelationes, ad somniata miracula, ad Bullas adulteratas recurrimus.

38. Basileensem conuentum in hac parte merito respuimus, nec decet Romanam Sedem accipere formulam ab Acephalis, qui illud ipsum Decretum in odium desensorum Romanæ Ecclesiæ tulerunt, vt protestatur Cardinalis Turrecremata in summa de veritate Conceptionis ad calcem.

39. Cum Patribus Græcis sentimus, omnino immaculatam Conceptionem Virginis, sed iuxta relatum Menologium editum à Genebrardo, quod si videatur, æquiuocationem ostendit. Conceptio Virginis ponitur 25. die Martij; nono vero Decembris ponitur Conceptio B. Annæ. Conceptionem ergo actiuam, qua Christum Virgo concepit, quis neget immaculatam? Sed vbi agitur de Conceptione passiua, qua in vtero S. Annæ Virgo fuit Concepta, Menologij authoritas, vel inutilis est, vel deprauata.

40. Imperiti Concionatores discant hæc populis licenter obtrudere, sed frequenter in sancto officio temeritatis pœnas luent. De viris doctis iudicium ferant alij, non ideo eorum conciones approbantur, quia non expresse damnantur.

41. Vniuersitatum, Doctorum, aliorumque opinantium obiicitur multitudo, sed vota ponderanda sunt, non numeranda, nec populorum consensus definitiones fidei facit, vel cogere potest, vt fiant. Ariana hæresis fere in omnes inualuit, & teste S. Hieronymo, ingemiscens totus orbis Arianum se miratus est. Sub Pontifice B. Stephano tota fere Ecclesia, duobus tantum, vel tribus Episcopis resistentibus, in Anabaptismum abiit, quia tamen non adfuit summi Pontificis consensus, in quo infallibilitatis priuilegium residet, Ecclesia non errauit. Nihilominus mirum est, quo in huius quæstionis ardore ducti fuerint Patres Salazar, & Valentia alias expendendi, vna cum iis, quæ de maiore, vel minore opinionum probabilitate tanguntur, præsentis enim inspectionis non sunt.

42. Agitur præcise de titulo *immaculata*, non Conceptioni, sed Virgini adnectendo, ex Decreto sanctæ Congreg. ad mentem Gregorij XV. & Vrbani VIII. Quod tamen hoc argumento adhuc impugnatur; si licet scribere, & typis mandare propositionem hanc *B. Virgo fuit immunis à culpa originali.* Quare non licet scribere hæc verba: *Conceptio immaculata.* Vel sensus est idem, vel non; assignetur ergo in quo differunt, sin minus Decretum reuocetur.

43. Sed respondemus, hæc duo differre in modo significandi. Propositio enim quæ affirmat, vel negat, indicat sensum, vel opinionem priuatam profitentis, terminus vero complexus, præfixum vero epithetum, seu attributum importat Principis, vel vniuersitatis approbatiuum consensum, vt cum dicimus, Magnus dux, aliud concipitur, quam si dicatur, hic dux est magnus; vel Suarius est magnus Doctor, aliud sonat vox, *magnus*, quam vbi dicitur Albertus magnus; enunciatio indicat sensum enunciantis, simplex prolatio illius termini,

Magnus, indicat communem, & approbatum consensum, habet ratione modi significandi energiam quandam, & est antonomastice dictom; ita si libere scribatur, *Conceptio Immaculata*, facile censeti potest ex communi, imo Ecclesiastico consensu, statui veritatem illius partis controuersæ, quod ante definitionem omninn fugiendum est: hoc autem in propositione non contingit, vt dictum est, quia tefertur ad priuatam scribentis sententiam; ideo rationabiliter vnum admittitur, & aliud prohibetur.

44. Discrimen hoc ratione suadetur, nam termini sunt principia sermonum; in principiis autem omnes conueniunt, quæ ergo proferuntur per modum termini, videntut omnem controuersiam excludere. Itaque absolute Conceptio Immaculata vniuersalem acceptionem significaret, vel supponeret Conceptionis in primo instanri Immaculatæ; ita autem omnes sentire nedum falsum est, sed ex singulis Pontificum Decretis liberum aliter opinari.

45. Imo dato, & non concesso, quod non differant propositio, & titulus quoad sensum, adhuc tamen locus est illam permittendi, hunc vero prohibendi: quod euidenter probamus: differunt idiomate tantum, non sensu hæ duæ propositiones: *B. Virgo non contraxit maculam originalem.* Et hæc alia: *La B. Virgine non à contratta la machia originale.* Ex decreto tamen Pij V. prima propositio scribi potest, non autem secunda; verba Pij hæc sunt: *Nemo de hac ipsa quæstione cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat.* Sola ergo idiomatis differentia sufficit, vt Pontifex ex duabus idem omnino sonantibus propositionibus, alteram permittat, alteram vetet ad vitandas rudium, ac simplicium contentiones: ita ad eundem finem permittontur quidem impressiones propositionis negatiuæ, sed titulus Immaculatæ Conceptionis prohibetur; nam licet esset idem vtriusque sensus; alia tamen est ratio tituli, quem & rudes omnes intelligunt, præsertim in librorum titulis, oculis omnium peruiis, qui facile ex eorum approbatione, & impressione controuersam decisam putabunt, & vere deciperentur.

46. Animaduertendum etiam obiter, quod quæ imprimuntur, requirunt superiorum approbationem: itaque res impressa nonnihil ponderis, & authoritatis ex imprimendi facultate sibi comparat, præsertim in vrbe, vbi Magister Sacri Palatij est immediatus Minister summi Pontificis: extra vrbem Inquisitores sunt Apostolicæ sedis Delegati. Quæ ergo imprimenda concedunt, non definiunt quidem de fide, sed ita roborant, vt ex Apostolicæ sedis authoritate publici iuris facta censeantur; nec ignari tantum, sed etiam Viri docti in hac materia paulo feruentiores, quid argumenti non sumerent ex Romana impressione, si ex his, quæ Concionatores in sacello Pontificio loquuntur, sibi ipsis non leuiter blandiuntur.

47. Si in hac materia Decretum sacræ Congregat. ad magni Principis instantiam reuocetur, vel infirmetur; obedientia, quam in reliquis consimilibus decretis exigit eadem Sacra Congregatio, fortasse minuetur; hoc enim exemplo improbus quisque de eorum firmitate, vel reuocabilitate poterit dubitare.

48. Etsi titulus vniuersaliter interdictus postmodum in iudicio contradictorio concederetur, iam tubis inflatis victoriam principalem canetent hi, qui vel inuitò summo Ecclesiæ Præside Victores esse contendunt.

49. Demum hoc humillime subiicimus, in re tam graui sola dubitatio sufficete potest, vt nihil vlterius innouetur, maxime cum nihil præter decisionem agendum supersit. Hactenus posterior Aduersariorum supplex libellus.

CERTAMEN III.

Exhibentur tituli huius iustæ possessionis, vocis Immaculatæ.

EN patent iam Aduersariorum conatus, astus, 504.
& insidiæ detectæ, omniumque oculis exhibitæ visuntur: veteres controuersias, ac contentiones exsuscitare, ac redintegrare meditantur, & in scholas inuehere; silentium ab Ecclesia indictum perrumpere satagunt; imo & piam opinionem aculeatis verbis, ac sententiis exagitare contendunt. Nos autem modeste, vt par est, & vt viros religiosos decet, hoc solum hic præstabimus, nempe titulum *Immaculata* affixum Conceptioni ortum ducete ab Ecclesiæ authoritate. In hunc igitur scopum collimabimus, titulum *Immaculata*, merito apponendum Conceptioni B. Virginis Mariæ, in officiis Ecclesiasticis, in verborum prolatione, in scriptorum monumentis publice excusis, & vbicunque Conceptio B. Virginis personuerit, quia videlicet in legitima, & meritissima possessione sit, ex Doctorum, & Vniuersitatum vnanimi suffragio, ex Diplomatum Pontificiorum authoritate, ex Missalium, & Breuiariorum approbatione, ac reliquis instrumentis, scriptis, & actibus iuridicis, ac proinde in prædicta possessione conseruari oportere, ac vt vulgo dici solet manuteneri. Postremò duobus præfatis aduersariorum libellis fiet satis, singulis eorum clausulis ad maturam discussionem, & examen vocatis.

In primis autem animaduertendum est, quid his verbis: *Immaculata Conceptio*; Doctores omnes intellexerint. Ex vnanimi ergo omnium consensu, etiam Aduersariorum, vt patet ex subiectis ipsorum supplicibus libellis; nomine *Immaculatæ Conceptionis*, ab initio exortæ in scholis controuersiæ, intelligi carentiam peccati originalis in B. Virgine, in primo instanti, quo eius anima corpori vnita fuit, ita vt pro eodem sumantur huiusmodi propositiones. *Conceptio B. Virginis est Immaculata.* & *B. Virgo peccatum originale non contraxit*; vel à peccato originali singulari priuilegio fuit exempta, & præseruata. Vt bene expendit Gabriel in 3. dist. 3. q. 1. §. *His præmissis.* Vbi has illationes tanquam sibi inuicem connexas subinfert. *Ecclesia statuit festum Conceptionis, ergo B. Virginis Conceptio est sancta, & per consequens Immaculata, ergo sine originali.* Ne vero actum agemus, ac teramus tempus in re clarissima, scilicet in exhibendis clausulis, ac sententiis Doctorum hunc sensum profetentibus, lectorem remittimus in P. Salazar in sua defensione pro immaculata Conceptione, præcipue à capite 35. & deinceps. Granado de Conceptione à c. 18. Ægidium de præsentat. lib. 3. de Concep. q. 4. art. 3. Franciscum Biuarium in historia mirabili, & in vita Beatricis de Sylua 2. p. §. 12. Hieronymum Axuar lib. de Concep. c. 21. & nouissimè Armamentarium Seraphicum à fol. 31. & deinceps. In quibus à primo instanti, quo B. Virgo Concepta fuit, Immaculatam fuisse, per singulos

Gabriel.

Titulus Immaculatæ Conceptionis communiter à Doctoribus acceptus est.

Salaz.

Granad.

Ægid.

annos

annos testimonia pro eius Immaculata Conceptione recensentur, quibus adiicere possumus ad titulum Immaculatæ Conceptionis amplius stabiliendum, iuramenta, ac suffragia Ecclesiarum, Vniuersitatum, & aliarum grauissimarum communitatum literis, ac virtute præstantium, vno ore Immaculatam Conceptionem profitentium.

505. *Pontifices titulum Immaculatæ Conceptionis approbant.* *Sixt. IV.* Eodem sensu Vniuersalis Ecclesia Immaculatam Conceptionem solemni ritu colit, ob excitatos tumultus, & oborta scandala in populo Christiano propter Aduersariorum sententiam. Primùm Sixtus IV. accitis Doctissimis ex omnium Religiosorum familiis, tum ex Clericis secularibus an. 1475. celeberrimá super hanc rem Romæ indixit Congregationem, cui Pontifex interfuit, per aliquot dies protractæ. In qua Franciscus Insuber pos.ea Generalis totius Franciscanæ Familię, longe excelluit, ac pro Immaculata Conceptione validissime decertauit, ita vt Pontifex Victorem succlamauerit, inquiens, *Tu es verus Samson.* Quod cognomen nunquam ab eo abolitum fuit. De quo *Ioannet. Torres.* P. Ioannetin tom. 2. Chronic. Min. lib. 22. pag. 561. Torres lib. 4. de Concep. c. 7. Post hanc longissimam disputationem expeditur ab eodem Sixto IV. Extrauagans, quæ incipit, *Cum praexcelsa.* Vbi Pontifex officium Immaculatæ Conceptionis à Nogarolis editum, omnibus Ecclesiis tradidit recitandum, in quo officio sæpe reperitur Immaculata Conceptio, vt videre est in Regesto Armamentarij seraphici à columna 55. & deinceps. Idem Sixtus IV. in Constitutione 2. quæ incipit, *Graue nimis.* Expresse apponit titulum Immaculatæ Conceptionis. Quam Constitutionem confirmauit Alexander VI. in Bulla, *Illius qui se, &c.* in qua pro titulo Immaculatæ Conceptionis tuendo, multa re*Alex. VI.* periuntur: verba quibus Alexander prædictam Extrauagantem confirmat, sunt hæc: *Tenore præsentium decernimus, & declaramus præinsertas literas, ac omnia, & singula in eis contenta perpetuis futuris tēporibus &c. inuiolabiliter obseruari debere.* notanda illa verba: *omnia, & singula in eis contenta.* At in Constitutione Sixti IV. continetur titulus ille *Immaculata Conceptio*, ergo approbatur ab *Leo. X.* Alexandro titulus hic *Immaculata Conceptio.* Leo item X. in Bulla incipiente, *Supra gregem Dominicum.* Officium Nogarolis in ordinem digestum, vocat pium, & laudabilem, adeoque titulum Immaculatæ Conceptionis approbat, ac laudat. Concilium etiam Tridentinum omnino fauet titulo Immaculatæ Conceptionis, suo illo decreto de peccato originali, dum confirmat Constitutiones Sixti IV. quas innouat sub pœnis in eis contentis; atqui illæ Constitutiones expresse affirmant ab Ecclesia celebrari festum Conceptionis B. Virginis in primo instanti Immaculatæ, & pœnas imponunt aliter docentibus, ergo Concilium confirmat titulum Immaculatæ Conceptionis. Accedit quod cum ipsum Concilium in praxi festum Conceptionis B. Virginis à Sixto IV. institutum solemni ritu coluit, vt constat ex fine sessionis 24. Idque non sine miraculo, nam R. P. Iacobus Lainius Societatis IESV Præpositus Generalis habiturus concionem ad Patres Tridentinæ synodi de Immaculata Conceptione B. Virginis ipso die, quo febris Quartana imminebat, cum dilationem, & prorogationem facile obtinere posset, renuit B. Virginis fauore innixus; præsentissimum ergo eiusdem B. Virginis patrocinium mox expertus est, febris enim eum deseruit in ipsa concione, quam ad tres vsque horas protraxit magnis totius Concilij acclamationibus. Ita Pineda. Salaz. de Concep. c. 42. *Salaz.* Lezana de Concep. c. 15. Regestum Armamentarij Seraphici fol. 577. Sixtus autem IV. festum instituit ad honorem Immaculatæ Conceptionis in Primo instanti infusionis animæ in corpus, vt patet ex eiusdem Constitutionibus, quas Concilium nouitus confirmat, vt vidimus; fateri ergo debent Aduersarij Conceptionem B. Virginis sub titulo Immaculatæ à Concilio Tridentino celebrari, & approbari, ac confirmari. Et roborarut, titulum Immaculatæ Conceptionis fuisse à Tridentino approbatum, confirmat enim Constitutiones Sixti IV. in honorem Conceptionis B. Virginis editas. At in Constitutione *Praexcelsæ.* Conceptio B. Virginis vocatur Mira, commendatur officium Immaculatæ Conceptionis in Constitutione priori incipiente, *Graue nimis*, Et contra calumniantes acriter defenditur: in posteriori exprimitur titulus Immaculatæ Conceptionis: has Constitutiones Concilium approbat, & confirmat, ergo colit, ac suscipit, ac fauoribus prosequitur Conceptionem Deiparæ sub titulo Immaculatæ. Eiusdem Concilij vestigia terens Pius V. ex Prædicatorum familia, *Pius V.* qui Conceptionis solemnitatem omnium primus *Pius V. ex Prædicatorum familia, conceptionis solemnitatem Breuiario & Missali inseruit.* Breuiario inseruit; ante hunc enim Pontificem, liberum erat vnicuique hoc festum celebrare, vel omittere: in noua Breuiarij, & Missalis reformatione, sub præcepto sanxit, vt de Conceptione B. Virginis officium ageretur. Idem Extrauagantes Sixti IV. denuo roborauit proprio diplomate incipiente. *Super speculam.* Quare quidquid de Tridentina Synodo in ordine ad approbationem tituli Immaculatæ Conceptionis diximus, de Pio V. affirmandum est; sicut & de Paulo V. qui eiusdem *Paul. V.* Sixti constitutiones confirmauit in Bulla, quæ incipit. *Regis pacifici.* Gregor. XV. easdem Constitu*Greg. XV.* tiones Sixti IV. Alexandri VI. Pij V. & Pauli V. hac de re, confirmat, ac stabilit, expedito diplomate; vbi mandat, ac præcipit omnibus, ac singulis, ne de cætero, neque etiam in sermonibus, & scriptis priuatis, audeant asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali. Ex huius diplomatis tenore, perspicue infertur, Gregorium X V. præcepisse omnibus, vt celebrarent festum in honorem sanctitatis B. Virginis in instanti suæ Conceptionis, cum primum anima infusa fuit corpori ipsius; sicut Ecclesia Romana celebrat: ac proinde decreuit summus Pontifex, vt ab omnibus celebraretur Immaculata Conceptio B. Virginis. Siquidem Gregorius ibi præcipit ab omnibus, quod Romana Ecclesia à principio institutionis huius festi semper coluit præseruationem B. Virginis à labe originaria. Nam Sixtus IV. Alexander VI. Pius V. & Paulus V. quorum Constitutiones Gregorius confirmat, de festo Conceptionis sub illa ratione expresse loquuntur, quia à Sixto IV. in Extrauag. *Cum praexcelsa.* omnibus Ecclesiis proponitur celebrandum cum officio speciali præseruationis, & Immaculatæ Conceptionis. Quod ex verbis ipsius Pontificis luculenter ostendi potest; quippe rescribens ad Regem Hispaniæ ait: *Vix dici potest, quanto nos gaudio cumularint nupera libera Maiestatis tuæ de Immaculata Deipara Conceptione differentes. O curam Catholico Rege dignam & Christi Vicario gratissimam.* Quam ep. stolam videre poteris in Regesto Armamentarij Seraphici colum. 187.

Ad hæc euincere possumus Aduersarios ostendendo pro eodem sumi ab Ecclesia Catholica, 506. *Ecclesia pro eodem sumit.* Conceptionem B. Virginis, & Immaculatam ipsius

Conceptionem,

Conceptionem B. Virginis, & Immaculatam ipsius Conceptionem.

Conceptionem, quin vnquam aliquod discrimen intercesserit: cum enim Ecclesia Conceptionem B. Virginis colat, ac suspiciat, implicat Cnnceptionem distingui ab Immaculata Conceptione: nomine autem Conceptionis intelligimus formationem perfectam, quæ tunc fit, quando anima corpori infunditur. Quemadmodum ergo hæc nomina Petrus, Paulus, Ioannes conueniunt æque hominibus sanctis, ac non Sanctis, si vero in sanctorum album adscribantur, iam determinantur ad eorum sanctitatem propalandam, siue legantur illa sola, siue cum adiectiuo illo *Sanctus*: ideoque in libris Ecclesiasticis sæpe nuda illa nomina leguntur, sæpe etiam cum adiuncto *Sanctus*. Eadem ratione cum Conceptio B. Virginis sortita sit statum quasi Canonizationis ex eo quod ab vniuersali Ecclesia solemni ritu celebretur; siue profeatur sine titulo *Immaculatæ*, siue cum illo, vel alio simili, modò *Sancta*. modò *Purissima*, modò vocetur solum Conceptio B. Virginis, semper intelligitur Conceptio sub titulo *Immaculata*. Quod patet ex præfatis Bullis summorum Pontificum toto hoc

Sixtus IV.

certamine relatis, vbi Sixtus IV. præcipue in constitutione. *Cum præexcelsa*. in hnc vnum collimat, vt Immaculata Conceptio per totum terrarum orbem coleretur solemni officio, tum vt approbaret officium Nogarolis, in quo in singulis fere periodis profertur Conceptio Immaculata; cum tamen summus Pontifex in eadem Constitutione absque titulo *Immaculata* proferat, illud: *Missam, officium, & festiuitatem Conceptionis gloriosæ Virginis Mariæ*. Non tamen ideo excludit titulum Immaculatæ; alioquin sibi ipsi contrarius esset Pontifex. Idem esto iudicium de Constitutione eiusdem Pontificis approbantis officium Bernardini de Bustos de Conceptione, vbi vocat officium Conceptionis, cum tamen illud officium sæpius repetat titulum Immaculatæ Conceptionis, vt videre est in Regesto Armamentarij Seraphici colum. 71. Innocen-

Innoc. VIII. Iul. II.

tius VIII. Iulius II. approbant Religionem Monialium sub inuocatione Immaculatæ Conceptionis; & tamen aiunt in suis Constitutionibus: *Ad honorem Conceptionis B. Mariæ erigi*. Et ipsarum Monialium regula, quæ inseritur ipsi Constitutioni Pontificiæ, hunc titulum præfert. *Incipit regula Monialium Conceptionis*. Et postmodum eisdem præscribitur formula professionis his verbis: *Eiusdem Genitricis Immaculatam Conceptionem venerantes: Ego Soror N. ob amorem, & seruitium Domini nostri, & Immaculatæ Conceptionis eiusdem Genitricis &c.* Ex quibus manifeste euincitur promiscue vsurpari à summis Pontificibus nomen Conceptionis, & Immaculatæ Conceptionis titulum.

Leo X.

In eadem mente est Leo X. nam vocat officium, & festum Conceptionis; at in alio priuilegio incipiente, *Pia Christi &c.* quod affert Regestum Armamentarij Seraph. colum. 141. & ita habet: *Pia Christi fideliũ, & præsertim in Immaculata Conceptionis B. M. V. honorem tendentia vota ad exauditionis gratiam libenter admittimus*. Et alias idem Pontifex indiscriminatim vtitur his vocibus, modo voce Conceptionis nudè, modo cum adiectiuo *Im-*

Adrian. VI.

maculata. Adrianus VI. fauet speciali priuilegio statutis Confraternitatis Toletanæ sub nomine Conceptionis gloriosissimæ Virginis Mariæ; at titulus illius Confraternitatis est: *Immaculata Conceptio*, vt habetur in Regesto cit. colum. 146. Inspiciatur concessio Sixti V. facta Fratribus Minoribus, & Monialibus, quæ habetur in præfato Regesto colum. 172. vbi titulus ille præfigitur: *Purissimæ Conceptionis Dei Genitricis*; & iterum repetitur officium Conceptionis sine vllo adiuncto, vt appareat esse locutiones omnino æquiualentes, & pro eodem sumi Conceptionem B. Virginis, & Immaculatam Conceptionem. Paulus V.

Paul. IV.

dum indulgentias dilargitur commemorationem agentibus de Immaculata Conceptione, & solum nominat Conceptionem B. Mariæ: at in bulla, quæ incipit. *Regis pacifici*. vocat Immaculatam Conceptiunem. Exstat Constitutio Synodalis Cæsaraugustana, cui titulus est, *de Immaculata Conceptione*, & postea inseritur præceptum de colendo Festo Conceptionis Virginis. De qua Constitutione agit Regestum cit. culum. 283.

Accinunt Pontificiis Constitutionibus Reges, 507.

Reges defendunt titulum Immaculatæ Conceptionis.

ac Principes sæculares, nam Ioannes 1. Aragonum Rex in quadam Pragmatica, quæ habetur proxime cit. loco colnm. 285. habetut hic titulus. *De Conceptione Sacratissimæ Virginis Mariæ*: in cuius contextu vocatur Conceptio Immaculata, Pura, penitus Sancta, & electa, benedicta, & gloriosa. Martinus 1. eiusdem regni hæres in quodam priuilegio quod citat Regestum Armamentarij Seraphici colum. 288. præmittit Conceptionem gloriosissimæ Virginis, postea Conceptionem Beatam vocat. Maria Aragonum Regina priuilegium de Immaculata Conceptione concessit, sub eodem hoc titulo, quam sacratissimam vocat, subditqne: *Festiuitatem magnam quam Sancta Mater Ecclesia de Conceptione dictæ B. Virginis, toto in orbe terrarum multa veneratione concelebrat*. Ioannes I. Nauarræ rex Constitutionem de Immaculata Conceptinne edidit, & postea Conceptiunem B. Virginis vocat. Philippus III. frequenter in suis epistolis quas videre poteris apud Trejo in sua legatione, Conceptionem Deiparæ puram, & purissimam appellat. Philippus IV. cum vxore Elisabetha, & Cardinali Infante, pro eodem ducit in epistolis ad summum Pontificem, Conceptionem B. Virginis, ac Immaculatam Conceptionem, vt videre est in Epistola pro gratiarum actione, quam refert Regestum cit. colum. 518.

His adiicimus Vniuersitatum suffragia; Salman- 508.

Academiæ propugnant titulum Immaculatæ Conceptionis.

ticensis statutum sanxit de iuramento ab omnibus magistris emittendo sentiendi, prædicandi, defendendi publice, & priuatim Virginem Mariam Dominam nostram conceptam fuisse sine macula peccati originalis. Complutensis Academia Epistolam remisit ad Paulum V. in qua, *Quotannis in memoria Immaculatæ Conceptionis solemne festum se colere gloriatur*; deinde definitiuam sententiam ad laudem & honorem Immaculatæ Conceptionis exposcit; & defendendæ Immaculatæ Conceptionis munus suscepisse iureiurando profitetur: & nihilominus in calce eiusdem epistolæ docet familiam S. Francisci inter omnes enituisse in propugnanda B. Virginis Conceptione. Ad quarum exemplar reliquæ Academiæ eandem mentem ebiberunt. Demum præter Pontificum, Regum, Vniuersitatumque suffragia hanc veritatem constabilientia, habemus etiam Sacrorum Ordinum, Capitulorum, Cathedralium, Vrbium vel vota, vel iuramenta, in quibus Conceptionis nomen à titulo Immaculatæ Conceptionis non secernitur. Accedit officium proprium Frattum Minorum à Sixto IV. Pio V. & aliis summis Pontificibus approbatum, in quo Immaculatæ Conceptionis titulus sæpe inseritur, tum & sola Conceptio B. Virginis vt docet Armamen-

Arm. Seraph.

tarium Seraphicum colum. 123. cuius officij approbationis vigore Conceptio B. Mariæ Virginis per

duos

duos & septuaginta supra centum annos Immaculata Conceptio in officio diuino vocatur.

509. Vlterius hoc ipsum suaderi potest, quia cum de cultu B. Mariæ Conceptionis agitur, eadem vis re ipsa inest titulo *Immaculata*, siue affigatur Conceptioni, siue Virgini. Et primum Vrbanus VIII. in eadem significatione appellat B. Virginem Immaculatam, cum agit de veneratione Conceptionis eius, ac alij Pontifices prædecessores, qui de eadem re Bullas ediderunt, in quibus titulo Immaculatæ appositum Virgini, ipsius Immaculatam Conceptionem intendisse compertum est. Nam Sixtus IV. in Extrau. *Cum praexcelsa.* vbi gratiis, ac fauoribus cohonestat recitantes officium *Immaculatæ Conceptionis*, subdit: *De ipsius Immaculatæ Virginis Mariæ Conceptione gratias, & laudes referant.* Vbi Pontifex Immaculatam Conceptionem, cuius officium approbat, fuisse intendit, dum Virginem Immaculatam appellat, nam in priori Constitutione *Graue nimis.* ait idem Pontifex: *Sancta Romana Ecclesia, de intemeratæ semperque Virginis Conceptione festum celebrat, & speciale ac proprium officium ordinauit &c. Qui tenent, & affirmant, eandem gloriosam, & Immaculatam Dei Genitricem Virginem Mariam absque peccati originalis macula fuisse Conceptam.* Vbi titulus *intemerata*, & *immaculata* explicator per immunitatem à peccato originali. Eadem repetuntur in posteriori Constitutione *Graue nimis*, vbi subditur: *Eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes.* Quare nullus est ambigendi locus, quin pro eodem vsurpentur à Pontifice eiusmodi voces: *Intemerata Virginis Conceptio, siue Immaculata Virgo, vel Conceptio Immaculata.* Eademque est mens reliquorum Pontificum Alexandri VI. Pij V. Pauli V. Concilij Tridentini, & Greg. XV. qui omnes prædictas Constitutiones confirmarunt, vt speciatim expressit Paulus V. in Bulla, *Regis pacifici*, vbi ait: *Qui asserebant gloriosam, & Immaculatam Dei Genitricem absque originalis peccati macula fuisse conceptã &c. Eiusdemque Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes.* Vbi aperte patet eiusdem significationis æquiualentia. Et quidem nemo ita sollicitus fuit pro Immaculata Conceptione adstruenda, qui suo desiderio abunde non satisfecisse existimaret, si titulum *Immaculatæ* B. Virgini attribueret. E contra si Aduersariorum libros, ac tractatus diligenti examine euoluamus, nusquam apud illos reperiemus titulum *Immaculatæ* Virgini attributum, seu affixum, non aliam ob causam, nisi quia probe sciebant, titulum *Immaculata*, quomodocunque Virgini apponeretur, æque explicare exemptionem, & immunitatem à peccato originali in

Angesto B. Virgine, quod recte animaduertit Hieronymus ab Angesto lectura 3. contra Antimarianos renuentes Mariam dici *Immaculatam*, aduersus quos nullo alio robustiori telo decertat; ratus non posse Virgini titulum Immaculatæ competere, si per instans illam macula piaculi originalis attaminasset. Id circo nunquam Ecclesia, sanctorum quipiam, si Christum demas, & Virginem, titulum *Immaculati* attribuit per modum cognominis, & abso-

Cant. 4. lute prolati; qui titulus nititur illis Canticorum verbis c. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Vbi omnem puritatem naturæ creatæ commonicabilem innuit, & omnem maculæ notam ab ea procul arcet.

510. Verum libet hic pensiculatius expendere proprietatem huius vocis, *Immaculata*, quæ cum ab-

Vox Immaculata, caren-

solute omnis maculæ carentiam importet, nullam limitationem dicit, ad omnia vitæ tempora, atque momenta protenditur; sicut Infinitum simpliciter, & absolute prolatum, ex neutro extremo finem admittit: neque Immensum proprie vocabis, quod alicui mensuræ subesse potest: quin potius si hæc nomina efferantur de re, quæ secum admittit aliquo modo formam, quæ per illas voces negatur, quilibet affirmabit, locutionem esse hyperbolicam, & impropriam: ad eum modum dictio, *Immaculata*, cum omnis maculæ carentiam dicat pro omnis temporis differentia, & apponatur B. Virgini in sensu proprio, non hyperbolico, vt admittit communis Doctorum consensus; haud dubie eius Innocentiam pro omnibus vitæ suæ instantibus sinu suæ significationis coercet: quam maculæ carentiam pro omni differentia temporis acute sapientissimus attigit Idiota lib. de contemplat. B. Virg. c. 3. præfatum Cant. locum explanans: *Tota pulchra es, ait, Virga gloriosissima, non in parte, sed in toto, & peccati macula, siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam fuit, nec erit.* Vides quo modo vox, *Immaculata*, innocentiam, & exemptionem ab omni peccato pro omni temporis differentia secum adsportet.

tiam omnis maculæ pro omni differentia temporis importat.

Idiota.

CERTAMEN IV.

Assertores piæ opinionis præsumunt & realem facti, & iuris possessionem habere prædicti tituli, Immaculatæ Conceptionis.

Solemnis est illa diuisio possessionis, in ciuilem, & naturalem, desumpta ex L. *clam possidere. §. Qui ad nundinas.* Possessio ciuilis in iure naturalis in facto detentionis vertitur. Quare vtraque in vera, & iusta possessione consistit: nam sine iuris efficacia non esset vera possessio, sed circomuentio contra ius; ius autem solum non facit possessionem, nisi actualis rei apprehensio subsequatur L. 1. de acquir. possess. Ad possessionem naturalem necessaria est detentio rei cum animo possidendi; & optime probatur ex facto ipso, & vsu per aliquem actum, in quo ius illud repræsentatur. Hi autem actus in possessione tituli Immaculatæ Conceptionis, sunt plures, ac manifesti: videlicet Recitatio officij authoritate sedis Apostolicæ, in quo sæpius repetitur titulus Immaculatæ Conceptionis. Item actus Professionis, quam emittunt Moniales ad amorem, & obsequium Dei, & Immaculatæ Conceptionis, & à summis Pontificibus approbatæ. Vota omnia, & iuramenta Vniuersitatum, Cathedralium, Ciuitatum, aliarumque communitatum emissa: nec melius, ac tutius probari potest, Communitatem in alicuius rei possessione esse, ac reperiri, quam ex actu aliquo à tota Communitate exercito. Deinde actos sunt huius possessionis, tot scripta excusa, & in lucem edita cum legitimis approbationibus, ac Superiorum facultatibus, in quibus toties Immaculata Conceptio asseritur, ac propugnatur. Publica etiam eiusmodi tituli propalatio in suggestis, cathedris, lectionibus, & concionibus: Eiusdem inscriptio, sculptio, impositio pro templorum foribus, aliorumque locorum. Basilicarum extructio, sacellorum, erectio in honorem Immaculatæ Conceptionis; quæ omnia fieri animo possidendi, & in possessione permanendi nemini dubium esse potest. 511.

Possessio legitima est penes Ecclesiam, tituli Immaculatæ Conceptionis, per plures actus positiuos acquisita.

His accedit auditio, & inspectio ocularis tot summorum Pontificum, non solum non reclaman- 512.

tium,

tium, imo annuentium, ac subsidiantium gratiis, ac fauoribus, omnibus qui titulum Immaculatæ Conceptionis honorant, pronunciant, ac suspiciunt. De Paulo V hæc habet verba VVading. in Legat. sect. 4. orat. 8. vbi Regius Legatus coram eodem Pontifice sic loquitur: *Ecclesia honorem Immaculatæ Conceptionis approbauit, dum templa construxit, quorum præter cætera, quæ in ipsa sunt vrbe, vnum frequenter videt, & laudat tua Beatitudo, in tuo illo delectabili monte Tusculano, quid in ipsa fronte suam habet inscriptionem.*

Virgini MARIÆ sine originali peccato Conceptæ sacrum.

Quod & tum & ipse tua sententia approbasti, & tuæ Curia Magnates magnopere commendant. De Vrban. VIII. & historiæ, & numismata testantur, an. 1626. templi Conceptionis primum strauisse lapidem, quod Fratrum Capucinorum est, *Immaculatæ Conceptioni* sacrum, de quo Regestum Armamentarij Seraphici colum. 629.

Vrban. VIII.

513. Omnes hi possessionis actus ex Aduersariorum consensu valde roborantur. In possessione enim, vel quasi possessione rerum incorporalium, qualis est possessio tituli *Immaculatæ Conceptionis*, exigitur tanquam necessaria scientia, & tolerantia partis oppositæ. Qui enim modò titulo Immaculatæ Conceptionis infensi sunt, cur cum Sixtus IV. festum, & officium Immaculatæ Conceptionis obseruari, ac recitari iussit iuridice, non reclamarunt? & cum Gregorius XV. speciali Constitutinne declarauit, non celebrari festum, sub alio quam Conceptionis nomine: nonne tanquam filij obedientes obtemperarunt; solum enim indispensatione impositionis silentij pro ipsorum inter se collnquiis obtinenda contenderunt nmni nisu. Iustissimam ergo possessionem adepti fideles tituli *Immaculatæ Conceptionis*, in cassum, & irritis votis interturbantur ab aduersariis: imo ipsimet Aduersarij illius sui priuilegij obtentione nos magis in eadem possessione obfirmarunt; nam possessio, quæ colligitur ex rescripto supremi Iudicis ab aduersaria parte obtento, maiorem inde firmitatem nanciscitur, vt docet Menochius consil. 611. n. 9. Rota decis. 165. n. 2. Nec nobis obtendant, se solum consensisse in cultum Conceptionis, non vero Immaculatæ Conceptionis; siquidem ipsimet fatentur in priori supplici libello supra adducto, piæ opinionis fautores, pro eodem semper censuisse, Conceptionis vocem, & titulum *Immaculatæ Conceptionis*: quare possessio facti circa titulum Immaculatæ Conceptionis penes nos est, ex ipsorum aduersariorum concessione.

Tituli Immac. Concep. possessio roboratur ex scientia, & tolerantia partis oppositæ.

Menoch.
Rota decis.

514. Possessionem autem iuris residere Assertores Immaculatæ Conceptionis, per quam legitimè vtantur ipsius titulo, nunc facile constabit. Nequit autem possesio iuris siue ciuilis alio robustiori argumento probari, nisi exhibitis authenticis instrumentis, scripturis, & rescriptis summorum Pontificum, quæ ius, vel actum huius possessioois assertotibus piæ opinionis concedant: de quo est disceptatio. Nec admitti solet in iudicio manutentionis impugnatio, aut scripturarum redargutio, nisi ex euidenti, & clara falsitate, alioquin quoad effectum manutentionis eos causa cadere necesse est. At omnes actus possessionis ab Assertoribus piæ opinionis erga titulum Immaculatæ Conceptionis exerciti innituntur authenticis sedis Apostolicæ Bullis, & Coostitutionibus. Nam recitatio officij Immaculatæ Conceptionis conceditur in Bulla *Cum praexcelsa*. Et in Extrauag. *Graue nimis*, per Alexandrum VI. Concilium Tridentinum, Pium V. & Paulum V. ac Gregorium XV. roborata: Confraternitates titulo Immaculatæ Conceptionis erectæ approbantur ab Adriano VI. vt monitum est supra; sicut & Monialium Religio sub titulo Immaculatæ Conceptionis suas habet approbationes ab Innocentio VIII. & Iulio II. Basilicarum, & Sacellorum erectiones cultui præseruationis B. Virginis ab omni peccati macula immunis dicatæ gratiis, & fauoribus exornantur à variis summis Pontificibus; idemque statuimus de aliis actibus externis, quibus hæc iusta possessio firmatur, & stabilitur.

Possessio iuris residet penes fideles, tituli Immac. Conceptionis.

Alex. VI.
Conc. Trid.
Pius V.
Paul. V.
Greg. XV.
Adrian. VI.
Innoc. VIII.
Iul. II.

Quocirca Assertores *Immaculatæ Conceptionis* sub toto iuris rigore expostulant à supremo Ecclesiæ Iudice mandatum de manutenendo expediendum, quod nihil aliud est, quam iudicium possessorium executiuum, quo quis in ea possessione, in qua reperitur, conseruatur. Quod remedium promptissimum à iure fuit inuentum, ad propulsandas contentiones, ac tumultus, qui inter partes contrarias, cum de eiusdem rei possessione contendunt, exoriri solent: hoc igitur remedio præsentissimo iudiciali manutentionis consulitur vniuscuiusque rei, quieti publicæ prospicitur, sedantur seditiones, iurgia tolluntur, effrænes coërcentur. Maxime tamen obseruandum est Immaculatæ Conceptionis Assertores non exposcere huiusmodi iudicium possessorium, quia litem pendentem habeant super possessione legitima tituli Immaculatæ Conceptionis, quia certam, & indubitatam possessionē circa vsum illius tituli obtinuerunt per plures annos; id ergo solum deposcimus mādatum demanurentione contra aduersarios, hanc possessionem interturbare satagentes: nec enim qui iudicis officium implorat, vt turbatorem suæ possessionis expellat, possessionem amittit; imo ipsimet libelli supplices aduersariorum supra adducti, si authentice exhibeantur, possessionem probant, siquidem ex actu intento per aduersarium, & ex verbis libelli, seu petitionis enuntiantibus possessionē, vel quasi possessionem, etiam vt iniustam, & illegitimam, possessio facti stabilitur. Rota Diuers. decis. 80. n. 1. & seq. & in Recent. decis. 225. n. 1. p. 1. & decis. 225. n. 2. p. 2. 515.

Rota Diu:

Nec obstare potest, quominus beneficium manutentionis obtineant Assertores Immaculatæ Conceptionis: assertum Decretum nomine Sacræ Congregationis Sanctæ Romanæ, & Generalis Inquisitionis, quo prædicta legitima, & pacifica possessio tituli Immaculatæ Conceptionis turbari contenditur, quia plures, & vrgentissimæ rationes probare videntur esse surrepeitium. Prima ratio sen vehemens indicium surreptionis illius decreti est diuturna illius occultatio, siquidem expeditum fuit 20. die Ianuarij anni 1644. per sex integros menses ante Vrbani VIII. mortem: itaque dum vixit Vrbanus, sed & toto biennio post S. D. N. Innocentij X. assumptionem ad Pontificatum delituit; sicut ergo veritatis indicium est, eiusdem propalatio; sic fraudis, occultatio; fortiter Hieronymus Ruffinum perstringens: *Nouum malitiæ genus, scribere quod occultes.* Igitur clandestine facta falsitatis præseferunt suspicionem *c. vt nostrum. §. Cum enim.* Menochius de præsumpt. lib. 4. præsu. 12. n. 7. Surdus cons. 132. n. 4. & confirmatur ex verbis Christi D. Ioan. 3. *qui male agit, odit lucem.* Quare cum assertum decretum diutius deliruerit; & postea clanculum circumlatum fuerit, magnam falsitatis suspicionem ingerit, & subrepti 516.

Decretum assertum nomine Generalis Inquisitionis Rom. de tollendo titulo Immaculatæ, apparet surreptitium.

Hieron.

Menoch.
Surdus

Ioan. 3.

subreptitiæ obtentionis arguitur. Deinde prædictum decretum non fuit editum sub forma sufficienti ad comprehendendum omnes Christi fideles per totum terrarum orbem sparsos, ex defectu particulæ illius, *vbique*, quod necessarium erat. Nam titulus Immaculatę Conceptionis vbique receptus est ex decretis summorũ Pontificum, præsertim ex Constitutione *Cum praexcelsa*. Vbi omnibus, & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus, recitãtibus, canentibus, & audientibus officium Nogarolis, in quo repetitur titulus Immaculatæ Conceptionis, Indulgentiæ conceduntur. Item decreta eiusdem sacræ Congregationis sub Paulo V. & Greg. XV. edita circa punctum Conceptionis, habent illam clausulam: *Et ita decreuit, & mandauit Sanctitas sua, vbique inuiolabiliter obseruari* Fieri autem non potest sacram Congregationem absque debita, & sufficienti forma decretum edidisse.

517. Deficit etiãm veritas asserti decreti ex defectu præsentiæ, vel consultationis summi Pontificis in re grauissima. Itaque fuit editum feria 4. die 20. Ianuarij in Cõgregatione Generali S.R. & vniuersalis Congregationis habita in Conuentu S.Marię super Mineruam coram Eminentissimis DD. Cardinalibus, non verò in Congregatione, quæ fit in Palatio Apostolico coram ipso summo Pontifice; quemadmodũ alia decreta à Paulo V. & Greg. XV. hac de re expedita. Subit ergo sinistra suspicio surreptionis illius decreti, qood factum non fuerit coram summo Pontifice; præsertim cum Congregatio sanctæ Generalis Inquisitionis qualibet hebdomada coram Papa haberi soleat: oporteret ergo expectare diem Congregationis in sacro Palatio habendæ; vt in re grauissima, supremus Ecclesiæ Iudex sententiam ferret post maturum examen. Quid quod Congregatio, in qua assertum decretum confectum fuit, constituta fuit ad decidendas causas contentiosas iuxta Constitutionem Pij IV. incipiẽtem, *Cum nos* &c. editam anno 1564. non verò ad res pertinentes ad religionem, & diuinum cultum; quarum rerum definitiones iuxta vnanimem Doctorum consensum, ad solum summum Pontificem attinent, & penes supremum Iudicem reseruantur. Huc spectat indultum Sixti V. quod incipit, *Immẽsa*, &c. apud Cherubinum, quod est ordine 74. Vbi Pontifex sermonem attexens de Institutione Congregationis DD. Cardinalium Cõcilij Tridentini interpretum, ita sanxit: *Eorum vero Decretorum, qua ad fidei dogmata pertinẽt, interpretationem nobis ipsis reseruamus. Cardinalibus vero prafectis interpretationi, & executioni Concily Tridentini, si quando in his, qua de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, & Ecclesiasticis iudiciis, aliisque huiusmodi instituta sunt, dubietas, ac difficultas emerserit, interpretandi facultatem, nobis tamen consultis impartimur.* Et meritò hæc omnia supremo controuersiarum Iudici reseruantur, vt docet Barbosa in collect. ad caput *si Papa* 6. n. 5. dist. 11. Quis autem inficias eat, vsum, vel prohibitionem tituli *Immaculata Cõceptionis*, ad fidei dogmata, & Religionem attinere; siquidem quidquid super hac re statuatur per se, ac directè ad præseruationẽ, & immunitatẽ ab originali spectat; quã immunitatem, certum est tanquã de fide definiri posse. Assertum ergo decretum vehementissimam de surreptione suspicionem infert, quia eam continet materiam, quæ secundum canones, ac perpetuam Ecclesiæ consuetudinem, inconsulto summo Pontifice, non determinatur, in eo autem nulla fit mentio Pontificis, eiusve approbationis, & consensus.

Alia vehemẽs suspicio de surreptione prafati decreti. — *Pij IV.* — *Sixtus V.* — *Barbos.*

518. Quid quod nullam vim obtinere poterat prædictum decretum, quia derogare nequit Apostolicis Constitutionibus approbantibus titulũ Immaculatæ Conceptionis; tot etiã Pontificiis statutis à Cõcilio Tridẽtino confirmatis, vt supra vidimus, nulla de illis vel leui mentione ibi facta. Quòd autem in asserto decreto in forma, & tenore vsque modo exhibito, nulla sit vis derogatina aliorum decretorum Pontificiorum, quæ ex certa scientia, ac motu proprio vel ab ipsis Pontificibus, vel coram ipsis, ab eadem sacra Congregatione edita sunt, ex eo patet, quia decreta titulum Immaculatæ Conceptionis approbantia, cùm sint summorum Pontificum reuocari nullo modo possunt, vel alterari, vel limitari, nisi alio summi Pontificis decreto. aut in eadem Congregatione coram summo Pontifice habita; siquidem reuocare leges, aut statuta eius solius inter est, cuius est ea statuere, ac condere, Omnis quippe res, per quascumq; causas nascitur, per easdẽ dissoluitur, c. *omnis*, de reg. iuris, & c. *omnis* 27. q. 2. cum ergo Pontificiæ Constitutiones, quæ titulũ Immaculatæ Cõceptionis approbant, & cõfirmant in suo pristino robore permaneant, nec vllo modo per assertum decretum reuocentur, signum est illud assertum decretum omnino esse surreptitium, præsertim cum opponatur Concilio Tridentino Constitutiones Sixti IV. approbanti: at Cõcilio generali nulla ratione derogatur ab ipsis summis Pontificibus sine speciali causa, vt tenet communis sententia apud Sanchez tom. 1. de matrim. disp. 26. n. 7. Barbos. in remiss. ad session. 1.

c. Omnis. — *Sanch.*

519. Alio ex capite suspicio surreptionis in præfato decreto insurgere potest, nempe ex defectu narratiuæ. Vehemẽs igitur suspicio adest ab aduersariis decretum impetraturis propositum fuisse serio Dominis Cardinalibus Generalis Inquisitionis, quod toties in suis libellis supplicibus inculcant, nempe ab Ecclesia Catholica coli Conceptionẽ B. Virginis indifferentem, idest ipsius Sanctificationẽ pro instanti indeterminato, siue abstrahentem à Sanctificatione præseruatiua ab omni culpa originaria & à sanctificatione eiusdem maculæ expulsiua; quę narratio omnino abhorret à vero, vt patet, ex tota hac Palæstra. Narrationis ergo defectus præsũptus sed cum sufficienti fundamento, surreptionem innuit; nam pontificia indulta semper sub ea conditione conceduntur, si preces veritate nitantur, licet non apponatur in rescriptis, vt patet ex cap. *ex parte, de rescriptis.* Et c. *super literis* eodem titulo, vbi hæc habet Pontifex: *Si vero per huiusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis, litera fuerint impetrata, qua tacita, vel expressa, nos nullas prorsus literas dedissemus; à delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus vt partibus ad sui prasentiam conuocatis, de precum qualitate cognoscat.* Vbi sermo est de supprimentibus veritatem, vel falsitatem narrantibus per simplicitatem, vel ignorantiam: supra autem iam præmiserat Pontifex eos, qui per dolum, aut malitiam surreptitie literas extorquent, nihil ex obtentis literis sibi emolumenti comparare. Qua de re consulendus Sanchez tomo tertio, de matrimon. lib. 3. disp. 21. num. 56.

Sanch.

520. Quod vero Aduersarij in narratiua falsum expresserint, videlicet indifferentiam nominis, *Conceptio*, & instantis, in quo Virgo B. gratia condecorata fuit, vehemens suspicio nobis ingesta est, vt monuimus; quod verum suppresserint, non minus suspicari possumus, nempe tacita

fuiſſe ſcandala, qoæ ex aduerſariorum opinione vbique profecta fuerunt, & denuo profectura in populo Chriſtiano, ſi aſſertum decretum executioni mandaretur; nunc maximè cum opiniu pia altiores in Chriſtianorũ cordibus radices egit. Huic inſtituro multum confert Rotæ deciſ. 580. n. 6. vbi habetur; *Quod narratiua Papa etiam facta motu proprio recipit probationem in contrarium, & quod cum conſtat de contraria enunciato, ceſſat omnis difficultas*, & deciſ. 605. *quod literis non eſt danda executio, antequam fiat iuſtificata*. & deciſ. 251. *Quod litera Apoſtolica non debent exequi abſque iuſtificatione narratorum, eſſeque ſurreptitias, non verificatis in his narratis*. Nemo autem in dubiom vocare poteſt, ex prohibitione tituli Immaculatæ Conceptionis, ſcandala, ac ſeditiones iam conſepultas, denuo exſuſcitandas, cum repente populus Chriſtianus à cultu Conceptionis Immaculatæ, in cuios poſſeſſione per tot annos permanſit, auocetur, & a pacifica poſſeſſione deturbetur. Quantum autem ſummi Pontifices his fugandis, & arcendis ſcandalis incubuerint, facile ex iure Canonico depromi poteſt. In cap. *Quod dilecto, de conſang. & affin.* ſic habet Pontifex: *Vnde in hac parte conſultius duximus multitudini, & obſeruata conſuetudini deferendum, quam aliud in diſſenſionem, & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibita nouitate.* Et cap *nihil prodeſt, de praſcript. Nihil cum ſcandalo, nihil cum forali ſtrepitu vobiſcum nos velle de cauſis pauperum deſinire, vobis ſcripſiſſe meminimus.* Item cap. *cum teneamur, de praben. & dig.* hæc memorabilia verba leguntur: *ſi non poteſt ei ſine ſcandalo prouideri, æquanimiter ſuſtinemus; ſi pro ea mandatum noſtrum non duxeris exequendum.* Quæ omnia mirifice noſtrum intentum perſuadẽt, cum videamus ſummos Pontifices præferre charitatem, & ſcandalorum ablationem ipſi ſupremi Principis authoritati.

Rota.

Quidquid verò ſit de ſurreptione præfati decreti ſanctæ Congregationis Mineruæ; nunc certum eſt fuiſſe reuocatum ab Innocentio X. precibus Philippi IV. Hiſpaniarum Regis permoto, qui Romam huius cauſæ Procuratorem remiſerat P. Gundiſaluum de Caſtilla ipſius regis concionatorem, qui tandem diligenter ſuo munere functus à Sanctiſſimo D. Papa Innocentio prædicti Decreti reuocationem obtinuit.

CERTAMEN V.

Satisfit aduerſariorum obiectis in priori ſupplici libello propoſitis.

521. PErperam autem, & in caſſum in primo numero primi libelli ſupplicis, nobis proponunt Aduerſarij aſſertum illud decretum tanquam à S. Romana, & vniuerſali Inquiſitione authenticè, & legitimè ſancitum, & promulgatum. Et quidem primum ab ipſis Aduerſariis opus eſſet oſtendere, tale decretum legitimè, & debita forma fuiſſe reſcriptum: debuiſſent ergo authenticam decreti exhibitionem, eiuſdemque ſolemnem promulgationem, aſſentiente ſummo Eccleſiæ Iudice, proponere; ſed cum prædictum decretum viuente Vrbano VIII. promulgatum fuerit nunquam; nec ab Innocentio ſucceſſore fuerit confirmatum; deducimus, ſubreptitium fuiſſe.

Quam verò egregiè hallucinentur in eo quod ſubdunt, nomen Conceptionis in ſuo proprio ſignificatu, ſolum importare formatiooem fœtus in vtero: iam ſatis ſuperque oſtendimus in ſuperioribus, nomen Conceptionis abſolutè ſumptum in controuerſia, qua de nunc agimus, innuere primum animationis inſtans apud omnes Doctores; formatio ſed enim fœtus ante animæ infuſionem propriè non eſt cõceptio hominis, vel perſonę, ſed embrionis. Repellendæ ergo Aduerſariorum expoſitiones circa ſignificatum Conceptionis, vt ſuſpicioſæ, ſubdolæ, & à communi Doctorum ſenſu, & vſu alienæ, ſicut reiicit S. Th. 1. p. q. 13. a. 2. expoſitionẽ ac ſenſum Rabbi Moyſis, & aliorum, qui nomina Dei aliqua iuxta ſenſos proprios, & à communi acceptione alienos ſiniſtre interpretabantur, eos igitur coarguens S. Doctor ait: *Tertio, quia hoc eſt contra intentionem loquentium de Deo.* Maximum ergo robur ineſſe putauit D. Th. communi Doctorum vſui, ac ſenſui in nominibus ad Theologiam ſpectantibus; nemini igitur integrum eſt nomen Conceptionis ad ſuos ſenſus proprios contra communem fidelium vſum detorquere; præcipuè cum ſummi Paſtores Eccleſiæ damnent & reprehendant omnes eos, qui ſolam ſpiritualem Conceptionem, ſeu Sanctificationem B. Virginis dicant à Romana Eccleſia celebrari. Itaque communi Theologorum ſuffragio, & Doctorum vſu, & Eccleſiæ praxi; hæc eſt vera propoſitio: Conceptio, vbicumque de cultu, & actibus religioſis agitur, idem eſt, ac Immaculata Conceptio; quia Conceptio vt ab Eccleſia colitur, idem eſt quod Conceptio ſancta, atque adeo idem eſt quod Conceptio Immaculata; quòd autem colatur Conceptio B. Virginis ſancta, patet ex 8. Reſponſorio huios feſti. S. autem Dionyſius de diuinis nominibus c. 11. ſic definit Sanctitatem: *Eſt ab omni ſcelere libera, & omnino perfecta, & omni ex parte immaculata puritas.*

D. Thom. S. Dionyſ.

Aiunt Aduerſarij, Sanctitatem, quàm Eccleſia 522.
colit ſub titulo Conceptionis, debere eſſe indubitatam, cum autem adhuc non ſit fide certa, ſed ſub opinione ſanctitas Conceptionis Deiparæ; inferunt ab Eccleſia non celebrari Conceptionem immaculatam in primo inſtanti: *Nunquam ergo dici poteſt*, verba ſunt Aduerſariorum, *ex Eccleſia ſenſu celebrari Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam, hoc enim adhuc eſt indefinitum, atque adeò dubitationi ſubiectum.* Omnino tamen falſum eſt, omnem Sanctitatem, quæ ab Eccleſia colitur eſſe fide diuina certam. Siquidem Natiuitas B. Virginis, & S. Ioan. Baptiſtę celebrantur ab Eccleſia, nec tamen fide diuina certum eſt B. Virginem, & Baptiſtam in vtero ſanctificatos fuiſſe. De quo Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 3. ſect. 1. Item eadem Eccleſia celebrat Aſſumptionem B. Mariæ in corpore, & anima, cum adhuc id definitum ab Eccleſia non ſit. Videatur Soar. cit. diſp. 21. ſect. 2. imo pars maior Doctorum docet ſummum Pontificem errare non poſſe in Canonizatione Sanctorum. De quo Suarius de fide diſp. 5. ſect. 8. n. 8. adeóque coli ab Eccleſia, certam, & indubitatam ipſorum Sanctitatem, qui in Sanctorum album adſcripti ſunt ab Eccleſia, cum tamen Suarius cit. & lib. 2. contra Regem Angliæ cap. 9. n. 10. neget eſſe de fide; ſolumque eam certitudinem agnoſcit, quæ omne morale periculum, omnemque prudentem dubitationem excludit. Fatemur ergo Sanctitatem, quæ ab Eccleſia colitur ſub nomine Conceptionis Immaculatæ B. Virginis, eſſe certam, & indubitatam, non tamen fide diuina definitam; verum omne morale periculum, & omnem prudentem dubitationem excludere; ita tamen vt oppoſita ſententia ſit adhuc ab Eccleſia tolerata, quam non libet cenſura aliqua ferire.

Suar. *Sanctitas omnis, quæ ab Eccleſia colitur, non eſt certa fide diuina.*

Inſtant

Instant Aduersarij in priori libello supplici n.26.
523. Ab Ecclesia coli Conceptionem sanctam, non tamen immaculatam, quia vox sancta in sensu ab Ecclesia intento, tam primum, quam secundum instans complectitur, siue vt præsciditur à primo, vel secundo instanti: vox autem immaculata, exprimit sanctitatem per negationem cuiuscumque maculæ, ideo videtur excludere maculam pro quocunque instanti, & per consequens minus aptè, & minus propriè ad vtrumque instans referri potest. Hic tamen insidiæ latitant, latet anguis in herba, & sub occulto contendunt Aduersarij ostendere, nō coli ab Ecclesia Conceptionem sanctam, sed post Conceptionem, B. Virginem fuisse sanctam, verum reclamante eorum Magistro Doctore Angelico 3. p.q.27.a.1. Vbi infert Natiuitatē B. Virginis fuisse sanctam in primo instanti, quia ab Ecclesia colitur; ex vi ergo cultus Ecclesiæ, non solum de persona, sed etiam de mysterio, quod colitur, sanctitas enunciari debet. Præterea arguuntur erroris damnati à Sixto IV. in Constitutione *Graue nimis*. Vbi damnat tanquam falsam, & erroneam propositionem illam: *Ecclesia celebrat solum Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem B. Virginis.* Siquidem sanctitas collata B. Virgini non in primo instanti infusionis animæ, sed in secundo, non est aliud, nisi spiritualis Conceptio.

D. Thom.

Hæc propositio: Ecclesia celebrat solā Conceptionem spiritualem, seu sanctificationem B. Virginis, erroris nota inuritur.

524. Reclamant authores prioris libelli supplicis n. 27. etiāsi idem esset, sanctum, & immaculatum, non inde elici: dicitur Conceptio sancta in hoc instanti: ergo etiam dici potest, immaculata, quia vox, *sancta*, inquiunt, neutri opinioni est alligata, & vere conuenit Conceptioni B. Virginis pro eo instanti, quo fuit sancta. Vox autem, *immaculata*, est alterius solum opinionis protestatiua. Immerito profecto, & reclamante Ecclesiæ vniuersalis vsu, ad duplex instans Conceptionem referunt; solum enim vnicum reperitur instans Conceptionis naturalis, de quo Ecclesia vniuersalis, & in vniuersum Doctores loquuntur, cum de Conceptione B. Virginis incidit sermo, & pro hoc instanti sumptam Conceptionem colit Ecclesia. Deinde pro eodem sumūtur illæ voces, sancta, vel immaculata, quæ nihil aliud exprimunt, nisi præseruationem B. Virginis à labe originaria; & patet ex ipso Bandello cit. à Regesto Armamentarij Seraphici colum. 231. vbi ait: *Sanctitatem Conceptionis soli Christo sancto sanctorum tribuamus.* Quare explicatio nominis Conceptionis prout ab aduersariis traditur, erroris insimulatur à Sixto IV. vt docent Corduba in quæst. lib. 1. q. 44. §. *Sed contra.* Vaz. tom. 2. in 3. p. disp. 117. c. 5. n. 68. Salaz. de Concept. c. 33. n. 4. Granado tom. 1. in 3. p. contin. 2. tract. 1. disp. 5. sect. 7. § 3. & ratio est perspicua, quia sola Conceptio spiritualis B. Virginis est sanctificatio vel in secundo instanti, vel sumpta pro tempore indeterminato; ad hoc autem vt Conceptio naturalis ab Ecclesia colatur, opus est, vt sanctitas coniungatur cum anima B. Virginis in primo instanti animationis, alioquin non celebrabitur ab Ecclesia Conceptio naturalis, sed spiritualis, qui ergo defendunt coli ab Ecclesia sanctificationem B. Virginis in tempore indeterminato, non colunt Conceptionem naturalem, sed spiritualem: ergo incidunt in propositionem condemnatam, vt erroneam à Sixto IV. & Concilio Tridentino; videlicet, Ecclesiam solam Spiritualem Conceptionem, seu sanctificationem Virginis B. celebrare.

Cordub.
Vaz.
Salaz.
Granad.

525. Quare perperam iactant Aduersarij in priori libello supplici num. 22. festum, & nomen Sanctificationis fuisse legitimum, & officium Sanctificationis à Summis Pontificibus, & signanter à Iulio III. concessum, & approbatum fuisse, nullum tamen exhibent indultum, nullam authenticam approbationem producunt. Quippe in Bulla Iulij III. in Missali Fratrum Prædicatorum apposita, nec vllum verbum reperitur de festo, siue officio Sanctificationis, nec priuilegium aliquod ibi legitur, siue clausula, per quam Pontifex eximat prædictos Fratres Prædicatores à communi ritu Ecclesiæ in festo Conceptionis, eiusve officio. Imo Pater Ojeda cap. 7. suæ informationis erudite probat S. Dominicum, & primos eius discipulos coluisse festum Conceptionis. Itaque proprium sensum, & affectum Romanæ Sedis consuetudini prætulerunt.

Sanctificationis vox loco Conceptionis à nullo Pontifice approbata fuit. Iul. III.

Addunt Aduersarij num. 1. prioris libelli: *Fautores Immaculata Conceptionis contendisse apud Gregor. XV: vt præciperet omnibus, quod in celebratione solemnitatis, non alio, quam Conceptionis nomine vterentur, vt cultus esset vniformis, & innuisse Gregorium nomen Conceptionis esse indifferens.* Eiusmodi Fautores exstitere Philippus III. & Philippus IV. per literas ad summum Pontificem, tum & Legatus Hispaniæ, Confessarij Regis & Principis ex ordine Prædicatorum, plurimi Episcopi, & Ecclesiæ Cathedrales, Religiones, Doctores, qui omnes per Epistolas missas, in quibus à Sede Apostolica vltimam huius controuersiæ definitionem humiliter deposcebant, adacti vrgentissima causa, videlicet ob plurima oborta scandala ex Aduersariorū opinione. Vt hæc ergo omnino eradicarentur, expediuit Gregorius XV. indultum, quo silentium indictum est Aduersariis, ac interdictum, ne alio nomine, quam Conceptionis vterentur; non solum vt cultus esset magis vniformis, vt illi aiunt, sed vt omnes colerent sub nomine Conceptionis, sanctitatem B. Virginis in primo animationis instanti, eiusq; à peccato originali præseruationem, vt ex ipsius Decreti verbis ostendimus. Toto autem cœlo à veritatis scopo aberrant Aduersarij, dum confingunt, Gregorium innuisse nomen Conceptionis esse indifferens; cùm nullibi in toto decreto, nec verbo vllo hanc ab Aduersariis confictam indifferentiam innuat in nomine Conceptionis: imo ostendimus in præcedentibus certaminibus celebrari post decretum Gregorianum, sanctitatem B. Virginis in primo instanti animationis; alias quæ scandala Pontifex sustulisset oborta ex diuersitate cultus, si indifferentiam, quæ aderat in nomine Sanctificationis, in nomine Conceptionis reliquisset. Deinde cur Aduersarij nullū non mouerunt lapidem, vt decretum Gregorianum non expediretur? cur silentij indicti relaxationem extorserunt, si propriam sententiam in voce Conceptionis, in ipso diuino officio tenere, & exprimere licebat? Consultius hi facerent si in sententiam piam prorsus defendendam animum applicuissent. Et sanè cauendum illis est, ne excommunicatione lata ab ipso Pontifice ferirentur; benè enim ait Ægidius de Præsent. lib. 3. de præseru. B. Virg. quæst. 6. art. 3. §. 6. n. 54. *Incurreret excommunicationem qui assereret Romanam Ecclesiam solum celebrare sanctificationem in vtero, & spiritualem Conceptionem, non verò illius puritatem ab omni macula, quod in hac materia est diligenter aduertendum.* 526.

Aduersarij falsò confingunt Conceptionis nomen esse indifferens ad sanctificationem ex Gregor. XV.

Opponunt Aduersarij, declarasse Gregoriū XV. in suo illo indulto expressis verbis: *per hoc nullum præiudicium inferri alterutri parti, sed relinqui in eodem statu, ac terminis, quibus erat ante decreti expeditionem.* Verum hæc verba nec minimum Ad- 527.

uerſariis ſubſidium afferunt, quia addit Pontifex illa alia verba: *Præterquam quoad in ſupradicto fælic. recordat. Pauli V. & hoc ſuo decreto diſpoſita.* Sed animaduertendus eſt ſtatus, in quò aduerſariorum opinio relinquatur, vt apertè conſtet, per illam clauſulam de non illato præiudicio, nihil illis fauiſſe Pontificem, circa indifferentiam nominis, *Conceptio.* Vidimus Sixtum IV. in duplici Conſtitutione multum fauiſſe piæ opinioni; circa contrariam autem ſententiam ſolum præcepit ſub excommunicatione, ne vt hæretica damnaretur, nec eius defenſores peccati mortalis reos eſſe quiſquã affirmaret, quia non erat id ab Eccleſia definitum: quas Conſtitutiones confirmauit Alexander VI. & Concilium Tridentinum; noſtra item ſententia validiſſimè roborata fuit per illam clauſulam Concilij Tridentini, qua non comprehendit B. Virginem ſub decreto de peccato originali. Quare ſtatum, & terminos ſententiæ Aduerſariorum à tempore Sixti IV. vſque ad Concilium Tridentinum

Cathar. optimè explicat Catherinus diſputatione ipſi Cõ-

Sententia Aduerſariorũ quem ſtatum ſortita ſit in præſenti. cilio inſcripta parte 2. colum. 111. Fratres Prædicatores alloquens ita: *An putatis, Romanam Eccleſiam, quam reliquæ omnes, vt par eſt, ſectantur, poſtquam ſemel eam celebrationem ex certa ſcientia ſuſcepit, & aliis ſuſcipiendam tradidit, vlla ratione probare poſſe quidquid illi palam, vel priuatim aduerſetur? & ob eam cauſam, ſi vultis veritatem capere, non aliud expreſſo Pontificis verbo vobis indulgetur, quam oppoſitam partem abſque hæreſis nota tenere, cum hoc vnum quod ſcilicet hæretici ſitis, nondum à Romana Eccleſia, & Apoſtolica ſede ſit deciſum. Hoc, inquam, vnicum eſt, quod indulſit vobis Pontifex, vt vel ipſe Spina ex verbis Decretalis aduertit. At quod oppoſitum vel prædicetis, vel doceatis, præſertim mittentes in publicum, (quod citra magnum ſcandalum, & infirmorum conturbationem fieri non poteſt.) Nec permittitur vobis, nec ſtante illo decreto permitti poteſt: quoniam in Apoſtolicæ ſedis iniuriam, & ſpiritum eius, ad nutrienda Zizania, & ſchiſmata redundaret.* Nullus ergo alius ſtatus fuit ſententiæ Aduerſariorum, niſi permiſſionem eam defendendi abſque hæreſis nota, vel peccati lethalis. Pius V. in Conſtitutione, *Super ſpeculam.* addidit, ne quis in concionibus ad populum, vel vbicumque promiſcua virorum, & mulierum multitudo conuenire ſolet, de huius controuerſiæ alterutra parte diſceptet rationibus, vel authoritate propriam ſententiam aſſerendo, & contrariam refel-

Pius V. lendo, aut impugnando. Plus autem fauet Pius V. piæ opinioni, quam Sixtus IV. ex parte, ſiquidem confirmat Extrauagantes *Graue nimis*; & feſtum Conceptionis cum Natiuitatis feſto æquat, & Breuiario inſerit ſub obligatione. In hoc ergo ſta-

Paulus V. tu relicta fuit vtraque ſententia à Pio V. Paulus V. eaſdem Conſtitutiones confirmat; & in decreto S. Inquiſitionis in actibus publicis ſilentium aduerſariis indicit: & ne opinionem contrariam damnare videretur, ſubdit hanc clauſulam Pontifex: *Per huiuſmodi tamen prouiſionem Sanctitas ſua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei vllum prorſus præiudicium inferre, eam relinquens in eodẽ ſtatu, & terminis, in quibus de præſenti reperitur, præterquam quoad ſupra diſpoſita.* Itaque exceptionem de præiudicio ſolum excludere definitiuam ſententiam, perſpicuum apparet ex limitatione Pontificia illa: *Præterquam quoad ſupra diſpoſita.*

Salaz. Merito ergo, ait Salazar, c. 43. per impoſitionem ſilentij in publicis actibus, non parum illi derogatũ. Sentẽtia ergo pia publicè defendi, vbicunq; edoceri celebrariq; poteſt: & oppoſita in eo ſtatu, & terminis manet, vt tanquã hæretica, aut erronea non dãnetur. Denique decretum Greg. XV. indictum ſilentium protendit ad priuata colloquia, & ſcripta, ex quibus etiam ſcandala occaſione opinionis minus piæ oriebantur. Status igitur ad quem deuenit aduerſariorum opinio poſt decretum Gregorij XV. eiuſmodi eſt, vt non poſſit hæreſis, aut erroris nota aduri, nec de ea publicè, vel priuatim agi, & qui eam tenent, etiam teneantur celebrare feſtum, quod colit Eccleſia Romana ſub eodem nomine Conceptionis. Tunc autem præiudicium inferretur aduerſariorum opinioni, quando quiſpiam eam damnaret, aut aliqua alia graui cenſura à ſummo Pontifice prohibita feriret.

Sed his non acquieſcit Franciſc. de Araujo tom. 528.
t. in 1. 2. q. 81. a. 3. pag. mihi 323. Vbi contendit per Araujo.
cultum feſti Conceptionis, neminem adigi ad mutandã propriam opinionem; & ſubdit: *in cuius ſignũ Apoſtolica ſedes feſtum ipſum Cõceptionis, noluit ſub nomine* Immaculatæ, *niſi tantum ſub nomine Conceptionis ſimpliciter indicere celebrandum, & ſi ad primum fuerit rogatus non ſegniter ab Excellentiſſimo duce de Alcala Catholici Regis Legato, ad pedum oſculationem, & obedientiam præſtandam, Romam miſſo, ſanctiſſimus Vrbanus VIII reſpondiſſe fertur, nolens ſoltem hoc præiudicio, alteram opinionem affirmantem contra ſuorum Prædeceſſorum decreta maculares.* Idẽ inculcat prior libellus. Verum neque Araujo, nec libelli ſupplices nobis exponunt, à quo Principe, Rege, Vniuerſitate, Cathedrali id in mandatis habuerit præfatus Legatus, neque vllum producũt teſtimonium illius Pontificij reſponſi; nec vllum exhibent authenticum inſtrumentum: vnde fides ſolum eſt penes dicentes. Nos autem conſtanter aſſerimus dubitari non poſſe à tota Eccleſia Catholica coli idem ſub nomine Conceptionis ſanctæ, quod ab aliis Eccleſiis maximè à Religionibus ſub nomine Conceptionis erectis; conſtat autem ab his ſub nomine Conceptionis Immaculatæ celebrari. Et quidem ſi iuxta mentem Aduerſariorum reſpondiſſet Vrbanus VIII. potius à veſtigiis prædeceſſorũ Pontificum receſſiſſet: nullus enim ſummus Pontifex vnquam dixit in aliquo inſtrumento authentico, ſe vtramq; opinionẽ in ſua probabilitate relinquere. Omnes autem à Sixto IV. vt monuimus, feſtum Conceptionis Immaculatæ priuilegiis, ac gratiis cohoneſtarunt, vt late oſtendimus.

Subdit libellus prior n. 3. attente poſt Greg. XV. 529.
cautum feciſſe, ne adderetur titulus, *Immaculata,* Conceptioni, ſed Virgini: id quidem dicunt, ſed nõ probant, quia vtique non poſſunt; cum ipſemet Greg. indulta Pontificia confirmauerit, in quibus, vt ſupra vidimus, legitur titulus *Immaculatæ Conceptionis*: ſed de hoc ſtatim ſermo redibit. Quod ſubiiciunt æquo animo ferendum non eſt; nempe, noſtrum intentum eſſe populis perſuadere Eccleſiam præſeruationem definiuiſſe, quod mera impoſtura eſt, cum extent plura ſcripta publicè in lucem edita poſt Decretũ Gregorij XV. quæ enixè poſtulant à ſummo Chriſti Vicario vltimam definitionẽ piæ opinionis. Qui ergo fieri poteſt, vt populis perſuadeant piam opinionem eſſe iam definitam, qui coram toto orbe publicè, & priuatim, omni conanatu, ac viribus à ſummo Pontifice vt definiatur, expoſcunt. Aduerſarij ergo de calumnia in Aſſertores piæ opinionis iactata redarguuntur; quia tantum abeſt, vt piam opinionem definitam eſſe iactitent, vt potius indoctum vulgus pro roſtris, & ſuggeſtibus, tum & in priuatis

collo

colloquiis de rei veritate frequentius admoneant, & gradum certitudinis, quam nacta fuerit hodie opinio pia; non vero de fide definitionem persuadeant, ac pluribus argumentis euincant. Falluntur autem egregie, dum aiunt Pontifices recitatiue solum, non vero enunciatiue approbando, & confirmando, visos fuisse titulo Immaculatæ Conceptionis. Sciendum autem est, tunc recitatiue solum aliquid dici, quando tantum refertur quod ab aliis dictū est, non affirmando, aut approbando rectè ne, an non illud dictum, sed solum simpliciter proponendo. Enunciatiue tunc dicitur aliquid, cum quis verbis suum exprimit sensum. Tunc aliquid dicitur dispositiue, cum in ordinem redigitur quid faciendum, vel sentiendum sit. Demum illud approbatiue profertur, cum id quod verbis dicitur, rectè dictum esse affirmatur. Modo sic lubet Aduersarios reuincere, qui nobiscum admittunt in Bullis Pontificiis haberi recitatiue titulum Immaculatæ Conceptionis: quod autē Pontifices enunciatiue & approbatiuè titulū Immaculatæ Conceptionis protulerint, modo probandum, scilicet ex mente propria, & cum approbatione. Sixt. ergo IV. in Extrauaganti *Graue nimis*. Iuri affixa Canonico; quorundam Concionatorum propositiones damnans sic habet: *Eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes peccare grauiter. Assertiones prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent, eos qui crederent, aut tenerent, eandem Dei Genitricem ab originali peccati macula in sua Conceptione præseruatam fuisse; propterea alicuius hæresis labe pollutos esse, vel mortaliter peccare, aut huiusmodi officium Conceptionis celebrantes, seu huiusmodi sermones audientes, aliquos peccati reatum incurrere; vtpote falsas, & erroneas, & à veritate penitus alienas &c. Apostolica authoritate reprobamus, & damnamus.* Expendenda sunt verba illa: *Huiusmodi officium Conceptionis*, quæ cum dicant ordinem per particulam, *huiusmodi*, ad illa priora verba: *Immaculatæ Conceptionis officium*. Compertum est summum Pontificem enunciatiue affirmare titulum *Immaculatæ* affixum Conceptioni. Item ibi defendit Pontifex Assertores præseruationis, qui vtebantur eiusmodi officio Conceptionis, in quo Conceptio Immaculata prædicatur; & eos damnat Pontifex, qui asserebant, delinquere lethaliter recitantes officium Immaculatæ Conceptionis; ait enim: *Cum Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione, publicè festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit.* Infertur ergo titulum Immaculatæ Conceptionis approbari, enunciari, & à se ordinari, ac disponi, vt patet in Constitutione *Cum præexcelsa*. Et ex aliis indultis supra citatis. Cumque Constitutio posterior. *Graue nimis*, confirmata fuerit, vt vidimus, ab Alexandro VI. à Concilio Trid. à Pio V. à Paulo V. & tandem à Greg. XV. satis constare potest eos omnes Pontifices, tum & ipsum Conciliū enunciatiue, & approbatiue titulū Immaculatæ Cōceptionis protulisse.

Pontifices non solum recitatiue, sed etiam enunciatiuè approbando vsi sunt titulo Immaculatæ Conceptionis.

Sixt. IV.

530. Ad sunt & alia non minus efficacia argumenta hoc idem roborantia. Siquidem Innocentius VIII. & Iulius II. approbarunt Religionem Monialium ex vi regulæ, & proprij instituti colentium Immaculatam Dei Genitricis Conceptionem; sed enim Institutum, in quo continetur titulus ille quasi basis illius normæ viuendi, dispositiue inseritur Constitutioni Pontificiæ, approbatur, & confirmatur ab ipsis Pontificibus. Exstat etiam indultum Leonis X. vbi hæc habentur perspicua verba: *Pia Christi fidelium, & præsertim ad Immaculatã Conceptionis B. Mariæ Virginis Redemptoris nostri, & humanæ salutis Autoris D. N. Iesu Christi Genitricis honorem tendentia vota, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, & fauoribus prosequimur opportunis.* Hic non recitatiue, sed ex mente propria titulum Immaculatæ Conceptionis enunciauit Pontifex, & enunciando approbauit. Aliud etiam exstat diploma eiusdem Pontificis, (vtrumque autem reperies in Regesto Armament. Seraph. primum in colum. 141. secundū in colum. 164.) in hoc vltimo ait Pontifex: *Quia nuper accepimus, nonnulla in partibus Hispaniarum monasteria Monialium Ordinis Immaculatæ Conceptionis Virginis Mariæ, sub vestra obedientia diu nostraque Altissimo famulatum præstare.* Et postmodum eisdem monialibus Conceptionis, in eadem obedientia permanentibus, plures fauores, & gratias dilargitur: vbi perspicue approbat viuendi rationem sub famulatu Immaculatæ Conceptionis. Præterea omnes Pontifices, qui approbarunt sub speciali forma officia, in quibus Conceptio B. Virginis asseritur Immaculata, eiusmodi titulum simul approbarunt; cum hæc officia inscribantur titulo Immaculatæ Conceptionis, & ex eo solum sint ordinata, & instituta, vt colatur, ac veneretur Immaculata Conceptio Virginis Deiparæ. Sub his terminis Sixtus IV. approbauit officium Leonardi Nogarolis, & aliud compositum à Bernardino de Bustos. Item Innocentius VIII. Bulla incipiente, *Inter innumera &c.* Iulius II. in Bulla quæ incipit: *Ad statum prosperum &c.* 531.

Innoc. VIII.
Iul. II.
Leo. X.

Armament. Seraph.

In eodem numero 3. Aduersarij nimio agitantur zelo pro Ecclesiæ authoritate, dum verentur erroris, aut assensus falsi periculum in defendenda doctrina, licet non definita, tamen approbata ab Ecclesia solemni officio, Religionum erectione, indulgentiis, & fauoribus, ad maximum certitudinis gradum si fidei diuinæ demas, euectam. Iuuat nunc ab eis hunc vanum timorem excutere verbis Catherini disp. pro Immaculata Conceptione ad Concilium Trident. parte 2. colum. 113. *Definite, ait, eloquens suos Fratres Prædicatores, trepidare timore, vbi iam sublatus est timor omnis, & considerate ad Catholicam, & vobis opportunius seruientem sanctissimi illius Abbatis Bernardi sententiam. Ego, inquit ille, quod ab illa accepi, securus teneo, & trado; accipite & vos, & securi teneatis, & tradatis; alioquin quis nos iudicabit, vos illas authoritate contra eiusdem authoritatem abutit. Verum & vos in angustum concludam, interrogo vos. Putatis ne in hac celebratione, quam Romana tradit Ecclesia, & Tridentinum Concilium confirmauit, vllum esse peccatum, seu peccati periculum, an non? Si primum asseritis, eiusmodi assertio iampridem ad perstringendam eorum temeritatem, qui ita blasphemabant secure damnata est ab illa Sede in secunda Decretali, Graue nimis; vt falsa, & erronea, ac penitus à veritate aliena; & quicumque illam asserit, sententia prosternitur anathematis. Sin autem hoc asserere non potestis, hoc audetis; quid ergo causæ assignari à vobis potest, cur in tam piam, & securam sententiam cum reliquo Christiano orbe non concurritis? Profecto non alia fingi causa potest, nisi quod saltem vestra repugnantia contestamini, intesse peccatum sic celebrare, ac propterea turpissime, & grauissime peccare Ecclesiam Dei, qua cum sit Mater omnium, & magistra, non solum celebrando peccat, verum etiā talem celebrationē proponens aliis peccati materiā præbet. Itaq; constituitis vosmetipsos censores, & iudices tantæ Sedis, & omniū Ecclesiarū,* &

Cathar.

& Ordinum, & Vniuersitatum, quæ à vobis, vt nostis aperte toto corde dissentiunt; nec Ecclesia definitionem, quæ hunc vestrum sensum satadandum damnauit, tenetis; cuius sententiam, quam & Tridentina Synodus, vt diximus, comprobauit, contemnitis. Quid aptius excogitari posset ad teuincendam aduersariorum calumniam toto illo num. 3. libelli supplicis sparsam.

532. *Sententia minus pia nequit iam de fide definiri.* Falsitatis autem redarguuntur illæ propositiones ab aduersariis prolatæ num. illo 3. nempe: *Cum igitur opinio præseruationis Deiparæ à peccato originali dubia sit, & oppositum ab Ecclesia possit definiri.* Quia præseruatio Deiparæ à peccato originali celebratur ab Ecclesia, ergo est certa, & non dubia. Deinde Ecclesia iam declarauit, falsum, erroneum, & à veritate penitus alienum esse, affirmare piam opinionem esse hæreticam, vt videre est in Extrauaganti *Graue nimis.* ergo nequit illam vt hæreticam damnare, ac proinde neque oppositam definire. Apertissime summi Pontifices, vt vidimus, piam opinionem paterna benignitate fouent, honorant, fauoribus cohonestant, longe ergo absunt à prouidendo ex sui officij, ac muneris debito, vt præseruationis doctrina damnetur, qua igitur spe gaudere possunt Aduersarij, futurum vt Ecclesia aliquando Immaculatæ Conceptionis titulum abdicat: imo non inuita, nec coacta, sed propria sponte, & diuinitus edocta præseruationis cultum, ac titulum Immaculatæ Conceptionis sinu suo fouet, & amplectitur, sua authoritate sanxit, indultis roborat, ad illum inuitat, ac fauoribus allicit.

533. *Greg. XV.* Immerito ergo author libelli n. 4. docet solum permitti ab Ecclesia titulum Immaculatæ Conceptionis, siquidem Gregorius XV. festum quod sub nomine Conceptionis antea colebatur, ad omnem Ecclesiam protendi voluit: at hoc festum ante Gregorium Immaculatæ Conceptioni sacratum erat; erectæ & Religiones in Conceptionis Immaculatæ cultum; perperam ergo Aduersarij solam huius tituli permissionem admittunt, cum nos supra ex variis indultis, eiusdem tituli pontificiam approbationem ostenderimus. Subiungit libellus n. 5. iure cautum esse, ne in officio Ecclesiastico, seu pontificiis Constitutionibus addatur terminus *Immaculata.* Quæ verba duplicem sensum sortiri possunt, vox enim, *cautum,* sumi potest pro interdicto, seu vetito, vt cum aliquid Pontificio diplomate cauetur: quo sensu nullo modo dici potest cautum, seu prohibitum fuisse, ne vteremur titulo Immaculatæ Conceptionis, cum nulla exstet lex, Constitutio, vel præceptum Pontificium id prohibens; imo è contra plurima retulimus indulta Pontificia eiusmodi titulum approbantia, & confirmantia. Assertum autem decretum Sacræ Romanæ vniuersalis Inquisitionis supra pluribus argumentis surreptionis coarguimus. Alio sensu vox, *cautum,* accipi potest, pro caute prætermisso; in hoc etiam sensu falsum asserunt Aduersarij, nulla enim legitima probatione innituntur, imo neque verisimilibus ducuntur coniecturis, sin minus proferant rescriptum aliquod, vel clausulam, per quam constet summos Pontifices cauisse à titulo Immaculatæ Conceptionis, vt à re falsa, dubia, vel incerta; imo vidimus plerosque Pontifices in Bullis, & in diuino officio titulum Immaculatæ Conceptionis enunciando, & approbando protulisse. Nec enim vbicunque non legitur, per cautelam omittitur, sed vel breuitatis, vel honoris causa; sic dicimus, Natiuitas, Præsentatio, Assumptio B. Mariæ, absolute, sine aliquo adiuncto.

CERTAMEN VI.

Occurritur his, quæ afferunt Aduersarij in posteriori supplici libello.

Posterior supplex libellus Aduersariorum supra à numero 8. transcriptus, quasi prohibere vult scrutari veritatem asserti, vel potius surreptitij Decreti. Imo licet constaret, Decretum esse legitimum, ac legitime promulgatum, adhuc aditus intercludi non solet humili supplicationi; & sæpius adeo iustæ, ac rationabiles causæ interponi possunt; quæ obligent vt à legislatore precibus agamus, vt legem reuocet, quibus interpositis suspendi potest obligatio obseruandi legem, donec iterum de voluntate legislatoris plene constiterit. Videndus Suarius lib. 4. de legibus c. 16. n. 5. Quod vero in præsenti grauissimæ rationes vigeant, nempe scandala, seditiones, tumultusque exorituri statim atque prædictum assertum decretum executioni mandaretur, quis non videat? Deinde æquissima supplicationis causa censetur à Doctoribus, quando maxima difficultas ex noua aliqua lege, & ex eius obseruatione emergit. Nobis igitur liceat per aduersarios diligenti examini assertum Decretum subiicere, vt quotiescunque illud legitimum fuisse, & legitime promulgatum constiterit, captiuemus submisse nostrum intellectum in obsequium Sedis Apostolicæ. In reliquis huius libelli numeris nihil peculiare reperitur vsque ad numer. 12. cui non fuerit in superioribus abunde responsum. 534. *Suar.*

Numero 12. aiunt Aduersarij ipsis iniunctum à sede Apostolica, vocem *Sanctificationis* in officio non assumere, nobis autem etiam præceptum fuisse, vt nuda voce *Conceptionis* vtamur. Falluntur Aduersarij, cum enim cuilibet libeat, vt ostendimus, vti officio Conceptionis Leonardi Nogarolis, & aliis, vbi Conceptio sæpe Immaculata prædicatur, cumque id officium recitantes fauoribus, & indulgentiis cohonestent summi Pontifices, ergo non solum nobis non iniungitur, ne titulo Immaculatæ Conceptionis vtamur, quin potius ad illum titulum frequenter repetendum allicimur ab ipsis summis Pontificibus. Immerito igitur Aduersarij, quod in gratiam & fauorem Assertorum piæ opinionis concessum fuit, in eorundem dispendium detorquent. Quod vero subiungunt n. 13. post Gregorium XV. non idem sonare *Conceptionem,* ac *immaculatam Conceptionem*; respondemus, quantumuis distinguantur tempora, & computentur anni, & post subductam rationem, assignare debent Aduersarij, quo tempore, vel anno Sedes Apostolica Festum consecrauerit rei non sanctæ: si autem ante, & post Gregorium celebratum fuit festum Conceptionis, non spiritualis, sed naturalis; hæc autem non vt informis embrio, sed in primo instanti animationis, in quo etiam fuit B. Virgo per gratiam sanctificantem præseruata ab omni culpa originali; adeoque semper Conceptio Immaculata ab Ecclesia celebrata fuit. 535. *Pontifices allicimunt, & inuitant fideles vt vtantur titulo Immaculatæ Conceptionis.* *Conceptio nunc idem sonat, atque Immaculata Conceptio.*

In num. 14. & 15. miror valde adeo inanibus, & futilibus rationibus, vel potius argutiis, ita Sedis Apostolicæ authoritati detrahi; si enim vt Aduersarij contendunt per Greg. IV. Diploma, Extrauagans vtraque Sixti IV. ac pœnæ in eis con- 536.

tentæ

tentæ abrogantur; vtique propositiones ibi damnatæ, tam poterunt iterum palam, & impunè affirmari; videlicet peccare grauiter eum, qui immaculatæ Conceptioois officium recitauerit. Deinde quid illos impulit, vt in dubium reuocarent valorem Constitutionun toties à Sede Apostolica nouitus confirmatarum; præsertim cum ipsemet Gregorius per nouum decretũ confirmauerit Constitutioues ipsas Sixti IV. ac sub pœnis grauissimis prohibuerit, ne opinio pia hæretica dici posset, quia Romana Ecclesia festum solemne celebrat, & speciale officium ordinat de Conceptione B. Virginis. Vim modo argumenti Aduersariorum videamus. Sic ergo arguunt: *Nomen Conceptionis, quo ex decreto Gregorij vti debemus, compatitur in habente sententiam negantẽ immaculatam fuisse: ergo non est nomen, cui apponendum sit adiectiuum, Immaculata: ergo si proferam. Conceptio Immaculata. vtor alio nomine, quam Conceptionis: ergo si recitem officium Nogarolij. Decretum Gregorianum frango.* Hæc libellus posterior num. 15. Inerme prorsus argumentum: quod si aliquid euinceret, eadem ratione euinceret aduersus Officium Romanum Conceptionis ab vniuersa Ecclesia receptum, & die 8. Decembris recitari solitum ex eiusdem Gregorij Decreto. Quod eisdem verbis, quibus vtuntur authores libelli, sic efformo: nomen Conceptionis, quo ex decreto Gregorij vti debemus, rectè stare potest cum sententia negante Conceptionem Dei Genitricis dignissimam, & sanctam ergo oon est nnmen, cui affiigenda sint adiectiua, *Dignissima*, & *Sancta*: ergo si recitem Officium Romanum, Decretum Gregorianum Frango. En omnem argumenti vim retortam in officium Conceptionis Romanum, in quo prædicatur Conceptio B. Virginis dignissima, & sancta. Malè igitur inferunt illi dum aiunt: *Officium illud videtur non esse recitandum amplius: nam expresse alio vtitur, quam Conceptionis nomine, hoc est præseruationis, & Immaculatæ Conceptionis.* cùm idẽ Gregor. non abstulerit epithetum *Sancta, & Dignissima*; diximus enim Conceptionem naturalem B. Virginis sine præseruatione, & sanctitate, materiam esse noo posse festiui cultus, vt bene probat D. Bernardus epistola ad Canonicos Ludugnenses.

Officiũ Leon. Nogarolij de Conceptione B. Virg. perperam ab aduersarijs de medio tolli contenditur.

537. Multum negotij facessit Aduersariis officium Leonardi Nogarolij, eosque multum pungit, & angit; adeóque vt illud è medio tollant, omnes vires admouent, sed in cassum, cum eius ordinationem, piam, deuotam, ac laudabilem Summus Pontifex nuncupauerit; eamque indulgentiis prosequutus fuerit, & à se profectam professus est in Cõstitutione Cũ *Praexcelsa*. Quę Cõstitutio postea à Synodo Tridentina confirmata fuit. Audieoda iterum verba Extrauagantis Sixti IV. *Sane cùm sancta Romana Ecclesia de intemerata semperque Virginis Maria Conceptione publice festum solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinauerit; nonnulli, vt accepimus, affirmare non erubuerunt, eiusdem Immaculata Conceptionis Officium celebrantes, peccare grauiter: &c.* Vbi apertis verbis damnat impugnatores festi, & officij Conceptionis ab ipso ordinati: quam censuram alij Pontifices cum Concilio Tridentino confirmant; approbant ergo Officium illud Conceptionis vt pium, & laudabile, & à Romana Sede profectum. Ostendant autem Antagnnistæ, vbinam Gregorius XV. hoc Officium prohibuerit; prohibitio enim vtendi alio nomine quàm Conceptionis, non tollit epithetum Immaculatæ, sed solùm dirigitur ad aduersarios, ne nomine *Sanctificationis* in posterum vtantur. Per quæ, responsum manet his, quæ ab aduersariis proferuntur in *poster. libel. num.* 16. 17. & 18. Quæ autem iactant Aduersarij *numeris* 19. 20. & 21. mera conuitia sunt; ac proinde surdis auribus excipienda, ac prætermittenda tanquam responsione indigna; præsertim cùm in superioribus abundè illis satisfecerimus.

Officium Immaculatæ Conceptionis compactũ à Leonardo Nogarolio ab Ecclesia est approbatum.

Sixtus IV.

538. Hoc loco consuetudo Ecclesiæ Catholicæ stabilienda est aduersùs ea, quæ Libellus supplex *n.* 22. producit. Affirmamus ergo in Ecclesia Catholica esse legitimam consuetudinem colendi solemni festo B. Virginis immunitatem ab originali peccato; cuius rei fideiussores habemus summos Pontifices, nec solùm consuetudine nitimur, sed etiam positiua lege, vt pluribus ostendimus suprà, pluribus argumentis, & instrumentis Pontificum authenticis productis, quæ efficaciter probant Romana Ecclesia ante plus minus trecentos annos celebratam fuisse Conceptionem B. Virginis in sensu præseruationis, vt probat Concilium Basileense, cui saltem ea fides adhibenda est, quæ adhiberi solet Historiæ authenticæ. Ait ergo Concilium celebratum anno 1439. *consuetudinem celebrandi sanctam Virginis Conceptionem, tam per Romanam, quàm per alias Ecclesias, antiquam esse, atque laudabilem*, eandem consuetudinem sub voce *Conceptionis*, & sensu præseruationis, probant validissimis rationibus Baccon in 4. d. 2. quæst. 9. art. 3. Ægidius à præsentatione lib. 3. quæst. 6. art. 1. §. 4. n. 21. Salaz. de Concept. cap. 34. Ojeda, & Pineda, & Granad. de Concepr. vltra hanc legitimam consuetudinem, adest lex Pontificia non præcipiens, teneri præseruationis mysterium tanquam certum fide diuina, sed inhibens interpretari sensum huius celebrationis festi de sola spiritali Conceptione, vel Sanctificatione; & ex consequenti declarat, & intelligit Ecclesia, celebrari hoc festum in honorem B. Virginis à peccato originali immunis, vt eruditè expendit Catharinus affigens hunc titulum parti secundæ suæ disputationis ad Concil. Trident. *Pars secunda, in qua ostenditur omnes fideles teneri ad celebrandum diem festum Immaculate Conceptionis B. Virginis, sub ipsemet titulo Immaculata Conceptionis, & iuxta sensum Pontificio decreto expressum.* Tunc aotem nondum extabat præceptum celebrandi hoc festum, sed non celebrandi in alio sensu, & significatu, quàm à Sede Romana concessum erat. Postea verò Pius V. iussit festum Conceptionis celebrari, & Gregnrius XV. alio vti nomine, præter *Conceptionem*, inhibuit; ac proinde tenentur omnes ad cultum sanctæ, vel Immaculatæ Conceptionis, siue sub his, siue sub aliis epithetis idem sonantibus, in quo Ecclesiæ consuetudinẽ sanctorum Patrum authoritati præferimus, si verum esset sanctos Patres consuetudini totius Ecclesiæ aduersari: In qua re sancti Thomæ vestigiis inhæremus 3. part. quæst. 68. art. 10. & 2. 2. quæst. 10. art. 12. hæc affirmantis: *Dicendum est quòd maximam habet authoritatem Ecclesia consuetudo, quæ in omnibus imitanda est; quia & ipsa Catholicorum doctrina doctorum ab Ecclesia authoritatem habet: Vnde magis standum est authoritati Ecclesia, quàm Augustini, vel Hieronymi, vel alterius cuiuscumque Doctoris.* Quod magis vrget, si perpenderimus Angelicum Doctorem sermonem habere de consuetudine Ecclesiæ adhuc sub præcepto nondum stabilita, sed vsu tantùm recepta. Plus addit Caietanus 3. part. q. 74. art. 3. nempe particularium Ecclesiarum vsus, &

Conc. Basil.

Baccon. Ægid. Salaz. Ojeda. Pineda. Granad.

Cathar.

D. Thom.

Standum est consuetudini Ecclesiæ nondum præcepto stabilitæ, potius quam SS. Patrum authoritati.

Caiet.

conſuetudines, multorum Doctorum ſententiis præponendas eſſe. *Propter authoritatem*, ait, *Spiritus ſancti gubernantis Eccleſiam; nam ob ſimiles particulares conſuetudines venerabiliter ſuſtinent Theologi, plures Sacerdotes conſecrare eamdem hoſtiam*, in quo aſſectantur D. Thomam 2.2. q. 93. art. 1. vbi ait: *Diuerſas Eccleſiæ conſuetudines in cultu Diuino in nullo repugnare veritati.* In noſtro autem euentu maior ineſt vis, ac robur; quia Patres non ſolùm non aduerſantur huic cultui; imò vnanimi conſenſu adhæreſcunt. Quòd autem hæc ſit legitimè inuecta conſuetudo, ſatis apparet, cùm nulla ex conditionibus requiſitis deſideretur. Nihil aliud D. Thomas, & reliqui antiqui Doctores cum D.Bernardo epiſt illa ad Canon. Lugdun. requirebant ad ſuſtinendam, & colendam immunitatem ab originali in B.Virgine, niſi vt ab Eccleſia Romana Conceptionis feſtum coleretur.

D.Thom.

539. Hìc habendæ gratiæ à nobis libelli ſupplicis Authoribus, quòd *num.*23. arma nobis ſuppeditent ex Patrum armamentario, quibus eos iugulemus. Aiunt ergo perpetuam, & inconcuſſam eſſe Eccleſiæ ſanctæ conſuetudinem non celebrandi niſi certam, & indubitatam ſanctitatem, quod liquidò conſtat ex D. Bernardo, S.Ildeph. S.Thoma qui vnica ducti ratione, Natiuitatem B.Mariæ Sanctam fuiſſe affirmant, quia Eccleſia eam ab antiquo celebrat: ſi ergo ex Feſti Natiuitatis celebratione ab Eccleſia Romana legitime Sanctitas B. Virginis Natiuitatis infertur; ergo ex Feſti Conceptionis celebratione, Sanctitas eiuſdem Conceptionis Marianæ ſolidè inferri poteſt. Conducunt valde ad huius argumenti vim roborandam verba S.Ildephonſi tom.7. Bibliothecæ PP. edit. Colon. ann.1618.pag.449. vbi ſanctiſſimus Præſul ſic fatur: *Beata Virgo niſi in vtero Matris Sanctificata eſſet, minime eius Natiuitas colenda eſſet; nunc autem quia ex auctoritate totius Eccleſiæ veneratur, conſtat eam ab omni originali peccato immunem fuiſſe, per quam non ſolùm maledictio matris ſuæ ſoluta eſt, verum etiam & benedictio omnibus condonata.* Audiamus etiam Bernardum in Epiſt.cit. *Ortum*, inquit, *Virginis didici in Eccleſia, & ab Eccleſia indubitanter habere feſtiuum, atque ſanctum, firmiſſimè cum Eccleſia ſentiens eam accepiſſe in vtero, vt Sancta prodiret.* Subiungamus verba S. Th.3. p: q.27. a.1. vbi hæc habet: *Sed contra eſt quod Eccleſia celebrat Natiuitatem B.Virginis; non autem celebratur feſtum in Eccleſia, niſi pro aliquo ſancto; ergo B.Virgo in ſua Natiuitate fuit ſancta; ergo in vtero ſanctificata.* Ex hac igitur ſanctorum PP. pharetra, iacula in aduerſarios contorquemus. Exagitabatur olim controuerſia de admittendo, vel non admittendo Conceptionis B.Virginis Feſto, antequam Eccleſia Romana illud admitteret; inde ergo ſumebat argumentum S. Bernardus Canonicos redarguens Lugdun.his verbis; *Miramur quod viſum fuerit hoc tempore quibuſdam veſtrûm voluiſſe mutare colorem optimum, nouam inducendo celebritatem, quam ritus Eccleſiæ neſcit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio.* Quæ omnia contendunt, vt ſine Romanæ Sedis conſenſu noua feſta nullo modo admittantur. Poſtquam verò Eccleſia Feſtum aliquod celebrat, cùm non poſſit, in rebus ad cultum diuinum ſpectantibus, à veritatis ſcopo recedere, æquum eſt, vt Eccleſia Vniuerſalis Eccleſiæ Romanæ conformetur: quia iuxta Bernardi dictum, *quod ab Eccleſia accepi, ſecurus teneo, & trado.*

Eccleſia nunquam celebrat niſi certam, & indubitatam ſanctitatem.

Ildeph.

Bern.

D. Thom.

Bern.

540. Sed effugium ſibi parant Aduerſarij, nobis ſæpiùs obiicientes, *Nunquam dici poſſe, ex Eccleſiæ ſenſu celebrari Conceptionem in primo inſtanti Immaculatam; hoc enim adhuc eſt indefinitum, atque adeo dubitationi ſubiectum.* Suprà iam hoc effugium præcluſimus. Nunc iuuat ab illis veſtigare, an ex Eccleſiæ mente colatur Natiuitas B. Virginis in primo inſtanti ſancta, quidquid enim ad myſterij celebrationem conducit, fatendum eſt eſſe Sanctum; vt ex Bernardo, Ildephonſo, Thoma, oſtenſum eſt; illi enim ex Natiuitatis feſto ſanctitatem B.Virginis non ſolùm naſcentis, ſed in materno vtero adhuc deliteſcentis pro certo conſtabiliebant; ergo Conceptio, quæ non tempore diuiſibili, ſicut Natiuitas, ſed vnico inſtanti perficitur, tota Immaculata dicenda eſt, alioquin tota maculata dicetur, adeóque videretur Eccleſia, teſte Bernardo, honorare peccatum. Neque aliquid illis fauet Eccleſia, quod liberum illis linquat aſſenſum, neque ſub præcepto ad id credendum eos cogat; permiſſio enim contrarij aſſenſus non obeſt certitudini cultus. Rectè eos perſtringit Catharinus, quo ad hanc partem *lib.*2. pro Immaculata Conceptione fol.61. hæc illis obiiciens: *Sed aiunt quidam; non ſumus Heretici, ſi non ſequimur in hoc ſenſum Eccleſiæ; cautum eſt enim, ne quis nos hæreſis nomine damnet, ſi aliter ſapiamus quàm illa receperit; Non nego: ſed illa vt pia, & ſuauiſſima Mater non conſueuit repente vinculis præceptorum filios adſtringere, ne forte ad contumaciam, & rebellionem prouocaret. Sic enim, vt Auguſtinus eleganter dixit, multitudinibus per ſchiſmata, & hæreſes pereuntibus plerumque ſubuenire ſolet: piorum autem filiorum non eſt in omnibus expectare præceptum, & interim eius indulgentia, & benignitate abuti, idque ad elationis ſuæ malum conuertere, quod ipſa tolerat propter pacis bonum.* Nihil aptius quoad præſens intentum dici, excogitarive poſſet. Sed rurſus voces ingeminat idem illuſtriſſimus Præſul Amb. Catharinus, eos admonens tanquam fratres in Chriſto chariſſimos, vt Eccleſiæ vniuerſali in celebrando Conceptionis Feſto, ſenſu ab Eccleſia intento, adhæreſcant. Ait ergo diſp.pro Immaculata Conceptione ad Concilium Trident. p.1. colum. 102. *Re vera hic vnus eſt in fide noſtra lapſus grauiſſimus, & præcipuum periculum, ſi Romana auctoritatem Eccleſiæ ſinimus apud nos periclitari. Hinc enim, vt eleganter ſcribit B.Cyprianus, ſchiſmata, & hæreſes oriuntur, quia vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti non cogitatur. Quod ſi patimur, ô Patres, hanc perſuaſionem inualeſcere, & apud eos etiam vigere, qui ſe maximè Catholicos profitentur, certe (quod cum dolore dico, dicam tamen quia verum eſt) Lutherana ſecta, imo communi omnium hæreticorum errori perniciosiſſime fauemus; nam in hanc petram, in omni ſuo dogmate impingunt, omnia reſpuentes, quæ ab ipſa fiunt ſine Dei verbo, vt aiunt, expreſſo. Quid ſi quis obiiciat illos, minus irrationabiliter, quàm vos in hac parte loqui? nihil enim non certum admitti volunt in cultu Dei; quod quidem ſapienter dicitur, propter periculum idololatriæ; quo ſtante, in eo ſolùm aberrant, quod nihil certum eſſe arbitrantur, etiam ab Eccleſia probatum, niſi fuerint verbo Dei, & in Scripturis expreſſum; ideóque totam Eccleſiæ faciem deturpant. Vos autem dum in iis ordinandis, atque inſtituendis aberrare poſſe Romanam & vniuerſalem Eccleſiam exiſtimatis, ac de facto in hac celebritate aberrare contenditis, incertum nobis omnem Diuinum cultum redditis, & nutantem facitis Chriſtianam fidem, quam præcipuè in diuino cultu*

profite

Cathar.

Cathar. *Aduerſarij perſtringuntur verbis grauiſſimis Catharini.*

Cypr.

profitemur, atque protestamur. Minus autem insipienter erraretis, nullos penitus cultus admittendo, quos Ecclesia instituit absque verbo Dei expresso,(vt habet Lutheranorum dogma) quam illos admittendo, fateri simul posse, eos esse mendaces, vt cuique liceat ad libitum, vel admittere, vel negare absque fidei nostræ præiudicio, & scandalo. Mauult enim penitus non coli Deum, qui summa est Veritas, quam mendacibus coli cultibus, aut incertis. Quæ verba optimè in Auctores libellorum quadrant; qui præseruationem ab originali in B.Virgine dubiam vocant, quam ab Ecclesia celebrari, ex pluribus Pontificiis indultis apertè constat.

541. Bellarm.

Num. 24 libellus abutitur auctoritate Cardinalis Bellarmini, & parum fideliter illum recenset; qui quidem tom.3. lib.4. de amiss. grat. c.15. piam opinionem tenaciter, ac strenuè propugnat, vt fidelissimus Societatis Iesu miles; deinde inserit Cathechismo puerorum à Sede Romana approbato immunitatem B. Virginis ab originali labe. Quæ verò afferuntur *num.*25.*&* 26. ex superioribus affatim refelluntur. Quæ autem scribit Libellus *num.*27.*in fine*, nempe ante diffinitionem abstinendum nobis à voce *Immaculata*, Reiicimus, imò amplius, & frequentius in posterum ingeminabimus titulum honorificentissimum, *Immaculatæ*; & quidem aduersarij suis obiectionibus calcar addunt currenti. Et quidem inficiari iure nemo potest ante huius controuersiæ diffinitionem, positiuè approbatum fuisse ab Ecclesia Officium proprium Immaculatæ Conceptionis, vt supra ostensum est; Ante diffinitionem approbata fuit etiam ab Ecclesia emissio votorum essentialium Religionis in obsequium Immaculatæ Conceptionis; Indulgentiæ item concessæ à Paulo V. recitantibus Antiphonam, *Hæc est Virga, in qua nec nodus originalis &c.* cum illa Oratione *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem &c.* Qui omnes actus sunt positiui, & Ecclesiæ approbationes vocis *Immaculatæ*, ante controuersiæ definitionem; ergo nulla ratione abstinendum à voce *Immaculata* ante definitionem, sed sæpiùs ingeminanda, & priuatim, ac publicè repetenda, cum simus in legitima illius possessione ab ipsa Sede Romana profecta.

Paul.V.

542. *Indulgentia conceduntur piè credentibus, & colentibus Immaculatam Conceptionem, quidquid reclament Aduersarij.*

Quod autem *num.*28. parum Theologicè iactant Authores Libelli *Indulgentias non esse concessas opinioni, sed pietati:* Tanquam omninò falsum reiiciendum; idcircò enim dicitur Pia opinio, quam sustinemus, de Immaculata Conceptione: dicitur *opinio*, quia est assensus intellectus, non propter formidinem adiunctam, qua omninò caret; sed quia non creditur fide Diuina, cùm adhuc non sit definita; dicitur verò *pia*, quia imperatur à pio affectu voluntatis; at indulgentiæ conceduntur piè credentibus, & colentibus Immaculatam Conceptionem, vt perspicuè apparet ex ipso concessionum tenore, indulgentias concedi, non solùm pietati, sed etiam piæ opinioni; ad quam amplectendam, & speciali veneratione colendam Romani Pontifices inuitant, & alliciunt. Sixtus IV. indulgentias dilargitur recitantibus, & audientibus officium Conceptionis Immaculatæ; recitare autem, vel audire, est, piè opinari, & firmissimè tenere Immunitatem B. Virginis à peccato originali: adsportantibus item imaginem Immaculatæ Conceptionis, quam deferunt Moniales, conceduntur indulgentiæ à Iulio II. at gestatio illius imaginis est protestatio piæ opinionis. De quo videndus Vincent. Iustin. Domin. tract. de Immacul. Concep. §.2. vbi habet: *Pontifices magnis affecerunt honoribus, & multis prosequuti sunt gratiis eos, qui sentiunt Dominam nostram conceptam fuisse sine peccato originali.* Granad. tract de Concept. d 3 c 9. ait: *Quis non videat multum fauere huic sententiæ Pontifices, qui indulgentiis donant eos, qui credentes B. Mariam fuisse conceptam sine originali, aliquid recitant in ipsius honorem.* Suarius item tom.2. in 3.p. disp.3. sect.5.§. *Iam vero.* Eandem Doctrinam confirmat his verbis. *Et eodem modo loquitur Sixtus IV. in Extrau.* Cum præexcelsa *& Extrau.* Graue nimis, *de reliq. & venerat. Sanctor. vocans Conceptionem puram, & Immaculatam, & concedens indulgentias hoc piè credentibus, & colentibus.* Parum ergo Theologicè distinguunt aduersarij, dum aiunt indulgentias non esse concessas opinioni, sed pietati; conceduntur siquidem piè opinantibus, credentibus, ac colentibus Immaculatam Conceptionem B. Virginis. Tenor igitur indulgentiarum comprehendit actus piæ opinionis protestatiuos: ergo non solùm pietatem his fauoribus, & indulgentiis Pontifices cohonestant, sed etiam opinionem piam.

Sixt.IV. Iul.II. Vinc. Iust. Granad. Suar.

Obiiciunt Auctores Libelli *num.*29. indulgen- 543. Paul.V.
tias Concessas à Paulo V. titulo Epist. B. Virginis ad Messanenses. Latum autem discrimen versatur inter bas, & nostras concessiones; constat enim indulgentias Sacelli Messanensis non esse concessas credentibus, aut affirmantibus illam epistolam à B. Virgine fuisse conscriptam, sicut ostendimus concessas fuisse credentibus, & colentibus Immaculatam Conceptionem; supponit ergo Pontifex esse Sacellum B. Mariæ *de literie* nuncupatum, nec verò de veritate huius rituli aliquid stabiliuit, sed merè recitatiuè proponit, nihil de ipsius honore diminuens, vel auferens; cùm autem hic nullum iudicium de ipsius veritate ferat Pontifex, fides solùm manet penes traditionem illius ciuitatis, circa veritatem illius Epistolæ: quare bene Abbas Rochus Pirrus, qui Diplomate fert prædicto Sacello concessum, quod etiam babes apud Armamentarium Seraphicum colum.393. hæc addit: *Indulgentia Sacello B. Mariæ concessa Epistolam non sacrant.* At verò concessiones cultoribus Immaculatæ Conceptionis, exhibitæ sunt in honorem. & cultum piæ huius opinionis, vt patet ex verbis Pontificij Diplomatis: *Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius authoritate confisi, authoritate Apostolica, hac in perpetuum valitura constitutione statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli Christi fideles vtriusque sexus, qui Missam, & Officium Conceptionis eiusdem Virginis gloriosæ, iuxta piam, deuotam, & laudabilem ordinationem dilecti fily Magistri Leonardi de Nogarolis, Clerici Veronensis, Notary nostri, & quæ desuper à Nobis emanauit, Missæ, & Officij huiusmodi, institutionem, in die festiuitatis Conceptionis eiusdem Virginis Mariæ, & per Octauas eius, deuotè celebrarint, & dixerint, aut illis horis Canonicis interfuerint, quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam, & peccatorum remissionem exinde consequantur, quam iuxta felicis recordat. Vrbani IV. in Concilio Viennensi approbatas, & Martini V. & aliorum Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, consequuntur illi, qui Missam, & Officium, & horas Canonicas in festo Corporis Christi &c.* Hæc Sixtus IV. in Bulla, quæ incipit, *Cum Præexcelsa.*

Rochus Abbas. Armament. Seraph. Sixt.IV.

Illud autem vehementer displicet, quod *num.* 30. addit Libellus: *Ecclesia piam fouet intentionem*

vtriusque

vtriusque partis opinantium. Nunquam enim Ecclesia aduersariorum opinionem fouit, ipsiq; fauit; solùm tolerat quoad internū affectum, & quoad priuata inter ipsos colloquia: nostram autem sinu suo fouet, amplectitur, honoribus cohonestat, indulgentiis ipsi fauet, festis colit, Officio speciali honorat. Eadem autem ratione, qua reiecimus quæ Authores libelli dictitant *num.* 29. reiicimus modò quæ subdunt *num.* 31. quæ autem adiiciunt *n.* 32. suprà fusè improbauimus.

544. Nescio autem qua veritatis specie adacti Aduersarij *num.* 33. & 34. *libelli*, ausi sunt affirmare nouem Romanos Pontifices extitisse, qui non recitatiuè, nec dubitanter; sed assertiuè, & clarè doceant Beatam Virginem in Originali peccatum fuisse conceptam. Magna petis Phaëton. Si tot Pontificum decreta, & sanctiones nobis exhibuerint, herbam aduersariis porrigemus, fatebimúrque tanquam strenuos suæ causæ propugnatores Io triumphe occinere posse. Ipsos tamen admonemus, nobis exibendas esse sanctiones successorum Petri de Cathedra loquentium, non verò sufficere, vt nobis producant illorum scripta, quæ tanquam particulares Doctores posteritati mandarunt. Primò exhibent nobis Innocentium II. asserentem sic: *Eua fuit sine culpa producta, sed produxit in culpa: Maria autem fuit in culpa producta, sed sine culpa produxit.* Quæ verba Bandellus, vt aucthor est Ægidius de præsent. lib. 3. de præseru. q. 4. a. 2. §. 2. n. 145. falsò tribuit Innocentio II. cùm apud Innocentium III. serm de Assump. Virg. reperiantur: Innocentius autem II. nullos scripsit sermones: Imò iuxta aliquos hæc verba non sunt Innocentij, sed supposititia. De quo vide Armament. Seraph. colum. 404. Et quidem Cardinalis Bellarminus de scriptoribus Eccles. & Posseuinus in Apparatu to. 1. pag. 806. scripta Innocentij III. adulterata fuisse dicunt. Falsò ergo, & supposititiè Auctores libelli ex vno, eodémque Innocentio duplicem faciunt, vt crescat Pontificum numerus, in dedecus B. Virginis. Quòd enim Innocentius II. nullos scripserit sermones, testatur etiam Baronius tom. 12. Annal. ann. 1130. Posseuinus etiam cit. 3. asserunt pro se Innocentium V. dicentem: *B. Virgo fuit in vtero Matris sanctificata non ante animationem, quia tunc gratiæ capax non erat, nec in ipsa animatione, quia tunc originale peccatum non contraxisset, & sic non eguisset vniuersali Christi redemptione, quod non est dicendum.* Verùm quid mirum, eius esset sententiæ, cùm adhuc sacrum Prædicatorum ordinem profiteretur, quo tempore commentaria in 3. sent. dist. 3. vbi prædicta verba habentur, euulgauit, multo antequam ad summum Pontificatum assumeretur, de quo videndus Turrecremata p. 6. c. 29. Verbo, *Petrus de Tarantasia*, quo nomine nuncupabatur, antequam ad Clauum Ecclesiæ vocatus fuit. Imò hinc argumentum efformat Catharinus disp. ad Tridentinum p. 2. fol. 95. Vt aduersarios perstringat, ait ergo: *Qui ante Sixtum IV. præsertim & vestri ordinis Pontifices, & alij erga ordinem bene affecti, cur alteram partem, cui tunc plurimi fauebant, cùm iam in controuersiam res adducta esset pro vestra opinione non determinarunt. Nonne vos necessario cogimini fateri Digitum Dei hic adfuisse?*

Innoc. II. — Ægid. — Innoc. III. — Armam. Seraph. — Bellarm. — Posseu. — Baron. — Innoc. V. — Turrecr. — Cathar.

545. Sed quia libuit aduersariis Innocentij nomen, tanquam fortunatum omen in suam sententiam trahere; nos potiori iure ex eodem nomine fausta omnia, ac felicia futura diuinamus. Quid enim opportunius ad B. Virginis innocentiam propugnandam excogitari potuit, quàm Innocentij nomen faustissimum in summo Ecclesiæ Pastore, ac Iudice integerrimo; præcipue cùm alij prædecessores eiusdem nominis de pia opinione valde benemeriti fuerint, nam de Innocentio VII. qui rexit Ecclesiam ann. 1404. scribit Hyppol. Marrac. Histor. de Pontific. Marian. c. 68. fol. 130. *Ita erga sanctissimam Matrem Dei Mariam deuotus exstitit, ac in particulari erga eius absque originali peccato Conceptionem ita pie fuit affectus, vt Doctorem quendam Theologum nomine Ioannem Montesonem, qui in suis concionibus in peccato fuisse conceptam ausus est prædicare, instante ad hoc Parisiensi Gymnasio de Conceptionis articulo semper bene merito, rigidè puniuit, & vt palinodiam caneret, coërcuit.* Innocentius VIII. inter præcipuos Immaculatæ Conceptionis propugnatores meritò est annumerandus, cuius authoritate primum Cœnobium Monialium Conceptionis sub Cisterciensi regula erectum fuit, cum Officio Immaculatæ Conceptionis: hic idem Pontifex confirmauit Extrauagantes Sixti IV. vt ait VVading. in legat. sect. 2. Orat. 8. §. 5. num. 21. pag. 219. De eiusdem erga Immaculatam Conceptionem affectu, & cultu agit Torres lib. 4. cap. 7. Restat ergo vt Innocentius X. cuius modò fœlicissimo regimine gaudemus, eisdem fauoribus prosequatur Immaculatam Conceptionem, quibus prædecessores sui eiusdem nominis prosecuti sunt; imò quibus ipsemet, dum munus Apostolici Nuncij apud Hispanos obiret, eamdem piam opinionem prosequutus est. Modò exhibemus solum Rescriptum in curia Matritensi expeditum 14. Kalend. sept. ann. 1628. cuius inscriptio est. *Discreto Viro Superiori monialium Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ regalis nominata Ordinis sancti Francisci de Obseruantia Ciuitatis Toletanæ.* Vbi nihil compellebat, vt adiunctum epithetum *Immaculata*, apponeret *Conceptioni*; siquidem vulgò illud Monasterium, sicut & alia solo vocabulo *Conceptionis* exprimi soleant: vnde illud epithetum ex proprio affecto profectum fuit; iam tunc viam sternebat ad fauores, quibus ad summum Pontificatum assumptus piam opinionem cohonestaturus erat, iuxta ea, quæ Spiritus sancti ductu honori tantæ Matris, & Ecclesiæ ædificationi magis expedire censebit. Quæ verò Auctores libelli producunt *n.* 35. 36. & 37. suprà iis responsum est.

Innocentij nomen omen faustum, ac faustissimum pro Immaculata B. Virginis Conceptione. — Innoc. VII. — Hippol. Marrac. — Innoc. VIII. — Torres — Innoc. X.

546. Numero 38. respuunt Aduersarij Concilium Basiliense. Assertores piæ sententiæ vtuntur authoritate huius Concilij; quia tot Authorum suffragia opinionem piam approbantia non sunt contemnenda; siquidem in eo eam merentur fidem, quam quælibet authentica historia, vt benè Suarez tom. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 5. præsertim cum quidquid in illo decreto de Conceptione continetur, Ecclesia Romana approbauerit, dempto nomine *definitionis*. De quo vide Armamentarium Seraph. colum. 190. Audiendus nunc Catharinus lib. 1. de Immaculata Concept. pag. 7. Sic in Caietanum insurgens: *Basileense Concilium, quod idem quoque determinarit, synagogam Satanæ vocat, cum tamen Concilium illud, multa Catholica Ecclesia, ita etiam Romana tacente, & consentiente, hac saltem parte suscipiant, & venerentur. Et hic vnus homo tantum verbum contra pronunciare tam audacter non dubitat, quod nunquam Romani Pontifices ausi sunt, ad quos tamen eam vocem emittere, si conuenisset, potius pertinebat. Qui ipsemet Eugenius IV. aduersus quem nonnulla in eo Concilio tractata, & acta sunt, illud Concilium se venerabiliter suscipere,* &

Suar. — Cathar. — *Perstringitur Caietanus à Catharino dum vocat Concilium Basileense synagogam Satanæ.* — Eugen. IV.

Nicol. V. *& eius acta professus est. Similiter, & Nicolaus V. propriis decretis, & Confirmatione, eius Concilij acta comprobauit; quamquam non omnia, id est ea, quæ contra Romanum Pontificem gesta sunt; quibus ipsi sunt aduersati, & nunc eius quæstionis gratia tantùm, quam tamen ij solum faciunt quæstionem (nisi enim illi se opponerent, iam decisa esset, nec esset quæstio,) audimus priuata sententia talem Synodum synagogam Satanæ pronunciari. Quantò modestius si dixisset, non se astringi huius Concilij authoritate, quam appellando synagogam Satanæ eos, quorum neminem tandem condemnauit Ecclesia, sed pro Catholicis semper habuit.* Ex quibus verbis patet responsio huius numeri 38.

547. Quidquid verò de Patribus Græcis nobis obtrudant Aduersarij *num. 39. libelli*, quidquid de Menologio edito à Genebrardo obiiciant; nemo inficiari potest à Græcis celebratum fuisse festum Conceptionis passiuæ B. Virginis ante quingentos annos, vt conuenit inter Doctores cum Baronio in notis ad Martyrologium Rom. die 8. Decemb. (Baron.) Verum tamen est apud Græcos nona die eiusdem mensis peragi. Qua de re exstat Constitutio Emanuelis Imperatoris apud Theodorum Balsamonem commentario in Nomocanonem Photij tract. 7. c. 1. Subdit Baronius tom. 10. Annal. an. 911. in manuscripto Bibliothecæ Sforcianæ inueniri sermonem Leonis Imperatoris de Conceptione B. Mariæ, (Leo Imp.) qui Leo fuit huius nominis sextus, cuius imperij initium fuit ad annum 886. Ex quo certò elici potest ferè ante annum nongentesimum apud Græcos Conceptionis festum celebre fuisse. Sed denegabunt Aduersarij à Græcis celebratam fuisse præseruationem B. Virginis à peccato Originali, & desument argumentum à festo Conceptionis S. Ioannis Baptistæ, quod recensetur in Græcorum menologio die 23. Septemb. Diuersa tamen longè ratio fuit vtriusque festi, ideóque Ecclesia Romana, quæ numquam, nisi rem sanctam colit, Conceptionem S. Ioannis à cultu exclusit, & Conceptionem B. Virginis vtpotè sanctam, & Immaculatam in suum Calendarium retulit. De quo videndus Salazar de Concep. c. 35. §. 3. (Salaz.) Quòd autem Patres Græci peregerint festum Conceptionis sub titulo *Immaculatæ*; inde patere potest, quòd piam opinionem docuerint, ipsi fauerint, suísque testimoniis, & scriptis comprobauerint, vt videre est apud Recentiores modernos, Salazar, & alios, qui Græcorum, & Latinorum PP. Catenas attexunt, vbi piæ sententiæ propugnatores ostenduntur.

548. His, quæ effutiunt Aduersarij *num. 40. & 41.* Optimè satisfacit Ambros. Catharinus lib. 2. de Immacul. Concep. pag. 49. dum Caietanum sugillat, eadem cum Aduersariis dictitantem: (Cathar.) Catharinum audiamus. *Quod etiam addit idem Caietanus, quòd iste concursus, & consensus Vniuersitatum, & populorum nihil habet probabilitatis, nisi apud indoctos; quid mereatur pro responso, alij viderint: Hæc enim verba latè significant, quod Vniuersitates, & quicumque in hanc sententiam conueniunt, indocti sunt; & illi soli sapiunt, qui contra tenent: sed hoc effutire est, non probare.* Quanti autem sit faciendus populorum consensus, suos Doctores, ac Præsules audientium, ac obsecundantium eorum doctrinis, docuit nos August. lib. contra Epist. fundam. c. 4. tom. 6. vbi ait. *Tenet me in Ecclesia consensus populorum, atque gentium.* Et epist. 86. tom. 2. *In his de quibus nihil certi sacra Scriptura definit, mos populi Dei, & instituta Maiorum pro lege sunt habenda.* Refertur hæc sententia cap. in his dist. 11. Ideo hoc argumento tanquam robusto vtuntur piæ sententiæ propugnatores Suarius, Valentia, Canisius, Vasquez, Salmeron, Catharinus, Bellarm. Vincent. Iustin. & alij apud Armament. Seraph. colum. 174. & deinceps. Et quidem ferendi non sunt Antagonistæ, dum illa audacia proferunt verba: *vota ponderanda sunt, non numeranda*: prout præsenti instituto applicantur ab ipsis; Profectò hæretici nouatores, dum se solos verbi Domini custodes, & interpretes iactitant superbo supercilio, Ecclesiæ sensum spernunt, Sedis Apostolicæ iudicium, ac sanctissimas sanctiones proterunt. Nonne suffragia legitima in omnibus communitatibus recensentur, ac supputantur, & iuxta maiorem suffragiorum supputationem electiones fiunt, negotia deciduntur: qui quidem mos etiam in Conciliis generalibus inoleuit: An ne sanctio aliqua, siue decretum, siue Canon hucusque à Summo Pontifice, vel eius Legatis Concilio præsidentibus cum minoris partis consensu stabilitus fuit? De quo videndus Bellarmin. tom. 1. Controu. lib. 1. de Conciliis c. 18. (Bellarm.) optimè eos coarguit Illustrissimus Episcopus Sossa epist. pro Orat. Concept. pag. 23. hispano idiomate, (Sossa.) quæ libuit in Latinum vertere: *Illud obiici debet piam sententiam spernentibus. Primùm ingentem esse superbiam in vulgi numerum adscribere meliorem, ac selectiorem Ecclesiæ partem, & se ipsos Ecclesiæ Doctores constituere.* Quo vitio laborasse iam diu illos, scripserat Catharinus disp. (Cathar.) pro Immacul. Concept. ad Concil. Trid. parte 2. colum. 94. vbi hæc habet: *Mitto nunc quæ aliquando in Patria mea (* Senis *) Quidam ausi sunt mihi respondere, cùm ego ad hanc celebritatem recipiendam eos sedulò adhortarer obiiciens Romanæ Ecclesiæ morem, cui adhærendum esse populus ille iure flagitabat. Dixerunt enim se viros esse veritatis, & ordinem Prædicatorum, esse maximam, & nobilissimam sanctæ Romanæ Ecclesiæ partem. Quod si verum est, ipsi ergo sunt Caput, cæteri membra. Nam maxima, & nobilissima cuiusque Ecclesiæ pars, Caput est; & ad ipsum pertinet membrorum omnium directio. Verùm de his, qui tam peruersa loquuntur, illud solùm considerandum est, sintne potiùs miseratione digni, ob corruptam affectionem, quàm animaduersione ob insolentiam, & arrogantiam: Responsione proculdubio tales iam digni non sunt.*

Numero eodem nempe 41. extra chorum saltare videntur Authores libelli, dum extra causam longiùs spatiantur. 549. Quorsum enim exempla Arianæ hæresis per totum terrarum orbem serpentis? Quorsum calamitosus Ecclesiæ status sub Pontifice S. Stephano? præsertim cùm altè animis nostris insedit illius propositionis veritas infallibilis: nempe summi Pontificis sensus, ac consensus, in quo infallibilitatis priuilegium residet omnino præponendus est multitudini oppositum tenentium. Imo hinc inferimus titulum Immaculatæ Conceptionis à tot Pontificibus approbatum per confirmationem, & approbationem Religionum, & institutionem Officiorum diuinorum sub titulo Immaculatæ Conceptionis, omninò amplectendum, fouendum, prædicandum; quia consensus summi Pontificis præferendus est dissensui paucorum oppositum opinantium, præcipuè cùm illis silentium ad vitanda scandala indictum fuerit. Nos ergo non ex populorum plausibus dumtaxat, argumentum depromimus, sed ex plausibus, & acclamationibus totius ferè Ecclesiæ Catholicæ ab ipsis summis Pontificibus aprobatis. Quod verò subdunt

August. *Permagni est faciendus totius populi consensus in re nondum definita.*

Sub

Sub Pontifice Stephano totam fere Ecclesiam, duobus tantum, vel tribus Episcopis resistentibus in Anabaptismum abiisse. Egregiè hallucinantur, & D. Augustino aduersantur lib. 3. contra Cresc. c. 3. de eodem facto hæc afsimanti: *Proinde si omnino iam credendum sit, quinquaginta Episcopos Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquanto etiam pluribus, contra tot millia Episcoporum, quibus hic error in toto orbe displicuit.* Contradicunt etiam Vincentio Lyrinensi in commonit. ad proph. hæres. nouit. vbi hæc habet: *Quæ præsumptio tantum mali inuexit, vt non solùm hæreticis omnibus formam Sacrilegij, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem præbueris erroris. Cùm ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua versum Sacerdotes pro suo quisque studio renitterentur, tunc B. memoria Papa Stephanus Apostolica Sedis Antistes cum cateris collegis suis, sed tamen præ cæteris, restitit.* Ex quibus patet quam falsò affirmauerint aduersarij, totam fere Ecclesiam, duobus tantùm, vel tribus Episcopis reclamantibus, in Anabaptismum abiisse. Deinde illi Episcopi Afri contendebant baptizatos ab hæreticis, rebaptizari oportere aduersus Ecclesiæ traditionem, quia Scriptura Sacra, vnam esse fidem, vnum Baptisma docet: At nunc fermè ab vniuersali Ecclesia creditur, ac colitur præseruatio B. Virginis ab originali, quæ sententia est valde consona cultui Ecclesiastico, eandémque sanctionem sub grauibus pœnis custodiri iubet Concilium Prouinciale Auenionense, approbauit Synodus Cæsaraugustana: Synodus Compostellana hanc eandem præseruationem sub iureiurando confirmauit. Concilium Oxoniense Conceptionis festum cultu, ac veneratione suscepit, vt habet de his omnibus Armamentarium Seraphicum eolum. 440. ac demum Tridentina Synodus huic piæ sententiæ plurimùm subsidiata est. Ecclesiæ omnes, Vrbes, Prouinciæ, Religiones, Academiæ maximum Deo, Deique parenti obsequium præstare arbitrantur, si Immaculatam Conceptionem eolant suspiciant, doceant, ac profiteantur. Quid ergo nobis obtrudunt exemplum Anabaptismi, cùm in nullo componi possit cum nostro. In fine huius numeri in Patres Salazar, & Valentia inuehuntur. Qui tamen, vt vidimus, nihil aliud typis mandarunt, nisi quod totus Orbis clamat, nempe piam opinionem esse in statu proximo definitionis.

August.

Vinc. Lyrin.

Armament. Seraph.

540. Quæ producunt aduersarij *num. 42. & 43.* Quatenus refraganrur nostræ sententiæ modo tefellemus, gratanti ergo, ac libenti animo fatemur à Sede Apostolica concessam fuisse expressionem Mysterij præseruationis cum approbatione, quam aduersarij docent, per illam clausulam: *Terminus complexus, præsertim vero epithetum, seu attributum (v. g. Immaculata Conceptio) importat Principis, vel vniuersitatis approbationem, vel approbatiuum consensum.* Ex hoc principio tanquam ex armamentario arma aduersus eos sumimus, vt illos aggrediamur. Qui enim habent approbatiuum consensum Principis, vel Vniuersitatis, circa aliquam doctrinam, & propositionem, ius legitimum sibi comparant, vt eam enuncient, & defendant: sed piæ opinionis assecla habent consensum, & approbationem Principis summi Ecclesiæ, tum & Vniuersitatis, nempe Religionum, Ecclesiarum, Ciuitatum, & Academiarum, circa præseruationem B. Virginis à peccato Originali, & circa titulum, & Epithetum Immaculatæ Conceptionis: ergo sibi comparant ius legitimum, vt præseruationem, & titulum *Immaculata* enuncient, & defendant. En ex aduersariorum doctrina, quomodo nostram sententiam demonstremus: Non sunt tamen audiendi in eo quod subdunt ibidem: *Ante definitionem omnino fugiendum esse titulum, videlicet, Immaculata Conceptionis.* Cur ita? cùm tot summi Pontifices titulum *Immaculata Conceptionis*, ante Ecclesiæ definitionem, amplexi fuerint, suspexerint, docuerint, ac summis fauoribus eos, qui Immaculatam Conceptionem colerent, cohonestauerint.

551. In eo etiam displicent, quod addunt. *Propositionem indicare sensum, vel opinionem priuatam proferentis: epithetum vero, seu attributum Principis, vel Vniuersitatis consensum.* Profectò discrimen hoc potius ab ipsis confictum, quàm verum reipsa. Quid enim apud omnes vsitatius, quàm Principis, vel Communitatis consensum exprimi per propositionem, vel enunciationem aliquam: at verò per titulum etiam antonomasticè vsurpatum, priuatas opiniones intelligi? Nonne Concilia sua decreta, & canones; Iura Ciuilia, & Canonica suas leges Principis sæcularis, & Ecclesiastici, tum & communitatis consensum, & approbationem exprimunt enunciando media aliqua propositione, non vero attribuendo epithetum aliquod, vel titulum solitarium vsurpando? E contra, tituli, & attributa frequenter iuxta priuatorum sensa, & opiniones pro cuiusque affectu, & studio exhiberi solent. Subijciamus vnum, aut alterum exemplum. S. Cyprianus, teste D. Hieronymo, Tertullianum Lecturus dicere solebat Amanuensi; *da mihi Magistrum*, quod nomen adaptabatur Tertulliano, non ex consensu principis, vel communitatis, sed ex priuata Cypriani opinione: Id simile de Pythagoræ discipulis dictitari solet, cum proferrent aliquod Pythagoræ dictum, dicere solebant: *Magister dixit*, quo Pythagoram intelligebant, non ex Principis consensu, sed ex illorum existimatione: & sexcenta alia exempla exhiberi possent. Non igitur quidquid antonomasticè dicitur, vel attribuitur alicui, ex publica approbatione vsurpatur. Maneat ergo pia opinio in eo gradu certitudinis, quem à Romana Sede accepit ex Epitheto, vel titulo *Immaculata*, nouus ille certitudinis gradus non accrescit, nisi quia tam titulus ille, quàm enuneiatio, & propositio eius protestatiua in constitutionibus plurium Pontificum approbatur, & confirmatur, & à Communitatibus omnibus, paucis hominibus demptis, communi consensu vsurpatur, & totius Ecclesiæ cultu solemni suscipitur. Profectò authores libelli *in his numeris* sicut & 44. futilibus inhærent, illud autem à veritate exulat, quod asserant: *Quæ proferuntur per modum termini omnem controuersiam excludere.* Nam in posteriori Extrauaganti Sixti IV. apponitur *Immaculata Conceptio*, per modum termini, & simul dicitur, controuersiam de Immaculata Conceptione, nondum esse ab Apostolica Sede decisam.

Cypr. Hieron.

552. Verba autem, quæ *numero 45.* proferunt aduersarij, ad examen vocanda, nempe: *Differunt idiomate tantum non sensu hæ duæ propositiones: B. Virgo non contraxit maculam originalem: & hæc altera: la B. Vergine non ha contratto la macchie originale. Ex decreto tamen Pij V. prima propositio scribi potest, non autem secunda.* Ita hoc pronunciant aduersarij, quasi definitum esset; esse omnino illicitum asserere, vel scribere lingua vulgari, præfer

Pij V.

præseruationem B. Virginis ab originali peccato: adeóque peccati insimulant,& transgressionis Decreti Apostolici maiorem, ac nobiliorem Ecclesiæ partem;cùm nihil sit luculentius,quàm Episcopos, Ecclesias Cathedrales, Ciuitates publicè, vulgari idiomate,vota,& iuramenta emittere de Immaculata Conceptione tenenda, ac propugnanda. Sed

Pius V. subiiciamus verba Constitutionis Pij V.quæ licèt supra discussimus speciali congressu, cogimur ab aduersariis ea nouitus expendere; ait ergo Pontifex: *Statuimus,& ordinamus,quatenus nemo cuiuscumque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis exiſtat, in popularibus concionibus, vel vbicumque promiscua virorum,& mulierum multitudo conueniri solet,de huius controuersia alterutra parte disputare rationibus, vel Doctorum authoritate asserendo propriam sententiam,& contrariam refellendo, aut impugnando; vel de hac ipsa quæstione,cuiusuis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumat.* Sat luculenter exprimit Pontifex se solùm prohibere lingua vulgari formales, & scholasticas disputationes de hac materia: ideo non dixit nemini licere de alterutra parte loqui,sed de hac ipsa quæstione scribere, vel dictare, id est quæstionem in terminis exagitare asserendo, refellendo,impugnando, quasi lectiones è Cathedra dictaret. Quæ expositio est valde conformis textui;ac communi Theologorum consensu,ac praxi confirmata.De quo Bonacina tom. 3.disp.2.q.3. p.34 proposit.4. pag. 248. In reliquis vltimis numeris posterioris libelli supplicis nihil peculiare apparet, quod nostræ sententiæ contradicat;quare nulla opus habent discussione.

Pontifex solùm prohibet formalem, & scholasticam disputationem vulgari idiomate de Immaculata Conceptione B.Virginis.

Bonac.

553. Cathar. Reliquum est vt nunc aduersarij audiant gratanter Catharinum ex sua familia sic admonentē, ac eruditissimè perorantem in sua disp. de Cōcept. Immacul. B.Virginis;inquit ergo: *Nam vt finē nostræ disputationi tandem imponamus. Putatis ne sacrosanctam Romanam Ecclesiam, ea leuitate ferri, vt sit aliquando, vel opinionem vestram amplexatura,vel saltem cultum illum reprobatura,quem semel pontificio Decreto suscepit; & solemni omnium Ecclesiarum ritu cum munificentissima indulgentiarum largitione iamdudum celebrare perseuerat? An vllū quæso potestis similis mutationis exemplum proferre, quo in spem bonam erecti exspectare possitis ex vestra opposita opinione victoriam? si hoc vobis persuasistis? quis non videt,in quanto errore versemini? quamque parum piè de prouidentia Dei erga Ecclesiam,& eius gubernationem sentitis? Quòd si victoria spem vobis ereptam clarè cernitis;cur non anteuertitis securiorem aliquam Ecclesiæ sententiam, quæ non patietur vlterius serpere in dimidiato vno ordine opinionem diuino cultui repugnantem? Quid enim vobis præter imminens periculum publicæ ignominia restat? Reddita sunt iam vobis clara omnia. Probatum est,sententiam nostram, non solum Christi dignitati non detrahere, sed magnificentissimè eam extollere: Matrē Filio non æquari,sed locum ei ex Filij meritis conuenientissimū dari. Scripturæ nedum non reclamant, sed mirificè fauent. Soluta sunt SS. Patrum argumenta. Omnes totius orbis Ecclesiæ, omnes Religiosorum Ordines celebrant; Vniuersitates celeberrimæ comprobant; Ipsa tandem Sacrosancta Romana Ecclesia grauissimo Decreto per Concilium Tridentinum confirmato, ita sanxit. Quem igitur finem vobis proponitis? Vos ne ea spe sustinetis, vt totus Christianismus cultum suum deserat,& vestræ opinioni adhæreseat, sicque petendam esse in posterum à vobis Ecclesiasticarum solemnitatum veritatem,credat? Non existimo certè ita vos desipere. Vestrum igitur est sapienter veram ordinis gloriam acquirere; quantum demum sartam tectam existimare debetis,cùm gloria Christi,& Matris potissimùm studebitis,& ab institutis Romanæ Ecclesiæ non recedetis. Quod futurum propter Dei bonitatem, & merita illius mitissimæ Matris, & S.P.N. Dominici, & filiorum eius; quos per illum Dominus in gloriam adduxit,& spero, & confido.* Ita ille: Et nos huic palæstræ finem facimus, affirmando non esse opus alia comprobatione ad hanc dirimendam cōtrouersiam; siquidem stante adhuc dubio, litem decidat ex perantiqua sui in Deum possessione ipsa B.Virgo: *Dominus,* inquit illa, *possedit me in initio viarum suarum.* Vobis dico, qui adhuc de mea iustitia originali litem fertis, illámque in dubium vertitis: vos alloquor, qui meam puram Conceptionem Immaculatam nuncupare recusatis: Vobis dico,qui filiam Adæ,adeóque diaboli mancipium,& & non Dei filiam carissimam, in primo meæ formationis instanti, fuisse suspicamini; verba hæc gratis excipite auribus: scilicet, *Dominus possedit me ab initio viarum suarum.* Prou. 8.

PALÆSTRA V.

Vtrum Virgo Deipara debitum peccati originalis incurrerit.

554. August. VAM verè affirmauit S. August. lib. 10. de ciuit. c. 2. *Multa ad fidem Catholicam pertinentia,dum aduersariorum callida inquietudine agitantur, vt aduersus eos defendi possint,& considerantur diligentius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & aduersariorum mota quæstio dicēdi exstitit occasio.* Ex constanti igitur,ac pertinaci aduersariorum impugnatione priuilegij immunitatis ab originali Virginis Deiparæ excitantur, & exacuuntur ingeniorum acumina ad noua in dies priuilegia à Deo in B.Virginem collata rationibus fulcienda,roboranda,& in vulgus propalanda, non sine magno piarum mentium emolumento: per has enim opinionum scissuras,& contentiones,tanquam per vestium scissiones interna decoramenta serico,auróque intertexta,hoc est gratiarum, priuilegiorumque

Psal. 44. 14. ornamenta deteguntur; iuxta illud: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.*

CERTAMEN I.

Præmunitur via ad disceptationem, ac profertur sententia imponens debitum peccati in B. Virgine.

555. PRimum exponere oportet, quid sit in Adamo peccare; & quid debitum contrahendi peccatum originale. Fuit quidem Adamus à Deo Princeps inauguratus omnium reliquorum hominum, & Caput institutum morale ipsorum; ita vt omnes posterorum voluntates in eo moraliter collocatæ fuerint; hinc factum fuit, vt ex inobedientia, Adamo delinquente, illud suum peccatum, & trãsgressio, morali æstimatione reputabatur à nostris voluntatibus prodire iam in Adami voluntate cõstitutis. Quocirca peccatum illud editum fuit à Protoparente volente, & eliciente illud physicè per propriam voluntatem; & fuit etiam nostrum, quia moraliter à nostris etiam voluntatibus procedebat: peccare igitur in Adamo nihil aliud est, quàm nostras voluntates moraliter in Adamo existentes velle, & concurrere moraliter simul cum eo ad eandem transgressionem, ad quam Adamus physicè ac moraliter concurrebat.

556. *Debitum peccati originalis nihil aliud est, quàm necessitas, & exigentia contrahendi peccatum.*

Debitum peccati Originalis nihil aliud est, quàm necessitas, & exigentia contrahendi peccatũ in se, nisi a Deo impediatur; quod debitum verum, ac proprium est; quia de Adæ posteris verè affirmamus posito pacto, ac lege Dei, & Adæ transgressione, habere necessitatem, & exigentiam contrahendi peccatum originale. Sed sciscitaris quidnam sit eiusmodi debitum? Assero esse solam extrinsecam denominationem in Adæ posteris adhærentem, formaliter ortam ab actu peccati Adami, prout censebatur morali æstimatione, esse in posteris, & posse esse ipsis, vel quatenus exigebat ipsis inesse, posita lege, & pacto Dei. Idem enim actus Adami prauus, & habet exigentiam, & necessitatem existendi in posteris moraliter, estque malitia formalis actu illos denominans moraliter; quatenus dicit exigentiam existendi in posteris, reddit illos, & denominat debitores; at verò vt est malitia moralis formalis, constituit eosdem peccatores per originariam labem; & ratio est: quia peccatum Adæ, vt elicitum à posteris secundùm moralem æstimationem, exigit iam esse in illis, vnde & ipsi extrinsecè denominantur debitores, quia debitum illius incurrendi contraxerunt.

557. Hoc autem debitum in proximum, & remotum secatur: prius illud dicitur, quod ab Adæ peccato, posito Dei pacto, promanat: posterius admittit Salaz. Salazar de Concept. c. 1. §. 10. n. 68. in Adæ posteris ante pactum initum Dei, & situm erat in quadã obnoxietate, & subiectione naturali, per quam natura, quæ ab Adamo propagari poterat, aptitudinem habebat, vt ex Dei lege cum Adamo comprehenderetur: quæ obnoxietas, & aptitudo appellari aliquo modo potest debitũ remotũ, quia dicta natura, vt ab Adamo deriuata præsefert obnoxietatem, & subiectionẽ ad legem Diuinã. Verũ est hanc obnoxietatẽ æquè cõsiderari posse in ordine ad contrahendum debitum gratiæ, ac in ordine ad cõtrahendum debitũ peccati, quia est in ordine ad legem diuinam, quæ indifferens erat ex se ad peccatum, & gratiam transfundendam in Adæ posteritatem; adeòque existimo, illud debitũ appellari posse debitum remotum, & ad peccatum incurrendum, & gratiam habendã sub conditione. Vnde impropriè valde illud appellari potest debitum remotum peccati; quia ex sola lege diuina ante transgressionem primi pareotis, nullum concipi potest debitum determinatum peccati originalis, quæ propriè dici possit exigentia, & obligatio illod contrahendi; cùm illud Dei pactũ, & lex, æquè tenderet ad peccatum transfundendũ in posteros, vel gratiã in ipsos conferendam; imò aote peccatum potius erat debitum, gratiam in posteros transfundendi, nec vllum erat debitum peccati: quare vix aliquid reperiri potest, quod propriam rationem debiti remoti peccati originalis sortiatur. 558.

Modò libet naturam debiti proximi contrahendi peccatum introspicere, vt eius turpitudinẽ eruamus: à quibusdam enim, Seruitus appellatur, & meritò, si enim Paulus ad Rom. 8. subiectionem Rom. 8. illam, qua homo morti naturali subiacet, Seruitutem corruptionis appellat; meliori ratione Seruitus dicenda erit obligatio illa, qua morti animæ homo & primææ culpæ Adæ subiicitur. Captiuitas ab Rom. 7. aliis rectè nuncupatur, & meritò; si enim propensio ad peccatum à Paulo ad Rom. 7. captiuitatis nomen fert: cum tamen illa propensio, seu fomes peccati solùm ad materiam, non ad formale peccati impellat, & adigat; ergo aptiùs debitum illud, seu obligatio ad contrahendum originariam culpam, quæ cogit, & inducit necessariò ad formale peccatum contrahendum, Captiuitatis nomine donabitur. Petr. Greg. Aptè in hanc rem vertes dictum illud Petri Gregorij Iurisconsulti in syntagmat. iuris vniuersi lib. 4. c. 1. *Quidquid seruitutem aliquam patitur, non potest esse nobile; nobilitas enim in libertate, aut consistit, aut fundatur.* Rursus huius debiti turpitudo ex obiecto perspicuè dignoscitur; non solum enim ex peccato prouenit, sed etiam ad peccatum tendit, & cogit: at omnis, relatio speciem, ac naturam desumit ex termino, quem respicit; hæc autem obligatio, seu debitum peccati originalis cùm situm sit in morali quodã respectu, quo ad peccatũ refertur, illudque tanquam terminum respiciat, profectò illius naturam redolet; & licèt peccatũ non sit peccatum tamen sapit. Videndũ igitur vtrùm huic seruituti, & captiuitati, ac maleolentiæ peccati tantã Arist. Virginem addicere, ac deuouere fas sit? Iniquum enim arbitror cum Aristot. in Problematis sect. 29. q. 13. liberum asseruisse eum, qui seruus sit, longè Alb. Magn. tamen iniquius seruum sanxisse eum, qui liber est. Præcipuè cùm dicat Albertus Magn. tract. de laudibus Virginis. *Hoc dicimus, quia B. Virgo secundùm omnem dignitatem, & nobilitatis modum fuit nobilissima, & dignissima in summo.* Profectò si Deiparæ boc debit ũappingatur, multum eius libertas ac nobilitas imminueretur, ac extenuaretur, cùm illud seruitutem quandam inuehat, adeóque non esset nobilis, & libera in summo, vt volebat Albert.

559. Aliqui ergo imponunt B. Virgini peccasse in Adamo, & huius peccati debitum contraxisse. Vasq. Vasq. tom. 2. in 3. part. disp. 115. cap. 3. Suarius Suar. ibidem disp. 3. sect. 2. & disp. 9. de peccatis sect. 4. Bellarm. Cordub. Bellarm. lib. 4. de amiss. gratiæ, cap. 16. Corduba Ægid. lib. 1. quæst. q. 44. Et vocat oppositum, hæresim, Ægidius à præsentat. lib. 2. de præseru. B. Virg. quæst. 3. & 4. Probant primò aliquibus locutionibus vniuersalibus ex sacris Codicibus depromptis, qualis est illa 2. Corinth. 5. *Si vnus pro* 2. Cor 5. *omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Atqui Christus pro B. Virgine mortuus est: ergo Beata Virgo mortua fuit, non in se per peccatum originale, sed in Adamo per debitum. Aliæ plures adduci solent propositiones ex sacra

Scriptura

Scriptura ; quæ cùm generales sint, omnia indiuidua sub se cohibere debent. Verum cùm Concilium Tridentinum nolit includere Deiparam sub lege illa generali ; nec nos illam complecti volumus. Addiderim duplex esse genus propositionum vniuersalium, aliud Politicarum, Logicarum alterum : primum exceptiones patitur, ad earum enim veritatem opus non est, vt in omnibus indiuiduis veræ sint ; cuiusmodi sunt illæ : Psalm. 13. 3. *Omnes declinarunt simul inutiles facti sunt.* Philip. 2. 21. *Omnes quæ sua sunt quærunt. Omnis Homo mendax.* Quæ omnes, exceptiones admittunt in pluribus indiuiduis : at vniuersalis propositio Logica, vt vera sit, opus est, vt nullum indiuiduum sub illa contentum exceptionem aliquam subeat, huius generis sunt : *Omnis homo est animal : est risibilis : &c.* Propositiones itaque vniuersales ab Aduersariis obiectæ pertinent ad primum genus, non ad secundum ; quod vt luculentiùs appareat ; argumentum contra Suarium libet intorquere ; animaduertendum ergo est, propositionem illam vniuersalem ex Paulo : Rom. 5. 12. *Sicut per vnum hominem peccatum in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit.* Vbi tam vniuersali locutione dicitur mors, sicut peccatum ad omnes transire ; ergo sicut à contractione peccati nullus eximitur, ita nec à morte ; cùm tamen ipse Suar. doceat solum esse probabiliorem sententiam, quæ adstruit omnes homines esse morituros, quia probabile est homines iustos, qui prope diem iudicij, residui fuerint, non esse morituros, nec resuscitandos, bene tamen immutandos ; quam sententiam plures Patres amplexi sunt : S. Chrysost. S. Hieron. S. August. & alij apud ipsum Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 50. sect. 2. §. *Sed quæres.* (Chrysost. Hieron. August. Suar.) Nec omnino improbabili ratione innixi : quam sententiam, licet aliqui contra fidem esse putent, alij temerariam arbitrentur ; ipse tamen Suar. censet non nisi temerè, posse temerarium dici, quod tanti Patres docuerunt : ergo licèt illæ propositiones sacræ Paginæ generales sint, ab illis tamen rectè B. Virginem eximemus, cùm ratio, ac plurium Patrum, ac Doctorum authoritas ad id nos cogat. August. Cùm verò S. August. & alij aiunt Mariam Virginem ex Adam mortuam propter peccatum, aio hoc genus locutionum non intelligi de debito Virginis Deiparæ proximo ; sed quia posito Adæ peccato, relicta conditioni suæ, obnoxia fuit morti, & obnoxietatem aliquam remotam dicebat, nisi per priuilegium singularissimum à Deo impedita fuisset : neque opus est intelligere eos Patres de morte peccati originalis, aut debiti proprij seu proximi illud incurrendi. Dicitur ergo Deipara mortua propter peccatum ; non quia debitum peccati ex lege contraxerit, sed quia occasione peccati Protoparentis, relicta est natura humana in B. Virgine suæ conditioni, & mortalitati.

560. Sed quid dicendum quando August. & alij PP. appellant carnem B. Virginis, Carnem peccati, vel obnoxiam peccato, vel peccatricem ; ea enim dici debet Caro peccati, quæ obligata est ad maculam Adæ contrahendam, quia ex lege, quæ fuit lata post peccatum, concipitur ; vel quia ex traduce mortalitatis est, vt loquitur lib. 14. contra Faustum cap. 5. (August.) Sed occurro, carnem Deiparæ dici Carnem peccati, non ratione debiti, sed quia vel ex specie sua, vel ex modo generationis obnoxia erat, vt sub lege illa vniuersali, ac pacto comprehenderetur ; quæ responsio roboratur ex Tertul. de Carne Christi cap. 16. & Ambros. in psalm. 118. (Tertul. Ambr.) vbi appellant carnem Christi, Carnem peccati, quod nequit intelligi, nisi ratione naturæ specificæ præcisè sumptæ. Cùm autem aliæ Patrum locutiones solum Christum Dominum eximunt ab hoc debito, solùm intendunt Christo attribuere specialem Sanctitatis modum, atque immunitatem ex iure singularis ipsius Conceptionis ex Matre Virgine ortam.

561. Arguunt deinde ratione oppositæ sententiæ Doctores : si Virgo Deipara exempta fuisset à lege vniuersali, fieret inde eam non incursutam peccatum, quamuis nulla præuenta fuisset gratia ; quod rationi rectæ aduersatur. Assumptum patet ; quia peccatum non transfunditur, nisi ratione legis Diuinæ : quòd autem id rectæ rationi contrarium sit, inde suadetur, alioqoin B. Virgo gratia non indiguisset, vt à peccato liberaretur ; at nullus à peccato liberari potest, nisi per Christi gratiam. Verùm illatio prima argumenti omninò respuenda est, re enim ipsa decreuit Deus B. Virgini sanctificantem gratiam conferre : si verò sermo institueretur, vtrùm Deipara esset immunis à peccato, & debito ex vi solius decreti Diuini illam eximentis à culpa originali, eiúsque debito : dicerem Virginem Deiparam non incursutam peccatum, nec debitum ; tametsi nulla præmuniretur gratia sanctificante ; non tamen id consecuturam sine vlla gratia, quia gratia Christi fuisset specialissima, immunem illam fieri à lege illa vniuersali, & in illa non comprehendi, sub qua omnes Adæ posteri cohibebantur. Quid ergo absurdi in hoc latet, aut vbinam errandi periculum imminere potest? siquidem fatemur, vt aliquis à peccato liberetur opus esse gratia sanctificante ; qua in summo condecorata concipitur Virgo Mater : at verò vt eximatur à lege vniuersali peccati, non opus fuit gratia sanctificante, licèt eâ B. Virgo prædita fuerit. Si verò instes Virginem Deiparam passam fuisse mortem, doloribus etiam afflictatam, qui sunt effectus peccati : ergo saltem dicenda est in Adamo peccasse. Assero eos effectus esse conditionis humanæ pro hoc statu : quemadmodum ergo Christus licèt nec in Adamo peccauerit, nec peccati illius debitum incurrerit, eas tamen ærumnas subiit in humani generis redemptionem ; sic etiam rerum seriem ita disposuit, vt Virgo Mater eisdem ærumnis afficeretur, vt imagini Filij sui conformior euaderet, meritum adaugeret illarum tolerantiâ, sicque fieret nostræ redemptionis cooperatrix.

CERTAMEN II.

Virgo Mater neque in Adamo peccauit, neque proximum, & proprium culpæ debitum contraxit.

562. MAior Theologorum pars apud Hispanos, vel in lecturis priuatis, vel publicis, vel libris editis, docet, Virginem Matrem à peccati originalis debito, & reatu fuisse immunem : quam partem propugnant, & exornant Doctores, præcipuè post decretum supremæ Inquisitionis, quo ab omni censura liberat opinionem eximentem Deiparam à tali debito quod decretum refert Salaz. c. 8. §. 3. citari possunt pro illa Catharinus, Nicolaus de Cusa, Angles, Albertus Magnus. Tenent illam Sotus in illa verba ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt.* Canis. lib. 2. de Deipar. cap. 6. Ludouicus Carauaxalius, Iodocus lib. de puritate Conceptionis cap. 8. & 9. Mendez Dominicanus in Mariali lib. 2. c. 34. (Salaz. Cathar. Nicol. de Cusa. Angles. Alb. Magn. Sotus. Canis. Carauax. Iodocus. Mendez.)

Loaiſa. Lezana. Luzero. Fernandez. Saauedra. Ludou. à Ponte. Granad. Perlin. Salas. Magallan. Baſ. Leg. Nouar. Pet.Hurt. Sherlog.

Ioann. Suarius concl.23. in Apoc. Loaiſa in tractatu de pura Concept. p.3. Lezana in lib. Apolog. pro Immaculata Virginis Concept. c.32. Salaz.c.41. Luzero tractatu hac de re. Fernandez in Geneſ. c.9. ſect.8. n.1. Silueſter Saauedra lib. de peccato original. Ludouicus à Ponte lib.7. in cant. exbort. 20. §.3. Granado de Concept. diſp.3. cap. 22. ſect.2. Perlious integro volumine hac de re. Franciſcus Turrianus in Epiſtola de peccato originali. Val. tom.2. diſp.6. q.11. p.2. Salas tom.2. in 1.2.q.81. tractatu 13. diſp.11. ſec.5. ſec.11. Coſmas Magallanius in c.2. Epiſtnlæ 1. ad Timot. Baſil. Legion. in lib. var. telect.3. Nouarin. in vmbra Virginea lib.4. excurſu 18. Petrus Hurtado, Paulus Sherlog. infrà citandi Supponimus autem pactum Dei initum cum Adamo de transfuſione iuſtitiæ originalis, ſeu priuationis ipſius duo includere: primum, generationem ex ſemine Adami; ſecundum pactum, de transfuſione iuſtitiæ originalis, aut priuationis ipſius. Quando ergo pactum eſt generale ſine exceptione, omnes, qui ſic progignuntur, contrahunt proximum debitum ad peccatum, ſicut ſimilitet, non peccante Adamo, haberent titulum proximum ad iuſtitiam originalem. Quòd ſi Deus poſtea exciperet aliquem aliquo priuilegio, liberaret eum à peccato originali actuali, ſed non à debito; & hoc dicitur, peccare aliquem in Adamo. ſiue debitum proximum cõtrahere: ſeoſus ergo Certaminis huius eſt; Virginem Deiparam in communi lege, & pacto inito cum Adamo, comprehenſam non fuiſſe; adeóque neque in Adamo peccaſſe, nec debitum proprium incurriſſe Adami maculam contrahendi.

563. Quod vt profundiùs rimari poſſimus, aduerto dupliciter Adæ poſteros peccato ipſius maculatos dici. Primò in Protoparente, quo tempore ipſe in Deum deliquit, quam peccati maculam omnes eius poſteri ibi contraximus iuxta futuritionem noſtrã, ſolùm enim in eo, virtute, & in radice continebamur: nondum enim extra cauſas ſubſiſtebamus; ibi tamen omnis Adami poſteritas infecta fuit, Deóque inuiſa, & exoſa, ac ſingulari iuſtitiæ originalis dono ſpoliata, non ſolùm per extrinſecam denominationem prouenientem ex Adæ peccato; ſed etiam aliquo modo per intrinſecam denominatiooem peccati radicaliter incluſi in illo eſſe naturali virtuali totius poſteritatis Adæ. Quare tunc in poſteris non ſolùm conſideratur debitum contrahendi peccatum originale actuale, quotieſcumqoe extra cauſas exiſtant; ſed etiam conſideratur illud eſſe virtuale poſterorum in radice, & virtute, eo modo, quo eſt habere radicalem infectionem ſibi quodam modo intrinſecam, & propriam, & pro illo ſtatu concipitur vnuſquiſque ex poſteris verè priuatus gratia in ſua futura entitate aliquando actu habenda, tunc verò radicalitet habita; ac proinde, & concipitur ibi in culpam Adæ lapſus: nec enim ſolùm conſidetandum in Adamo debitum in nobis contrahendi, ſed in hoc debito concipitur, & eſt relatio quædam reſpiciens lapſum primi pareotis; ſicut enim per peccatum dignè ſibi meruit Adamus vt poſteris iuſtitia originalis denegaretur, & vt peccati macula conciperentur iofecti; ſic etiam ipſi poſteri ſub hoc lapſu, & demerito primi parentis comprehenſi ſunt, & conſiderata eorumdem origine ducta ex Protoparente, dignè etiam ipſi poſteri iuſtitia originali priuarentur, qua priuati originale peccatum incurrerent.

564. Qua poſita doctrina, quæ adſtruit filios Adæ, non ſulum in primo ſuæ exiſtentiæ actualis momento peccati macula infectos progigni, ſed etiam in ſe ipſis maculatos iam fuiſſe eadẽ labe, dũm virtute in protoparente continebantur. Nunc ergo videndum vtrùm Virgo Mater non ſolùm in ipſo Conceptionis momento fuerit à culpa immunis, quod iam ſupponimus; ſed etiam dum virtute in Adamo continebatur, tanquam eius filia? Et quidẽ veriſſimum eſſe cenſeo B.Virginem nullo modo in Adamo deliquiſſe, imò nec virtute contentã fuiſſe in protoparente in ordine ad maculã per poſteros contrahendam; permagno enim intererat Deiparæ ab omni labe immunem fieri, etiam cùm quoad naturam, virtute, & in radice in Adamo continebatur; tunc enim adhuc vt futura erat, peccati macula infecta Cõciperetur à Deo, eſſetq; obiectũ Deo infenſum, & exoſum. Aſſerimus ergo ex præuiſis Chriſti D. meritis Virginẽ Deiparã adeò immunẽ redditam ab hoc incurrendi in peccatum debito, vt pro omni ſtatu, ac pro omni tẽporis differentia ab omni culpæ lapſu libera decantaretur, neque in Adamo vnquam peccati ſeruitute infami obærãtã quiſquam arbitraretur: ipſe enim Suarius fatetur, B.Virginem fuiſſe venditam in Adamo, & ſeruituti peccati obnoxiam, Chriſtumque illos ſolos redemiſſe, quos vendidit Adamus, quod nos multùm dedecere Virginem Dei genitricẽ affirmamus, præſertim cùm ipſius redemptio, vt infra oſtendemus, rectè ſine hac dedecoroſa ſeruitutis nota aſſignari queat.

B. Virgo nec in Adamo deliquit, neque virtute contenta fuit in illo in ordine ad maculam.

Trident. Hoc noſtrum placitum fulcitur primò ſuffragio Patrum Concilij Tridentini ſeſſ.5. de peccato Originali; vbi poſtquam Synodus decretum de peccato originali protulerat, ſubiungit; *non eſſe ſuæ mentis, & intentionis eo decreto Virginem Deiparam comprehendere:* In quo decreto non ſolum ſermo inſtituitur de peccato Originali, vt à poſteris contracto, ſed etiã de eius debito; ex eo enim bis retulit verba illa Apoſtoli; *in quo omnes peccauerunt* quæ de debito, & peccato in Adamo intelliguntur, & quidem verbis illis vniuerſam decreti Diuini, & pacti doctrinam fundat Tridentinum, adeóque Concilij mens fuit non comprehendere Virginem Deiparã neque in peccato Adami, neq; ipſius debito. Verba enim Concilij ſic ſe habent: *Si quis Adæ præuaricationem ſibi ſoli, & non eius propagini aſſerit nocuiſſe &c.* Ergo ſub illis noluit B.Virginem cohiberi, ergo noluit comprehendere illam, neque in peccato Adæ, neque in ipſius debito: Quod ex eo patet, quia ſi illis verbis comprehenderet Deiparam, profectò iam peccatum Adæ ipſi Deiparæ nocuiſſet, nam & peccaſſet in Adamo, & hic transfudiſſet in B.Virginem debitum contrahendi peccatum. 565.

Cypr. Secundò, noſtrum Aſſertum ſuo calculo cõprobant aliqui ex Patribus. Cyprianus alibi productus ita fatur: *Nec ſuſtinebat iuſtitia, vt illud vas electionis communibus laſſaretur iniuriis, quoniam plurimum à cæteris differens, naturã communicabat, non culpã.* Ac ſi diceret oportuiſſe voluntatem Deiparæ cum voluntate Adami non fuiſſe coniunctam, aut colligatam, ſed neque eſſe filiam ipſius quoad eſſe morale, ſed ſolùm quoad eſſe phyſicum: non ergo B.Virgo vnquam communicauit cum Adamo, neque in lege peccati, neque in crimine ab Adamo commiſſo; aliàs non communicaret ſolã naturã, vt dicebat Cyprianus. August. Adhuc luculentiùs nobis adfauet S.Aug. in expoſit. Symboli, & orat. Dominicæ, *Conueniens, ait, erat, vt lege peccati noſtri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, Dei Mater non teneretur obnexia.* Ildeph. Cui adſtipulatur S.Ildephonſus lib. de Parturit. & Virginit. Deiparæ, vbi hæc habet: *Alioquin*

Alioquin quid est, quod legem naturæ requirunt in Maria, vbi totum, quod in ea fuit, possedit Spiritus Sanctus. Præterea Anselmus serm. qui recitatur in officio Conceptionis approbato à Sixto IV. lectione 1. quartæ diei: sic habet: *Vas electionis cognominatur S. Paulus, omnes homines in Adam peccasse fatetur, vera vtique sententia, & cui contradicere, nefas esse pronuncio; sed cum eminentiam gratiæ Dei in te, Maria Virgo, considero, sicut non intra omnia, sed supra omnia, quæ facta sunt, ineffabili modo contueor, ita te non lege naturæ aliorum, in tua Conceptione deuinctam esse opinor.* Anselm.

566. Agendum nunc rationibus, vt hæc Thesis amplius constabiliatur. Primò ergo suadetur: quia nefas est animo cogitare, nedum ore proferre, apud piæ sententiæ propugnatores, Virginem Matrem peccati morte, vel in aliquo instanti mortuam iacuisse; hoc autem verum esset, si ea à peccati debito non fuisset exempta; ergo verè fuit. Prima propositio inde suaderi potest, quòd Adamus, & Eua maledictioni Diuinæ obnoxij, post vetiti pomi esum, mortis debitum contraxerunt, iuxta Dei pronunciatam sententiam: *In quacumque hora comederis ex eo, morte morieris* Gen. 2. non quia reapse mortui statim fuerint, sed quia mortis debitum contraxerunt: ergo asserendum est, vel Virginem Deiparam non contraxisse hoc debitum; vel verè de ipsa affirmabitur, peccati morte fuisse mortuam in aliquo instanti.

In nullo instanti verum est dicere B. Virginem peccati morte mortuã fuisse. Gen. 2.

567. Deinde B. Virgo libera fuit ab aliis legibus, quæ minus dedecebant Dei matrem, nempe à lege Purificationis, à lege redigendi in puluerem: ergo multo magis rationi consentaneum erat, vt à lege incurrendi debitum peccati liberaretur, quod tanquam indecorum, ac turpe, sua turpitudine eximiã B. Virginis puritatem macularet. Et confirmari potest hæc ratio, quia magis dedecet Deiparam obligatio, & necessitas peccandi in Adamo, quàm solùm habere aliquid inclinans ad materiale peccati, scilicet peccati fomitem; atqui fomes hic tanquam quid indecorum, ac turpe à tanta Virgine procul arcetur vnanimi Doctorum consensu, vt alibi videbimus: ergo meliori iure arcenda erit à debito peccati, quod secum includit, in alio deliquisse, & necessitatem contrahendi in se peccatum. Si ergo Deus à Virgine Matre adeo peccati maculam inhibuit, vt nec nudum peccati nomen ipsam afficere permiserit; & fineret peccati debitum incurrere? Haudquaquam inquit Gerson: *Peccati fomes in Maria extinctus fuit, quod Paulus peccatum appellauit: (nam quod inhabitat in me peccatum.) vt vel peccati nomen ab ipsa procul esse crederemus, ne dum peccatum ipsum.* Non ne fœdior, ac turpior est obligatio ad peccatum, & ad peccandum necessitas, quam nudum peccati nomen absque peccati natura fœculenta? Itaque B. Virgo non solùm à culpa, eiúsque debito, ac ipsius fomite immunis fuit, verùm & omni caruit vmbra, ac vestigio peccati, ideóque nudum peccati nomen procul à se arcet: Huc flecto verba Chrysologi serm. 77. in illud Luc. 7. *Erat mulier in ciuitate peccatrix.* Cur fœminæ subticet nomen? an quia anonyma? consultò Mariæ nomen ore non assumit, ob reuerentiam Mariani nominis, à quo semper procul abit & nomen ipsum peccatricis, ne cum ipsius coniunctione pulchritudo Mariani nominis aliquo modo deuenustaretur. *Venit,* inquit Chrysologus, memorãs illas fœminas, quæ valde diluculo inuisunt Domini sepulchrum abierant, *venit mulier, sed redit Maria.* ac si diceret: Peccatrix illa fœmina, sola mulieris vnce appellata, vt pote indigna tanti Nominis baiula, quia tot, tantorúmq; flagitiorum turpitudine se ipsam fœdauerat, postquam verò profuso lachrymarum flumine peccatorum maculas eluerat, ac Christi sanguine recens fuso dealbara, dum Christo patienti compateretur, Mariæ quasi deperditum nomen nouitus sibi comparauit.

Gerson.

Maria adhuc nudum peccati nomen procul à se amandat. Luc. 7.

Chrysol.

568. Amplius exaggerabo huius debiti turpitudinem; si enim illud incurrisset, vel quod magis est peccati vmbram infectata fuisset, vel alicui peccati vestigio inhæsisset Virgo Deipara, à Deo nesciri videretur, si Bernardo danda est fides; qui de Christo fatur, dum Circumcisionis nota specie tenus peccator apparet, serm. de Circumcisione, hæc profert verba optimè Virgini Matri aptanda; si infami debiti huius nota inusta coram Deo, & Angelis compareret: *Si quo modo,* ait Bernardus, *Deus posset non cognoscere Filium, in quo et bene complacuit, ex hoc signo maxime poterat ignorare eum.* Tametsi igitur solus Deus arcanas Virginis Deiparæ excellentias agnoscat, & comprehendat; ita tamen vel peccati vmbram auersatur, vt si hoc peccati debitum eidem inhæreret, eoque obærata fuisset, profectò ex eo maximè Deus ignorare diceretur Mariam, ac sublimes eiusdem prærogatiuas nescire Quare nullus audaci nisu tãta Virgine fatuarum Virginum numerum adaugeat, eámque inter imprudentes reponat, quibus Christus D. obiicit durissima illa verba; *Nescio vos.* Minus itaque igni debetur frigus, qui semper cum calore coniunctus est, minus aquæ debetur siccitas, quàm semper humiditas comitatur, quàm B. Virgini peccatum debitum sit; quæ semper comites habuit Puritatem, & Innocentiam originariam, veluti proprietates sibi inditas: benè in rem præsentem pius Author: *Sicut ignis nunquam fuit sine calore, nec aqua aliquando fuit sine humore; ita B. Deigenitrix nunquam fuit sine innocentia, & puritate.* Hanc peccati obnoxietatem visus est relegasse à Virgine Deipara Archangelus Gabriel, dum eam illis verbis salutat: *Aue gratia plena, Dominus tecum.* Quæ verba prima fronte nihil eximiæ, & singularis laudis, & encomij præseferre merito alicui videri possint; siquidem vt dixit Paulus act. 17. *Non longè sit ab vnoquoque nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus:* si ergo ratione immensitatis cum omnibus adest Deus, nihil mirum quòd sit Deus cum Virgine: Sed magnum profectò elogium delitescit sub illis verbis: *Dominus tecum.* Quasi diceret, inquit Augustinus: *Dominus tecum, magis quàm mecum: ipse enim in tuo est corde, in tuo fit vtero, adimplet mentem, adimplet ventrem.* Verùm qui potuit esse Deus magis cum Maria, quàm cum Angelo, quo cum à primo creationis instanti per gratiam adfuit Deus; nunquam enim Angeli boni gratiæ fulgore non coruscarunt; perperam ergo dicitur Deus cum Maria magis fuisse, quoad durationem, quàm cum Angelo; & tamen tantus Doctor constanter asseuerat, plus Deũ adfuisse Mariæ modis omnibus, quàm Gabrieli. Verùm nodum dissolues, si asseras, Angelos in gratia conditos à primo creationis puncto, obnoxios tamen fuisse peccandi discrimini: siquidem potuerunt delinquere, sicut & Lucifer, & eius asseclæ; hanc ergo labendi obnoxietatem, qua exempti non fuerunt boni Genij, non contraxit Virgo Deipara. Quare meritò dicere poterat Gabriel ad Virginem: *Dominus tecum, magis quàm mecum.* Quia tametsi Gabriel à culpa liber fuit à primo conditionis momento, non tamẽomninò fuit immunis à labendi periculo

Maria Virgo si vel peccati vestigio, & debito obnoxia fuisset, à Deo nesciri videretur. Bernard.

Bernardin. de Bust.

Luc. 1.

Act. 17.

Aug.

Angeli boni, licet in gratia conditi, obnoxij tamẽ fuerunt peccandi discrimini.

periculo, à quo remota fuit Virgo B. nec debito peccati protopatentis obnoxia.

569. Hanc à peccati debito exemptionem,& nobilitatem extra omnem periculi aleam in peccatum labendi, innuebat Ioannes Apoc. 12. dum vidit Mariam Luna innitentem: *& Luna sub pedibus eius*: Mos inoleuit apud Veteres, vt qui reliquis nobilitate præstarent, lunulas in calceis gestarent, vt ostenderent nobilissimi sui sanguinis claritudinem, nullius mutationis vicissitudini obnoxiam esse, nec decremento vnquam diminuendam, adeoque nulli debito aut vectigali obæratam, sed omnino liberam, & immonem.

Apoc. 12.

Plutarc.

Cur inolebat Plutarchus in qq. Roman. q. 76. *Qui nobilitate generis aliis præstare videbantur, Lunas in calceis gestabant? An vt Castor ait, signum hoc est habitationis supra Lunam*: & inf. *An hoc prisci habuerunt eximium, qui erant Arcades cum Euandre, & ante Lunam nati dicebantur.* Meritò ergo Maria Luna, vt crepidis calceatur, vt ostendat se ante Lunam prædestinatam fuisse; iuxta illud Prou. 8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis.* & infr. *adhuc terram non feceras, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat Cœlos aderam, quando æthera firmabat sursum.* Quare antiquitatis, & nobilitatis splendore omnes creaturas excellit; merito ergo Lunam pedibus gestat, vt se nobilissimam profiteatur; ac proinde ab omni tributo immunem nulli debito in peccatum prolabendi obnoxiam.

Prou. 8.

570. Profectò si Virgo Deipara hoc peccati debitum incurrisset, eius nobilitatis fulgor deuenustaretur, ac fœdissimo næuo deturparetur; siquidem potuisse aliquando in peccatum prolabi, valde detrahit ingenuæ nobilitati Matris Dei; & dubio procul clarior, & illustrior est sanctitas, quæ nec peccato maculatur, nec peccati contrahendi debito obnoxia est, nec culpæ admittendæ idonea est. Huic roborandæ thesi firmitudinem addet Sanctus Iobus c. 25. *Stella*, inquit, *non sunt munda in conspectu eius.* Vbi stellarum nomine S. Hieronymus, non stellas firmamenti intelligit; quas ipse conditor Deus ad examen vocat, & nullam in illis maculam reperit; ait enim Genes. 1. *Vidit Deus lucem quod esset bona.* Sed per illas, Angelos intelligi debere docet S. Doctor. Sed quid? an Genij illi boni, qui pro Dei honore aduersus Luciferum, & asseclas mordicus decertarunt, aliqua se culpa attaminarunt? cur ergo dicuntur non mundæ eiusmodi stellæ in conspectu Dei? Nempe non de perpetrata culpa immundi vocantur; sed quia idonei, & obnoxij lapsui. Rectè inibi Hieronymus: *Sub nomine stellarum Angelos, & supernas potestates intelligere possumus: immundi, & tenebræ possunt vocari, ex eo vtique quoniam natura condita creatura, licèt non peccent, capaces tamen sunt peccati, vt apparuit in aliis Angelis*: Quia ergo Angeli boni labi in peccatum potuerunt, ideo coram Deo non mundi dicuntur de culpæ capacitate. Dicatur ergo de Maria: *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Quæ semper coram Deo pulcherrima, & mundissima decantatur, quia nec primordiali fœdata peccato, nec periculo labendi obnoxia fuit.

Iobus 25.

Hieronym.

Genes. 1.

Angeli boni quia obnoxij fuerunt peccandi discrimini, dicuntur immundi coram Deo.

571. Voluit aliquando Deus Iobi patientiam nobis ante oculos ad imitandam proponere; ideo Dæmonem allocutus ait: *Ecce vniuersa quæ habes in manu tua sunt.* Iob c. 1. Qua facultate concessa Dæmon, quas Iobo calamitates non intulit? habes enim ibi: *Nuncius venit ad Iob, qui diceret: boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabbæi, tuleruntque omnia, & pueros percusserunt gladio; cúmque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit, ignis Dei cecidit de Cœlo, & tactas oues, puerósque consumpsit &c.* Proh Deum immortalem! quanta malorum Ilias de repente ingruit in vnum Iobum, ventos instigat Satan in filios; ignium globos in armenta succendit; prædonum manus in boues, & camelos exacuit. Quid tunc Iobus? *Tunc surrexit Iob & scidit vestimenta sua.* Cur ita vestes discindit? an quia tantarum calamitatum cataclysmum ægrè ferat, quasi ira percitus, in iracundiam adactus? Absit à patientissimo Viro nefas tantum. Quis hic astum, & sapientiam Iobi non adstupeat? sciebat nimirum Iobus vestimenta sua simul cum aliis bonis, Dæmonis arbitrio, & nutui tradita, ideo illa discindit, & à se procul remouet, tanquam propudiosa, & immunda, ac se ipso indigna; licèt enim illa adhuc Dæmon non maculauerat attactu suo, tamen quia potestati eius commissa fuerant, & arbitrio suo obnoxia, ea longè à se amandat, quasi nota Dæmonis charactheristica iam inusta, ac eiusdẽ signo veluti sigillata, idcóque indigna, vt eisdem deinceps corpus eius contegeretur. Præclare in rem nostram Origenes præfata verba commentans, Iobi nomine ita fatur: *Tollite & hanc vestem; proiicio etiam hanc vobis: nihil apud me remanet ex his, quæ in potestatem nequitia vestra data sunt.* Regi indecoram, & immundam duxit Iobus vestem, quæ tametsi à Dæmone temerata non fuerit; eius tamen nutui fuit obnoxia: ita vt sat fuerit potuisse vestimenta à Dæmone inquinari, vt Iobus arbitraretur, illa omnino immunda, maculata, ac ideò Rege indigna; quia inclusa sub illo generali Dei decreto: *Ecce vniuersa quæ habet in manu tua sunt.* Ex sola inclusione sub illo decreto, & capacitate, vt possent à Dæmone contingi, & attaminari vestimenta sua, Iobo iam sordescunt, multo ergo minus Rex Christus, qui ex vellere Agnæ Mariæ Virginis sibi vestem purpuream aptauit; si hæc sub generali peccati decreto aliquando fuisset comprehensa, adeóque debito peccati exposita, ac labendi periculo obnoxia; tanto Rege dignam reputaret, sed procul à se amoueret: ideò Mariam nullo vnquam tempore peccati debito obæratam voluit, ne alicui immunda, & deuenustata videretur.

Iob 1.

Iobus vestimenta sua tempore arbitrio, & nutui Dæmonis obnoxia, ideo discindit, & procul à se remouet.

Origenes.

Alio etiam ex capite euinci potest Virginem Matrem in Adamo non deliquisse, neque ipsius delicti debitum incurrisse; nempe quia fuit Corredemptrix cum Christo; supponit autem hæc ratio Christum Dominum triplici ex capite immunem fuisse à labe originaria, ac debito illam contrahendi. Primò quia erat verus Dei Filius ratione vnionis hypostaticæ, qua constituitur Christus, etiam vt homo, Filius Dei naturalis. 2. Quia ex Matre Virgine progenitus, nullo virili semine, non potuit debito originariæ culpæ subiacere. 3. Quia fuit à Deo in mundi Redemptorem prædestinatus, qui solus titulus, seclusis aliis, sufficeret vt debito peccati contrahendo liber euaderet; cuius rei ratio efficax est, quia vniuersorum Redemptor, oportebat vt ipsius peccati turpi captiuitate, ac seruitute non teneretur: talis enim decebat, vt esset nobis Pontifex Sanctus, impollutus, excelsior cœlis factus: Atqui B. Virgo exstitit cum Christo Corredemptrix, vt speciali congressu ostendimus: ergo longè à peccatoribus segregata; sub peccati debito contineri non docuit. Dupl'ci autem ratione innititur honorificentissimum hoc Corredemptricis nomen in Deipara. Prima, quia Christum concepit, ei corpus subministrans, tanquam mate- 572.

Maria quia corredemptrix cum Christo, caruit debito peccati.

riam,

8

riam, siue aurum, quod suo infinito valore actionum nempe Theandricarum sigillans, infinitum valorem Deo Patri reddidit in omnium hominum redemptionem. Ideo S. Antoninus 4. p. tit. 15. cap. 14. verba illa. *Cum eo eram cuncta componens*, B. Virgini aptat cum Ecclesia, subditque, *scilicet recreando, quæ per culpam destructa erant.* Quod planè fassa ipsa Deipara S. Brigittæ lib. reuelat. cap. 35. sic allocuta: *Dolor Christi erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum: & sicut Adam, & Eua vendiderunt Mundum pro vno pomo, sic Filius meus, & ego redemimus Mundum quasi vno corde.* Secundam rationem, quare Deipara dicatur Corredemptrix, *loco citato* pluribus statuimus.

CERTAMEN III.

An Deipara Virgo inclusa fuerit in aliqua parte Decreti cum Adamo initi.

573. PLures ex Doctoribus, qui B. Virgini immunitatem à peccati debito defendunt; adhuc eam inclusam fuisse in lege, & pacto inito cum Adamo circa partem transfusionis gratiæ affirmant. Discrepant in explicandi modo. Quidam enim, cùm constituant entitatem peccati originalis in priuatione gratiæ, asserunt Virginem Matrem in ea parte pacti inclusam fuisse, vt reciperet, aut amitteret gratiam; ita tamen, vt per peccatum Adæ deperdiderit eos gratiæ gradus, quos ex titulo filiæ Adæ consecutura erat; non vero reliquos gratiæ gradus, siue portionem titulo maternitatis Dei illi debitos, ac prædefinitos: subdúntque, eam gratiæ amissionem non esse peccatum originale, neque ipsius debitum, quia peccatum originale est priuatio omnis gratiæ debitæ; at B. Virgo solùm contraxit amissionem partis gratiæ per Adamum transfundendæ. Ita Sheilogus tom. 2. fol. 347. n. 34. Sheilog.

Improbatur hic opinandi modus primò, quia subiicit Virginem Deiparam Adamo tanquam Capiti. Tum quia ponit in ea amissionem, & debitum carendi gratiæ parte cum voluntario sufficienti in Adamo; quod licèt peccatum non foret per se, tamen dedecet B. Virginem, quia supponit peccatum volitum in alio, & quia est amissio voluntaria arctioris amicitiæ debitæ cum Deo. Secundò, Quamuis illa priuatio directè esset duntaxat partis gratiæ, indirectè tamen esset incompossibilis cum omni alia gratia; sicut etiam priuatio gratiæ in posteris Adæ, licèt directè tantùm priuet portione gratiæ recipiendæ ab Adamo, est tamen incompossibilis cum omni alia gratia, cùm inducatur ea priuatio per peccatum mortale Adæ, quod oppositionem dicit cum omni gratia: ergo indirectè saltem omnem aliam gratiam interimit. Tertio, quia illa amissio gratiæ in B. Virginem transfusa, dicénsque ordinem ad peccatum Adæ est voluntaria in alio, Deóque displicens, & inuisa: ergo est mala moraliter, & aliquo modo peccatum; ergo à Virgine Matre procul amandanda.

574. Alij ex his qui negant culpam originalem sitam esse in priuatione gratiæ, aiunt, Virginem Deiparam contentam fuisse sub pacto Adæ quoad transfusionem, & amissionem gratiæ; non verò quoad transfusionem culpæ. Sed nec minus displicet hic explicandi modus, quia hoc debitum carendi gratia, imponitur B. Virgini tanquam voluntarium, non in se, sed in suo Capite: at Virginem Deiparam velle in alio amissionem gratiæ, inde-

corum est, & vix à peccato purgari potest; si enim Adamus iuxta hos Doctores, erat Caput morale B. Virginis in ordine ad transfusionem gratiæ, vel amissionem; ergo voluntas B. Virginis erat in Adamo collocata in ordine ad consequendam, vel deperdendam gratiam; ergo priuatio gratiæ fuit ipsi voluntaria in Adamo: peccare enim in Adamo nihil aliud est quàm elicere eandem actionem Adami moraliter, ratione voluntatis in eo tanquam in Capite constitutæ: ergo amittere gratiam in Adamo, erit etiam gratiæ amissionem esse voluntariam in Adamo, respectu virginis Mariæ, ratione constitutionis voluntatis suæ in illo, tanquam in Capite. Si ergo B. Virgini est in alio voluntaria amissio gratiæ, profectò eadem ratione ipsi debet esse voluntarium id, quo amittitur gratia, & sine quo non amitteretur: id autem quo deperditur gratia, est actio praua Adami; ergo hæc fuisset B. Virgini voluntaria in alio, ac proinde deliquisset in Adamo, quod auersantur asserere hi Doctores.

Alij demum opinantur, Virginem Deiparam ingressam fuisse pactum Adami in ordine ad recipiendam gratiam, non tamen in ordine ad illam deperdendam. Id tamen fieri non potuit, siquidem pactum initum cum Adamo fuit vnicum, & initum sub ea conditione, scilicet, quandiu non perfregeris præceptum impositum: ergo fieri non potuit B. Virginem ingredi pactum illud, solùm ad recipiendam gratiam, & non ad illam amittendam. Assumptum ex eo constat, quia neque ex sacris voluminibus, neque ex Patribus aliud pactum erui potest. Deinde hoc pactum, quoad illam partem, qua B. Virginem sub se cohibet; vel fuit vniuersale, & commune cum aliis posteris Adæ; vel non: si dicas primum, iam vtique non potuit esse secundùm illam partem absolutum, cùm respectu aliorum fuerit conditionatum: si asseras secundum, iam B. Virgo ingressa non est secundùm aliquam partem, legem, & pactum commune, quia pars illa non est communis, sed specialis, & singularis. 575.

Censeo ergo Virginem Deiparam non ingressam fuisse legem communem, etiam quoad illam partem, quæ gratiam respiciebat; nec debuit B. Virgo recipere gratiam ex Adamo; nec decens fuit omnium Reginam, Adamo subiici tanquam Capiti. Ita Recentiores docti cum Lucero de Conceptione; Idémque affirmare debet, si constans velit esse doctrinæ, Salazar; constituit enim decretum B. Virginis post legem, & pactum Adami, & post Christum Redemptorem. Vt autem præmuniatur via ad probationem; præmitto, Virginem Deiparam, priuilegia omnia nacta fuisse ex maternitatis dignitate, quæ donum fuit Dei, nullo interueniente medio creato; cùm ergo non fuerit euecta B. Virgo ad Dei Maternitatem per Adamum, & ab hac dignitate, tanquam à radice, omnem gratiam hauserit, non igitur Adamus Caput B. Virginis, quoad esse morale constitui potest. Quod hoc discursu constare potest: Quidquid gratiæ reapse obtinuit Virgo B. in dignitatem maternitatis Dei refunditur: atqui hæc dignitas non ei obuenit ab Adamo, nec per ipsum: ergo neque pactum cum Adamo potuit ingredi in ordine ad gratiæ transfusionem; ipsa enim B. Virgo est debitrix gratiæ dignitati maternitatis Dei, non verò Adamo. Dignitas ergo maternitatis Dei fuit radix, & origo gratiæ omnis in Deipara, propter quam Deus ipsi originalem iustitiam, & innocentiæ statum nobiliori modo contulit quoad 576. *B. Virgo neque quoad gratiæ transfusionem ingressa fuit pactum cum Adamo.*

intrinseca, quàm Adamo ante præcepti transgressionem.

Bernard.Sen.

Imò, gratia hæc B. Virgini maternitatis titulo concessa, altioris est ordinis, & Hierarchiæ, illâ quæ esset in statu innocentiæ: quia dignitas Matris Dei fuit omnium donorum, seclusa vnione hypostatica, excellentissimum, vt ritè expendit S. Bernardinus serm. 61. de B. V. cap. 12. illis verbis: *Et quidem quod Deus generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura sua conueniat, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale; imò impossibile est, quòd non generet Deum propter suam fœcunditatem: sed quòd fœmina conciperet, & pareret Deum, est, & fuit Miraculum Miraculorum; oportuit enim, fœminam eleuari ad quandam quasi æqualitatem diuinam, per quandam infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam creatura nunquam experta est: Vnde vt credo, ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in B. virginem descenderunt in hora Diuinæ Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere.* Ex quibus rectè deduces gratiam huic tantæ Virgini collatam, in instanti sui Conceptus, sublimioris esse ordinis, gratiâ innocentiæ, quæ collata fuit primis parentibus, pro illo fælici statu. Sicut enim Christus, adhuc si sermo sit de gratia accidentali, altiorem multo gratiam obtinuit, illâ, quæ in innocentiæ statu reperiretur; quia Christi beatitudo pertinet ad sublimiorem chorum, quàm sit reliquorum omnium siue hominum, siue Angelorum: ita similiter beatitudo Deiparæ spectat ad altiorem hierarchiam, quàm sit omnium, siue hominum, siue Angelorum beatitudo: ergo gratia B. Virginis sublimioris est ordinis, quàm sit hominum, & Angelorum gratia; siue illa excellentia sit in gradu specifico, siue indiuiduali: ergo gratia Virgini Matri concessa multò excellentior fuit, quàm illa, quæ ipsi conferretur ab Adamo, si in innocentiæ statu perdurasset. Gradus itaque gloriæ, ad quem Deipara euecta est, solùm spectauit ad beatitudinem hierarchiæ Dei hominis; ergo per illum, & in illo gratiam nacta fuit, non verò per Adamum, cùm gratia semper gloriæ mensuræ respondere soleat; ergo Deipara haudquaquam inclusa fuit in aliqua parte pacti iniri cum Adamo, neque hic exstitit ipsius Caput morale; licèt ab illo physicè descenderit: Christus itaque solus fuit B. Virginis Caput morale, & ab illo, & per illum, ipsiúsque meritorum intuitu adepta fuit gratiam sublimiorem omni gratiâ innocentiæ, quæ fuisset in Adamo, eiúsque posteris, imò & illâ quæ Angelis fuit communicata.

577. Hinc rectè deducat aliquis, Virginem Deiparam nequaquam filiam fuisse legitimam Adæ, sed solùm naturalem: quod nequit verti in infamiam & opprobrium ipsius, sed in decus maximum, & honorem. Non fuit ergo progenita iuxta leges, ac præscripta, & pactum Dei cum Protoparentibus, sicut reliqui Adæ filij: at Virgo Mater solùm quoad entitatem physicam à primis Parentibus processit. Propter cuius delictum tam ipse, quàm eiusdem filij vsque ad omnes generationes gratiæ maioratu priuati sunt, ac innocentiæ theristro exuti dedecorosum, & infamem saccum induerunt; quem maioratum Deus in capite primi parentis, & in reliquis posteris, tanquam legitimis hæredibus collocauit in quorum defectu, quia peccato demortui sunt, filia naturalis nempe Virgo Deipara subrogata fuit, quia semper à peccato, & debito

B. Virgo non fuit filia legitima Adæ, sed solùm quoad corpulentam substantiam.

immunis, atque adeo status innocentiæ hæreditatem peramplam adiuit: cuius rei typum habes cap. 27. Numer. Vbi Saalfaad demortuo, filia Tersa nomine, in defectum virorum cum sororibus in hæreditatem paternam suffecta est, iudice Moyse consulto Deo. Sic demortuo Adamo, ac reliquis filiis legitimis in ipso per peccatum; sola Virgo Mater superstes remansit, atque adeò paternam innocentiæ status hæreditatem nanciscitur: quò respexit Sponsus Cant. 6. *Pulchra es amica mea, suauis, & decora*: Lectio Tygurina transtulit: *Pulchra es amica mea sicut Tersa*: sicut hæc patris hæreditatem aucupata est in virorum defectum; ita etiam, ô Deipara, paternam hæreditatem iustitiæ originalis ingrederis ob parentum mortem, ac reliquorum liberorum in ipso.

Numer. 27.

Cant. 6.

Nec obstare potest, si dixeris, B. Virginem ante Christi Conceptum non obtinuisse dignitatem maternitatis Dei; quid igitur dedecoris, vel indecentiæ latêre potest, etiamsi dicamus ante maternitatem in Adamo deliquisse, ipsiusque delicti debitum contraxisse. Sed apage tantum probrum in tantam Virginem iactare; quippe non modo ad gloriam maternitatis iam obtentæ, sed etiam ad electionem futuræ maternitatis conduxisse, vt ea pulchritudine emicaret, quæ Maior sub Christo Deo concipi potest; eodem nixus fundamento S. Thomas ait, decuisse B. Virginem toto vitæ tempore omni defectu leui carere ob electionem ad Dei maternitatem: Quid quod cum pluribus infra docebimus, Christo non existente in rerum natura, neque B. Virginem exstituram: ergo solùm electa vt Mater Dei existeret, ac proinde a primo Conceptionis instanti honorifico maternitatis Dei titulo aggaudebat. Est quidem in hanc rem perpulchra D. Chrysologi excogitatio serm. 146. ea dilucidans verba Matth. 1. *Christi autem generatio sic erat*: Cum esset desponsata Mater eius Maria Ioseph: *suffecerat dixisse*, ait aureus Pater, *Cum desponsata esset Maria: quid sibi vult sponsa mater, si sponsa, non adhuc mater? virginitate sponsa, fœcunditate mater; mater viri nescia, partus conscia. Aut quo modo non ante Conceptum mater, quo post partum Virgo mater? aut genitrix, quomodo non, quæ sæculorum generauit Authorem; initium dedit verbis &c. Maria mater vocatur, & quando non Maria mater?* Itaque nullum tempus, nec momentum, nullus status, nulla ætas, nulla futuritio mente cogitari, vel intellectu concipi potest in Maria Virgine, quæ non sit præcellenti Matris Dei titulo nuncupanda. 578.

Chrysol.
Matth. 1.

B. Virgo in nullo vnquã instanti fuit præcellenti Matris Dei titulo destituta.

Libet præpositam thesim Theophyl. acumine confirmare: expendit ille in Luc. 1. Diuam Elisabetham B. Virginem iam matrem Dei ante partum vocasse; cùm tamen fœminæ vtero grauidæ matres appellari non soleant, antequam prolem in lucem edant, propter periculum abortus: sed quia Dei Mater hoc discrimen subire non poterat, nec poterat non esse Mater Dei, quia ab æterno fuit in Dei matrem electa, ideò iam ante partum singulari Spiritus sancti ductu, Mater Dei nuncupatur, antequam pareret præter communem morem. *Priusquam pariant non solemus matres vocare propter periculum abortiendi; in Virgine autem, nihil tale suspicari oportebat; & idcircò priusquàm pariat, Mater est.* Meritò igitur in suo Conceptu excellenti maternitatis Dei titulo decoratur, & vt Dei genitrix suspicitur, quia in hunc solummodo finem ab æterno destinatur. Hinc proculdubio natum, vt in Ecclesia, nec Conceptionis Marianæ

Theophyl.

festum

festum fine hac Maternitatis tessera abeat; iam enim auribus illud insonat; *de qua natus est Iesus.* Itaque nullum elogium, nulla laus, nulla panegyris Mariana ire potest Dei maternitate vacua.

In hanc rem subseruire potest Alcuini qu. 28. in Genes. (Gen. 1.) Cur, inquit, assleritur in primo die Cœlum, ac terram condita fuisse? *In principio creauit Deus Cœlum, & terram*, siquidem initio non fuit creatum Cœlum, vsque ad secundum diem, in qua firmamentum dicitur factum; nec terra forsan quousque tertia die apparuit, saltem non perfecta, & tamen de vtrisque ait sacer Scriptor: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram.* Soluit quæstionem citatus Doctor. *Informis*, ait, *illa materia, quam de nihilo fecit Deus, appellata est primò Cœlum, & terra, non quia iam hoc erat, sed quia hoc esse poterat: nam secunda die Cœlum istud sydereum, factum esse legitur; & tertia die Terram apparuisse, & vestiri floribus cœpisse.* (Alcuin.) Non tamen assentior illius sententiæ, nempe solum informem materiam absque vlla forma à Deo fuisse creatam: Oppositum docui lib. 1. Physic. solùm assero embryonem illum Cœli, terræque, quidquid illud fuerit, vocari iam cœlum, ac terram, quia ex illo Cœlum, ac terra educenda erant, illud syderibus ornandum, hæc floribus, & arboribus conuestienda: in gratiam ergo futuræ cœlestis prolis vocatur embryo ille Cœlum: & quomodo B. Virgo ante Incarnationem Verbi mater non deprædicabitur, quæ ab æterno in hos solum vsus destinata fuit.

Ideò Mariæ nomen longè ante ipsius Conceptionem iam à Deo fuit nuncupatum, teste Petro Dam. (Pet. Dam.) *Et statim*, inquit, *de thesauro Diuinitatis Maria nomen euoluitur, vt sicut sine ipso nihil factum est, sine ipsa nihil refectum sit.* Profectò ioquisitione dignum, qoòd tam maturè, ab æternitate scilicet nomen B. Virgini inditur; nempe vt nullum præterlaberetur spatium, in quo destitueretur B. Virgo Dei maternitate; id enim sonat Mariæ nomen, scilicet, *Deus ex genere meo.* Hæc vna celeritatis causa, vt anticipato tempore, antequam ederetur in lucem, antequam conciperetur infantula, Mariæ nomen imponitur, vt nullum esset instans, in quo Virgo B. Dei maternitate careret: & sicut superus Pater nullo, vel rationis signo concipi potest, quin Pater sit; ita aliquo modo Maria Virgo, nulla differentia temporis, adhuc antequam existeret, concipi poterat, quin simul Dei mater concipiatur. Et sicut Verbum Diuinum æternitatis amans à Patre æterno æterna generatione procedit; etiam io Matre temporalem æternitatem exambit, vt nullum effluat spatium, in quo Matris Dei nomine non donetur; ideò subtili argumentatiooe Chrysolog. *suprà*, ex æternitate filij Matris æternitatem auspicatur: *Quando non mater, quæ sæculi generauit Authorem.*

CERTAMEN IV.

Componitur Immunitas à debito peccati originalis in B. Virgine cum Redemptione per Christum, & ordine decretorum.

579. (*Possidere idem sonat, ac redimere.* Luc. 1.) HIc coogressus præmittit tanquam fide certum, B. Virginem per Christum fuisse redemptam, quod ipsa Deipara ab Spiritu sancto edocta cecinit suo Cantico: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Id est, Saluatore meo, vt inibi Interpretes obseruant. Et iterum prou. 8. (Prou. 8.) *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Radix Hebræa, *Canah*, oon solùm *possidere*, sed etiam, *redimere*, significat; vt rectè expendit Hieronymus Oleaster (Oleaster.) *ibidem*; & probat ex Deuteron. 32. (Deut. 32.) *Nonne ipse est Pater tuus, qui possedit te?* prædictus Doctor transfert ex Hæbræo, *qui emit te.* Septuaginta Interpretes habent (Sept. Interp.); *qui emit te redimendo.* Vatablus (Vatabl.), *qui te ex Ægyptiaca seruitute in libertatem asseruit.* Rursus Exod. 15. (Exod. 15.) *Populus iste, quem possedisti.* Vbi vertit Chaldæus (Chald.), *quem redemisti.* Agellius (Agellius.), *quem, tanquam argento dato, coëmisti.* Cùm ergo Virgo Deipara ait: *Dominus possedit me, &c.* idem est ac si diceret, in libertatem asseruit, me rediмendo, ac præseruando filij sui meritorum intuitu, antequam res alias decerneret. (*B. Virgo ingenue fatetur se Christi sanguine fuisse redem. præu.*) Huc spectat celebre illud Ambrosij effatum iam alibi a me productum (Amb.): *Nec mirum si Dominus redempturus mundum, operationem suam inchoauit à Matre, vt per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.* Et S. Bernardin. ser. de Assumpt. (Bernard.) *Plus, ait, pro Virgine redimenda is venit, quàm pro omni alia creatura, iuxta illud Cant. 4. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa. Pro amore tuo carnem sumpsi, & vulneribus primis vulnerasti in cruce cor meum; nam primogenita Redemptoris fuit B. Virgo.*

580. Hinc ergo emergit ratio dubitandi apud propugnatores aduersariæ sententiæ; si enim B. Virgo neque culpam, neque debitum contraxit, vt docuimus, ergo nullo pacto dici potest redempta per Christum: siquidem pactum transfusionis peccati ingressa non fuit; ergo neque ab originali peccato, neque ab eius debito, quod nullo modo contraxit, redimi potuit; neque etiam ab actualibus, quibus omnino caruit: ergo ratio formalissima Redemptoris saluari nequit in Christo in ordine ad Virgioem Deiparam: Siquidem in illo signo primo rationis, in quo concipitur Christus prædestinatus in Redemptorem, prioritate *à quo*, non *in quo*, vt loquitur Schola; duo sunt expendenda, vt statuatur ratio formalis Redemptionis actiuæ, & passiuæ; aliud se tenet ex parte B. Virginis, alterum ex parte Christi: ex parte Deiparæ, opus est vt in illo signo habuerit debitum cadendi in Adamo; alias dici non posset obiectum præseruationis, nec contineri posset sub redemptione actiua Christi; nec Christus applicaret merita sua redemptioni Matris suæ, nec propriè diceretur redempta; sed fauor ille Matri exhibitus potius spectaret ad meram, & gratuitam Dei liberalitatem, quo vellet illam non cohiberi sub pacto inito cum Adamo, ac proinde Christus dici non posset Redemptor B. Virginis, sed liberalis fauoris largitor; quod enim constituit Mariam subiectum capax Redemptionis, est debitum infallibile culpam in Adamo contrahendi.

Meminisse hic oportet triti illius duplicis generis Redemptionis, communi Patrum plausu recepti. Primum est, quo lapsus liberatur. Secundum, quo quis præseruatur à lapsu. Alterum quo captiuum redimat; alterum, quo non sinat in captiuitatem ire. Vtraque hæc Redemptio admittitur à Doctotibus ex S. Dionys. de diuinis nominibus cap. 8. (S. Dionys.) *Verum enim profectò, & hanc salutem non præter intentionem Scriptura sacra redimenti prædicare possumus, quoniam cuiuscumque saluandorum admittit natura: idcirco illam Redemptionem etiam Theologi appellant ex eo, quod non finit, quæ*

vera

vera sunt, ad id cadere, vt non sint. Ex eo item, quod si quid deliquerint, & ab ordine suo aberrauerint, & imminutionem aliquam bonorum suorum passi fuerint; hæc etiam in parte, à passione, & imbecillitate, & priuatione redimit, implens quod deest, & a malo erigens, imo in bono sistens. & quod defluxerat reparans, ac disponens: Vbi aliud Redemptionis genus assignat, & quidem nobilius, quod præcauet, ne in peccatum, quod nihilum est, homo corruat; aliud, quod semel iacentem eleuat.

August.

Dilucidius idem tradidit August. in psal. 85. per hæc verba: *Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem forte ex aliquo labore, & dicat: parce tibi: sic te tracta, ne quiesce, his cibis vtere; nam si non feceris, ægrotabis. Tu autem, si feceris, & sanus fueris; rectè dices Medico: liberasti me ab ægritudine, non in qua eram, sed in qua futurus eram. Item nescio quis habeat causam molestam, mittendus erat in carcerem; venit aliquis, defendit eum, gratias agens quid dicit? eruisti animam meam de carcere.* Quod confirmat S.Doctor

Iudic. 3.

ex Iudic. 3.c. vbi dux inclytus Sangar dicitur Israëlem saluasse; *Ipse quoque defendit Israel*: ait sacer Scriptor. In originibus est: *Ipse quoque saluauit Israel*: cùm tamen nunquam captiuum populum

August.

redemerit. Nodum dissoluit S. August. q. 25. *Quomodo dictus sit saluasse Israel, potest esse quæstio? non enim rursus fuerant captiuati, nec iugo seruitutis inhæserant: intelligendum ita dictum, saluauit, non quia nocuerit aliquis hostis, sed ne permitteretur nocere: quem credendum est cœpisse tentare, & huius victoria fuisse depulsum.* Quid aptius intento dici potest? En strenuissimum Ducem, ac populi Redemptorem, qui hostilibus turmis incurrentibus se obiecit, ac fugauit, ac saluum reliquit populum ante ipsius captiuitatem, quo facto singularissimæ, ac nobilissimæ redemptionis Marianæ præferret imaginem.

Ad veram, & propriam redemptionem sufficit obnoxietas ad peccatum. August.

581. Censeo primò, ad veram, & propriam redemptionem, sat esse obnoxietatem ad peccatum, ortam vel ex conditione naturæ, vel ex modo generationis; quam obnoxietatem fuisse in B. Virgine supra ostendimus. Ostenditur hoc placitum ex proximè dictis: addo nunc eundem August. lib. 2. Confess. cap. 7. *Gratiæ tuæ deputo, & quæcumque non feci mala, quod enim facere non potui?* In quibus verbis solam dictam obnoxietatem significat August. & libro de dono perseuerantiæ, ad illa verba: *raptus est ne malitia mutaret intellectum.* Ait; beneficium esse gratiæ Christi, ita abripi, vt liberetur, & redimatur à peccatis, quæ admissurus erat, si diutius viueret. Hæc autem potentia peccandi in paruulo remota est, qua nempe peccaret, si diutius viueret; ergo sufficit ad gratiam Redemptionis, potentia, & obnoxietas remota ad peccatum, siue ad debitum peccati. Quod sic ostendi potest: ille modus nobilior est redimendi, qui seruat à lapsu, quàm qui semel lapsum reparat, & in pristinum statum redigit; sed Deipara hoc modo fuit redempta, & præseruata: ergo nobiliori modo redempta. Quod vt amplius clarescat, adnota, non esse propriè redemptionem, quamlibet liberationem à peccato, sed quæ fit per modum emptionis, in qua alter offert, alter acceptat; siue offeratur pretium, vt captiuus à captiuitate euadat, siue pro eo, qui fieri poterat captiuus, ne fiat. Deipara ergo verè, ac propriè dicitur redempta à Filio, quia pretio sui sanguinis obtinuit à Patre, vt à peccatis quibus remotè obnoxia erat, & ad quæ non repugnantiã habebat ex vi originis naturalis, omninò liberaretur.

Secundò probatur: quia ad redemptionem à peccatis actualibus non requiritur debitum, & obligatio, vt constat in primis parentibus, & aliis; ergo neque ad redemptionem originalis. Firmatur hæc ratio, si enim quispiam per Christi merita præmuniretur, ac liberaretur ab occasionibus peccandi, hæc quidem gratia singularis diceretur Christi Redemptoris, cùm tamen ille solam potentiam, & obnoxietatem remotam ad peccandum haberet: ergo hæc remota potentia ad gratiam redemptionis sufficit. Cùm ergo B. Virgo obnoxia esset, vt comprehenderetur lege vniuersali peccati originalis, exemptio ab illa lege, gratia potuit esse, & reapse singularissima fuit Christi Redemptoris. Verissime in hanc rem Cardin. Cusanus exercitationum lib. 8. protulit: *Non indiguit Virgo liberatore, qui illam absolueret à sententia in Adam, & posteros eius ex voluntate carnis lata, cui nunquam subiacuit: nec indiguit liberatore à seruitute, in qua nunquam fuit: Præliberatorem enim Virgo sancta habuit, cæteri Liberatorem: sola electa Dei Mater hoc habet, quod in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequiuit.* Card. Cus.

Tertiò probari solet ex eo, quia Deipara Baptismo est initiata, vt habet communis Theologorum opinio, & nos ostendimus alibi; ergo fuit à Christo redempta: cùm Baptismus, character sit redemptorum per Christum.

Validissimum hinc telum putant desumi aduersarij, quo nostram sententiam labefactent: cùm enim Baptismus nota sit, & Character Redemptorum, & Deipara Baptismo abluta fuit per Christum; ergo saltem in Adamo deliquit, ac debitum peccati originalis contraxit: forma siquidem verborum Baptismi, ac illa exterior lotio interiorem emundationem adumbrat; ergo vel B.Virgo sorde aliqua attaminata fuit in Adamo, vel vana, ac mendax fuit forma verborum Baptismi ab ipsa recepti. 582.

Quod firmari potest ex verbis Concilij Tridentini sess. 5. in decreto de peccato origioali: *si quis*, inquit, *paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti, aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam, vnde fit consequens, vt in eis forma Baptismi in remissionem peccatorum, non vera, sed falsa intelligatur; anathema sit.* Ex quibus apparet Concilij Patres censere formam Baptismi non esse veram, vbi nulla originalis culpa, neque ipsius debitum resederit emundanda. Conc. Trid.

Hoc tamen telum parum roboris continet, ac facilè infringitur; quia Baptismi Sacramentum ex primaria institutione sua solùm deposcit, hominem Baptizatum nota Christianismi characteristica sigillare, & ad reliqua Ecclesiæ Sacramenta aditum aperire: Deinde si quæ peccata in baptizando supersunt, eluit, siue originale, siue actuale sit, quod inclaret in adulto, qui paulò ante Baptismum per veræ contritionis actum, gratiam nanciscitur, & peccatum originale, & actuale obliterat, & expungit, & tamen super illum verè, & ritè forma impenditur Baptismi; iam enim ille cùm tingitur, primarium Baptismatis effectum adipiscitur. Deiparens ergo sacris Baptismatis vndis lustrata, charactere fidei fuit insignita, maximo gratiæ cumulo adaucta, ipsique ad reliquorum Sacramentorum mysteria aditus reseratus fuit; cùm autem Sole micantior existeret, ac cœlis purior, nihil sordium depulsum fuit.

Ratio

Ratio autem ex verbis Concilij compacta nullam aduersus nostram sententiam vim exerit; cùm postmodùm sancta Synodus subiecerit; suæ intentionis non esse B. Virginem decreto de peccato originali complecti: à recta autem ratione toto cœlo aberrat, qui censeret sanctam Synodum, tam breui verborum spatio, sibi ipsi aduersariam esse, affirmando nolle B. Virginem decreto illo de peccato originali comprehendi, & statim velle eandem peccato originali, ipsiúsve debito subiacuisse. Quocirca arbitror Concilium ibi nequaquam assertiuè pronunciasse verba Baptismatis non futura vera, quotiescumque baptizandi originaria labe carerent; vt perspicuè ostensum, subiecto à nobis exemplo; solum ergo sermonem instituit de paruulis recenter natis, quos illius temporis hæretici, nulla peccati originalis noxa ex Adamo deriuata infici contendebant: arguit ergo sancta Synodus contra ipsos, acritérque inuehitur in ipsos; asserens paruulos infectos originali macula in lucem prodire, ac subinde indigere; vt Baptismatis vndis eluantur; hoc enim communiter contingit: verùm sicut sub decreto de peccato originali noluit claudere Virginem Deiparam; ita ex consequenti, nec verbis supra præfatis, quibus omnes paruulos recens natos Baptismate indigere definit ad emaculandam originalis labis infectionem: vel affirmandum esset sanctam Synodum sibi ipsi contrariam esse in perbreui verborum interstitio; quod nefas est asserere.

Ægid. Instat Ægidius de præseruat. q. 3. art. 4. §. & q. 3. art. 4. & q. 4. a. 3. Redemptionem per se supponere mortem, peccatum, & inimicitiam cum Deo; dicitur enim in sacris litteris Gratia reconciliatiua, pacificans, iustificatiua, & viuificatiua: sed sola pronitas, & obnoxietas dicta non reddit nos inuisos, inimicos, & mortuos Deo: ergo non sufficit illa sola ad gratiam redemptionis. Neganda tamen maior propositio; ea vero Scripturæ sacræ testimonia, præterquam quòd loquuntur de peccatis actualibus, atque adeò pugnant cum ipso Ægidio; sunt etiam generalia, quæ exceptionem admittunt, sicut alia testimonia superiùs producta. Quemadmodum enim prima Deiparæ formatio fuit ex meritis Christi à Deo decreta, vt infra late probabimus; eodem etiam sensu statuimus immunitatem, & exemptionem à peccato originali, eiúsque debito, eandem Deiparam ex eisdem Christi meritis assecutam fuisse, adeóque verè redemptam, cum ad propriam redemptionem opus non sit, nec peccatum incursum, aut debitum proximum illius, vt patet in peccato actuali: non enim opus est vt illud fuerit perpetratum, vt ab illo quis redemptus dicatur, neque vt debitum proprium illius contrahendi incurrerit. Quod sic ostendi potest: vt Petrus dicatur per Christum redemptus à peccato idololatriæ, non solùm non est opus vt illud crimen patrauerit, neque quod debito aliquo, aut necessitate alligatus fuerit ad illud committendum; sed solum opus est, vt illud efficere potuerit, cùm tamen non fecerit: ergo eadem ratione loquendum de peccato originali. Aliud subiungam exemplum. Ponamus Protoparentem originalem iustitiam retinuisse, eámque in posteros corriuasse; tunc verissimè affirmare possemus, Adami filios à peccato originali singulari Dei beneficio, immunes extitisse; quia ipsi Adæ perseuerantiæ donum exhibuisset; cum in illo euentu Adæ posteri, neque peccatum originale, nec debitum proprium illud contrahendi incurrissent, sed solùm valde remotum. Vt bene ex verbis Augustini superiùs productis elicere potest *Gratia sua deputo, & quæcumque non fecerim mala.* Vbi Dei beneficio tribuit, quod omnia peccata, quæ ab aliis perpetrari solent, ipse non commiserit; cùm tamen circa omnia peccata solùm remotissimam quandam aptitudinem, seu obnoxietatem haberet, non verò debitum, seu necessitatem proximam illa committendi, cùm procul occasiones abfuissent; solùm ergo quia non repugnabat illam ab ipso patrari, ab eis fuisse singulari Dei beneficio liberatum ob merita Christi confitetur. Eadem ratione affirmare possumus à peccato originali verè, & propriè B. Deiparam redemptam fuisse, quia ex Christi meritis neque illud peccatum, nec ipsius debitum incurrit, solum quia non repugnabat illam tam culpæ originalis, quàm ipsius debiti proximi participem fieri: & potuit, ac debuit gratias Deo agere, quòd pactum cum Adamo initum ingressa non fuerit, atque à peccato, eiúsque debito incolumem seruauerit.

Quòd si obiectaueris inde inferri, Angelos etiam posse dici redemptos, cùm habuerint illam obnoxietatem, & potentiam ad delinquendum. Plures Doctores admittunt illationem cum Bernardo ser. 22. in Cant. vbi ait: *Qui erexit hominem lapsum, dedit S. Angelo ne laberetur: sic illum de captiuitate eruens, sic hunc à captiuitate defendens: & hac ratione fuit æquè vtrique Redemptor, soluens illum, & seruans istum.* Hieron. item, vel Sophronius in Epistola de Assump. Virginis. *Angeli gratuita gratia, ne corruerent, saluati sunt, &c. Constat autem B. Virginem ampliora promeruisse virtutum priuilegia.* Et quidem verum autumo, Christum D. passione, & morte Angelis promeruisse, in quo sensu dici potest, Christum D. pro illis esse mortuum, eosdémque redemisse præseruando, ne caderent. Adducî autem non possum vt credam, nobiliori redemptione Angelos fuisse à Christo redemptos, ipsorum Angelorum Induperatrice, ac Domina, de qua Ildephons. lib. de virginitate Mariæ c. 12. illud protulit: *Redemptio Virginis opus est Incarnationis Dei.* Ac si diceret; Apostolorum, Martyrum, Virginum, imò & Angelorum salus, ac redemptio, quasi non multum negotij facessiuerunt: sola Maria proprium, & dignum Incarnationis Christi opus, in quo perficiendo, infinitum sanguinis Christi pretium dignè impensum est; quia fuit omnibus nobiliori modo redempta. 583. *Angeli dici possunt redempti per Christum.* Bern. Hieron. Ildephons.

Censeo secundo omnem gratiam B. Virgini dilargitam, eiusdem prædestinationem, & electionem, imò & ipsum primum creationis beneficium, cum reliquis donis, ac priuilegiis, quæ cum ipso connectuntur; hæc, inquam, omnia meritis Christi fuisse comparata, passione, ac morte consummatis. Hoc assertum ex hucusque dictis sat roboratum manet, ex dicendis etiam amplius corroborabitur. Nunc breuiter firmari potest, quia omnes illæ gratiæ, & priuilegia B. Virgini exhibita fuerunt intuitu meritorum Christi, siue sub conditione præuisorum, siue absolutè, vt in Certamine 2. primæ Palæstræ fusiùs disceptauimus: ergo ex eo ab originali næuo, eiúsque debito immunis fuit, & gratia ipsi collata, ac reliqua omnia priuilegia, quia Christus D. ea omnia suis meritis optimæ suæ Genitrici promeruit, eáq; omnia in hunc finé obtulit Patri, à quo ex intuitu illorũ meritorum ea omnia priuilegia Virgini Matri obtinuit. Tũ quia B. Virgo eo fine condita fuit, vt Christo Seruatori maximo Matris officiũ impenderet, & vt corã Deo pro humani generis delictis mediatricem ageret, vnde omnis 584. *Omnis gratia B. Virgini collata, vti etiam Prædestinatio, electio, ac reliqua omnia priuilegia meritis Christi fuerunt comparata.*

gratiarum cumulus in Deiparâ congestus censensus est gratia redemptionis, reconciliationis, & expiationis, quia ordinata fuit ad delenda nō propria, sed omnium Hominū delicta; merita enim B. Virginis à Deo præscita, ac præuisa, & acceptata fuerunt, vt vnà cū meritis Christi D. humani generis peccata aboleret, & gratiam omnē impertirentur.

CERTAMEN V.

Multiplex alius modus, quo hæc immunitas Marianà à peccato originali, eiúsque debito exponi solet, examinatur.

585. RESTAT explicare modò, qua ratione hæc Mariana immunitas à debito peccati primæui facta fuerit meritis Christi, passione, ac morte consummatis. Nam in eo signo, in quo B. Virgo exēpta fuit à debito, & à lege communi, non erat decretus, neque præuisus Christus passibilis, præcipuè cum in eo signo, adhuc non esset absolutè præuisum peccatum originale, propter quod Christus decretus est passibilis. Profectò rem arduam suscepimus. Tecum mente cogita locum, ad quem non possis, nisi exscissis, & excaudicatis spississimis stolonibus, ac virgultis penetrare.

Multa hoc loco excogitata sunt à Recentioribus, quæ fusè recensentur à Salaz. & Perlino. Nos autem ex dictis Certamine 2. Palæst. 1. facilè nodum hûc dissoluemus. Ponimus ergo decreta Diuina, habere virtualem quandam futuritionem, & Deum pro aliquo signo virtuali, aut rationis antequam existerent actu decreta, vidisse illa vt futura, & res omnes, quas erat decreturus, etiam vt futuras: Quocirca iam pro eo signo rationis videbat Deus futurum Christum passibilem, Adamum, omnes eius posteros, peccatum Adæ, Christi merita: quibus præuisis voluit Deus vnico decreto decernere Christum Redemptorem passione, ac morte sua merita consummantem, tanquam Caput omnium creaturarum: voluit item Adamum, & omnes homines ex illo; ac fœdus iniit cum Adamo transfundendi gratiam, aut peccatum in omnes posteros: cùm autem præuidisset futura Christi passibilis merita, decreuit ob prædicta merita Virgini Matri impertiri gratiam, illámque immunem réddere à lege communi transgressionis pacti initi à peccato originali, eiusque debito eximere, qua posita decretorum futuritione, nulla vrgens exoriri potest difficultas circa hanc Marianam immunitatem à peccato, eiúsque debito componendam cum redemptione ipsius per Christi merita, passione, ac morte consummata: siquidem cùm quodlibet decretum Diuinum actuale supponat ante præuisa merita Christi passibilis absolutè futura; ergo potuit Decretum eximens B. Virginem à lege communi Adami, esse ex meritis Christi passibilis iam præuisi. Dilucidior huius rei intelligentia ex Certamine citato erui potest.

Suarius impugnatur in serie decretorum Dei. Conantur alij hanc Marianam exemptionem componere iuxta ordinem decretorum à Suario compactum, qui ita se habet. In primo signo decretus est Christus quoad substantiam, & proprietates abstrahendo à statu passibili, & impassibili. In 2. ex meritis Christi præuisi in eo statu electa fuit B. Virgo ad maternitatem Dei, ad gratiam, & gloriam. In 3. voluit Deus reliquas creaturas, & Vniuersum secundum esse naturale. In 4. quasdam ex illis creaturis prædestinauit ad gloriam, & gratiam determinatam, alias verò voluit ad gloriam prædestinare. In 5. decreuit condere Adamum, & Euam ante alios, illumque constituere, non modo naturale, sed etiam morale Caput, à quo, si non delinqueret, reliqui posteri in gratiæ consortium venirent; si verò delinqueret, delictum etiam ipsis imputaretur: sub qua lege noluit B. Virginem includi. In 6. permisit Deus delictum Adæ, in quo reliqui, dempta Deiparâ, deliquerunt. In 7. præuiso iam peccato originali, & contracto, in eius remedium electus est Christus in carne passibili. In 8. decreta est Dei genitrix, vt filia Adæ, & cooperatrix Christi in negotio redemptionis, cui decreuit Deus ex meritis Christi passibilis conferre ordine executionis gratiam illam iam antea prædefinitam.

Arbitror nihilominus hanc decretorum seriem non rectè exponere exemptionem Marianam ex meritis Christi passibilis, etiam ordine executionis posito. Etenim gratia, qua exempta fuit à lege communi B. Virgo, ratione cuius neque contraxit debitum, neque in Adamo deliquit, executioni mandata est in eo 5. signo, in quo nondum erat decretus, neque præuisus Christus passibilis, quippe in eo signo omninò fuit exclusa B. Virgo à peccato, in quo initum fuit fœdus, ergo neque ordine executionis potuit esse illa gratia ex meritis Christi passibilis, sed ex meritis Christi abstractè accepti, quo pacto erat antè decretus, & præuisus. 586.
Nec facies satis, si dixeris, illud priuilegium exemptionis à lege oriri ex dignitate Matris, & in ipsa fundari, & in gratia decreta eidem B. Virgini in 2. signo; cùm autem ea gratia iterum decernatur postea in 8. signo ex meritis Christi passibilis, ideò gratia exemptionis dici potest ex meritis Christi passibilis ordine executionis in radice sua.

Displicet enim primò, quia licèt gratia exemptionis fundaretur in illa alia, tanquam in radice; attamen non fundatur in illa, vt est ex meritis Christi passibilis, imò potiùs ante Christum passibilem; ergo neque in sua radice est ex meritis Christi passibilis. Assumptum patet, quia eo modo illa radice inniti debet, quo radix illa erat decreta, & præuisa, atqui quando decernebatur gratia immunitatis à lege, illa radix decreta in secundo signo non innitebatur Christo passibili, sed Christo abstractè sumpto: ergo gratia immunitatis Marianæ neque in radice nititur Christo passibili; si enim ipsa radix non fundatur in Christo passibili, neque illud, quod fundatur in radice, potest ortum habere ex Christo passibili. Displicet 2. quia gratiæ illæ decretæ Virgini Deiparæ in octauo signo, innixæ Christo passibili non possunt esse radix exemptionis Marianæ à lege, & pacto; ergo neque in radice ortum ducere possunt ex Christo passibili. Assumptum ex eo suaderi potest, quia in octauo signo, quando fundatur in Christo passibili, iam non est in potestate Dei, Virginem Mariam eximere, cùm iam lex fuerit lata, & peccatum præuisum, & contractum: ergo nequeunt esse radix exemptionis. Displicet 3. quia priuilegium immunitatis à lege, & aliæ gratiæ, in quibus illud dicitur fundari, sunt omninò independentes à Christo passibili, & forent sine Christo passibili; ergo ortum non ducere possunt ex meritis Christi passibilis, quia omnes illæ gratiæ decretæ sont ante Christum passibilem: & licèt deposcant ordinem executionis, poterat tamen Deus decernere ordine executionis Christum impassibilem, & non permittere peccatum; ergo independentiam omnem habent à Christo passibili.

Noster

587. *Salaz.* Noster Ferdinandus de Salaz. de Concep. c. 24. §. 1. ita seriem decretorum coordinat. Primò decreuit Deus mundum, & omnes homines condere, singillatim, nihil tamen tunc de Christo, nihil de Virgine Maria statutum fuit. 2. Statuit vt omnes homines ab vno Adamo propagarentur. 3. Eundem protoparentem constituit Caput morale omnium posterorum, pactúmque iniit gratiam, vel peccatū transmittendi in omnes homines, quos ante condere statuerat. 4. Præuidens Adamum, & posteros lapsos, decreuit Christum secundùm substantiam, mortémque, & eius merita in commune omnium remedium. Vltimò, propter merita Christi passibilis decreuit Mariæ substantiam, eiúsque existentiam, auxilia efficacia eidem disposuit, vt suis meritis viam sibi præmuniret ad Maternitatem, quam tamen Deus illi exhibere iam tunc statuit: qua ratione hæc Mariæ substantia, omnísque gratiarum supellex Christo passibili rectè inniti possunt, quia sunt decreta post ipsum.

Decretorum series à Salazar coordinata refellitur. Refellitur etiam hic opinandi modus. Primò, quia multorum hominum generatio est ex meritis Christi passibilis, vt multi Doctores probant tract. de Incarnatione: ergo hi decerni non poterunt. In primo signo ante præuisum Christum passibilem. Deinde dilatio illa creationis Marianæ, nempe nolle decernere illam B. Virginem in eo signo, in quo alij decreti sunt, & constituti in Adamo, tanquam in Capite, est gratia aliqua Deiparæ exhibita; at illa non potuit esse ex meritis Christi passibilis, cum in illo signo nondum decretus, neque præuisus erat futurus. Nec dicas eam dilationé non tam esse gratiam, quàm occasionem gratiæ postea exhibendæ, erat enim communis B. Virgini cum aliis hominibus merè possibilibus, quos nondum condere decreuerat Deus. Aduersus hnc enim ita insurgo: quia exclusio aliorum hominum merè possibilium, non fuit prorogatio, sed positiua voluntas nolens producere illos; at respectu B. Virginis non fuit voluntas negatioa producendi illam, sed potiùs reliquit illam, vt posset aptiori illam decernere loco: ergo non fuit illa voluntas Dei communis pro eo signo B. Virgini, & aliis hominibus merè possibilibus; sed voluntas specialis & gratuita respectu Virginis Mariæ.

Insurgo iterum: Exemptio Deiparæ à peccato originali, eiúsque debito, & decretum huius exemptionis, vel ponitur ante decretum Christi passibilis, vel postea: si primum, non poterit esse ex meritis Christi passibilis, qui nondum erat præuisus futurus: si verò postea, non potest ea exemptio esse aliquo pacto gratia; quod sic ostendi potest: nam post Christum in illo quinto signo, in quo ponitur decretum B. Virginis, iam supponitur antea contractum peccatum originale, imposita Adamo lex, & fœdus cum illo initum: ergo B. Virgo iam non poterat peccatum contrahere, neque illius debitum. Roboratur hæc ratio, quia Virgo Deipara nequibat Adæ peccatum incurrere, quin in eo simul delinqueret; sed non potuit in eo delinquere, cùm non fuerit decreta cum Adamo, neque tunc præuideretur vt futura; ergo nullo modo potuit contrahere Adæ peccatum. Eadémque ratione probari potest, fieri non posse vt incurreret peccandi debitum; non enim posset debitum incurrere, nisi cohiberetur sub pacto, & lege; quando autem hæc imponebatur, non fuit in illa comprehensa B. Virgo; & postea in 5. signo iam includi non poterat in lege illa communi, quia iam fuerat posita in ordine ad certas, & determinatas personas; ergo fieri non poterat, vt hoc ordine decretorum peccati debitum contraheret. Igitur Deipara non ideo in Adamo non peccauit quia futura erat quouis modo, sed quia non de earum numero fuerit, quas futuras esse Deus præuidit, quando fœdus inibat cum Adamo; si enim de illarum numero esset, etiam in Adamo delinqueret, sicut illæ: verùm quod de illis futuris non esset, nequaquam Christi meritis referendum, cùm in illo signo nondum decretus esset Christus passibilis; ergo quòd non peccauerit in Adamo non fuit ex Christi meritis. Quid quod Patres, ac Theologi constanter asseuerant, ideò Mariam, neque labe originaria maculatam, neque in Adamo deliquisse, quia in Dei Matrem electa; quæ dignitas maculam omnem, vel leuissimam refugit: At iuxta sententiam Salaz. non est opus ad Dei maternitatem confugere: siquidem ex eo quòd Christus deposceret à Patre produci Virginem, quin Genitrix existeret, iam non esset de earum numero, quæ sub Adami pacto continebantur; ponimus enim aliam esse fœminam extra statutum numerum futurarum à Deo, Christi precibus nactam. Sed hoc ipso neque in Adamo delinqueret, neque originali culpæ subiaceret; cui solùm subiiciebantur, quæ Adamum, tanquam Caput morale habebant: igitur licèt Virgo illa Mater Verbi non fuisset, neque in Adamo deliquisset, neque noxa originaria inficeretur, nec debitum illius contraheret: quam sententiam latiùs refutat Cardin. Lugo disp. 7. de Incarnatione sect. 3. n. 28. *Lugo.*

588. Aliam decretorum normam inuenit ipse citat. Lugo nempe vt priùs voluerit Deus Adamum, & omnes homines singillatim; illúmque constituerit Caput morale ad transfundendam, vel amittendam gratiam, eximendo iam tunc, quam sibi postea in Matrem eligeret, quæuis illa foret, qoin determinaret illam, neque an esset Matrem electurus. Vidit postea peccatum futurum, decreuit Christum redemptorem in peccati medicinam; ac ex Christi meritis delegit Mariam in Dei matrem, quæ eo ipso, quòd fuerit electa, iam eximitur à lege; cùm illa excepta fuerit, quæcumque eligeretur in matrem Dei. Inde etiam rectè deducitur neque eam in Adamo deliquisse, neque comprehendi in pacto ex Christi meritis, ex quibus eligitur in Matrem. Quem decretorum ordinem rectè refellit Sherlogus in Cant. tom. 2. fol. 346. n. 32. *Sherlog.*

Coordinatio Cardinalis Lugo decretorum Dei improbatur. Nobis etiam non probatur. Primò, nam nó comprehendi sub lege eam fœminam, quæ futura esset Mater, vel illam excludere à fœdere inito cum Adamo, aliqua specialis gratia, & priuilegium singulare exstitit respectu Matris vt sic. hæc autem gratia nequiuit inniti meritis Christi passibilis, cùm facta fuerit pro eo signo, quo lex condebatur, & Christus adhuc non erat decretus.

Secundò vel illud priuilegium excludendi illam. fœminam à peccato, & debito, factum fuit in eodem signo pacti initi, vel postea: si primum, non potuit fieri ex meritis Christi nondum decreti: Secundum autem falsum est; Tum quia iam erat in illo signo impossibilitas includendi in lege, quæ in alio anteriori signo fuerat lata: Tum etiam, quia Adamus iam erat præuisus peccasse, & peccatum iam præuisum incursum ab omnibus posteris, in cuius destructionem iam Christus erat decretus.

Tertiò Insurgo, & sciscitor, vtrùm pro eo signo, in quo Adamus peccauit, & alij in ipso; deliquerit etiam Virgo Maria in ipso Adamo, & vi-

derit

derit Deus peccatum Mariæ in ipſo parente Adamo, vel non? primum nobiſcum inficiatur Lugo: ſi ergo ſecundum affirmet, ergo etiamſi Maria Virgo poſtea non eligeretur in Matrem, ſed alia fœmina, delinquere tamen non poſſet in Adamo. Illatio ex eo ſuadetur, quia delinquere in primo parente, eſt ſimul delinquere cum illo, ſeu moraliter concurrere ad illam actionem cum Adamo; ergo qui delinquere dicitur in Adamo, debet in eodem inſtanti delinquere, quo Adamus: atqui in illo inſtanti non peccauit Maria Virgo in Adamo, alioquin nullo modo potuiſſet poſtea excludi ab incurſione peccati, & à lege, & fœdere inito cum Adamo, nec eligi in Matrem; ergo non potuit poſtea in illo delinquere. Quod ex eo firmari poteſt, nam ſi B. Virgo poſtea in Matrem Dei non eligeretur, percontor, an tunc delinqueret in primo parente, & an videret Deus peccatum eius originale ante Chriſtum decretum, vel poſtea? Non quidem primũ dici poteſt, quia viſio peccati dependet à negatione electionis in Matrem, ſed pro illo ſigno, neque concipitur, neque eſt talis negatio; ergo neque pro illo ſigno ante Chriſtum potuit videri peccatum Mariæ Virginis, etiam ſi in Matrem non promoueretur. Secundum etiam membrum falſitatis conuinci poteſt, quia Chriſtus decernitur Redemptor cuiuſcunque peccati originalis; ergo opus eſt, vt omne peccatum originale præuiſum ante illud decretum præmittatur, vt futurum; quia ob hanc cauſam conſtitui debet decretum Chriſti poſt peccatũ.

Quartò, ex eadem ſententia deducitur, neque alias fœminas in Adamo deliquiſſe; quia delinquere non potuerunt in eo ſigno, in quo Adamus peccauit, neque poſtea, quod oſtenſum eſt in probatione 3. Si enim in eo ſigno cum Adamo non peccarunt, neque poſtea poterant peccare. Si verò affirmaueris, eas deliquiſſe in eo ſigno, in quo Protoparens deliquit? Refellitur primò quia pro eo ſigno incluſio in lege par erat in ordine ad Virginẽ Mariam, & alias fœminas, vt ſtatuit ipſe Lugo: ſed ea incluſio Mariæ Virginis, quia dependebat à cõditione, non ſat fuit, vt ipſa in Adamo delinqueret; ergo neque ſufficiens fuit, vt reliquæ fœminæ in ipſo Adamo delinquerent. Impugnatur 2. quia in eo ſigno in quo deliquit Adamus reliquæ fœminæ abſolutè non continebantur in lege, ſed ſolùm cũ dependentia à conditione futura; ergo antequã adimpleretur conditio in Adamo delinquere nõ poterant: non enim alio modo peccare poterant; niſi quo erant contentæ in Adamo; ſed non erant contentæ determinatè ante euentum conditionis: ergo neque delinquere poterant ante illum. Quod confirmari poteſt ex eo, quia illud ſignum erat indifferens ad includendum, vel excludendum illas abſolutè à lege, & fœdere inito cum Adamo; atqui peccatum in alio exigit determinatam incluſionẽ: ergo peccatum aliarum fœminarum non extitit pro eo ſigno. Rurſus, ſi pro eo ſigno deliquerunt aliæ fœminæ in Adamo; ergo vidit Deus peccatum huius determinatæ fœminæ in Adamo pro eo ſigno: quod inficiabatur Lugo cit. n. 45. Illatio ex eo patet, quia eo modo, quo res aliqua eſt, cognoſcibilis eſt; ergo eo modo, quo peccatum eſt pro eo inſtãti, eſt etiã cognoſcibile à Deo, & ab ipſo cognitũ. Nec dixeris non poſſe pro eo ſigno cognoſci, ante conditionis poſitionem? Inſtabo ſedenim, non exiſtere peccatum pro eo ſigno: non enim minùs dependet peccatum ab illa conditione, quàm eius cognitio. Demum ſi vnaquæque illarum fœminarũ deliquit in Adamo pro eo ſigno, ergo aptæ non ſunt, vt poſtea in Dei genitricem eligantur; ſiquidẽ ex vi huius decreti eo modo, quo à Lugo ſtatuitur, nequit eſſe Mater, quæ in Adamo peccatum incurrit, cùm in primo ſigno abſolutè immunis fiat à lege, & pacto illa fœmina, quæ in Dei genitricem aſſumenda erit: atqui omnes illæ fœminæ pro eo ſigno peccati Adami iam peccarunt in illo; ergo aptæ non ſunt vt in Dei genitricem promoueantur.

Contendit Lugo infringere has propoſitas rationes, aſſerens in ſigno peccati Adæ non extitiſſe totum phyſicum, quod complet peccatũ huius fœminæ, quia adhuc adeſt conditionis poſitio, quæ eſt poſt Adæ peccatũ, & poſt Chriſtum poteſt denominare moraliter de præterito, id eſt denominat deliquiſſe illam, quando Adamus deliquit, ſicut peccatum actuale præteritum non condonatũ, licèt phyſicè non exiſtat, poteſt denominare de præſenti hominẽ moraliter peccatórem. His tamen labefactari nequeunt ſententiæ illius impugnationes productæ, vt erit æqua lance perpendenti perſpicuũ. Addiderim conditionem illam non electionis, & Aſſumptionis in Dei Genitricem pro ſigno legis, aut peccati Adæ, neque eſſe, neque concipi adhuc futuram; ergo neque poterit tunc denominare moraliter hanc fœminã actu peccantem in Adamo. Illatio conſtat, quia res, quæ nullam habet exiſtentiã, neque præteritam, neque actualem, neque futurã, non poteſt denominare moraliter, cùm actualis denominatio exiſtentiam aliquam requirat. Præterea peccatum, quod aliquando non fuit actuale, nequit denominare habitualiter moraliter; ergo conditio, quæ neque præterita fuit, nec præſens, nec futura eſt, nequit pro eo inſtanti denominare moraliter de præſenti, hoc eſt actu peccantem in Adamo. Neque ſubiectum exemplum ad rem facit, quia res præterita phyſicè, ſicut peccatum actuale poteſt moraliter permanere, & eſſe præſens in alio, ſcilicet vel in effectu relicto, vel ratione conditionis; ſed conditio illa non electionis in Matrem, nullo modo pro eo ſigno peccati Adami eſt præſens, vel in alio; ergo nullo pacto poteſt tunc denominare moraliter eam fœminam actu peccantem.

B. Petrus Hurtad. de Incarnatione diſp. 13. ſect. 4. ſubſect. 3. §. 93. ſuppetias fert ſententiæ Salazarij, quam ita explicat; vt Deus in ſigno illo fœderis initi, duas conditionatas volitiones habuerit circa Virginem Mariam: alteram volentem Mariam eſſe in ſtatu naturæ reparatæ, ſi Chriſtus eam poſtularet: alteram includendo illam in pacto communi, niſi Chriſtus vellet eam exceptam; poſtea Chriſtus huius pacti conſcius, obtulit ſua merita, ne ſub illo pacto contineretur Maria Virgo. Sed eiſdem rationibus impugnatur hic explicãdi modus, quibus impugnauimus Salazar, & Lugo: eadem enim eſt ratio de iſta conditione appoſita ab Hurtado; *Si Chriſtus hoc poſtulauerit*: ac de illa conditione; *Si ex meritis Chriſti aſſumatur in Dei Matrem*: quippe vtraque conditio ponitur poſt pactum, poſt peccatum Adæ, & poſt Chriſtum Redemptorem, quando iam neque potuit B. Virgo in Adamo peccare, neque in illius voluntate contineri. 589.

Hurt. Iiſdem rationibus impugnatur series decretorũ Dei à P. Hurtado conſtituta.

Vtrum opponat aliquis aduerſus decretorum ſeriem à nobis traditam, initio huius Certaminis; tum & fuſiùs Certamine 2. primæ Palæſtræ; quod ſcilicet ex illa inferatur B. Virginem Deiparam, nec remotè ſubiacuiſſe legi originaliter peccandi, ac proinde nec remotam illam obnoxietatem, vel potentiam naturalem ad contrahendum peccatum originale habuiſſe: ſiquidem illa decretorum ſerie poſita, fieri non poterat B. Virginem origina

origina

originali ſorde maculari; hanc enim labem ſolùm illi contrahere poterant, qui fœdere cum Adamo inito claudebantur, à quo B. Virgo omninò abſuit. Hoc tamen ubiectum non multum faceſſit negotij: Reſpondeo enim hanc potentiam, & obnoxietatem, de qua eſt ſermo in præſenti, non eſſe accipiendam in ordine ad decretum liberum Dei, quod de facto habuit; ſed abſolutè, & ſecundùm ſe; quia videlicet, cùm poſſet Deus alio ordine res ſtatuere, Chriſti meritis motus decreuit B. Virginem à peccato, ipſiúſque debito immunem reddere.

CERTAMEN VI.

An immunitas à peccato originali, eiúſque debito, ſit debita, & connaturalis ſubſtantiæ Marianæ præcisè ſumptæ.

590. Granad.

HIc primò procul exſibilandum eſt quorundam imperitorum commentum, quos ſuppreſſo nomine ſugillat Granado de Concep. diſp. 3. c 1. Hi ex nimia in Deiparam pietate in impietatem prolapſi ſunt, dum aſſererent Virginem Deiparam de Spiritu ſancto fuiſſe Conceptam. Quod Aſſertum ingens error eſt, licèt enim diuinitus Ioachimo, & Annæ reuelatum fuerit, habituros prolem ſanctiſſimam, ideóque Templum Deo gratias relaturi petierint; tamen Conceptio B. Virginis tunc peracta eſt, cùm ſanctè matrimonio vſi ſunt, ea ſanctitate, & puritate, quæ inter eos, qui Dei amore ferebantur, excogitari poterat. Hæc quidem eſt omnium fidelium, & Eccleſiæ ſententia. Solus Chriſtus D. dicitur Matth. 1. de Spiritu ſancto Conceptus: *Ioſeph noli timere accipere Mariam coniugem tuam, quod enim in ea natum eſt, de Spiritu ſancto eſt.* Et Luc. 1. *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Et in Symbolo eadē veritas definitur per illa verba: *Qui Conceptus eſt de Spiritu ſācto.*

Matth. 1. Luc. 1. Symb. Apoſ.

591. Conceptio B. Virginis non fuit purè naturalis.

Hoc longè ſepoſito commento, ſuppono Conceptionem Virginis Deiparæ non fuiſſe purè naturalem, ſed ex parte fuiſſe ſupra naturam, iuxta communem Patrum, ac Doctorum ſententiam; quippe B. Virginis Parentes infœcundi, ac ſteriles habiti ſunt: vt autem ſterilis concipere, ac gignere poſſit, neceſſum eſt, vt Deus miraculo aliquo corroboret virtutis generatiuæ ineptitudinem. Huius eſt ſententiæ Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 2. ſect. 5. & Peramatus in opuſculo, cui titulus eſt, *Quid naturale, quidve miraculoſum fuerit in Conceptione, qua Anna Virginem Mariam concepit.* Idem inſinuat Sixt. IV. in Extrauag. *Cum praeexcelſa,* vbi vocat Mariæ Conceptionem, *Miram.* Quod dilucidè cōfirmat S. Damaſcen. orat. 1. de Natiuit. Mariæ: *Quid eſt, ait, quod Virgo mater ex ſterili orta ſit? Quoniam ſcilicet oportebat, vt ad id, quod ſolum ſub Sole nouum erat, ac miraculorum omnium caput, videlicet Incarnationem, via per miracula ſterneretur, ac paulatim ab humilioribus ad ſublimiora progreſſus fieret.* Et ſuaderi poteſt ratione; ſiquidem ex parte D. Annæ Deus ſuppleuit menſtrui ſanguinis defectum, prouenientem in illa ex ſenectute: de quo rectè Auguſt. lib. 16. de ciuit. Dei c. 28. *Sara ſterilis, & cruore menſtruo deſtituta, propter quod iam parere non poſſet, etiam ſi ſterilis non fuiſſet.* Nec obſtat D. Th. 3. p. q. 31. art. 5. aiens, ceſſationem menſtruam non eſſe obicem ad generationem: & Ariſtoteles lib. 7. de hiſt. anim. c. 2. vbi docet, fieri poſſe vt aliquæ fœminæ etiam ſine menſtruorum profluuio concipiant. Hæc enim intelligenda ſunt, quando ſanguinis menſtrui defectus ſuppleri poteſt vegetæ, ac floridæ ætatis robore, quod abeſt in ætate grandæua.

Suar. Peram. Sixt. IV. Damaſc. Auguſt. D. Thom.

Deinde alius defectus inerat Annæ, nempe ſenectus ipſa, quæ obicem ponit generationi; ex quo tertius reſultabat obex; ab Andræa Cretenſi, encomio l. de dormit. Virg. notatus: *Accepit, inquit, Anna aptitudinem ad generationem, & ad eius progreſſionem.* Opus ergo fuit diuina virtute ad conſeruandum, & elaborandum fœtum, ſin minus imminetet abortus; vulua enim ſicca, ac frigida fœtum humidum, & calidum perficere, & cōſeruare nequiret.

And. Cret.

Inſuper ex parte S. Ioachimi obſtabat impedimentum ſenectutis, & ſterilitatis. Ita communis Doctorum ſententia, quæ ambos ſenes, ac ſteriles facit. De Annæ ſterilitate docent S. Greg. Nyſſenus, S. Hieronymus, And. Cret. Damaſc. Germ. Metaphraſt. Ildeph. Niceph. De Ioachimo idem ſtatuunt Andr. Cret. Hieron. Germ & alij. Itaq; ſemel contigit ſolum hoc miraculum, quod vterque Parens ſimul ſteriles, ac ſenes prolem progignerent. Alij Parentes, qualis fuit Sara, Rebecca, & aliæ ſimiles, licèt ſteriles eſſent, nunquam ibi quatuor impedimenta ſuppleuit Deus, ſicut in Conceptione B. Virginis; licet enim illæ fœminæ ſteriles dicantur, earum tamen viri fœcundi, nec illorum ſterilitas comprobari poteſt. Imò Ioannis Baptiſtæ Parentes, licèt maturiorem ætatem attingerent, & Eliſabeth ſterilis dicatur, Zacharias tamen non dicitur ſterilis. At Conceptio B. Virginis omni cauſa naturali ſuperior exiſtere videtur.

Nyſſen. Hieron. Damaſcen. Germ. Metaph. Ildeph.

Quibus præmiſſis Recentior quidā optimæ literaturæ, & in ſcholaſtico puluere apprimè diúque verſatus, inquirit, an probabilitate gaudeat theſis hæc: *Immunitas à peccato originali, eiúſque debito connaturalis eſt ſubſtantiæ Marianæ præcisè ſumptæ?* Ipſe in partē affirmantem propendet, his permotus fundamentis: quia videlicet humanitas Deiparæ quoad indiuidualē perfectionē ſubſtantialē, Protoparentum, eorumdemq; poſterorū humanitates lōgè antecellit; nec poterat ab illis connaturaliter, tanquam à cauſis principibus exoriri, ac propagari; ac proinde innata, & connaturali propenſione humanitatē à peccato, eiúſque debito exemptā expoſcebat; peccatū enim originale connaturali generatione ab Adamo, eiuſq; filiis deriuandū erat. Quod luculenter oſtendi poteſt ex alibi à me dictis; ſiquidē Maria Virgo quoad ſubſtantiā indiuidualē perfectione antiſtat Adamo, & Euæ, ipſorúmq; poſteris; ergo à nullo ex illis poterat connaturali generatione progigni, ergo connaturali exigentia debebatur ipſi hæc vtraq; exemptio, & à peccato originali, & ab ipſius debito: quia ex vi præſētis ordinis decretorū Dei, peccatū originale ex Adamo in poſteros connaturali generatione deſcendentes corriuandum erat: at prima conſecutio nota eſt ex Phyſicis; omnis quippe effectus cauſam ſibi proportionatam efflagitat; atqui ſubſtātia Mariæ Virginis in indiuiduali perfectione ſuperat alias omnes ſubſtātias Adæ, ac poſterorum: ergo depoſcet cauſā principalē naturali exigentia illis omnibus perfectiorem, à qua ſuam perfectionem proportionatā haurire poſſit. Quòd autem Virgo B. in indiuiduali perfectione antecedat omnia humanæ naturæ indiuidua, dempto Chriſto; ſemel admiſſa lōgè probabiliori ſententia, quę inæqualitatē perfectionis indiuidualis ſubſtātialis ſtatuit, cui ad libros de Anima ſubſcripſi cum aliis plurib. Recentioribus; nullus, qui rectè ſapiat, denegabit; cùm in Virgine B. ſigna omnia emicēt, quæ nos cogunt in aliis indiuiduis hāc ſuperiorem, & longe præſtantiorē in indiuiduo perfectionem ſubſtātialē ſubodorari; nempe longè perfectiores operationes intellectus, & voluntatis, aliarúmque potentiarum, cum tempera-

592. Magin. tractat. de peccatis. B. Virgo omnia natura humana indiuidua, dempto Christo, in indiuiduali perfectione antecedit.

mentum sublimius, aliæque proprietates, quæ longo interuallo reliquorum hominum superant perfectionem, vt latè toto hoc opere differemus. Hanc præ omnibus indiuiduis humanæ naturæ substantiam Marianam præstantiorem luculenter agnouit Dion. Carth. Dionys. Carthus. lib. 1. de laudibus Virginis: *sicut*, inquit, *Christi humanitatem, propter eius personalem cum Deo vnionem, decuit omni perfectione naturæ, & gratia in termino excellentiæ præfulgere; ita ipsius Genitricis personam post Vnigeniti sui humanitatem, oportebat in omnibus sic ornari.*

Quòd si hanc rationē infirmare cōtendat quispiam, ex eo quòd agentia generationis humanæ solùm producūt vnionem, quæ longè imperfectior est qualibet anima, etiam omniū imperfectissima, vnde à quouis homine huius seriei poterit tanquā à causa principe progigni connaturali vi. Respondet Recentior id non sufficere ad debilitandā præfatam rationem; quamuis enim vnio intercedens inter corpus, & animam hominis, imperfectior sit, non tamē statim ex eo asserendum, quamuis vnionem à quouis homine produci posse: sic frigiditas, & humiditas vt octo imperfectior est forma substantiali aquæ, quæ tamen solum frigiditatem, vel humiditatem vt septem generare potest: præterea vnio seruare debet eam proportionem cum extremis, quæ vnit, quoad perfectionem, quam proportionem seruat proprietas cum natura, cuius est proprietas: ergo sicut intellectus, & voluntas in sententia discrimināte has proprietates ab Anima reipsa, edi non possunt cum hac perfectione; nisi ab Anima, quæ ad minus æqualem perfectionem, & proportionē nanciscatur cum illis; ita nulla anima imperfectior producere poterit vnionem debitam, & proportionatam animæ perfectiori: sed Adamus, & omnes posteri in perfectione substantiali indiuiduali longè inferiores sunt Mariana humanitate: ergo illi vnionem Marianæ humanitati debitam, ac proportionatam connaturali virtute producere nequibunt. Cùm ergo hæc vnio ita perfecta, quæ cōnaturalis est humanitati B. Virginis superet virtutem natiuam Adami, ac posterorum, deposcet etiā causam superiorem, nempe Deum; perfectior siquidem Anima perfectiorem, ac sibi proportionatam vnionem efflagitat: ergo anima perfectior omnibus ex Adamo descendentibus, perfectiorem item vnionem sibi adamauit; anima enim eam solum vnionem connaturaliter postulat terminare, quæ secum debitam proportionem seruat. Hęc licèt subtili acumine excogitata sint, semper tamen illud certum manet, nempe animas vtriusque Parentis B. Virginis esse longè perfectiores suo effectu, nempe vnione Humanitatis Marianæ, ac proinde eam vnionem produci potuisse ab eis.

Verùm Recentiori suffragari videntur plures Patrum locutiones. Epiph. S. Epiphanius ser. de laudibus Mariæ, vocat B. Virginem Prodigium, ac Miraculum: Viegas. Quod intelligit noster Viegas in c. 12. Apoc. in illa verba, *Signum magnum.* Comparatione operum naturæ, & gratiæ: Vt autem dicatur Miraculū comparatione naturæ, necessum est, vt omnes causas, & vires humanæ naturæ ab Adamo propagatæ prætergrediatur, D. Thom. iuxta doctrinam S. Th. 1. p. q. 105. Huc Fulbert. verti possunt verba Fulberti orat. 1. de Natiu. *Haud dubium*, inquit, *quin vtrumque Parentem viuificus, & ardens Spiritus singulari munere repleuit.* Vbi subindicat Deum non concursu solito, & naturali, sed eleuato concurrisse ad formationem Marianæ substantiæ. Hoc idem indicarunt Patres nonnulli, Georg. Nicomed. dum aiunt B. Virginem habuisse gratiam secundùm naturam; ait enim Georgius Nicomediensis Archiep. in orat. de oblatione Deiparæ: *Hæc est tanquam sponsa, hortus conclusus, quem peccati cogitationes non possunt intrare, quæ est speciosa natura.* Ac si diceret: Humanitas Mariana exsuperat perfectione indiuidua, vires omnes totius humanæ naturæ. Epiphanius Presbyter Constantin. ad illa Epiph. verba: *Quoniam virum non cognosco.* ait: *Non habuit virginitatem secundum continentiam, & pugnā, more honestarum fœminarum, quibus cura, & studiū pudicitiæ est; sed ex natura, quod extra omnium mulierum facultatem est, & à natura alienum.* Videlicet, quia natura substantialis B. Virginis in gradu, & perfectione indiuiduali, altioris erat ordinis, quam omnis alia natura ex Adamo descendēs. Huc respiciebat And. Hierosolym. ser. 2. de Annunc. And. Hierosol. *Virgo*, ait, *ipsorum Seraphim ipsam vincens naturā miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum Opificem omnium generationum.* Ideo Cardin. Pet. Dam. ser. de Assumpt. Virginis ad Pet. Dam. illa verba Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea.* hanc exemptionem à labe originaria, specialem hanc puritatem, eximiúmque candorem, non maternitati Dei defert, nec priuilegio alteri, siue donorum cumulo, sed soli carni B. Virginis: *Caro*, ait, *Virginis ex Adam sumpta maculas Adæ non admisit, sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Vbi Mariano Corpori hanc peccati originalis, ipsiúsque debiti exemptionem adscribit; quasi Mariæ humanitas, vtpote in indiuiduali perfectione superior omni natura humana, in primo parente, & posteris reperta, ius aliquod sibi vendicaret, ratione cuius eiusmodi à labe originaria exemptionem exigeret, vt iam decantare libeat cum Poëta.

Vnam nec maculam natura reliquit in ista:
Ad caput à planta transuolat iste decor.

Quia videlicet omnis illa, quæ ex Adamo grassabatur infectionis colluuies, ac peccatorum cataclysmus, ad solam naturæ Marianę molem eminentissimam cōstitit: natura igitur Mariana basis, ac fundamentum fuit omnis decoris, & ornamenti. His suum fert suffragium Timotheus Presbyter Con- Timoth. stantinop. ser. de Simeone, qui visa inter alias fœminas, Virgine B. ad Templum expiationis gratia aduentantes, ait: *Quid vos conditione ancillæ, cum libera, atque adeo Domina, intratis?* Vbi seruitutis nota inurit reliquas fœminas ex naturali conditione ab Adamo, solius Virginis libertatem, & dominium natiuum, hoc est à perfectiori, & sublimiori natura indiuiduali exortum, non aliunde extractum extollit. Huc respiciebat Psalmographus psal. 86. Psal. 86. dum pangit de Maria: *Ipse fundauit eam Altissi-* Pet. Comest. *mus.* Quæ verba premens Petrus Comestor in libello de pura Virginis Conceptione, hæc fatur: *Intellige quod ait, ipse fundauit eum, ipse non alius, non vetus Adam, sed nouus nouum iecit fundamentum, super quod tam præclarum, tam insigne assurgeret ædificium, alioqui si veteris ruinæ mansere vestigia, si veteri superædificatum, iam vetus Adam, non ipse ædificauit eam Altissimus.* Vbi prospectans mentis obtutu Marianæ naturæ structuram, ipsiúsque perfectionem superantem vires omnes Adami, & posterorum eius, tanto operi inædificando nullius hominis industriam, tanquam causam principē desudasse, sed solam Dei Omnipotentiā incubuisse fatetur. Hæc, & alia afferri possent, vt Recentioris illius pręfatam propositionem confirmare possemus, ita vt de B. Virgine proferri posset illud Clementis Alexandrini lib. 5. Stromatum: *In tota hac rectè quæsiuimus oratione, virtúsne fuerit, an natura.*

Vera tamen sententia est, propositionem illam: 593.

Immuni

Propositio hac: Immunitas à peccato originali, ipsiusque debito debita est, & connaturalis substantia Mariana pracisè sumpta, falsa omnino est, & cēsura digna. Sixt. IV.

Immunitas à peccato originali, ipsiusque debito, debita est, & connaturalis substantia Mariana pracisè sumpta. falsam omnino esse. Et quidem recidere videtur in hanc propositionem censura illa dignam, quâ authoritate Sixti IV. in quodam decreto, Oliuerius, Ioannes, Georgius, & Gabriel Cardinales S. R. E. sanxerunt assertionem illam: *Iustitia Originalis in B. Virgine Maria est ex natura, & non ex gratia.* esse hæreticam. Et ponimus, quod ipsi supposuerunt, probabilissimum esse, Deiparæ ab initio suæ Conceptionis collatam fuisse ex gratia Dei originariam Iustitiam quoad omnes effectus intrinsecos animæ, & corporis. At immunitas ab originali peccato, vel est eadem com iustitia originali, vel eam intrinsecè claodit; ergo si hæresis nota expungenda est illa propositio: *Iustitia originalis in Deipara est debita natura, non ex gratia*: eadem ratiooe, & sub eadem Censura cohibenda est illa Recentioris illius propositio: *Immunitas à peccato originali, ipsiúsque debito debita est, & connaturalis substantia Mariana pracisè sumpta.* Referunt autem censuram prædictam Diago Dominicanus lib. 2. c. 33. Ioannes de Fonte in Compendio circa declarationem decreti Romani de titulo Immaculatæ Conceptionis, propè finē.

Diago. Ioann. de Fonte.

594. Verùm, vt autumo, graois illa Cardinaliū Censura non ferit præfatam Recentioris propositionē, sed alia mitior: quod sic ostendo; qoia immunitas à peccato originali, eiúsque debito quid distinctū est reipsa, à iustitia originali. Potest enim condere Deus media generatione ex Adamo aliquē hominem in integritate naturæ, præcisè sine iustitia originali, qoi tamen immunitate à peccato originali, ipsiúsque debito gauderet: Imo potuit Deus Virginem Deiparam primùm in statu naturæ integræ condere, & postmodùm illam iustitia originali condecorare: tunc aotem ex vi integritatis naturæ, iam erat immunis à peccato, ipsiúsque debito ante iustitiam otiginalem: Et ratio huius est; quia immunitas à peccato originali præcisè sūpta non necessariò secū adsportat gratiam, seu donū aliqood sopernaturale; sed solum dicit carentiā peccati, eiúsque debiti: at verò iustitia originalis secum habet imbibitā collectionem pluriū habituū, & donorum supernaturaliū, gratiam itē ac virtutes, quæ gratiæ sunt indiuiduæ comites: etenim hæc iustitia originalis rectitudinem quandam præseferebat, quæ io triplici subordinatione sita erat, videlicet primò in subiectione animæ ad Deum, quæ fit medio intellectu, & voluntate per dona, vel habitus, qui illas potentias rectè disponetēt in ordine ad Deū; deinde in subordinatione partis inferioris ad superiorē, id est phantasiæ ad iotellectū, & appetitus sensitiui ad voluntatē: demum in subiectione corporis ad animā, quoad indolentiā, impassibilitatē, & immortalitatē. De qoo videndus Suar. de opere sex dierū lib. 3. c. 20. n. 9. Cùm ergo iostitia originalis claudat in suo conceptu gratiā, & reliqua dona supernaturalia, meritò hæresis nota inoritur propositio illa, quæ affirmat iustitiā originalē in B. Virgine esse, ac prouenire ex natura, non ex gratia: quia certum est substantiæ Marianæ præcisè sumptæ, qoatenus natura est, non cōpetere gratiā ex exigentia connaturali, sed ex Gratia, & Dei singulari beneficio; ideóq; verissimū esse illud Assertū: *Iustitia Originalis in B. V. Maria non est ex natura, sed ex gratia.* Ac proinde ipsius cōtradictoriū, videlicet: *Iustitia originalis in B. Virgine est ex natura, & non ex gratia*: meritò sob hæreseos interminatione iubetur expungi.

Prafata Recentioris propositio non est haresis nota expungenda.

Suar.

595. Lobet autem hîc falsitatem propositionis illius Recentioris, rationibus ostendere Primò, quia humanitas B. Virginis eiosdem naturæ specificæ est, atque aliorum iodiuiduorum humanitates; cùm ergo aliis hominibus debita nō sit ex exigentia naturæ exemptio à peccato originali, eiúsque debito, ergo neq; humanitati B. Virginis præcisæ à maternitate Dei: Perfectio enim naturæ Marianæ in indiuiduali differeotia sufficere non potest, vt eximat naturam humanam B. Virginis à peccato Originali, quod serpsit per omnes Adæ posteros, qui ab ipso per seminalē generationē, & coitum vtriusque Parentis profecturi erant. Quod autem ab hoc pacto inito inter Deum, & Adamum de transfundenda labe originaria per omnes posteros, exclusa fuerit B. Virgo, fuit gratia specialissima à Deo ipsi Virgini collata; ac proinde immunitas à peccato originali, eiúsque debito non fuit debita, & cōnaturalis substantiæ Marianæ præcisè acceptæ; sed ex specialissimo Dei dono, ac gratia. Secundò Marianæ substātiæ quantūuis perfectissimæ non est debita exēptio à peccatis actualibus; ergo neque ab originali. Tertiò ab incommodo: Exemptio à peccato Originali, eiusq; debito iure naturæ erat debita substantiæ Marianæ, ergo iam non erat gratia, sed debitū naturæ talis, & ex cōsequenti non erit gratia Christi Redemptoris, nec B. Virgo redempta ab originali. Confirmatur, quia actio, qua Beata Virgo generata fuit, gaudebat termino substantiali ex se immuni à peccato originali ab ipsa oatora; ergo etiam ipsamet actio eadem immunitate gaodebat, cùm speciem suam, & perfectiooem præcipuè à termino nanciscatur. Ex quo vlterius sequi videtur, B. Virginem non futuram filiam naturalem Adami.

Prafata Recentioris propositio falsitatis arguitur.

Rationes aotem, qoibus Recentior ille suā thesim persuadere conabatur, solùm probāt, perfectionem, & excellentiā humanitatis Virgineæ esse maximam in indiuiduali differentia intra eandē speciem; non autem probant, eam Humanitatē secundùm se, & præcisè sumptam à Maternitate Dei, nō futuram obnoxiam peccato originali, eiúsque debito, cùm fuerit filia naturalis Adæ, per seminalem generationem vtriusq; parētis; & generatio vnionis humanitatis Marianæ fuit naturalis, ac præsetulit partem aliquā vtriusq; parentis, fuit enim illa generatio; origo viuentis à viuente, tanquā à principio coniuncto in similitudinem naturę. Licèt autem Recentiori ea omnia quæ in argumento producit, concederemus; nimirū Humanitatē B. Virginis, vtpote omniū perfectissimā, dempto Christo; neque à suis Parentibus, neq; ab alio agēte creato, tanquam à causa principe, proficisci potuisse; intētum tamen nō assequitur; inde enim non fit B. Virginē obnoxiā non fuisse peccato originali, & ipsius debito: immeritò enim asseritur, oportere, Parentes causam principalem esse vnionis Humanitatis, vel ipsius humanitatis, vt iocurreret B. Virgo peccatū originale, eiúsq; debitū; cùm plures asserant, parentes solū esse causas instrumētales alterius hominis: quare positis dispositionibus, debita erat productio & animæ B. Virginis, & eius vnionis; tametsi Deus aliquem suppleuerit defectum causæ secundæ, cùm causæ, & agentia ibi existentia non possent cōcurrere tāquam causæ principes ad Marianæ substātię productionem. Nec id nouum videri debeat, sæpe enim ad Deum confugimus, tanquam ad causā primam, ad defectū causæ secundæ, quando hæc, causa principalis esse nequit, vt in generatione animaliū ex putri materia; ex eo autē ea actio dici nō potest sopernaturalis, quia positis dispositionib. debetur ex natura rei: verum est ante eam actionem

aliqua miracula præiuiſſe, vt in auferenda ſterilitate, corroboranda ſenili parentum virtute, diſpoſitionibus adhibendis conducentibus ad hãc vnionem, tum in organizatione corporis breuiſſimo temporis internallo peragenda. Patrum locutiones productæ accipiendæ ſunt per exaggerationem, & auxeſim; vel intelligendæ de humanitate B.Virginis non ſecundum ſe, & præcisè ſumpta, ſed vt coniuncta cum maternitate Dei. Quid quod in ſententia valde probabili, omnes animæ ſunt æquales in indiuiduali differentia, qua poſita ſententia, omnis rationum moles corruit, nihilque probant argumenta ab ipſo Recentiore conſtructa.

CERTAMEN VII.

Aliæ viæ aperiuntur ad eandem immunitatem vindicandam: & vtrùm ex vi formationis celerrimæ corporis Mariani fuerit libera B.Virgo à debito culpæ originalis.

596. NOn vna, aut altera, ſed plures ſunt adinnentæ viæ ab illuſtribus Theologis, & quidem ſubtili indagatione, vt Virginem Dei Genitricem eximant a debito culpæ originariæ: quarum aliquas, & potiſſimas hic breuiter perſtringam: poſtmodum ſubiiciemus aliquid etiam lectoris tolerantiæ, quod nobis occurrerit. Blanditur quippe calamo hoc Marianum priuilegium, vt non ſolum Deiparam tanquam Reginam ter maximam à peccati originalis labe immunem conſtituamus, ſed etiam eam ab hoc debiti ipſius næuo vindicemus. Varij igitur ſunt modi liberandi B.Virginem ab eiuſmodi debito proximo, cum quibus componi poſſit ipſius Redemptio per Chriſti merita.

Aliqui aſſerunt B. Virginē non fuiſſe redemptam ab originali, ſed ſeueriori cenſura perſtringuntur.

Aliqui ex primoribus Theologis affirmant Deiparam fuiſſe redemptam inſtar Adami, & Euæ, cũ hoc tamen diſcrimine, quòd hi redempti fuerint à peccatis actualibus à ſe commiſſis. At Virgo Deipara ab omni veniali, & lethali; Nobiliori redemptionis modo præſeruata: ab originali autem nec primi Parentes, nec B. Virgo fuerunt redempti, quia nullus ex illis peccati originalis macula inſici potuit. De Adamo, & Eua res conſtat; de B. Virgine id aliqui adſtruunt, quia haud fuit contenta ſub fœdere vniuerſali de transfundendo peccato, iam enim ante præuiſum peccatum prædefinita fuit, vel ex ſolis Chriſti meritis quoad ſubſtantiam producta, vel quia diuinorum Conſiliorum conſtitutio ita fuit coordinata, vt nec mediatè, nec immediatè potuerit eſſe debitrix, aut rea originalis delicti eiúſque debiti: quare B. Virginem ſolùm habuiſſe exiſtentiam naturalem ab Adamo, nequaquam verò moralem aliquem influxum. Qui opinandi modus, vt vidimus, nonnullas patitur difficultates; communis enim Theologorum conſenſus admittit, ac ſupponit Virginem Deiparam ab originali culpa fuiſſe redemptam. Non tamen arbitror adeò ſeueriori cenſura inurendum hunc opinandi modum, quã illum inurit Corduba, cenſens eſſe hæreticum. Suarius tom.2. in 3.p.diſp.3. ſect.2. Vaſq.3.p.tom.2.diſp.115. cap.vlt. Valentia to.2.d.6.q.11.p.2.& tom.4.diſp.2.q.1.p.2. Bellar. tom.3. lib.4. de amiſſione gratiæ c.16. Moncæus diſp.7.p.4.cap.3. qui omnes tanquam temerariam opinionem reſpuunt.

Cordub. Suar. Vaſq. Valent. Bellarm. Moncæ.

597. Alij vt eximant B.Virginem ab hoc debito, ſupponunt ex meritis Chriſti ab illo fuiſſe liberam: quare ſignorum ordinem ita diſponunt. Primò vidit Deus ſcientiã ſimplicis intelligentiæ excellentiam Chriſti Redemptoris: deinde ſcientia conditionata, ſi Adamus conderetur, & in eius voluntatem transferret Deus poſterorum voluntates, licet vnum, aut alterum exciperet ab Adami voluntate, quo peccante, omnes etiam poſteri peccarent, dempto vno, aut altero, quorum formationem miraculoſam vellet Deus. Rurſus vidit Deus eos poſteros Adæ, quorum voluntas non foret alligata eiuſdem voluntati, vel quorum ſanctitas non dependeret ab Adami libertate, propter miraculoſam formationem, in ſe, neque in illo peccaturos. Præterea vidit ex prædictis cognitionibus in ſua eſſe poteſtate, prædeſtinare Chriſtum Redemptorem, & illius meritis eximere aliquem ab eodem debito, & proximè decreta eſt prædeſtinatio Chriſti Redemptoris. Inſuper ex meritis Chriſti in ſpe decreuit Mariam Virginem in Matrem. Et quia materna dignitas depoſcebat, vt ſumma puritate niteret, & vt ipſius ſanctitas ex contingentia voluntatis Adami, non ſubiiceretur iacturæ, tantóque malo; ideò quando initum fuit pactum cum protoparente, ex vi illius cognitionis, qua noſcebat Deus, ſi B. Virgo ab illo pacto excluderetur propter miraculoſam formationem, illam non grauãdam originali peccati pondere. Quia verò Chriſtus iam decretus plura beneficia, plura obſequia Virgini Matri debebat, propter ſua merita, & paſſionem; noluit includere illam in illud fœdus, ſed maximum gratiarum cumulum, ſine dependentiam à primo parente in illam conferre conſtituit, eandémque per miraculoſam productionem, quæ à pacto illam excluderet, producere.

Apponuntur variæ viæ ad vindicãdam B.Virginem à debito peccati originalis.

Nonnulli aliter rem definiunt; vt licèt Chriſtus poſt Adamum fuerit præfinitus, & poſt eius peccatum, B.Virgo potuerit gratiam ab Adamo recipere, non verò peccatum, vt ſi Deus paciſceretur cum Adamo: Conferam Virgini Matri gratiam, ſi tu nepotibus non amiſeris per præcepti tranſgreſſionem; ſi verò illam amiſeris; mittam Filium meum, qui ſi merita ſua offerat, pro iuſtitia originali Virginis Mariæ, immunis erit à peccato, quod alioquin ex ſe incurrere poterat; nempe illam modo miraculoſo condendo: quòd ſi Chriſtus nec petat, nec applicet ſua merita pro iuſtitia originali Virginis matris, tunc illa erit obnoxia peccato, & naturali Conceptione formabitur: ac proinde pactum abſolutum fuit de transfuſione gratiæ originalis in B. Virgine, independenter à Chriſto; de transfuſione verò peccati, fuit ſub conditione; quo modo defendit à debito B. Virginem Paulus Sherlogus tom.2. in Cant. fol.347.n.34. Sherlog.

Aliter rem meditantur, qui prædefiniunt Chriſtum poſt præuiſionem peccati, qui ſignorum ſeriē ita concipiunt. Primò vidit Deus, ſi iniero fœdus cũ Adamo pro nepotibus, & ab eo Virginem Matrem eripuero, quia illam miraculoſe formare conſtituo, delinquet Adam, & reliqui naſcentur peccati debito obærati. Secundo mittam Chriſtum in peccati remedium, & ipſe ſuis meritis liberabit Virginem Matrem à debito hæreditariæ maculæ, illam miraculosè condendo. Tertio ex voluntate inefficaci, ex vi meritorum Chriſti condidit illam miraculosè, & immunem fecit à peccato: hæc verò voluntas, ſeu deſiderium, ideò inefficax eſt, quia non determinat Deum ad liberationem prædictam, ſed tantùm mouet, ex quo diſcrimen ſortitur intentio efficax ab inefficaci; ſub hoc autem ſigno non potuit eſſe efficax intentio, non enim

merita

merita Christi erant decreta, cum nondum prævidebatur peccatum commissum. Nec obest, quòd ex ea intentione habendi meritum Christi, tanquam pretium, Deus præstet omnia requisita ad prædictum meritum habendum, ac proinde permittendum peccatum, non enim Deus tenetur illud amare, sed solum permittere.

Quidam verò, cùm non admittant electiones materiales, quibus medium vtile amatur, non vt vtile ita de diuinis decretis statuunt; vt primo viderit Deus, si fœdus iniero cum Adamo de iustitia originali, aut priuatione illius in nepotes transfundenda, siue aliquem excipiam propter miraculosam formationem in se, quæ non fuit coërcita in pacto; siue non excipiam, quia naturæ viribus illum condi volo; permittam illius peccatum, vt Christus in illius medelam veniat. 2. Si excepero ab ea lege Mariam Virginem ex affectu inefficaci, vt sit eius Mater, adeòque illam miraculoso modo produxero, ipse Filius morte sua affatim pro ea soluet. 3. Ex amore inefficaci huius pretij Deiparam à debito Deus liberat, illam miraculosè formando: in hoc autem opinandi modo, non tenetur Deus permittere peccatum ex hoc fine, cùm iam supponatur permittendum, ex eo quod sit fœdus independenter ab eo, quod ab ipso fœdere, aut lege is, vel ille excipiatur. Quotiescumque autem medium supponitur futurum ex aliqua intentione, licèt sit alia intentio, quæ eo indiget medio, non tenetur ad amorem illius medij, sed ad vsum illius: sicut quando pharmacum ante ægritudinem factum ex casu, vel alio ex fine, si morbus vrgeat subito, non obligat ad illius compositionem, sed solum ad vsum: si ergo ex sola conditione pacti independenter ab exceptione alicuius, supponatur determinandam esse voluntatem Dei ad permissionem peccati ex aliis finibus, profectò desiderium pretij soluendi à Christo, non determinabit ad permissionem peccati, sed solum ad sequendum quod necessarium est ad Christi meritum, & culpæ liberationem, & ab ipsius debito in Dei Genitrice.

Sextus opinandi modus ait, B. Virginem nullatenus absolutè peccasse in Protoparente, nec debitum culpæ illius contraxisse, nec propriè in Adamo mortuam fuisse, sed solùm deliquisse secundum quid, eademque ratione debitum incurrisse solùm secundum quid, iuxta Scholæ terminos; nempe quia haberet illud sub conditione, si per Christi merita non liberaretur, & nisi miraculosè in se progigneretur. Primum patet, quia debitum, & mors, ac peccatum dedecebant Virginem Mariam. Secundum probatur, quia debitum, mors, & peccatum sub conditione sumpta non dicuntur absolutè debitum, mors, & peccatum in Adamo; quæ enim conditionatè sunt, absolutè non sunt. Quia verò Lex conditionalis Mariam exposuit periculo labêdi in peccatum, & pactum absolutum, si naturaliter conciperetur; ideò mortua dicitur secundum quid, & peccasse secundum quid. Absolutè autem non fuit Adamus caput Deiparæ, nec ipsa morale ipsius membrum.

598. Alia via excogitari posset, iuxta Diui Thomæ doctrinam in 3. dist. 3. in qua B. Virginem liberare possemus à debito peccandi in primo Parente: nempe quòd Ioachimus, & Anna paulo ante conceptum B. Virginis non solum sanctitate personali florerent, quæ sublato semel peccato originali, semper illis inhæsit; verum etiam, & sanctitate naturæ per originalem iustitiam, quæ ex Dei beneplacito, ante conceptionem B. Virginis ipsis con-

Mariana immunitas à debito peccati originalis statuitur ex doctrina S. Thomæ.
D. Thom.

ferri potuit. Quòd si ita contigit, ex vi formationis miraculosæ in se, & à parentibus in statu innocentiæ peractæ, non potuit B. Virgo incurrere debitum proximum, vel remotum peccati originalis in suo corpore, nec in materiâ illius, neque in commixtione parentum, sed solum remotissimum in causis, quæ ex Christi meritis perpurgatæ fuere, & sanctitate naturæ donatæ, vt purissima, ac Cælis clarior aggrederetur non modò conceptio secunda B. Virginis, sed etiam prima: huic sensui suppetias fert S. Damasc. orat. de natiu. Virginis, vocans Immaculatum, semen Ioachimi: quod non aliter fieri potuit, nisi per naturæ sanitatem, eámque originali iustitia ornando, ante Deiparæ conceptum; quod subindicare etiam videtur S. Brigitta ser. Angel. c. 1. dicens, ex purissimis, & clarissimis elementis compactum fuisse corpus Deiparæ. Hic opinandi modus propugnari posset, siue Christus ante præuisum peccatum, siue dependenter à peccato fuerit prædefinitus: nam cùm signorum series ad libitum coordinetur, potest in eis assignari signum, in quo ex meritis Christi, præter sanctitatem personalem, post expulsionem originalis peccati, conferatur B. Virginis Parentibus sanctitas, ac sanitas naturæ. In hoc autem opinandi modo sic explicato, conciperetur Virgo B. sine peccato, quasi in puris naturalibus, iuxta Scholæ phrasim, nisi in eo statu Ioachimus, & Anna ponerentur, vt vtriusque generationi alligata esset, ex vi alicuius pacti, aut decreti transfusio gratiæ habitualis; aliud enim esset, eorum sanari naturam, ita vt Maria Virgo non incurreret peccatum; aliud deriuari gratiam in ipsam: vtrumque rectè potuit à Deo disponi, vel vt auferretur contractio peccati sine gratiæ sanctificantis collatione, vel vt conferretur etiam gratia sanctificans.

Damasc.

Brigitta.

Demum subiungam alium liberandi modum, B. Virginem à debito primæuæ culpæ, innixum fœdere inito cum Adamo, quo solum comprehendebantur naturales generationes humanæ, non verò illæ, quæ in se miraculosæ forent, qualis fuit sine dubio Christi conceptio, tum & Conceptio B. Virginis sub opinione. Quo posito, omnes Doctores, qui hoc debitum denegant in B. Virgine, asserunt non fuisse absolutè comprehensam in fœdere cum Adamo inito; potuit igitur pactum fieri, ita vt comprehenderentur in ipso illi soli posteri Adæ, quorum corpora iuxta naturæ leges formanda essent; Deus enim statuens solius B. Virginis formationem miraculosam fieri in se, potuit ita pactum prædictum peragere; vt eo non comprehenderetur B. Virgo ex Christi meritis miraculoso modo condita; & sane si semel admittatur pactum sub hac dispositione, nequiuit B. Virgo contrahere debitum proximum, vel remotum, etiam de potentia absoluta; sed solum remotissimum, & secundum quid, vt supra: quia repugnantiam inuolueret, illam, cuius corpus in se miraculose fuisset compactum, debitum illud incurrere, quod dumtaxat ab eis incurri deberet, quorum corpora conderentur sine miraculo attingente ipsam substantiam fœtus in se: quia vero hæc miraculosa B. Virginis productio ex Christi meritis in eum finem intendebat, vt à debito proximo, & remoto peccati libera, & immunis euaderet; ideo absolutè dicitur Deipara à culpa originali per Christum redempta. 599.

Ex hoc autem opinandi modo iuuat argumentum attexere pro immunitate B. Virginis ab originali, ipsiusque debito, ductum ab impossibilitate tei non valentis coëxistere cum alia; Quod ita efformo;

B. Virgo nequit incurrere peccatum originale, neque

eius debitum, quia aberat cum pacisceretur Deus cum Adamo.

efformo: In eo ſigno, in quo præuidebantur Protoparentes noxialis pomi furto, Dei præceptum tranſilire, tunc aberat Maria ab Adamo, in quo non cenſebatur incluſa, tanquam in Capite morali; aberat etiam, cum paciſceretur Deus cum ipſo Adamo; ſolum enim in illo continebantur illi nepotes, quorum generationes, iuxta naturæ præſcriptom, futuræ erant, non illæ, quæ in ſe miraculoſo modo ederentur; atqui formatio corporis Mariani fuit in ſe miraculoſa, vt nunc ex alibi dicendis, ſupponimus; ergo cum non coëxtiterit cum Adamo tempore fœderis, nec cum præuidebatur peccaturus, & transfuſurus delictum in poſteros; non potuit, neque peccato Adami, neque eius debito ſubiacere; nunquam enim voluntas B. Virginis fuit contenta in voluntate Adami, qui nunquam fuit ipſius B. Virginis caput morale; ſi ergo non coëxtitit voluntas Virginis B. in voluntate Adami, neque cum fœdus iniebatur, neque cum delinquere præuidebatur: ergo non potuit eſſe obnoxia delicto; neque eius debito; ſolum enim poterant vtrumque contrahere nepotes illi, cuius voluntates coëxiſtebant in voluntate primi Parentis, tanqoam in capite morali.

Cant. 1.

Cuius rei typum habes in verbis illis Cant. 1. vbi iuxta plures Interpretes nec infimæ notæ, fatur ipſa Deipara cum Christo: *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie?* Vocat meridiem tempus illud, quo primi Parentes per pomi eſum præceptum diuinum tranſgreſſi ſunt, iuxta Rabhanum Abbatem in c. 3. Gen. *Aptè*, inquit, *Dominus crucem meridie aſcendit, vt qua hora primus homo lignum prauaricationis tetigerat, ſecundus Homo lignum Redemptionis aſcenderet.* Conſcia ergo Deiparens illius deambulationis ad auram poſt meridiem, exambit ſcire, vbi nam paulo ante commoraretur? vbinam illa hora meridiei, qua Protoparẽtes deliquerunt, Dominus exiſteret. Cui Dominus reſponſum præbet: *Si te ignoras ô pulcherrima mulierum!* Quæ verba ſic commentatur Rupertus, *O pulcherrima mulierũ! O benedicta inter mulieres! cuius pulchritudo benedictio eſt, talis, ac tanta cauſa tua eſt, vt ſi te ipsã nõ ignores, ſtatim ſcias illud, quod quæris: fides, & humilitas tota pulchritudo tua, & hic eſt locus requiei meæ.* Ac ſi diceret ea eſt Mariæ pulchritudo, tot, ac tãta gratiarũ chariſmata, ac priuilegiorom cumolus in vnam Mariam congeſtus, vt quo tempore ab Adamo, eiúſque poſteris, per peccatum in primo Parente perpetratum, Deus repulſam patiebatur; in vna Maria, tanquam in centro conquieſcebat, ſolatia capiebat, ac iucundabatur; tantum aberat, vt Maria in Adamo peccaret, eiuſque debitum incurreret, vt potiùs Deo fuiſſet quaſi aſylum, vbi à peccato Adami, ac poſterorum tutaretur. Quocirca nemo in poſterum pulcherrimam Mariam de peccati originalis fœdiſſima labe, vel ipſius debiti næuo, ſiue cicatrice ſugillet, cum in eo ſigno, ſeu tempore, quo protoparentes pomum illud aduerſus Dei præceptum ſuffurati ſunt, abfuit à voluntate ipſorum; ſi ergo abſens fuit, & phyſicè, & moraliter dum peccatum illud aut furtum patratum fuit; ergo non potuit, nec peccati eſſe rea, neque illius eſſe debitrix.

Rabban.

Cant. 1.

600. Quibus præmiſſis nonnulli Doctores ſtatuunt ex vi Conceptionis miraculoſæ Corporis Mariani fuiſſe Virginem Deiparam exemptam à debito culpæ originariæ: cui ſententiæ non ſubſcribo, ſed eam ſolum refero, prout ab his Doctoribus explicatur, cuius veritatem aliis indagandam & exagitandam relinquo. Et ſuadetur, quia lex de transfundendo debito peccati Adami in poſteros ſolùm fuit lata in illos, qui ex viro, & fœmina iuxta exigentiam, & ordinem cauſarum naturalium progignerentur; atqui Virgo Deipara, non iuxta, ſed extra ordinem hunc fuit efformata, quia ſupernaturaliter concepta, & omnibus ſuis numeris abſoluta, & animata fuit: ergo ab illa lege prorſus fuit exempta. Prima propoſitio ex huculque dictis clareſcit, & ex dicendis nouum robur ſumet. Minor propoſitio fuſiùs palæſtra ſequenti peculiari certamine corroborabitur. Maior itaque propoſitio, præter dicta, ſuaderi poteſt ex eo quòd ſi B. Virgo inſtar Euæ condita fuiſſet ex coſta Ioachimi, vel alterius; tunc ex vi formationis foret immunis à peccato, & debito originario; nam pactum initum cum Adamo de transfundenda in nepotes culpa hæreditaria, ſiue iuſtitia originali, ſolùm comprehendebat illos, qui ex ſolita, & naturali generatione ex viro, & fœmina propagarentur. Imo D. Leo ſer. 5. de natiu. Dom. cenſet, fœdus initum cum Adamo, non complecti eos, qui ſine carnis illecebroſo pruritu conciperentur: *Solus*, inquit, *inter filios hominum Dominus IESVS innocens natus eſt, quia ſolus ſine carnali concupiſcentia pollutione conceptus.* Ex quibus rectè quiuis inferat, locutiones illas generales ſacrorum voluminum, quæ omnes homines cohibent ſub peccato, oportere intelligi cum quibuſdam limitationibus: quod vt perſpicuum fiat, arbitror cum Maldonato, purum hominem, ſi conderetur ex fœmina Virgine, ex conſueto tamen ſemine, non incurſurum peccatum Adæ, nec debitum ipſius: quod ſuadet ex Luc. 1. *Ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei:* Vbi obſeruat vocem illam, *ſanctum*, vim potius continere aduerbij, quàm nominis; ita vt innuat Angelus, illud quod concipiendum erat in vtero B. Virginis ſanctè concipiendum, id eſt, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo, Spiritu ſancto obumbrante; itaque vocat Angelus Christum Sanctum hoc loco, non quia Deus, vel quia vt homo omni labe careret, licèt vtroque ex capite ſanctiſſimus eſſet; ſed quia ſanctè, id eſt ſine viro conceptus, ita vt etiam ſi Deus non fuiſſet, per conceptum ex Virgine ſine viro, ſine labe originaria conciperetur: de quo ſuperiori Palæſtra actum fuit. Cui cogitatui auxiliatur D. Leo ſerm. 7. de natiu. Dom. *Incommutabile Dei Verbum de incontaminato corpore habitum ſibi humanæ carnis aſſumpſit, quia nullum contagium de concupiſcentia carnis traheret, & humani ſeminis ceſſante contagio, nouo homini & puritas ineſſet, & veritas: ſolus itaque inter filios hominum &c.* Vt ſuprà dixerat. Et D. Gregor. eandem ebibit mentem lib. 18. mor. c. 27. *Ille*, inquit, *ſolus veraciter ſanctus natus eſt, qui vt ipſam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non eſt.* Clariùs in eundẽ ſenſum abit Anſelm. lib. de conceptu virginali c. 20. *De peccato originali ſufficienter oſtẽſum, quomodo ad hominem de virgine conceptum, nulla ratione deſcendere à parentibus potuerit.* Ex qoibus ſatis luculenter apparet, hominem purum ex virgine progenitum, non futurum reum originariæ culpæ, neque ipſius debitorem.

S. Leo.

Purus homo ſi conderetur ex fœmina Virgine non incurreret peccatum Adæ, nec ipſius debitum.

Maldon.

Luc. 1.

S. Leo.

Greg. M.

Anſelm.

[1] Quo poſito ex illis DD. ita libet argumentum conficere: Purus homo ſi à fœmina virgine conciperetur, eſſet nihilo ſecius filius Adæ, vt conteſtatur Apoſtolus de Christo, nempe fuiſſe de ſemine Dauid ſecundùm carnem, & tamen non traheret ab illo debitum hæreditarij delicti; ergo exhiberi poteſt aliquis conceptus miraculoſus, in quo

aliquis

aliquis sit filius Adæ, & ex semine ipsius propagetur, & tamen à tali debito omnino liber euadat: ratio autem ea est, quam sæpiùs innuimus, quia fœdus Dei cum primo Parente de deriuando debito peccati in filios, & nepotes, solùm initum fuit pro illis, qui naturali propagatione progignerentur; quis enim credat in illo pacto comprehensas fuisse conceptiones omninò miraculosas in se; nec enim decebat, vt vbi agebatur de supplicio, & vindicta, ibi contentam singularem formationem Virginis Deiparæ tot, tantisque priuilegiis prodigiosam, peractam extra causarum naturalium leges. Quod neutiquam generationibus Isaac, Samsonis, Baptistæ, & aliorum adaptare poteris. Cùm ex parte illorum infantium, nullum appareat miraculum; solùm in parentibus præcessere miracula, per ablationem sterilitatis, vel à grandæua ætate, vel ab infæcunda volua. Mariæ verò Virginis conceptus totus mirabilis, ac miraculosus fuit. Nec labefactare potest hanc sententiam, quod generatio B. Virginis ortum habuerit ex commixtione viri, ac fœminæ; non verò formatio puri hominis ex fœmina Virgine; hæc enim solum quoad modum supernaturalis esset, non quoad substantiam, vt probat S. Thom. in 1. p. q. 105. a. 8. & Abul. in c. 9. Matt. q. 18 ergo etiam licèt formatio B. Virginis solùm fuerit supernaturalis quoad modum, excludenda est à fœdere illo Dei inito cum Protoparente. Deinde efformatio breuissimo tempore peracta Corporis Mariani, veluti ex æquo Deum deuinciebat, vt Virgo Deipara originariæ maculæ immunis oriretur, alioquin tam festinata formatio, non in censum beneficij, sed pœnæ anoumeranda diceretur, siquidem esset acceleratio illa, potius ad pœnam, quam ad fauorem, & præmium.

D. Thom. Abul.

01. Quòd si dixeris ad transfusionem originarij debiti, nihil aliud opus esse, nisi ab Adamo descendere per veram generationem; atqui Virgo Deiparens ab Adamo per seminalem generationem ortum duxit: ergo debitum incurrit. Sed occurrendum per distinctionem maioris propositionis; si enim seruetur consuetos ordo naturæ in formatione temporanea, & trium fere mensium in puellis, antequam anima infundatur corpori, vera est propositio: si verò corpus festinanter, & miraculosè figuletur, & absolutam habeat perfectionem per animæ informationem; falsa censenda est. Quare quando S. Anselmus lib. de Conceptu Virginis c. 7. & D. Th. 1. 2. q. 81. a. 1. & alij Theologi solum deposcunt ad eiusmodi transfusionem debiti, vt ab Adamo posteri ortum habeant per hanc seminalem generationem, intelligendi sunt iuxta sensum primæ partis positæ distinctionis. Quod subindicare videtur S. Cypr. lib 3. epist. 8. *Infans*, ait, *recens natus nihil peccauit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus*. Id est iuxta consuetum ordinem causarum naturalium, seruatum in aliis posteris Adæ. Nullum ergo Dæmon vestigium infectæ generationis impressit in Maria, cuius conditio, & formatio inter reliquas posterorum singularissima fuit. Et crediderim commendatam fuisse ab Apostolo ad Hebr. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est non huius creationis, introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta.* Vbi vocat Mariam Tabernaculum nouæ & inauditæ perfectionis, non quidem communis creationis, & formationis cum reliquis, in quo nec odor generationis infectæ repertus est. *Non in seruo habitat Dominus*, ait S. Cyril. Alex. epist. in Samosat. in

Anselm. D. Thom. Cypr. Hebr. 9. Cyril. Alex.

solut. quæstionis 7. *Sed in sancto suo tabernaculo, non manu facto, id est, non huius creationis, quod est Deipara.* Profecto Tabernaculum cœlis purius, & amplius, in quo quidquid suspicias Diuinæ assimilatur arti, non generationi humanæ, à cuius legibus longè deuiat Deiparæ prima productio.

Hinc addisces discrimen recensendi genealogiam Christi in Luca, & in Matthæo; hic enim 602.
per paternitatis notionem generis prosapiam attexit: *Abraham autem genuit Isaac; Isaac autem genuit Iacob &c.* At Lucas non paternitatis notam, sed filiationis, qua à filio ad filium gradum facimus, recenset. *Qui fuit Eli, qui fuit Mathat, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Illud, *qui fuit*, filiationem denotat, non exprimit paternitatem. Nempe Matthæus Iosephi generationis lineam subducit, in qua peccati, ac debiti primi parentis infectio à parentibus, & proauis in reliquos communicatur. At S. Lucas authore S. Thoma, Maldonato, Toleto, & aliis; Marianæ generationis lineam rectam supputat, in qua nemo Patris notione compellatur, nec ipse Adamus; solus Deus, Pater exprimitur, reliqui filiationis nota insigniuntur. Quia Maria nullum parentem agnoscit, nisi solum Deum, id est non generatione naturali progignitur, neque à Parentibus iuxta præscriptum à natura ordinem, & tanquam à causa principali editur, sed singulari formatione, & in reliquis puris hominibus inaudita, à Deo in lucem datur. Hæc igitur Mariana generatio solius generationis Verbi Diuini æmula leges humanæ generationis supergreditur: & quemadmodum Verbum Diuinum expers est omninò peccati ex sua natura, & in luce gignitur, & in sanctorum splendoribus, ita Maria ex singulari priuilegio huius generationis æmulatrix, omninò peccati expers, ac debiti, ex vi generationis egreditur, vt vult Ambros. in psal. 40. *Generationis meæ in te priuilegium recognosco, qua nulla potuit macula inquinare peccati.* Et vero valde decens fuit, Virginem Deiparam, legibus culpæ originariæ, eiusque debiti eximi; cùm sit omninò immunis à subditorum vectigalibus: nec mirum; legibus enim naturæ non semel dispensatum fuit cum aliquibus: sic cum Iosuë, in cursu indefectibili solaris Globi; ignem etiam semper comburere, inuiolabili naturæ lege, videmus, & tamen in tribus Pueris naturæ Author dispensauit. Omnes etiam Adæ nepotes peccato originali maculati è vulua materna nascuntur; & tamen Ieremias, & Ioann. Baptista ab hac lue emaculati, Dei gratia decorati in lucem eduntur. Nonne lege vniuersali post peccatum Adæ cautum fuit, vt nemini paradisi aditus pateret; & tamen Enoch, & Elias ibidem asseruantur: si ergo leges naturæ, & gratiæ singulari Dei priuilegio aliquos non deuinxerunt; nihil mirum, quod Angelorum Reginam à legibus vniuersalibus peccati protoparentum, eiusque debiti singularissimo filij sui priuilegio exemerimus. Hinc intelliges illud B. Virginis, Ecclesiastici 24. *Dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me.* Perpende, Deum vocasse rerum omnium conditorem, nec tamen verbis illis vniuersalibus ipsam B. Virginem fuisse comprehensam; sed opus fuit addidisse, *& qui creauit me*: quasi Virgo Deipara, vniuersali illa voce, *omnium*, annumeranda non veniat; sicut neq; in illa dictione Pauli: *Omnes in Adā peccauerunt.* quia totius Vniuersi Regina altiorem deposcat ordinem, sublimius subsellium amet, non communes rerum omnium categorias ingreditur, sed peculiarem sibi chorum exambit.

Math. 1. Luc. 3. 24. D. Thom. Maldon. Tolet.

Maria solum Deum parentem tanquam causam principalem ipsius conditionis habuit.

Ambros.

Mariam à lege vniuersali exemptam, quid mirum? cum Deus sæpe dispensauerit cum aliis in legibus naturæ, & gratiæ.

Eccli. 24.

PALÆ

PALÆSTRA VI.

Dotes, & excellentias Mariani corporis vestigat.

603. Ic solum externum huius sacratissimi Palatij vestibulum, aditúmque primum contemplabimur; Mariani, inquam, corporis dotes, ac priuilegia, vt ab eo pedetentim ad speciosiorem interiorem B. Virginis partem, nempe animum, eiusque perfectiones, gradum faciamus. Hoc Marianum corpus rectè vocabis cum Andrea Cret. à Deo sculptam statuam, rectè descriptam, viui Archetypi imaginem, in quam meliori quodam penicillo incubuit Deus: vbi enim Agentis vis, ac virtus potens est, nullúsque obex obtendatur, opus sane præstantissimum, ac pulcherrimum proditurum compertum est; cùm ergo in hoc corpore efformando, plus operis Deus, quàm natura præstiterit, quis eat inficias, illud omnibus suis numeris absolutissimum extitisse. Imò naturam ipsam in conflandis humani corporis partibus, perpoliendis, aptéque concinnandis, sedulam nauare curam, vigilantique penicillo lineamenta ductare, eleganti stylo depingit Galenus lib. 11. de vsu part. c. 14. *Quo pacto natura earum etiam pulchritudini prouidit; nam id quoque ex abundanti facere consueuit, nullam partem impolitam, neque illaboratam, aut sine rhythmo, aut lepôre relinquens; id iam consideres licet*: Ergo potiori iure ipse Deus naturæ opifex, cùm hoc opus omnium creaturarum præstantissimum exornandum suscepit, sedulam curam, singularemque operam in eo perficiendo, elaborando, omnibúsque numeris absoluendo, impendisse credendum est. Hoc igitur opus, Diuina, non Palladis, sed Patris sapientiæ arte compactum; hanc statuam meliori pollice elaboratam, qua potero arte, & ingenio mentis oculis obüciam; vt inde facilius Animi Mariani dotes, ac priuilegia rimari possimus.

And. Cret. *Marianum corpus à Deo insculpta imago, in quā meliori penicillo incubuit Deus.*

Galen.

CERTAMEN I.

An Marianum corpus omnibus suis numeris absolutum compactum fuerit ipsa octaua die Decembris.

604. MAgnus Artifex Spiritus sanctus quidem est, quique super omnium Agentium naturaliū vim se attollit; siquidem nullum Agens naturale, omnem licèt suam exerat vim, in momento suos edit effectus, sed cūctatione tardoque gressu operatur, disponit quippe materiam primùm refragantibus, ac renuentibus qualitatibus depellendis, quibus amotis, ac deuictis, ingeruntur aliæ, quæ propriæ sunt formæ introducendæ, ipsiusque anteambulones, sequitur vltima formæ, ac proxima dispositio; quó præeunte satellitio, forma subiecti dominatum accipit, quæ omnia magno molimine patrantur, post longam moram; & post magnam aduersantium qualitatum pugnam.

Agentia naturalia pedetentim tardoque gressu suos effectus producunt.

His adnecte non solùm non ad naturam, aut ad artem, sed neque ad ipsam gratiam spectare, inspecto operandi ordine legitimo, opus aliquod eximiè perfectum, ac omnibus numeris absolutum, primo conatu perfecisse: solent enim in minoribus operibus præludere, & quasi experimentum capere. Videmus frutices priùs in folia, & flores solui antequam fructus edant, hi etiam priùs acidi, & immaturi, deinde labente tempore in perfectam maturitatem componuntur. Aër priùs aquam frigore addensat, antequam Crystallum perficiat. Tellus non statim Adamantes, Rubinos, & Smaragdos in lucem edit, quin priùs lapillos inferioris pretij producat. Ipsemet Deus in mundi prima conditione, rudem priùs indigestámque molem coagmentauit, ac veluti primo nisu effudit; postea iuxta exemplar suum perfectissimum paulatim absoluit. Sic natura teste Plinio lib. 21. c. 6. in conuoluulo, siue campanella, lilium facere condicit: *Conuoluulus, ait, tyrocinium naturæ est, lilium facere condiscentis.* At Spiritus sancti virtus nullas nectit moras, sed rerum omnium domina, momento, quæ vult, peragit; omnibus depulsis obicibus, ac expugnatis aduersarijs, formam, quam vult, insinuat, ipsi enim omnia ad nutum parent.

Plin. *Natura in conuoluulo lilium facere condiscit.*

B. Virginis Conceptionem peractam fuisse VI. Idus Decembris, id est die octaua eiusdem mensis; constanti Ecclesiæ vniuersalis authoritate stabilitur; quæ pluribus ab hinc sæculis, eo die, anniuersaria celebritate, Conceptionis B. Mariæ solemnia recolit. Ex eo enim pleraque festa à fidelibus peraguntur, vt ostendatur, ea die, aliquod Mysterium peractum fuisse. Idipsum patet ex reuelatione diuinitus facta Helcino Abbati, authore S. Anselmo Archiepiscopo Cantuar. Epist. ad Episcopos suos, & cunctos Orthodoxos. Firmatur idem ex alia reuelatione S. Nicolai Episcopi præcipientis, Conceptionis Marianæ festum die octaua Decembris peragi; quam approbat Baronius, Iacobus, de Voragine, Arnoldus VVion. Dionys. Carthus. & alij. Confirmat Baronius in suo Martyrologio octaua die Decembris. 605.

Anselm. Baron. Dion. Carth.

Solùm addubitari posset, quid hic, nomine *Conceptionis*, intelligendum sit? Nam Peramatus lib. de hominis præpar. c. 1. Bandell. in suo tractatu de singulari prærogatiua Conceptionis Christi p. 2. ad 10. rationem. Vaz. tom. 2. in 3. d. 117. c. 9. opinantur, die octaua Decembris solùm accidisse

Peram. Bandel. Vaz.

Conce

Conceptionem B.Virginis, vt significat solam seminis prolifici comprehensionem, siue retentionem in vtero, quia nomen *Conceptio* nihil aliud propriè significat, vt ipsi putant: Verùm hìc nomine *Conceptionis*, non venit retentio, aut comprehensiò seminis, neque susceptio, & retractio eiusdem, vel permixtio seminis cum parte puriori Sanguinis; sed sumitur Conceptio propriissimè pro prima fœtus animatione; actio enim, mediâ quâ fit hæc animatio, dicitur Conceptio, vt probat Garcia Carrera super lib. Gal. de locis affect. disput.69. de Conceptione c.1. Conceptio igitur in præsenti non solam seminis comprehensionem, seu attractionem innuit, sed etiam organizationem corpusculi, creationem animæ rationalis, eiusdemque infusionem in corpus; id enim totum Ecclesia nomine Conceptionis complectitur. Et quidem incredibile apparet, vt à S.Nicolao, massam illam sanguineam, vel carneam, & informem embryonem coli, ac suspici à Christicolis, indiceretur.

Garcia. *Nomine Conceptionis ab Ecclesia sumitur organizatio corpusculi, creatio animæ, eiusdemque infusio in corpus.*

Animadnertere etiam oportet, in statu innocentiæ, eundem futurum diem coniunctionis parentum, & animationis fœtus. Ita Doctores aliqui arbitrantur: & suaderi posset ex eo, quòd in natura lapsa septimo die, vt volunt aliqui, introducitur anima rationalis: ita Petrus Garcia super sen. 1. lib.1. Toletus 2.animæ c.4. q.7. & Auicenna disp.38. de ordine productionis. Nunc sic: In natura lapsa animatur fœtus septima die; ergo in statu innocentiæ animaretur eadem die, qua semen reciperetur: maior enim est distantia in facultatum perfectione; roboris in semine, puritatis in sanguine, in statu innocentiæ, quam perfectio, quæ in natura lapsa elaborare posset animationem, spatio septem dierum, ob cruditatem, & resistentiam materiæ, ob potentiam elanguidam seminalis facultatis, & iacturam puritatis in sanguine post vulnus peccati; atqui hæc non obstant, quominus post septem dies introducatur anima rationalis in natura lapsa: ergo potiori iure, in natura integra, introduceretur eadem die à receptione seminis. Plus sedenim potentiæ, & roboris inerat causæ materiali, & efficienti in natura integra, ad agendum vnica hora, quàm causæ efficienti, & materiali naturæ lapsæ per septem dierum spatium: tota enim ratio dilationis introductionis formæ, se tenet ex parte principij efficientis, & materialis; in statu autem innocentiæ nihil obesse poterat, quominus breuissimo tempore illæ causæ effectum suum sortirentur; siquidem primæuo vigore florebant. Et confirmari potest ex D.Th.1.p.q.91.a.4. illos redarguente, qui affirmabant, priùs tempore compactum fuisse corpus humanum, & postmodum animam ei fuisse inditam.

Garcia. Tolet. Auicen. D.Thom.

606. His ita prælibatis, circa præsentem controuersiam triplex est sententia. Prima sustinet, Marianum corpus priùs vita plantæ, deinde sub forma embryonis sensitiui paulatim dispositum; antequã rationalis animus infunderetur, exstitisse. Feruntur ita sensisse Henricus de Gandauo quodlib.15. q.15. Peramatus tractatu de eo, quòd miraculosum accidit in Conceptione Mariæ: subiungitque cum communiori Philosophorum, ac Medicorum doctrina, mares, scilicet efformari ad diem circiter quadragesimum: fœminas ad diem octuagesimum, vel nonagesimum; consequenter B. Virginis animam fuisse creatam, & inditam corpori, octoginta diebus post parentum commixtionem, videlicet die vigesima quinta Februarij. Quam sententiam affectatur Bandellus cit. Guillelmus Pepinus lib. de imitatione SS. serm.de conceptione. Hilaretus ser. de Concep.& natiu.Virg. Gonsaluus Durantus in notis ad lib.1.reuelat.S.Brigittæ c.9. Incognitus super psal.29. Huius sententiæ fundamenta prætermitto, quia nullius roboris, & certaminis decursu nullo impellente ruent.

Marianum corpus paulatim fuisse dispositum per 80. vel 90. dies, antequã ipsi anima infunderetur, quidam censent. Henric. Peram. Bandellus. Guill. Pep. Hilaret. Gonz. Dur. Incognit.

607. Alij opinantur Marianum corpus, post aliquot horas à coniunctione parentum, præditum fuisse anima rationali. Ita S.Amadæus, Granado tract.de Concept.disp.3.c.1.sect.2.cui sententiæ plures subscribunt ex his, qui Protoparentis macula B.Virginem inurunt; aiunt enim die octaua Decembris exstitisse parentum coniunctionem, corporis Virginei dispositionem, & distinctionẽ organicã, animæ infusionem, maculam originariam, huius emũdationem per gratiæ sanctificantis collationem; quæ illa ipsa die contigit, & ideò à Christi fidelibus religioso cultu veneratur. Cuius opinandi modi fundamentum illud esse potest; sic enim apparet discrimen temporis, quo Christus, ac Deipara in vtero delitescunt; licèt enim B.Virgo per duos dies minus in aluo matris delituerit, quam ipse Christus; Ecclesia tamen non curat de vno, aut altero die, quo corpus Mariæ caruit anima rationali.

Amad. Gran. *Marianum corpusculum eadem die à coniunctione parentũ fuisse perfectum, & animo rationali instructum, censent alij.*

Granado id probat, quia Conceptio B.Virginis non fuit peracta virtute Spiritus sancti, sed ex commixtione seminum maris, & fœminæ, quorum virtus vt pote limitata non potuit nisi successiuè disponere corpus Virginis B. ad infusionem animæ; quod indicat S.Damasc. orat. de natiu.B.Mariæ: *O preclaram, ait, Annæ vuluam, in qua tacitis incrementis ex ea auctus, atque formatus fuit fœtus sanctissimus.* Vbi expende illud, *tacitis incrementis*, quæ successionem temporis sonant. Censet ergo Granado, semina vtriusque parentis in vulua B. Annæ retenta in die octaua Decembris primo mane, ita fuisse diuinitus roborata, & supernaturali Dei concursu peculiariter adiuta, vt intra eandem diem, successiuè quidem, sed celerrimè sacratum illud corpusculum aptauerint, organaque dispunxerint ad animam rationalem recipiendam.

Damasc.

Rectè Methodius in orat.de Purific. *Deus, ait, Matri omnem gratiam, & honorem impendit.* Et S. Hieronymus relatus in officio Conceptionis, quo vtuntur Minores ex priuilegio Pij V. *Quidquid in Maria gestum est, totam gratia fuit.* Et S.Anselmus in lect. 8. Officij Conceptionis à Leonardo Nogarolo compacti, & approbati à Sixto IV. ait: *Illud conijcio apud me, Natiuitatem Mariæ magna quadam, atque admiranda, Diuinorum signorum indicia præcurrisse.* Et lect.7. *Si quid tenuitas sensus mei capere poterit de ipsa Maria, quod dignitati illius existimem non aduersari, in medium proferre libet.* Nemini ergo mirum videri debeat, si tantæ Virginis Conceptionem omninò mirabilem asseramus, adeóque sacrum eius corpus celerrimo temporis spatio fuisse elaboratum, & organis dispunctum, virtute diuina eleuante, ac fouente causas omnes secundas ad id suum exhibentes concursum, ac diuino concursu supplente octoginta dierum moras, qui insumi consueuerunt in formandis, & elaborandis aliarum fœminarum corpusculis. Aptissima in hunc sensum verba illa S.Damasc. orat.1. de Natiu. B.M. flectes: *O miraculorum miracula, & rerum admirandarum res maximè admiranda; siquidem par erat, vt ad Dei Incarnationem omni sermonis facultate superiorem, iter per miracula maniretur.* Iuxta hanc sententiam quæ sine dubio multo verior, & Marianæ dignitati conformior est.

Method. Hieron. Ansel. Damasc.

Adstruo

608. Adſtruo Marianum Corpus die octaua Decembris ex materia ſeminali generationi deſeruienti, breuiſſimo temporis interuallo fuiſſe compactum, organis inſtructum, membris coaptatum, partibus heterogeneis diſtinctū, & animo rationali præditum, ac multiplici prærogatiua abſolutum. Cui ſententiæ ſuum aſſenſum præbet Philippus Malla Doctor Pariſienſis; & alij Recentiores Magiſtri bonæ notæ. In quam inclinare videtur Coſmas Magallanes in Canticum magnum Moyſis lib. 3. ſect. 8. n. 2 & 3. Vdalricus apud Carthuſianū in 3. diſt. 3. q. 2. Huius celerrimæ, & abſolutæ Conceptionis Virgineæ vmbra præceſſit quædam in paradiſi productione; de quo ait ſacer Textus: *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio.* In momento itaque produxit ſe ipſo Deus ſine concurſu internedio cauſarum ſecundarum paradiſum, hominis topiarium, deliciarum locum, omni perfectione abſolutiſſimum, & credam, animatum Deiparæ paradiſum, delicium Dei, verbi Diuini ſacrarium, Trinitatis requiem, pedetentim ab informi, rudique materia in embryonem imperfectum à Deo fuiſſe formatum?

Philip. Malla. Magall. Vdalric.

Paradiſus voluptatis in momento à Deo conditur. Et Marianus paradiſus celerrime à Deo formatur.

Gen. 2. 8.

609. Imò quod magis mirere, produxit terra in primo mūdi naſcentis exordio non ſenſim, tardoq; gradu germina virentia, abſque mora edidit ſegetes, fruges non cunctabunda dedit, impigra in proceras arbores deſiluit, quin prius in virgulta tenera adoleſcerent, augeſcerent in ramos, ſolidarentur in truncos, vireſcerent in folia, decorarentur in flores natiuæ feracitatis vi potentiſſima, optimique, ac valentiſſimi temperamenti virtute; & mirabimur quòd Mariana Palma, nobilis Platanus, Oliua fructifera, Virga Ieſſe, Lilium inter ſpinas, Roſa Hierico, ſpeciali Dei concurſu, depulſa omnis cunctationis tarditate, quæ in reliquis hominum conceptibus, & formationibus accidere ſolent, præcoci, ac celerrima formatione, tanquam Arbos pulcherrima in lucem erumperet, extemporanea magnitudine procera, venuſta floribus, ac ſubita fructuum maturitate dītata: huc flecto, quæ de Chriſto fatur Andr. Hieroſolymitanus in ſalutatione S. M. *Benedictus fructus ille, qui ex incorrupto virginalis vteri ſurculo veluti perfectus mirabiliter matureſcens Botrus enatus eſt.* Si igitur ibi vox Domini ſubitò tot pomiſeras arbores germinauit, ac formoſam Veris ſupellectilem explicuit, vt eleganter expendit Chryſoſt. hom. 5. in Geneſ. *Quis non obſtupeſceret cogitans, quomodo Verbum Dei, quod dixit: Germinet terra herbam fœni, in ipſa olera terra deſcendat, & quaſi admirabili quodam peplo terra faciem variis floribus adornet: ita vt opifex in laudem eius prorumpat; etenim ait: Vidit Deus quod eſſet bonum.* Sed vndenam tam præcox vbertas, tam extemporanea feracitas ortum habuit? Alcimus id Verbo Dei detulit, cum pepigit.

Terra in principio non ſenſim, ſed abſque vlla mora fruges & arbores, ac fructus edidit.

Marianum corpuſculum celerrima formatione abſoluitur, ac perficitur.

Chryſoſ.

Alcimus.

Pulchra repentino veſtita eſt gramine tellus,
Accepêre genus ſine gramine iuſſa creari,
Et ſemen voluiſſe fuit. Sic vbere Verbi
Frondeſcunt ſyluæ.

Alij optimo terræ temperamento, & complexioni attribuendum affirmant. Vnum pro multis ſubſtituo Abulenſem in Poſtil. *Sicut creatæ fuerunt arbores, ita plenæ fuerunt fructibus, & credendum puto, quod nunquam arbores tantum de fructu, & tam bonæ complexionis produxerunt: Ratio eſt, quia ſemper operatio, quæ a ſolo Deo eſt, perfectior eſt, quàm perfectio naturalis; & quia tunc complexio terræ erat in optimo gradu.* Eadem ratione, & quidem meliori iure Maria Virgo in vtero Annæ celerrimè ſubductis organicis corporis lineamentis formata editur in ſuo conceptu, tum quia optimum nacta fuit temperamentum, ſummúmque rectæ complexionis gradum tenuit, longe perfectiorem, quàm in ſtatu innocentiæ contingeret. Tum quia eadem diuina virtus, per quam in mundi exordio arbores ſubita magnitudine, florum pulchritudine, foliorum virore, fructuum vbertate concreuerunt; B. Virginem in prima ſui inolitione organis compegit, corporis lineamentis figurauit, ac innumerabilibus priuilegiis perpoliuit, cur ergo breuiſſimo ſpatio hanc Virginis formationem fuiſſe peractam denegabimus? *cùm feracior ſit tellus*, ait Rupert. lib. 1. de operibus Spiritus ſancti c. 11. *& diuinæ rationi, ſeu Verbo vicinior, à Spiritu ſancto materia ſumpta eſt.* Repentinam ergo Marianæ arboris proceritatem, pulchritudinem, maturitatem, vbertatemque optimo Marianæ telluris temperamento, ac Spiritus ſancti virtuti arrogat Rupert. Ordo igitur naturæ depoſcit, vt fœtus omnino pulcherrimus, ac optima temperie compactus edatur virtute aliqua præcellenti; at ſemini ſenili, ac ſterili parentum Mariæ tantum vigoris, ac virtutis ineſſe non poterat, vt ſine ſpeciali Dei concurſu fœtus edi poſſet, omnium poſt Chriſtum abſolutiſſimus, optimaque temperie compactus, ergo opus fuit ſupernaturali Dei concurſu, quo ita roboratum, ac eleuatum fuit ſenile ſemen, vt feſtinè Marianum corpus elaborare, ac perficere potuerit. In his, quæ generali concurſu fiunt mediis cauſis ſecundis, tanquam inſtrumentis, quid mirum ſi aliquid minus elaboratum appareat: at in his, ad quæ Deus ſpeciali modo concurrit nihil deeſſe poteſt, nihil quod non ſit optimum, ac ſuis numeris abſolutum reperiri; huc verba Origenis in Exod. c. 25. libet deflectere. *Non enim ſanctuarium manu hominis factum, ſed manu Dei; quid ergo propter te Deus plantat, & ædificat, agricola efficitur, & ſtructor, ne tibi aliquid deſit.* Ita-ne, Deum in momento arbores fructibus onuſtas produxiſſe, & B. Virginem non celerrimè, ſed paulatim more aliorum hominum, primis ſex diebus, quaſi lactis retuliſſe ſimilitudinem, ſequentibus nouem, conuerſam in ſanguinem, maſſam illam rudem; deinde duodecim diebus ſolidiorem effectam; reliquis diebus, in embryonem informem commigraſſe, & tandem in fœtum tranſiſſe? nunquid indormiſſet Deus in efformando B. Virginis corpuſculo, qui in germinandis arbuſculis ita inuigilauit.

Abul.

Rup.

Origen.

Tria igitur reperiuntur in B. Virginis Conceptione, & ſeminis in locum conceptioni deſtinatum attractio, & corporis ipſius ex ſemine in membra figulatio, & organizatio, & tandem efformati iam corporis accretio. Attractio breuiſſimo temporis ſpatio per motum facta eſt, efformatio verò corporis, & organorum diſpunctio, licèt motum, tempúſque depoſcant, diuina tamen potentia feſtino gradu peracta eſt: & quod de Chriſto protulit Damaſcenus lib. 3. fidei c. 2. etiam B. Virgini adaptari poteſt cum ſua proportione: *Dei filius per Spiritum ſanctum procreationis modo ſibi ipſi carnem anima rationali animatam condidit, non ita, vt paulatim, tacitiſque incrementis figura corporis abſolueretur, ſed vno, eodemque momento perficeretur.* Quæ cum proportione in B. Virginis conceptum quadrare exiſtimamus. Semper enim B. Virgini deferendum eſt, quod pulchrius, quod decentius, quod filio honorabilius cenſetur: ſi enim tanquam Matrem Dei illam ſuſpicimus, cur celerrimè perfectiſſimam à Dei manu euaſiſſe inficiabimur? 610.

Damaſc.

quid

quidquid perfectionis B. Virgini attribuas, longè inferius est, quàm dignitas tanta. Ad rem Petrus Cellens. lib. de panibus c.21. *Si quid amplius ei assignare possumus diuini muneris, & honoris, quàm vt quod verum est fateamur, eam Genitricem Dei esse & hominis? infra hoc dicitur, quidquid in eius commendationem affertur: si Cœli Reginam, si Angelorum Dominam, vel quodlibet aliud excellentissimum, tam ab humano corde, quàm ore excogitatum protuleris, non assurges ad hunc superindicibilem honorem, quo creditur, & prædicatur Dei Genitrix.*

611. Succurrit etiam ad nostram sententiam stabiliendam, quod B. Virginis efformatio condecebat esse multo perfectior Euæ, & Adami formatione; sed hi absque vlla mora fuerunt perfecti, & suis numeris absoluti quoad organorum dispositionem, & animæ infusionem, ergo idem potiori iure asserendum de B. Virgine. Verè dixit Petrus Hispanus tractatu de Concept. Virginis. *Honestior disputatio esset, excellentiam aliquam sacratæ Virginis Conceptionis supra primorum parentum creationem concedere, quàm ipsam illis inferiorem appellare præsumere.* Roborari potest hæc ratio ex D. Aug. lib. de Gen. contra Manichæos c.18. Greg. Nissen. lib. de homine c.29. & 30. Damasc. lib. 2. de fide Orthod. c.12 quibus assentitur D. Thom. 1. p. q. 91. a. 4. qui multùm dedecere arbitratur, quòd Adamus pedetentim in corporis perfectionem eueheretur, ita vt præcederet rudis materia carnea, indigestáve Embryonis moles, siue animæ rationalis ornamento: si ergo hæc formatio morosa non decuit generosam Protoparentum maiestatem, multo minus Angelorum Imperatricem; ac malorum omnium, quæ primi Parentes in hunc mundum inuexerunt, reparatricem deceret, vt in eius conditione informis, rudisque materia præcederet, omnis perfectionis indiga, organorum perfectione destituta, ac animi rationalis expers. De qua Virgine fatur Damasc. orat. 1. de natiuitate: *Humana natura venustas, & primigeniæ matris Euæ correctio.* Accinit Bernardus epist. 174. *Quod vel paucis mortalium constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tãtæ Virgini fuisse negatum.* Piaculum profecto à me cõmitti, & quidem grãde suspicarer, si quod Adamo, & Euæ priuilegium à Deo collatum fuisse compertum est apud omnes, tantæ Virgini denegatem.

B. Virginis formatio multo perfectior Adami, & Euæ formatione.
Pet. Hisp.
Aug.
Greg. Nys.
Damasc.
Thom.
Damasc.
Bern.

612. Magis vrgent quæ Suarius subiungit de opere sex dierum lib. 3. c. 1. n. 8. & 13. & 14. non solum totam Adæ, & Euæ formationem in vno momento fuisse peractam, ita vt tota illa materia Adæ immediatè ante illud instans formationis exstiterit sub forma limi, aut luti, in instanti autem subsequenti exstitit tota cum integra membrorum varietate, omniúmque dispositionum corporis humani, animo rationali in eodem momento animati, sed etiam reliqua animantia in instanti condita fuisse, quoad Organizationem substantialem, animæque productionem, & quoad corporum accidentalem formationem, & dispositionem, absoluto, & simplici imperio condidit; quanto potiori titulo saltem breuissimo temporis interstitio formationem Mariani corporis peractam fuisse pronunciabimus? Si enim illa omnia animãtia, ac primos homines altiori productionis modo, quàm per communem, ac naturalem generationem condere oportuit, quia per se ipsum illa in lucem edidit; ergo eum specialissimo suo concursu, ac miraculoso Virginem Deiparam, non solùm causarum naturalium influxu produxerit; oportebat, vt celerrimè Deiparæ corpusculum effigiaret, ac perpoliret. Quæ enim à Deo immediatè producuntur omni perfectione absolutissima, & impigra celeritate in lucem dantur: id innuit dictio illa ad finem formationis cuiusque rei affixa; *& erant valde bona.* Solùm obstare potest eam commendationis clausulam præteriri in plantatione Paradisi; non enim subditur ibi; *& erat valde bona.* Sed nihil interest: etenim in his, quæ à Deo solo fiunt, tametsi bonitatis laus non superaddatur, iam tamen subintelligitur illa à tanti Artificis manu absolutissima, ac perfectissima processisse. Quod subiecto exemplo corroboro. Iam Deus aliarum rerum naturas condiderat, cum adiicit Moses; dixitque Deus. *Congregentur aquæ, quæ sub Cœlo sunt in vnum locum, & appareat arida, & factum est ita. Et vocauit Deus aridam terram, congregationesque aquarum appellauit Maria; & vidit quod esset bonum:* Quæ vltima verba, *vidit quod esset bonum:* In plerisque translationibus ex Hebræis non apparent: cui sententiæ fauet Ambros. lib. 3. Hexam. c. 5. Cur ergo vastissimo Maris elemento, signatissimo B. Virginis simulachro, illud commune reliquarum creaturarum encomium subticetur; sicut & in Paradisi formatione: proculdubio; quia opus à Deo solo perfectum, & elaboratum, non nisi perfectissimum, & omnibus suis numeris absolutum in lucem edi oportebat, nec alio encomio, ac suæ bonitatis commendatione indigebat, teste Ambros. citat. *Cùm ergo dixerit Deus, quia factum est, sic satis esse putauit vocem Operatoris, ob celebrata operationis indicium.* Sat fuit dixisse Paradisum Dei manibus consitum, ac marinos vortices à Deo solo productos, vt asseramus, ea omnia omni elogio, & laude esse dignissima. Et non sufficeret Deiparam instar paradisi specialissimi à Deo singulari concursu fuisse efformatam, vt existimemus, celerrimè fuisse compactam, omnique decoramento perpolitam. Forsan huc respiciebat D. Bonau. in Psalt. minori, dum vocat Virginem Mariam, virentem salicem, non quod sterilitatis, & castitatis imaginem exprimat, vt voluêre Ethnici, cùm Hortorum Deo salignam falcem consecrabant, quo docerent impudicas cogitationes castimoniæ falce resecari oportere. Alij ex eo dictam putant Salicem, quia celeriter crescit, vt salire videatur. Sic Deipara, quasi per saltum accrescit, & perfecto corpusculo efformatur, quando reliqui fœtus per plures dies pedetentim à natura perficiuntur.

Primi Parentes, & reliqua animantia in instanti perfectissime condita sunt.
Suar.
Opera à Deo immediatè producta absolutissima perfectione, & in momento in lucem eduntur.
Gen. 1. 9.
Amb.
Bonau.
Maria dicitur salix virens, quia celerrime in B. Annæ vtero efformata.

Nouum robur aduenire potest nostræ sententiæ, ex eo quod cum pœna originalis peccati sit, vt post commixtionem Parentum, materia animanda rationali Spiritu, priùs præcedat in embryonibus iuxta S. Aug. lib. 12. de Genesi ad literam. S. Eligium ser. 2. de Purif. Salmeronem tom. 3. tract. 45. Iacobũ Iannuensem serm. de Purificat. & alios; Deipara autem expers fuerit huius pœnæ authoritate Ecclesiæ celebrantis octaua die Decembris Conceptionẽ ipsius animatã; eadémq; die contigisse docet S. Ansel. hom. de conceptione; Amadæus à cõfessionibus Sixti IV. raptu 4. vbi ait S. Gabrielem sibi reuelasse materiã cõceptionis futuri corporis Deiparę in ipsa nocte congressionis Parentũ purissimam fuisse, & secundã cõceptionem instructã rationali sex horis post commixtionem paternorum seminum fuisse peractam. Reuelatio item S. Nicolai, quæ induxit diem festum Conceptionis in Ecclesiam Latinam; idem contestantur aliæ reuelationes, quarum meminit Dionys. Carthus. ser. 1. 2. & 3. de Concept. Petrus de Natal. lib. 1. c. 42. Iodocus Chlictoueus lib. de pur. Concep. cap. 15. Cui doctrinæ 613.

Aug.
Eligi.
Salme.
Corpusculum B. Virginis in ipsamet die, in qua congrediuntur ipsius Parentes perfectissime efformatur.
Ansel.
Amad.
Dionys. Car.
Pet. Nat.
Chlictou.
Iodocus.

Granad. ſubſcribitur Granado citat. & controu. 2. in 3. p. tract 11. diſp. 3. Ex hac autem celebritate animatæ Conceptionis die octaua Decembris, conſtat ante animationem fuiſſe immaculatam, & puram phyſicè, & moraliter materiam futuri corporis, & virtutem formatiuam ipſi inſidentem, iuxta Philoſophiam ab omnibus probatam cum D. Th. 1. q. 113. a. 7. & 3. p. q 75. a. 7. quæ docet, non poſſe admitti velocitatem tantam, aut in tempore, aut in inſtanti operationis agentis, niſi ex defectu reſiſtentiæ, & oppoſitorum patibilium, quorum abſentia iodicat puritatem moralem antecedentem ad conceptiunẽ animatam: ſicut contingeret in ſtatu innocentiæ. Huc faciunt verba Reuelationis S. Brigittę ſer. Angel. c. 1. *De claris, & puris elementis materiam benedicti corporis habuit.* ac ſi diceret; illam materiam; ex qua fuit elaboratum corpus virgineum, nullam habuiſſe cruditatem, nec ſpurcitiam, aut rebellionem, quæ contingunt in natura lapſa; cùm ergo B. Virgo exempta fuerit ab his pœnis, quæ ex peccato promanant, ſtatim fuit eius corpus organis diſpoſitum, & animatum. Ex hac autem immaculata materiæ puritate, & virtutis generatiuæ inſtrumentalis ipſi inhærentis, optimè ſuprà elicuimus Certamine vlt. Paleſtræ ſuperioris, probabilitatem ſententiæ, quæ immunem facit B. Virginem à debito peccati originalis: quia materia, & vis generandi, quæ ipſi inerant poſt defæcationem, & purificationem nequaquam eſſe poterant trames, aut tradux, vel aquæductus culpæ hæreditariæ; cum ſtatu naturæ integræ potirentur.

D. Thom. — Brigitta.

Guill. Pep. Dictis refragatur Guillelmus Pepinus ſer. de Conceptionẽ. Ait ergo feſtum Conceptionis non eſſe referendum determinatè ad diem præſentem, videlicet octauam Decembris diem, tunc enim reapſe ſolùm erat embryo informis, ſed ad illum diem, quo corpus Virgineum animo rationali exornatũ fuit, verùm quia talis dies ignotus eſt nobis, accipit Eccleſia diem illum determinatum pro incerto: cùm ergo ex Philoſophis, & Medicis res ſit dubia, quandonam contingat creatio, & infuſio animæ rationalis in corpore, vſurpatur dies, qui multo tempore anteceſſit creationem animæ rationalis. Nec id inſolens videri debet, ſiquidem in Eccleſia Sabbatho ſancto ante meridiem agitur anaſtaſis Chriſti Domini, quæ tamen non contigerat niſi poſt plures horas. Quod confirmari poteſt ex Doctrina Ægidij quodlib. 6. q. 20. §. *Diſtinguemus*; vbi ait illam particulam; *hodie concepta eſt B. Virgo*; nihil vrgere ad affirmandum B. Virginem die octaua Decembris fuiſſe abſolutam, perfectamque quoad corpus, & animam; nam per integros octo dies Chriſti natalitij, canitur ab Eccleſia; *Hodie Chriſtus natus eſt*: non ita vt ſingulis illis diebus natus ſit, ſed quia Eccleſia refert illa verba ad diem ortus: ſic etiam quando dubius eſt dies obitus alicuius Sancti, ignaro tamen die illius feſtum recolitur ab Eccleſia, cum ordine ad illum diem, in quo ad Cœlum emigrauit.

Ægid.

614. *Sententia negans hanc celerem formationem Mariæ aduerſatur Eccleſiæ.*

Hæc tamen omnia aduerſantur dictis ex reuelatione S. Nicolai, & aliorum, quæ magnam habent authoritatem, & pondus Doctorum: debilitatur etiam, imò conuellitur fundamentum Patrum, & Scholaſticorum, quo ſtabiliunt die 25. Martij habuiſſe iam Chriſtum D. abſolutiſſimam omnibus numeris perfectionem, organorumque diſtinctionem, & animi rationalis infuſionem. Quòd autem in B. Virgine, idem ſint, Concipi, quàm animam creari, expreſsè tradit Anſelmus hom. 1. de feſto Conceptionis. *Non eſt, ait, verus amator Virginis, qui reſpuit colerè diem Conceptionis, & Creationis eius.* Et in epiſt. ad Epiſcopos Angliæ: *Diem Conceptionis, & Creationis Matris Domini noſtri Ieſu Chriſti ſolemniter celebrabis.* Et S. Iſidorus in Mixtarabico Miſſali ad diem Aſſumptionis; ait: *Dum Mariam ab illo creari, ita eſt ab ipſo concipi.* Cogit etiam nos Eccleſia ad id affirmandum; cùm immeritò nos adigeret ad colendum, ac ſuſpiciendum Maſſam illam carneam, & informem Embryonem, vel in alium diem referre cultum illum contentum verbis illis: *Hodie concepta eſt B. Maria ex progenie Dauid.* item: *Conceptionem hodiernam perpetuæ Virginis Genitricis Dei Mariæ ſolemniter celebremus.* videndus Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 11. ſect. 1. & 2. vbi diſceptat de momentanea Chriſti Conceptione, quæ cum proportione B. Virginis primæ formationi adaptari poſſunt, ſaltem breuiſſimo tempore factam.

Anſel. — Iſidor. — Suar.

Sed ſciſcitabetis, quid Deus voluerit in tam celeri formatione Mariani corporis? Accelerabat vtique Deus greſſus, ne B. Virgo aliqua naturæ infectæ labe attaminaretur, cùm eius ipſius anima corpori indiтur, diebus octoginta, antequam in aliis fœminis, potiùs feſtinaret, ac percurreret, vt ipſius animum omni gratiarum cumulo adimpleret. Diſplicuit Deo, vt in Maria imperfecti Embryonis rudis, & horrida maſſa præcederet, quæ corpori Deiparæ materiam ſubminiſtratura erat; & credã, ipſum Deum toleraturum horrendum, ac fœdiſſimũ peccati originalis monſtrum, ſpurciſſimam, & infectam primæ culpæ maſſam in anima Deiparæ, Spiritus ſancti ſacrario? Præterea quid beneficij ineſſet in celeri hac Dei feſtinatione, in Deiparæ corpore formando, ſi lues illa tabifica Protoparentum B. Virginem feſtinè, ac præproperè ante alios fœdaret. Siquidẽ celeritas, & feſtinatio in exequẽdo ſupplicio, potius dicenda pœna, quàm fauor, & beneficium. Mariæ conditio omninò ſimillima Angelorum formationi. Nec adduci poſſum, vt credã, Deum ita feſtinè primam rerum molitionem abſoluiſſe, nam primæ diei opera, videlicet Cœlorum orbes, aquarum congeriem in momento peregit, deinde piſcium, ac volatilium inſtantanea productio ſubſecuta eſt; reliquorum quadrupedum abſoluta perfectio ſubitò ſine vlla temporis intercapedine in lucem edita fuit; & credam tardiori manu, ac moroſiori huic Diuinæ Omnipotentiæ Operi incubuiſſe? Eam igitur feſtina celeritate condidit, ac perfecit, vt hac ratione *Porœmiũ gratiæ* (ſic Virginem Deiparam compellat S Germ. in encomio de eius præſentatione: *Ecce*, inquit, *apertum Proœmiũ diuinæ, quæ cum erat adumbratura, gratiæ.* Proœmio naturæ omnino ſimile in lucem prodiret. 615. *Feſtinabat Deus in celeri formatione Mariæ illam à peccati labe præſeruare.*

Germ.

Ex quibus elicies B. Virginis formationem longè mirabiliorem fuiſſe, & excellentiorem primorũ Parentum conditione: Hæc enim naturæ leges ſupergreſſa non eſt, & iuxta exigentiam humanæ naturæ contigit, vt primi homines à ſolo Deo producerentur; quia non apparet alius modus quo condi poſſent; fieri enim non potuit, quod ab aliis hominibus generarentur, ſic enim abiretur in infinitum, & tandem aliquis à Deo ſolo producendus eſſet. Neque in formatione Adami ex luto, neque Euę ex Coſta, aliquid quod ſit ſupra naturam apparet; quidquid enim ibi reperitur, potuit Deus, vt author eſt naturæ, perficere. Vidimus autem in prima B. Virginis conditione plura concurriſſe miracula. Nunc autẽ denuò firmatur, quia ex parte omnium cauſarum influentium ad primam Mariani corporis formationem aliquid mirabile reperitur; ſiquidem ex parte cauſæ efficiẽtis, videlicet S. Ioachimi, 616. *Mariæ formatio longè perfectior primorum parentum figulatione.*

miraculum

miraculum fuit, quod potentia ipsius generatiua eleuaretur ad fœtus generosissimi generationem, tum ob sterilitatem, tum ob senilem ætatem; idémque cum proportione asserendum ex parte concursus causæ materialis in Anna. Si verò finis attendatur, cuius causa Deus Virginem Mariam in lucem edidit, vel cæcus videat illum fuisse longè sublimiorem, ac mirabiliorem fine conditionis Adæ. Si oculos mentis intendamus in exemplar, & ideam suo modo intentionali influentem ad Mariæ Virginis formationem, quis in dubium reuocare possit, esse omnium exemplariũ operum Dei Ideam perfectissimam. Quòd si rimeris vtrosque terminos productos per primam Protoparentum formationem, illosque componere velis cum termino producto productionis B. Virginis; in admirationem actus stupebis ad opus admirandum, simulachrum diuinum, viuam, & expressam diuini Archetypi imaginem; Virginem, inquam, MARIAM; cui vni, & Protoparentes, ac posteri omnes primatum deferunt, ac tanquam miraculum totius naturæ vires supergrediens colunt, atque suspiciunt.

617\. *Conceptio Christi D. longe nobilior, & miraculosior Conceptione B. Virginis.* Suar.

Si verò conferatur Conceptio B. Virginis cum Conceptione Christi, quatenus includit admirandam Verbi vnionem cum humanitate, & inuiolatam ipsius Virginis integritatem in conceptu ipso; certum arbitror maius reperiri miraculũ in conceptione Christi, quàm in Conceptione B. Virginis. Ita Suar. tom. 2. in 3. p. d. 2. s. 1. §. *Dices maius.* Et videtur esse communis Patrum, atque Doctorum, potius supponentium, quàm probantium hoc assertum. Probari tamen potest, quia ex parte causarum omnium, longè miraculosior, & mirabilior fuit Christi D. Conceptio, quàm B. Virginis: ex parte causæ efficientis, qoia nullius viri ope, sed Spiritus sancti virtute peracta fuit: ex parte autem B. Virginis, licèt fœcunda, & iuuene, proportionari oportuit materiam diuina ope, vt canit Ecclesia: *Omnipotens Deus, qui gloriosa Virginis Matris Mariæ corpus, & animam, vt dignum filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti.* Ex parte autem reliquarum causarum res planior est, nec indiget probatione: ergo longè mirabilior est Conceptio Christi D. quàm B. Virginis.

Aduersabitur quispiam obiiciens, maius miraculum videri concipi ex sene sterili, quàm ex sola muliere iuuene, & fœcunda; nam in priori generatione, ob defectum virtutis effectiuæ, & materiæ sufficientis, supplet Deus vtrumque: in posteriori autem, materia proportionata supponitur; solumqꝫ Deus vices causæ efficientis assumit. Sed negandum est Antecedens, quia in priori Conceptione non omninò deest virtus effectiua, & causa materialis, licet imperfecta; adeóque vtraque concurrit, licèt diuina virtute eleuentur, & coadiuuentur; ita tamen vt illa Conceptio B. Virginis in reliquis omnibus naturali modo fiat per commixtionem seminum vtriusque parentis: posterior autem Conceptio, quæ ex sola Virgine fœmina fit virtute Spiritus sancti, longè mirabiliori, ac sublimiori modo, & concursu contigit: ideoque qui concipitur S[illegible]s sancti virtute, ex vi talis conceptionis, vt p[illegible]irabilioris, & magis extra totios naturæ leges, non est obnoxius peccato originali, neque ipsius debito: at fœtus, qui concipitur ex virili semine, quantumuis senili, & sterili, ex vi Conceptionis originalem contrahunt maculam, vt patet in Joanne Baptista, Samuële, & aliis.

CERTAMEN II.

Eadem thesis superioris certaminis ab aliis obiectionibus vindicatur.

618\. *Propositio hæc: Eadem die qua Anna suscepit semen, corpus Mariæ fuit organizatum, & anima introducta, Delata fuit ad Tribunal S. Inquisitionis Valentinæ.* Index Expurgat.

Hæc propositio: *In eodem die, quo D. Anna semen suscepit, corpus B. Virginis fuit organizatum, & anima introducta.* fuit delata coram tribunali sanctæ Inquisitionis Valentinæ: & aduersus eam delator obiicit; quia nempe apertomarte pugnare videtur in eam Index expurgatorius ann. 1640. sic enim habet in appendice, verbo *Ioannes Baptista Poza*; præcipiens abradere ex Elucidario Deiparæ fol. 670 col. 1. lin. 13. verba illa: *Corpora Deiparæ, & Iesu ab instanti conceptionis fuisse prædita ossibus, neruis, & partibus carneis, ac cartilagineis, in eodem temperamento, quod habuere ad annũ vigesimum, aut trigesimum ætatis suæ.* Et subdit Index expurgatorius: *Hæc, & similia, quæ excedunt naturalem facultatem, & ordinariam, deleantur.* Ex quibus vltimis verbis, sic efformatur argumentum aduersus prædictam propositionem: Illa enim est quamsimillima huic prædicti Pozæ; quódque in illa confirmat, superat naturalem facultatem, quam natura semper obseruat, siquidem organizatio naturalis in viris fit per spatium quadraginta dierum; sicut & fœminæ octoginta, à die suscepti seminis in matrice, ad diem infusionis animæ in corpus iuxta communem sentiendi modum Philosophorum cum Arist. lib. 7. Hist. anim. c. 3. Quòd autem prima die suscepti seminis elaboretur corpusculum B. Mariæ, & organis distinguatur, est præter omnẽ facultatem naturalem, & ordinariam, & extra omnem cursum ordinarium reliquarũ fœminarũ, ergo ex vi verborum Expurgatorij, prohibetur prædicta propositio, & abradenda, & elimioanda ab Scholis. — Arist.

619\. *Præfata propositio vindicatur ab omni mala censura.*

Verùm enim verò prædicta propositio nulla est censura ferienda; neque enim continet hæresim, cùm non sit expresè contra doctrioam fidei; oihil enim contra illam in regulis Fidei reperitur: neque erronea censetur, non enim opponitur cooclusioni deductæ ex aliquo principio fidei: nec videtur temeraria, non enim aduersatur communi Patrum sensui, nec vllus affertur pro contraria parte: neque est contra communem Theologorum sententiam, cùm paucissimi rem hanc attingant, ac disputẽt, qui verò rem hanc tractant, solus Heoriquez quodlib. 14 q. 13. Peramatus. Medicus in suo opusc. cuius titulus est. *Quid naturale, quid miraculosum fuerit in Conceptione, qua Anna Virginem Mariam concepit.* Bandellus in sun tractatu de singulari prærogatiua Conceptionis Christi p. 2. ad 10. rationem, Vaz. tom. 3. in 3. p. contrariam sententiam affectantur. At verò tutantur hanc propositionem Iacobus Granado tom. 3. in 3. p. controu. 2. de gestis mirabilibus vitæ Christi, tractatu 1. d. 3. s 1. §. 2. Et in libello pro Immaculata Cooceptione, d 2. s. 2. & 3. Marcus Antonius Palao Præpositus, & Decanus Ecclesiæ Orihuelæ in defensione Domiuicana fol. 44. Quam tanquã probabilem approbarunt, vt ipse refert, plurimi viri doctissimi. Doctor etiã Parisiensis Philippus Malla Barchinonensis in concione habita de purissima Conceptione Barchinonæ; typis mandata Valentiæ ann. 1488. quam ait se defendisse in Academia Parisiensi in Thesibus pro Doctoratûs laurea. Præterea ex prædicta propositione nullum exoritur scandalum neque apud doctos, neq; apud plebem, imò lubẽtibus aoimis ab omnibus recipitur, ob insigne omnium in B. Virgioem studium. Nec denique aduersatur sanctæ Iuquisitionis Indici expurgatorio: quia in illo, vt iam visum est, — Henriquez. Peramat. Bandel. Vaz. Granad. Palau. Malla.

solùm interdicitur,& expúgi iubetur illa propositio,*Corpora Deipara, & Iesu ab instanti Conceptionis fuere predita ossibus,neruis &c.* Quare prædicta propositio nullâ censuræ notâ inurenda videtur; imò tanquam probabilis habenda ab extrinseco propter tantorum authoritatem: Neque à sancto Tribunali Inquisitionis, prædicta Propositio fuit aliquâ inusta censurâ.

Ab intrinseco autem fulciri potest robustis fundamentis. Et primò animaduertendum est, hoc nomen, *Conceptio*, propriè sumptum; solum significare seminis prolifici, & conuenientis comprehensionem, seu retentionem in vtero, & fermentationem corporis, vt eruditè probat Peramatus lib.de hominis præparatione c.1.Cùm enim animus infunditur in corpusculum, ex illa materia efformatum, & organis distinctum, non dicitur infans concipi; sed fœtum animari anima rationali. Quæ etiam sententia est S. Thom. in 3. dist.3.q.1.& 3.p. q.32. a.4. & q.33. a.1. in c. vbi ait: *Formatio corporis,in qua principaliter ratio conceptionis consistit.* Verum tamen est hoc nomen, *Conceptio*, extendi etiam ad instans animationis, nempe cùm anima in corpus infunditur; in qua acceptione, sumitur à Sixto IV. in extrauag. *Cum praexcelsa.*Et in extrauag. *Graue nimis*.vbi ait Pontifex aduersùs eos qui affirmare præsumerent, Rom. Ecclesiam de spirituali dumtaxat Conceptione; & Sanctificatione eiusdem Virginis gloriosæ festum celebrare; *huiusmodi assertiones vt pote falsas, & erroneas, atque à veritate alienas, authoritate Apostolica reprobamus.* Compertum etiam est, B.Mariæ Corpusculum ante animationem, non fuisse sanctum, cuius sanctitatis capax est sola anima, cùm hæc sanctitas à gratia deriuetur; hæc autem in sola anima recipitur. Ita D. Thom.3.p.q.27. a.2. supponit ergo Sixtus IV. cit. nomine, *Conceptionis*, non intelligi Conceptionem spiritualem, vel quod idem est,Sanctificationem, sed etiam Conceptionem carnalem, quando scilicet anima infunditur in corpus efformatum.

Peramatus.

D.Thom.

Sixti IV.

D.Thom.

620. Modò eiusmodi formatur ratiocinatio:Corpusculum Marianum fuit animatum die 8.Decembris, & eadem die fuit B. Virgo concepta, sumpto nomine;*Conceptionis*,propriè, & strictè pro receptione seminis Ioachimi in vtero Annæ,ergo ipsa die, in qua receptum est dictum semen in vtero Annæ, fuit miraculosè corpusculum dispositum, & animatum; Quòd autem 8. die fuerit animatum Corpus Marianum,patet,quia illa ipsa die peragit Ecclesia Conceptionis festum; & hoc argumento probatur; pleraque festa,quæ à fidelibus celebrantur, fuisse instituta ad recolendum mysterium, vel opus, quod ea die creditur fuisse peractum: sic die 25. Martij celebratur Incarnatio Verbi Diuini; quia eadem die creditur patrata, sicut & Annunciatio Angelica.Quare Suarius cit.de fide esse censet Incarnationem, & Annunciationem Angelicam illo ipso die fuisse factam; & Conceptionem Christi D.non fuisse peractam per longa illa ceterorum infantium interualla. Quòd verò in instanti peracta,ac perfecta fuerit, solùm esse veritatem Theologicam, deductam necessariò ex principiis fidei,& Sanctorum Patrum expositione, & authoritate. Per Conceptionis autem nomen, intelligit Ecclesia animationem Corpusculi B.Virginis, vt ex Bullis Pontificiis constat;nec enim potest intelligi Conceptio strictè sumpta ex susceptione seminis in vtero D.Annæ, cùm hæc non fuerit sancta; nec materia corporis Virginei ante animationem dicitur sancta;quia anima,& non corpus est capax sanctitatis, adeoque ab Ecclesia non vtique celebratur Conceptio illa strictè sumpta ante animationem. Si autem B.Virgo eadem die,qua fuit concepta,non fuisset animata, sed transactis octoginta dicbus à suscepto semine, sicut moris est in reliquis fœminis,inde fieret,B.Virginem clausam fuisse in vtero Annæ fere per duodecim mensium spatia:si enim octoginta dies addideris nouem mensibus, qui intercedunt ab 8. die Decembris vsque ad 8.diem Septembris, in quo nata fuit B.Virgo, efficiunt fere duodecim menses, quod pugnat cum vsu,& ordine naturæ,& aduersatur verbis præfatis Expurgatorij: *Hac,& similia,qua excedunt naturalem facultatem,& ordinariam,deleantur.*Quæ mora, ac tarditas in elaborando fœtu magnam imbecillitatem, & imperfectionem argueret in corpore Mariano,sicut propter eam imbecillitatem, maiori temporis spatio efformatur corpus fœmininũ,quàm virile:ergo asserendum est, B. Virginem non fuisse conceptam octoginta diebus ante animationem, iuxta morem ac cursum naturalem; sed conceptam eadem die, qua animata est, & sic extitisse per nouem menses in visceribus S.Annæ.

Suar. Suarius censet esse de fide, Incarnationẽ, & Annunciationem Angelicam fuisse factam die 25 Martij.

Secundò probatur ex reuelatione facta à D.Nicolao Episcopo,Elcino Abbati, in qua ipsi indicebatur festi Conceptionis celebratio die octaua Decembris;quam reuelationem referunt S.Anselmus in epist.ad Coëpiscopos.Petrus de Natal.lib.1.c.42. Mantuanus tom.2.de sacris diebus. Baron. in Martyrol.8.Decemb.Breuiarium Hispal. excusum Salmanticæ ann.1565.& Placentinum excusum Venetis an.1554. Ex qua reuelatione, tũ & ex aliis factum fuit,vt hoc festum Conceptionis instituere-tur;dixerat enim S.Nicolaus præfato Abbati:*Promitte mihi,& Deo,quod diem Conceptionis, & creationis Mariæ Matris Christi solemniter celebrabis,& celebrandum prædicabis.* In quibus verbis Conceptio B.M.ab eius creatione secernitur,ne ergo asseramus,S.Nicolaum impropriè locutum, vel superuacaneè additum fuisse *Creationis* nomen, nomini *Conceptionis*;dicendum vno, eodémque festo,& die celebrari vtrumque, & Conceptionem,ac receptionem seminis Ioachimi in vtero D.Annæ,& Creationem animæ rationalis cum informatione corporis:cùm autem non constet inter fideles,hæc duo in diuersis diebus contigisse, nihil repugnantiæ obtendi potest,quominus dicamus in vno,eodemque die vtrumque fuisse peractum. 621.

Ex reuelatione facta à S. Nicolao elicitur die 8.Decembris celebrari Conceptionem B. Virginis perfectam,& animatam.

Ansel.

Pet.de Nat.

Mantuan.

Baron.

Brev.Hisp.

Tertiò: Quia Christus D.in primo suæ Conceptionis instanti fuit ex purissimo B.Virginis sanguine efformatus,quoad corporis dispositionem,& organorum dispunctionem; in eodemque instanti anima ipsius fuit creata,& corpori vnita; quod ita certum censetur apud Doctores, vt sine errore inficiari nequeat, quam specialissimam excellentiam sortita est Christi Humanitas,quia opus fuit Spiritus sancti virtute perfectum, quæ infinita est, ac nescit tarda molimina; nemini autem hoc priuilegium concessum, licèt illud B.Virgini aliqui tribuant, quæ licèt non fuerit concepta virtute Spiritus sancti, plura tamen miracula in[illegible]re in eius conceptione, siquidem ex vtroq[illegible]rente sterili progenita fuit, qui tanta gratia fuerunt præuenti, præcipuè D. Anna diuinitus roborata, & supernaturali concursu adiuta, vt quamcelerrimè, sacrum illud Marianum Corpusculum præparauerit, & organis secreuerit, & statim anima rationalis à Deo creata illud animauit, supplente, & accelerante Diuino concursu,

cursu, octoginta dierum moras, quæ in formandis corpusculis reliquarum, fœminarum, insumi solent. Imò hoc B. Virgini attribuendum, cùm in ipsius honorem cedat: nihil autem excellentiæ vanè, ac temerariè de ipsa præsumitur, dum oppositum aliquo efficaci argumento non concluditur; vt scitè Nicolaus Monachus à secretis S. Bernardi dixit in epist. quæ est 9. inter Epistolas Petri Cellens. lib. 7. *Multa præsumuntur de B. Virgine, quæ nunquam leguntur, & præsumptionibus standum est, donec probetur contrarium.* Et D. Rex Ioannes Aragonum in suo illo priuilegio pro immaculata B. Virginis Conceptione edito: *Nihil*, inquit, *defuit tam excellentissimæ Virgini in Conceptu almifici sui corporis, gratiæ.*

Nicol. Mon.

Pet. Cell.

Quartò, quia maximè consentaneum fuit, ac decens, vt Deus non solùm generali concursu, quo influit in cæteratum fœminarum formationem; sed speciali incumberet in productionem corporis Mariani, siquidem Corpus Christi D. omninò simile Corpori Virgineo producendum erat, in naturali temperie, pulchritudine, lineamentis, ac physiognomia; cumque Christus omnes homines pulchritudine, proportione, ac optima temperie longè antecelleret; qui omnes effectus nequaquam oriri poterant, tanquam à causa principe, à Parentibus senibus, ac sterilibus, nisi specialis virtus Diuina assisteret; cuius efficacia, & vi corroborarentur, ac eleuarentur ad coagulanda, & efformanda membra, ac qualitates temperandas, in eo gradu, vt maxima pulchritudo, ac omnium perfectissimum temperamentum resultatet: concurrit ergo Deus ea specialissima virtute, ac concursu, atque adeò potuit summa celeritate corpusculum Marianum efformari, & animo rationali animari. Quare ad rem dixit Nicephorus lib. 5. Hist. cap. 7. B. Virginem fuisse quasi fructum diuinitus datum ex membris senilibus, propter specialem, ac supernaturalem concursum, quo Deus cooperatus fuit cum Parentibus sterilibus, ac senibus ad opus sublime producendum: ergo eiusmodi speciali, ac supernaturali concursu potuit celerrimè Marianum corpusculum animari, & efformari.

Niceph.

622. Firmatur hæc ratio; nam opera miranda, quæ Deus patrauit præter naturæ ordinem simul cooperando cum virtute, & concursu causarum naturalium, multo velociùs ea effecit, quàm ipsæ causæ naturales per se possent: ergo idem asserendum in præsenti euentu: vnde aptè protulit S. Anselm. in serm. relato à Leonardo Nogarolo in officio Immaculatæ Conceptionis, approbato à Sixt. IV. in lect. 7. vltimæ diei: *Si quid tenuitas sensus mei capere potuit de ipsa Maria, quod dignitati illius existimem non aduersari in medium proferre libet.*

Deus velocius operatur quādo præter naturæ ordinem concurrit cum causis secundis.

Anselm.

Vltimò probatur, quia Virgo B. ab instanti sui Conceptus præparabatur, & præmuniebatur ad sublimem maternitatis Dei dignitatem, ob idque absque peccati labe concepta, & gratia exornata ex singularissimo Dei priuilegio. Deinde in illo eodem instanti actuali rationis vsu gauisa est, quod sine ingenti miraculo fieri non potuit; opus enim fuit concursu supernaturali quoad organizationem, ac reliquas dispositiones corpusculi Mariani: Quòd autem hoc priuilegio donata fuerit, ita est inter Patres, ac Theologos receptum, vt ad minus sit omninò improbabile oppositum iuxta Suar. tom. 2. in 3. p. d. 4. sect. 2. ergo eadem ratione asserere possumus productionem corporis Marianí velocissimè peractam, tametsi id fieri non potuerit sine ingenti miraculo. Consequentia inde robur accipit; quemadmodum enim Conceptio omnis peccati expers, & cum gratiæ plenitudine, acceleratiò etiam vsus rationis similiorem reddebant B. Virginem Filio Dei, cuius Mater futura erat; sic etiam formatio celerrima corpusculi Virginei: sicut ergo illa tria ob dictum finem ipsi B. Virgini attribuuntur in suo Conceptu præter ordinem rerum naturalium, & ex ingenti miraculo; ita etiam dicendum est celerrimam formationem eius corpusculi ipsi collatam fuisse, præter rerum naturalium cursum, & cum ingenti miraculo. Quare profundè & meritò S. Ioann. Damasc. in admiratione actus tot prodigiorum, ac mirabilium, quæ ab instanti conceptus, partus, ac per omnem vitæ ipsius periodum conrigère, exclamans ait, orat. 1. de Natiu. Mar. *O miraculorum miracula! & rerum admirandarum res maximè admiranda! siquidem par erat, vt ad Dei incarnationem omni sermonis facultate superiorem, iter per miracula muniretur.* Quare dicere poterit cùm omni proprietate S. Thom. Archiep. Valent. serm. 3. de nat. Virg. *Fuit Maria Mater in omnibus Filij adumbrata imago.*

Suar.

Damasc.

Thom. Arch.

623. Neque aduersus hanc celerrimam B. Virginis formationem militant præfata verba Indicis expurgatorij: quæ solùm interdicunt, & expungi iubent propositionem illam: *Corpora Deiparæ, & Iesu ab instanti Conceptionis fuisse prædita ossibus, neruis, & partibus carneis, & cartilagineis in eodem temperamento, quod habuere ad annum vigesimum, aut trigesimum ætatis suæ.* Hæc propositio aboleri præcipitur per hæc verba: *Hæc, & similia, quæ excedunt naturalem facultatem, & ordinariam, deleantur.* Vbi animaduertendum est, hic pariter præcipi expungi, propositionem illam, quoad partem, quæ attinet ad Corpus Christi, quàm quæ attinet ad corpus Virgineum, vt patet ex contextu prohibitionis: prohibetur igitur vtraque hæc propositio: *Corpus Deiparæ ab instanti Conceptionis fuisse præditum ossibus &c. in eodem temperamento, quod habuit ad annum vigesimum.* Itaque Index expurgatorius nihil peculiare prohibet quoad corpus B. Virginis, quod non prohibeat quoad Corpus Christi; nullum enim verbum reperitur in prohibitione, quod speciatim attingat Corpus Deiparæ, illudque discernat à corpore Iesu, sed æquè vtrumque respicit, cum dicat: *Hæc, & similia, quæ excedunt naturalem facultatem, & ordinariam, deleantur.* Quæ verba illa intelligi oportet, vt similes propositiones, quæ aliquid continent, quod excedat naturalem facultatem, siue quoad corpus B. Virginis, siue quoad Corpus Iesu, deleantur. Ergo perperam ex vi huius prohibitionis, nota afficitur, ac censura inuritur propositio illa: *Corpus virgineum ipsa octaua die Decembris fuit efformatum, & anima rationali informatum*: solùm ergo ibi deleri iubentur corpus Deiparæ, & Iesu in instanti Conceptionis fuisse prædita ossibus, neruis, & partibus carneis in eodem temperamento, quod postea habuere ad annum vigesimum, siue trigesimum ætatis suæ; & alia similia, quæ excedunt naturalem facultatem: Si verò dixeris, Corpus Deiparæ, in ipsa die conceptionis efformatum fuisse, organis distinctum, & animo rationali vnitum; excedere facultatem naturalem; idem dicãde corpore Iesu, imò & de corpore Deiparæ iuxta senten

Propositio initio certaminis allata non clauditur sub prohibitione Indicis Expurgatorij.

ſententiam illorum, qui aſſerunt eodem die à receptinue ſeminis in vtero Annæ fuiſſe perfectè elaboratum; cùm tamen de Chriſti Corpore negari nequear in inſtanti Incarnationis omninò perfectum fuiſſe, & de corpore Virgineo eodem die fuiſſe animatum, & perfectum plutes cenſeant. Solùm obiici poteſt aduerſus hunc noſtrum opinandi modum; fœtum claudi in vtero materno per nouem menſes, à die receptionis ſeminis in vtero materno, nnn verò à die animationis fœtus; ſi verò B. Virgo eodem die fuiſſet concepta, & animara, inde fieret delituiſſe iam in vtero materno nouem menſibus à die animationis, tot enim menſes ſuppurantur ab Octaua die Decembris vſque ad octauam diem Septembris: Et firmari peteſt; ſi enim id ita contigiſſet, vel Corpus virgineum in inſtanti conceptionis non habuit molem illam corpulentam, qua gaudent reliqui fœtus fœminini, cùm animautur; vel ſi illam obtinuit, cùm ſenſim ſemper excreſceret, ſollicitaret vtique partum, & ambitet egredi ex vtero, antequam nouem menſes complerentur.

624\. Hoc argumento contendit Peramatus oſtendere, animationem corporis Virginei non fuiſſe peractam octauâ Decembris die, ſed ſolam receptionem ſeminis prolifici Ioachimi in vtero Annæ, hocque eo die celebrari: animationem verò factam poſt nctoginta dies; ſicut in reliquis fœminarum fœtibus. Sed animaduerrere debuiſſet Peramatus Eccleſiam, nequaquam celebrare niſi rem ſanctam, informis autem maſſa, ſeu Embryo ante animationem, non erat capax ſanctitatis. Item aduertere opus erat, idemmet argumentum fieri poſſe aduerſus illum contra conceptionem Chriſti D. inſtantaneam; probaret enim, formationem corpuſculi IESV, non fuiſſe in eodem inſtanti cum animatione eiuſdem; quod omnino erroneum eſt: vel etiam natiuitatem Chriſti non contigiſſe poſt completos nouem menſes à Cnnceptione, quod aduerſatur communi ſenſui Eccleſiæ vniuerſalis, Patribus, ac Doctoribus. Vnde quod ille reſpondebit ſuo argumento facto aduerſus Chriſti Conceptionem in primo inſtanti; idem prorſus reſpondebimus, & nos ipſimet argumento facto aduerſus Conceptionem, & animationem Mariæ in eodem inſtanti. Quare reſpondeo cum D. Thom. 3. p. q. 33. a. 2. ad 2. & cum Magiſtro in 3. diſt. 3. c. vlt. & ibid. S. Bonau. a. 2. q. 2. ad 1. Tametſi anima rationalis depoſcat debitam, ac proportionatam quantitatem in corpore, in quod infunditur ad hoc, vt id informet, hanc tamen quantitatem, non conſiſtere in indiuiſibili, ſed latitudinem recipere; maior enim, vel minor eſſe poreſt intra limites naturalis facultatis. Deinde quantitas, quam corpus obtinet, cùm anima ipſi infundirur, proportionem ſeruat cum quantitate perfecta, ad quam perueniturum eſt per nouos auctus vſque ad virilem, & perfectam ætatem; ita vt homines ſtaturâ grandiores, & corpulentiores maiori gaudeant quantitate in conceptione, & animatione: cùm ergo Chriſtus D. in ſua perfecta ætate, obtinuerit decentem corporis granditatem, & corpulentiam, cum hac vtique proportionem ſeruauit quantitas, & magnitudo, quam obtinuit tempore, quo reliqui homines animari ſolent in ſuis corpuſculis; tunc autem minorem obtinuit, quàm ſit ea, quam ſolent obtinere illi, qui perueniunt ad eam corpoream molem, quam Chriſtus obtinuit. Habuit ergo Chriſtus in inſtanti Conceptionis Corpuſculum in ea minori quantitate, quàm eſſe potuit naturalis, in ſpecta ſua complexione, temperie, ac diſpoſitione, & in minori etiam quantitate, quàm ſi formaretur ſolùm virtute cauſarum naturalium: *Minorem*, inquit, D. Thom. cit. *habuit in principio ſuæ conceptionis quantitatem*: Ita tamen vt ſufficeret, vt in eam anima infunderetur; præcipuè cùm in tam parua quantitate, aliorum hominum corpuſcula animentur. Itaque illa parua quantitas non erat ita parua, vt in ea non poſſet ratio animati corporis conſeruari, cùm in tali quantitate quorundam paruorum hominum corpuſcula animentur. Quo poſito, mirum videri non debet, Chriſtum D. per nouem menſes in vtero Materno delituiſſe, hi enim omnes neceſſarij fuerunt, vt à die animationis eam magnitudinem attingeret, quam obtineret ſacrum illud corpuſculum, ſi virtute ſeminis virilis conceptum fuiſſet, & ſucceſſiue præparatum, per ſpatium quadraginta dierum ad informationem animæ rationalis. Quare magnitudo corpuſculi Chriſti in inſtanti Incarnationis, cùm animatum fuit, non peruenit ad eam quantitatem, quam obtineret die quadrageſimo, ſi conciperetur virtute cauſarum naturalium; ideòque neceſſarij fuerunt nouem menſes, vt competenter augeretur, & excreſceret vſque ad eam quantitatem, quæ opus erat ad natiuitatem; quod ipſe Peramatus fatetur in Opuſc. Cuius titulus eſt: *Quid naturale, quidve miraculoſum in Conceptione, & partu D. N. Ieſu Chriſti interfuerit. §. ſed dubium eſt.* Idem igitur, proportione ſeruata, dicendum de Corpore Virgineo; licèt enim non fuerit efformatum Spiritus ſancti virtute, ſed ſemine virili operante, attamen adiuuante concurſu; & virtute diuina ſpeciali, qua interueniente, vel in inſtanti, vel ſaltem celerrimè diſpoſitum fuit, vt animo rationali informaretur; in ea tamen quantitate adeo parua, vt poſt octoginta dies, nnn multùm excederet quantitatem, & magnitutem quam obtineret, ſi ſicut reliquæ fœminæ conciperetur octaua die Decembris, & animaretur octuageſimo die: vnde opus fuit, vt nouem menſium ſpatium præteriret, vt debitam magnitudinem obtineret, tempore natiuitatis. Quemadmodum ergo, ſi B. Virgo octaua die Decembris conciperetur, & poſt octuageſimum diem animaretur, die octaua Septembris, quaſi ſuo naturaliſſimo tempore naſceretur; ſic etiam natalis eius dies fuit die octaua Septembris, tametſi octaua die Decembris fuerit concepta, & animata. Addo non ſemel contigiſſe, fœtum iam animatum intra materna viſcera delituiſſe vndecim, imò, & duodecim menſibus; cùm partus naturæ ductu contingant expleto menſe decimo à Conceptione, vel à ſuſcepto ſemine in matrice; tunc autem fœtus iam animatus per nouem menſes clauditur in vtero materno. De quo videndus Peramatus lib. de hominis procreat. c. 9. & eruditus Ioannes Pineda lib. 1. de rebus Salomonis c. 10.

625\. Quòd autem illa clauſula Iudicis expurgatorij: *Hæc & ſimilia, quæ excedunt naturalem facultatem, deleantur.* Non ſit ita intelligenda, ſicut Delator intendit, ex eo perſpici poteſt, quia alioquin dicendum etiam eſſet, ibi prohiberi propoſitionem affirmantem B. Virginem in inſtanti ſuæ animationis, quæ Conceptio etiam dicitur, gauiſam fuiſſe expedito vſu rationis; hoc enim multùm excedit omnem facultatem naturalem ordinariam: Et tamen hoc eſt iam communiter ab omnibus receptum, de quo nos fusè egimus ſuo loco. Quare id nullo modo intendit Index expurgatorius, nec ibi loquitur in vniuerſum, ſed circa ſubiectam materiam,

Peramat. *Peramatus refellitur in eo quod aſſerit B. Virginë non fuiſſe perfectè formatam in ipſo die Conceptionis.*

D. Thom. Mag. Sent. Bonau.

Perama. Pineda.

Propoſitionem initio certaminis allatā non prohiberi per Indicem Expurgatoriū amplius oſtenditur.

riam, & similes alias propositiones: Et probari potest, quia in conceptione sumpta adhuc pro sola seminatione in vtero Annæ, nemo inficias ire potest, ibi specialem concursum Diuinum ac miraculosum interuenisse, quo iuuit Deus naturalem seminis illius virtutem ex senibus, ac sterilibus Parentibus ortam, maximè ad efformandum corpus vegetum, robustum, ac perfectissimum, quale fuit B. Virginis, vt rectè affirmarunt Nicephorus, S. Epiph. S. Damasc. S. Greg. Nyss. & Author de ortu Virginis, qui nomine S. Hieronymi circumfertur, qui omnes referuntur à Suario tom. 2. 3. p. d. 2. s. 1. Quamobrem in primo instanti Conceptionis Mariæ, iam parata erat Diuina virtus ad specialiter concurrendum cum Parentum B. Virginis semine, ad fructum Mariæ tam egregium producendum in instanti, vel quamcelerrimè: non ergo prohibet Clausula supradicta Expurgatorij id omne, quod attribuitur Conceptioni Deiparæ, excedens naturalem facultatem, & ordinariam, etiam sumpto termino Conceptionis, in rigorosa acceptione seminationis in vtero Annæ; sed solum id, quod scilicet fiat, & efformetur corpus in instanti Conceptionis, siue MARIÆ, siue IESV, cum eodem temperamento, partiumque soliditate, quam haberent ad vigesimum, aut trigesimum ætatis suæ annum; quod solum, & alia similia expungi iubet Index Expurgatorius, tanquam assertum nullo modo necessarium, nulloque sufficienti fundamento innixum. Hanc esse Expurgatorij mentem, à posteriori licet colligere: cùm enim illo anno 1640. euulgaretur; iam libellus Immaculatæ Conceptionis Deiparæ per P. Iacobum Granado in lucem editus erat ann. 1617. Hispali Emporio Europæ: vbi formationem corpusculi Mariani intra diem, à qua susceptum fuit semen in vtero Annæ, fuisse peractam, ac perfectam tuetur disp. 3. c. 2. sect. 2. & 3. Et tamen nullâ fuit notâ inusta prædicta propositio ab Indice Expurgatorio; ergo signum est in prædicta Clausula nullo modo contineri prohibitionem huius nostræ sententiæ; siue asseramus in instanti fuisse efformatum corpusculum Mariæ, & animatum; siue quamcelerrimè intra diem ipsum Conceptionis.

Suar.

Granad.

CERTAMEN III.

Vtrùm sola Virgo Deipara ob Christi meritum suæ primæ formationis beneficium inter omnes obtinuerit.

626. VEstigamus hoc loco, vtrùm prima B. Virginis productio, donum fuerit Christi meritis quæsitum, & partum. Et primùm statuo cum communi Theologorum sententia, donum creationis in vniuersum Prædestinationis effectum non esse. Ita Aug. Epist. 105. *Abiiciatur*, inquit, *à Christianorum cordibus ista fallacia, nam omninò non illam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus, sed qua iustificati sumus; ista est enim gratia per Iesum Christum; etenim Christus non vt homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, vt iustificarentur.* Adstipulantur D. Augustino Patres Concilij Palæstini Epist. 90. Contra Pelagium, vbi aiunt Patres: *Et si enim quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, quia gratuita Dei bonitate, non meritis præcedentibus donata est; alia est tamen, qua prædestinati vocamur, iustificamur, & glorificamur.* Hinc Theologi aiunt,

Aug.

Concil. Palæstinum. *Donum creationis in vniuersum non est prædestinationis effectus.*

scientiam visionis, qua Deus cognoscit futuritionem illius, qui prædestinatur, in Deo esse, ante prædestinationem; ideoque volitio etiam eundem creandi in Deo est ante eiusdem prædestinationem: quod desumitur ex D. Th. 1. p. q. 1. a. 3. *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum.* Ex quo fit hanc existentiam necessariò præsupponi præuisam, ante prædestinationem; quia volitio boni accidentalis alteri concupiri, si non includit volitionem efficiendi subiectum, necessariò supponit visionem illius existentis, aut saltem futuri; nam actus alicuius boni concupiti alteri necessariò est amor concupiscentiæ comparatione boni, quod alteri amatur, & amor beneuolentiæ comparatione subiecti intellectualis, cui amatur.

D. Thom.

Deinde hoc ipsum suaderi potest; nam in Deo ordine causalitatis præcessit decretum Incarnationis, actum prædestinationis hominum ad gloriam, vt patet ex Paulo ad Ephesios 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum.* At non potuit prædestinatio Dei ferri in eam conformitatem sine Christo præintellecto, cùm ipse fuerit Prædestinationis causa singulorum; *Prædestinauit nos*, inquit Apostolus ad Rom. 8. *conformes fieri imagini filij sui.* Ideò S. Aug. non semel docet, scientiam, qua Deus vidit aliquem tabifica lue peccati originalis infectum, esse ante actum electionis, & prædestinationis, vt patet lib. de bono perseuerantiæ c. 14. vbi habet: *Qui non sunt altiori Dei iudicio à perditionis massa, prædestinatione discreti, nec ipsa, eis adhibetur.* Et ser. 11. de verbis Apostoli à c. 4. vsque ad 12. docet gratiam prædestinationis, esse secernendam à natura; & hominum conditionem fuisse per Christum, secundùm diuinitatem, gratiam autem prædestinationis esse ex illo secundùm humanitatem.

Ephes. 1.

Rom. 8.

Aug.

Quocirca S. Augustini doctrinæ manifestè aduersantur Doctores illi, qui cùm affirment, Deum, in primo signo vnum solum Adamum, & Euam condere statuisse, cum potentia alios condendi; de quibus, nihil Deum in primo illo signo decreuisse: post hoc autem decretum condendi solos primos Parentes, statuit Deus mundum condere, & pacisci cum Adamo de lege transfusionis; quo delinquente, Incarnatio Christi decreta est: cùm ergo hæc ita statuant; ex eorum doctrina, omissis aliis, illud clarè deducitur contra S. Augustinum, & contra definitionem Concilij Palæstini relatam, nempe Posterorum Adæ creationem esse singulare beneficium Christi meritis adscribendum; si enim post præuisum Christum passibilem, dempto Adamo, & Eua, reliquorum hominum conditio decreta fuit, ergo reliquorum hominum conditio Christi meritis deferenda est: nam omnem dignitatem, & excellentiam, quæ cùm decretis Diuinis rectè componi possit, Christi meritis attribuere rectæ rationi consentaneum est,

Statuimus ergo Deiparam, non tantùm communi beneficio ex liberalitate Dei; sed ex speciali, ac proprio dono per merita Christi primam suam formationem obtinuisse. Ita Salazar de Concept. pluribus in locis, & Recentiores plures non infimi subsellij. Quod innuunt verba illa: *Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua.* vt habet translatio LXX. Interpretum. Quasi Deus in eum solum finem B. Virginem condiderit, vt omnia sua opera instauraret: cùm autem Deiparæ formatio supponatur necessaria ad eiusmodi rerum omnium reparationem, ideo Christi meritis adscribenda est, singulari priuilegio, ipsi soli cócesso. 627.

B. Virgo singulari Dei beneficio per Christi merita primam suam formationem obtinuit.

Salaz.

Prou. 8.

Quod subindicat Ecclesia, dum canit: *Qui te creauit prouidè Lactasti sacro vbere.* Id ipsum iutendit Bernar. ser de B.Maria, dum ait; Eam sibi Deum tanquam specialissimum mundum creauisse. Suffragium ferunt verba Idiotæ de Contemplatione Deiparæ c.4. *Inter omnia opera aterni Opificis post operationem illam, qua natura nostra vnitus est Filius tuus, speciale opus fuisti, ò Beatissima Virgo, qui ad hoc te fecit, vt quod de primo opificio fuerat deformatum, per te reformaretur; hic enim summus Opifex primo considerauit Angelicam naturam, qua in parte ceciderat; & humanam, qua corrupta erat, & corpoream inferiorem, qua peccato hominis fuerat deterior facta; sed ad hac omnia fuit Virgo Maria.* Vbi omnem alium finem excludit, quo se posito, Virginem Mariam non futuram in rerum natura subindicat; ergo prima Beatæ Virginis effectio fuit propter Christum, & eius meritis parta; eùm enim hæc prima Mariæ Virginis creatio fuerit decreta post Christi prædestinationem, bene potuit Christus suis meritis illam consequi: si ergo potuit illam promereri, ipsique fuit honorificum, cur hane gloriam, & Christo, eiúsque Matri denegabimus? Cui sensui suppetias fert S.Damasc. orat. 1. de Virginis Natiu. *Vitam*, inquit, *natura ipsa prestantiorem habebis, non tibi ipsi, neque enim tui ipsius causa progenita es; quocirca à Deo habebis, ob quem in vitam prodiisti, vt orbis vniuersi salutis administram te praberes, atque antiquum Dei Consilium, hoc est Incarnationis Verbi, ac nostra Deificationis per te impleretur.*

Bern.
Idiota.
Damasc.

628. Idem placitum suo calculo confirmant Patres Concilij Cantuariensis, quorum verba producit Ioan. Baccon quodlib. 3. q.13. *Quia inter omnes sanctos memoria Beatissima Virginis, & Matris Domini, eò frequentius agitur, atque festiuius, quò maiorem gratiam apud Deum, qui eius Conceptionem prædestinatam ad Filij Vnigeniti sui temporalem originem veraciter ordinauit, creditur inuenisse.* Ad hæc S. Anselm. relatus ab eodem Baccon in 4.dist. a.q.3.a.3. in quodam lib. de Concept. plures accumulat rationes huic nostro instituto conducentes. Prima est, quia Deus prædestinauit Matrem suam concipiendam, vt esset vniuersorum Domina, Cæli, terræque, & omnium, quæ in eis sunt Imperatrix; quod ex singularissimo gratiæ priuilegio ortum duxit: destinauit autem Conceptionem Mariæ per gratiam ad hanc singularem præexcellentiam, vt esset futura Mater Dei; ergo prima Deiparæ formatio donum fuit Dei specialissimum. Secunda ratio ex c.6. libri illius deprompta, sic refertur ab eodem Doctore. Deus est præpotens, ac sapientissimus Artifex, & Sanctus Sanctorum; ergo primordialia Incarnationis suæ fundamenta omnino sancta delegit; sed Conceptio Deiparæ, primaque ipsius conditio, vt destinata ad Filij Dei conceptionem, fuit vnum fundamentum, & Spiritus sanctus aliud; de quibus cecinit Psalmographus psal. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Ergo prima B.Virginis productio fuit sancta, ac proinde specialis gratia per Christi merita parta. Tertiò probat exemplo Angelorum: Quidam reprobi ceciderunt, alij constanter in Dei gratia perstiterunt; si ergo vnus ex prædestinatis fuisset in natura sua, ex Dei priuilegio præuisus, vt à Deo esset assumptus pro salute Reipublicæ ipsius, creatio illa ex singulari priuilegio diceretur sancta, & specialis gratia distincta à dono creationis reliquorum: ergo etiam nunc prima B. Virginis productio dicenda est speciale donum, ac gratia per

Concil. Cantuariens. Baccon. *Maria Virginis productio intenta fuit à Deo ad Conceptionem filij Dei.* Anselm.
Psal. 86.

Christum parta, quia destinata ad singularem præcellentiam concipiendi Christum in salutem humani generis. Et firmari potest hæc ratio iuxta Philosophum 5.Physicorum; motus speciem sumit ex termino *ad Quem*, id est ex fine ad quem ordinatur, vt motus ad albedinem dicitur dealbatio; sed finis Conceptionis Mariæ Virginis, eiúsque primæ productionis singulari priuilegio est ordinatus ad conceptionem Filij Dei mundum reparaturi: ergo prima Deiparæ productio fuit gratia specialis inter omnes cæterorum productiones, adeoque per Christi merita comparata. Arist.

Cuius rei veluti vmbra quædam præcessit sub initiis orbis conditi; condidit Deus vastissimas regiones, latissimos terrarum finus, amplissima nemora, latentes solitudines, quæ omnia homini in ditissimum patrimonium deseruirent, vltra hæc autem, topiarium paradisiacum in ipsius hominis recreationem fabricauit: *Plantauerat Deus paradisum voluptatis à principio, in quo posuit hominem, quem formauerat*, Gen.2. Vltra vastissimum terrarum ambitum, sinuosas syluas, incultas eremos, arbores fugiferas, exstruxit Deus hominis voluptati viridarium iucundissimum, ne homo communem eum reliquo animantium vulgo domum incoleret, quod rectè excogitauit Basil. Seleuc.orat. 2. *Neque donatoris desiderium vniuersa terra, & concessum mare satiauit, sed extructum manu sua paradisum, deliciosam sedem dilecto concessit.* Quid ergo mirum, si asseramus specialiori quadam prouidentia Deum Patrem charissimo Filio ad terras descendenti humanitatis amictu, extra reliquorum hominum, ac fœminarum catalogum, Matrem designasse, cuius primam productionem, & reliquam donnrum supellectilem ab ipso Patre, suis meritis obtinuerit in ipsiusmet Filij delicium, in Patris paradisum, in Spiritus sancti domum, in totius Trinitatis palatium; & in cæterorum iustorum amænissimum viridarium. 629.

Gen 2.
Maria Dei delicium & hominum paradisus.
Basil.Seleu.

Iuxta hanc igitur sententiam, asserendum est, 630.
non solùm gratiam, & iustificationem, auxiliaque ad illam conducentia, Christum D. suæ carissimæ parenti promeruisse, verùm etiam primam ipsius B.Virginis productionem; vt vel hinc elicias, quanti sit valoris Mariana Conceptio, quæ infinito Christi cruoris thesauro comparanda fuit: siquidem non solum, quòd Dei Genitrix existeret, sed & quòd in lucem ederetur, Christi sanguini attribuendum. Itaque pro vna condenda Maria tot sanguinis effusi expensæ, tot flagellorum vibices excepti, immensum crucis, & tormentorum pondus expensum. Scilicet, Tantæ molis erat Marianum condere fœtum; atque hæc omnia pro vna Dei Genitrice coierunt in vnum. Ex quo Marianæ animæ perfectionem, ac dotes, ipsiúsque integerrimæ carnis priuilegia depromere poteris, siquidem pro vtriusque productione infinitus sanguinis Christi valor expensus est, immensum crucis Christi pondus exhibitum. Ex hoc capite Alb.Mag. quem assectatur Dionys. Carthus. lib.1. de laudibus Virginis art.34. Mariani corporis pulchritudinem, animique perfectionem stabiliunt: ait enim Dionys. cit. *Quemadmodum Corpus Christi, quod Deus supernaturaliter per se ipsum formauit, est perfectissimum, atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundum statum via, quod natura per se operans facere potest; ideò dicimus, quòd sicut Christus fuit speciosus forma pra filiis hominum; sic Virgo pulcherrima fuit, quia ad hoc immediatè eius corpus ordinatum fuit inter filias hominum.* Hune sensum amplectuntur

Conceptio B. Virginis infinito sanguinis Christi thesauro comparata fuit.
Alb. M.
Dion. Cart.

ctuntur Patres, quotquot asserunt in B. Virginis molitione gratiam naturæ anteiuisse. Itaque Virgo Deipara specialis est creatura præter eas, quas absolutè Deus condere decreuerat, iuxta seriem decretorum à nobilissimis Theologis coordinatam: quòd si Diua Anna sine Virgine Maria ex hac vita decessisset, non tamen defuisset statutus virorum ac mulierum syllabus, quia Deipara erat extra numerum præfixarum à Deo fœminarum, nec depositebat secundum se, originem ducere ex humani generis massa; licèt Deus maluerit ex Diua Anna illam progigni, & ex Adæ stipite communi origioem trahere; *Vt medelam ferret inde, hostis vnde laserat*: & sicut Eua ex Adæ costa procreata tot ærumnas humano generi inuexit, sic Maria ex eodem Adamo progenita, eidem humano generi solatium afferret, tantarúmque calamitatum medelam.

631. Ex hucusque dictis proonum est deducere; omnium donorum naturalium affluentia, omnium spiritualium charismatum cumulo, omniúmque cœlestium donorum thesauro, in primo productionis suæ momento fuisse exornatam B. Virginem, si enim solùm in eum finem condita fuit, vt Dei Genitrix foret: ergo omnium donorum naturalium, ac cœlestium decoramento, quæ tantæ dignitati conducebant, ab instanti suæ formationis exornari oportebat. Libet hic subiicere pluscula Gersonis verba serm. de Concept. Virg. Deip. vbi dotes naturæ, ac gratias B. Virgini in primo suæ Conceptionis momento congestas, eleganti penicillo depinxit; sic igitur naturam alloquentem inducit: *Possum per figuram, & imaginationem rationabiliter fundatam dicere, naturam accessisse mox cum suis ancillis, quæ sunt influentiæ, & causæ naturales, offerentem se ad formationem huius Dominæ, & pulchræ Dei amicæ. Hæc ergo coram Diuina Maiestate admodum humiliter, & reuerenter se inclinauit; ac Deus meus, ait, non ignara sum pulchri incepti, quod facturus es, & excellentis Dominæ, quam proposuisti formare. Hoc tibi notum sit, nec me, nec ancillas meas vlla vsuras esse fictione, quominus omnia demus, & plantemus in hac Domina omnem corporalem pulchritudinem. Nam super animam eius nihil habemus potestatis; sed quod ad corpus attinet, conferemus ei omnem delectationem, omnem sanitatem, harmoniam, & temperantiam complexionis. Et breuiter bene dicere poterit, quod erit bonis meis, bonis naturæ, cùm sit probè super omnes alias, quæ vnquam fuerunt, erunt, & sunt, abundantissimè adornata, & dotata. Extendam, & inspirabo per faciem eius luciditatem quandam pulchritudinis plenam simplicitatis, honoris, & benignitatis, & taliter componam castum eius adspectum, dicta sua, facta, & mores, quod exemplar erit omnibus eam adspicientibus; liber, & speculum, pulchritudinis, nobilitatis, boni amoris, & honestatis, &c. Itaque omnes quantumuis inuidi dicent: Ecce Dominam dignam, quæ sit Imperatrix totius mundi, coronatáque Regina &c. Sic Domina hæc sanctissima non videbitur hominum filia, sed Dei, tantò excellentiùs, quantò ipsam omnibus præferri oportet.* Vbi profectò aptissimam, ac venustissimam orationem efformauit, & eleganter coram Deo perorauit. Ex quibus hæc ratio attexi potest: Prima B. Virginis conditio, donorúmque naturalium collatio fuit pro Christo, vt ait Gerson; ergo ad Christum à Deo destinata sunt, nempe quò Mater Dei decentissimè cum omni bonorum naturalium supellectili conderetur, ergo per merita Christi oportuit, vt ea bona B. Virgini largirentur; tot enim

B. Virgo in primo suæ conditionis instanti omnigena donorum affluentia exornatur.

Gerson.

gratiarum munera, tot naturæ dotes, tot denique excellentias, ac priuilegia à causis secundis naturali vi operantibus, vix, ac ne vix quidem arbitror corriuari potuisse sed id omne à summo Opifice, Christi meritis præuisis, & flagitantibus promanasse. Quod etiam confirmat Henricus de Hassia relatus à Dionys. Carthus. lib. 2. de laudibus Deiparæ: *Maria, inquit, plena gratia, optima compaginis naturalis, singularissima pulchritudinis corporalis, decentissima habitudinis moralis. Quoniam omnium artifex Deus ad ipsius formationem in vtero supernaturaliter concurrens, filio suo dignum habitaculum fabricaturus, eam intrinsecus omnium gratificantium charismatum, & dignificantium habituũ plenitudine adornauit; vt etiam in exteriori eius effigie gratia Diuina tam copiosè, efficaciuérque luceret, quod eius adspectus affectionum carnalium æstus extingueret.* Si ergo prima B. Virginis formatio, eiúsque naturales dotes propter Christum fuerunt intentæ, & ob decentiam dignitatis Maternitatis Dei collatæ fuerunt, quam dignitatem Christus meritis suis adquisiuit; ergo illa omnia, quæ illi dignitati perficiendæ conducunt, eiusdem Christi meritis adscribenda esse censendum est: Vnde primæ formationis beneficiũ in Maria Virgine Christi meritis referendum est. Hinc opinor singulari Dei nutu contigisse Deiparæ parentes non æstu libidinis, qui iam in ipsis friguerat, sed ex Dei charitate ad generationem ipsius conuenisse, vt author est Bonau. in 3. sent. disp. 3. q. 1. & Fulbertus orat. 1. de Mariæ natiuitate: *Haud dubium*, inquit, *quin vtrumque parentem viuificus, & ardens spiritus singulari munere repleuerit.* Si ergo propter Deiparæ primam formationem, tanta, tamque speciali Christi gratia parentes ipsius repleuit, quæ omnem in illis libidinis æstum extingueret, culpam omnem, vel leuissimam abraderet, in eísque Spiritus sancti ardorem inflammaret; ergo potiori titulo ipsam primam B. Virginis formationem per Christi merita nactam fuisse credendum est.

Henriq. de Hassia.

Bonau.
Fulb.

CERTAMEN IV.

Num absoluta formatione celerrimâ Mariani corporis à nobis assertâ, fuerit miraculum diutiùs in vtero delitescere.

CVm formatio Virginei corpusculi peracta 632.
fuerit celerrimè, vt diximus, & quidem perfectissima, cur per nouem menses maternum incoluit vterum; causa sed enim partus est perfectio fœtus, vtpote maturus, atque adeò sponte deciduus, iuxta Aristotelem lib. 4. de hist. animalium c. 8. & Hippocrat. lib. de natura pueri; Pomum igitur non magnitudinem, sed maturitatem præstolatur, vt sponte ab arbore cadat: cùm ergo B. Virgo breuissimo temporis spatio corporis perfectionem, & exactam membrorum organizationem nacta fuerit, & quidem longè sublimiorem, quàm reliqui infantes sortiuntur, emenso nouem mensium spatio, cur ergo statim atque concipitur, postmodum tanquam pomum maturum non decidit, vterumque maternum non deserit, in lucem proditura: sicut enim, inquit Hippocrat. opusculo de octomestri partu; fructus eorum, quæ nascuntur è terra, cùm maturitatem assequuntur; secernuntur ab arbore, ac decidunt ex parte, qua pediculo arbori inhærent; sic etiam pueris maturis, ac perfectis vmbilicus conniuet, ac clauditur; reliqua verò aperiuntur; vt &

Arist.
Hippocrat.

ingredien

ingredientia ſuſcipiant, & exortus habeant ſecundum naturam : Cum ergo octaua Decembris die iam perfectam maturitatem attigiſſet Maria; profectò conſuetus naturæ ordo depoſcebat, vt vmbilicus per quem ſugebat alimentum fœtus, occluderetur, & in lac conuerſum ad Annæ vbera conſcenderet, vt ſugi poſſet. His permotus dicere poſſet aliquis, diuinitus Mariam in vtero materno contentam menſibus nouem, vt tantum myſterium lateret.

Alij nodum hunc diſſoluere rectè putant, ſi aſſerant, ex eo non natam B. Virginem ipſo Conceptionis die, quia tametſi omnem membrorum perfectionem nacta fuerit; lac tamen ſugere non poſſet ab vberibus Annæ, quia corpuſculum adeò exiguum ipſa Conceptionis die obtinuit, vt vix iuxta aliquos peritos apis magnitudinem ſuperaret; quare in tantillo corpore gerulæ papillam capere non poſſet. His tamen non acquieſco, quia Marianum corpus, ſicut & Ieſu in prima ſui conditione non ita paruum, & exiguum exſtitit; ſicut nec ita magnum, vt exiſtimauit noſter Natalis lib. de laudib. Virginis, vbi ait, ipſo Incarnationis die, ſic Mariæ ventrem intumuiſſe, vt iam Ioſephus ambigere potuerit. *Contigit*, inquit, *illa Ioſephi ambiguitas eodem Incarnationis die*. Quam ſententiam ſuo ſuffragio firmat Toletus ad calcem eiuſdem libri. Alij atteſtantur ſe fœtum octo dierum, excedentem oui magnitudinem vidiſſe. Equidem in ea ſum ſententia, vt aſſeram Mariæ, & Ieſu Corpora iam ipſo Conceptionis die maiorem quantitatis molem accepiſſe. Deinde quemadmodum fœtus quilibet in matris vtero, quantumuis paruus, & exiguus, alimentum capit ſiue per venam vmbilicarem, vt tenent communiter Medici, vel vt alij malunt, ore alimentum ſugens; ſic etiam extra vterum lactari poſſet ab vbere materno; nec enim minus idonea eſſet infans Maria in lucem edita ad ſugenda vbera die octaua Decembris, quam occluſa intra vterum ad alimentum traiiciendum, nam mamillarum vmbo maiori extenſione non gaudet, quam vmbilicaris vena, nec latior, aut capacior eſt fœtus vmbilicus, quàm ipſius os.

Natalis.

Tolet.

633\. Imo Hieronymus Oleaſter in cap. 3. Gen. i. affirmat in ſtatu innocentiæ, eadem die in lucem edendum iri fœtum, in qua anima rationali donaretur, eundem futurum diem conceptus, & partus. Huius opinionis meminit Cardin. Bellarmin. tom. 3. lib. 3. de amiſſ. gratiæ c. 11. illique aliquantulum ſubſidiari viſus eſt Auguſt. lib. 12. de Geneſi ad literam. Nec Inquiſitionis ſupremæ tribunal, quod attentè ipſius Oleaſtri alias propoſitiones aboleuit, hanc abolendam cenſuit. Itaque arbitratus eſt, eadem die, qua proles animaretur, in eam magnitudinem peruenturam, quæ ad partum ſufficeret; nulla enim tunc eſſet reſiſtentia, vt excreſceret infans ad molem ad partum neceſſariam; maximè, cùm fœminæ in illo ſtatu, ſanguine vberrimo, & puriſſimo affluerent. Quòd autem in natura lapſa fœtus in vulua materna per nouem menſes matureſcat, & adoleſcat, factum fuit in tranſgreſſionis ſupplicium. Diſplicet autem hic opinandi modus, ſiquidem ex perfectione fœtus humani coniicere poſſumus, adhuc ſtante felici innocentiæ ſtatu, per diuturna incrementa futurum, vt proles augeſceret.

Oleaſter. *In ſtatu innocentiæ eundem futurum diem Conceptus, & partus, quinam exiſtiment.* Bellar. Auguſt.

Inſpectis omnibus circumſtantiis decreto Dei, quo ſtatuit Corpora Ieſu, & Mariæ per nouē menſes deliteſcere in materna vulua ad ipſorum incrementum, & natiuitatem, ex ſpeciali naturæ præſcripto, quia ſic opórtebat, vt illi aſſimilarentur reliquis hominibus in his, quæ nullam indecentiam dicunt. Cenſeo debitum naturæ, vt licèt celerrimè peracta fuerit conceptio, & animatio horum corporum perfectiſſima, nihilo ſecius nouem menſibus in vtero materno ad ipſorum augmentum geſtarentur. Quod placitum ex eo ſuaderi poteſt, quia ſoboles omnium perfectiſſimæ tardiùs, & moroſiùs in materno vtero geſtantur, & matureſcunt; viliſſima quæque ſoboles feſtinatiùs ad partum perueniunt, vt Author eſt Plinius lib. 11. c. 36. Macrobius lib. 7. Saturn. c. 7. Theophraſtus lib. 4. c. 9. & 11. Ariſt. 7. de hiſt. anim c. 3. Plutarch. lib. de amicitia, Aulus Gel. lib. 3. c. 16. Themiſt. orat. 17. ea enim, quæ infirmiora ſunt, & educari, & perfici faciliùs poſſunt. Citò nata citiùs pereunt, diu elaborata, ætatem prorogant, annos adaugent; beta, & roſa citò naſcitur, Buxus, Cedrus, & Palma pedetentim.

Plinius. Macrob. Theophr. Ariſt. Plut. Aul. Gel. Themiſt. *Citò nata, citiùs pereunt.*

634\. Leæna ſemel, & vnicum fœtum parit, ac per viginti ſex menſes in vtero prolem perficit; leonem cuncta animantia perterrefacientem edit; nihil ergo mirum, quod per tot temporis ſpatia prolem procraſtinet, quia fœtum perpolit, qui plura numero animantia fortitudine, robore, ac terrore ſuperet; non inquam mirum, ſi in tam longam geſtationem prolonget vterum, quippe Regem animantium geſtat in reliquorum admirationem, ac ſtuporem; generoſam profectò ſobolem, nobilem genituram, excelſum partum, non imperfectum, ſed vndique elaboratum; dentibus, antequam ex vtero prodeat, conſtantem, vnguibus etiam obarmatum, vt author eſt S. Epiphan. lib. 3. contra hæreſes hæreſi 78. Sic nihil mirum, ſi per menſium luſtra Marianus fœtus allambatur in vulua, diuque perpoliendo geſtetur, nimirum, quia hominum regina futura Maria, Angelorum Imperatrix.

Scripta diu elaborata ætatem prorogãt.

Leæna per 26. menſes in vtero prolem perficit.

Epiph.

635\. Audiſtine in momento, ſenſu, ac ratione carentia in Dei verbo fuiſſe producta: *Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux.* Gen. 1. & ſic de reliquis; imò ni fallor, idem dicendum de firmamento, reptilibus, & volucribus: dum verò ad hominis molitionem venitur, moras nectit Numen, initur conſilium, conſultatio præit, Gen. 1. n. 20. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.* Nempe quia omnium creaturarum fœtus excellentior edendus, ſublimior ſoboles condenda, oportebat in mente Dei matura deliberatio præcederet, quia erat opus æternitate donandum: quo facto naturæ Hominis præ cæteris omnibus excellētiam, innuit Deus. Sic etiam tam longa Mariani Corporis procraſtinatio in vulua materna, excellentiā fœtus innuebat. Rurſus ſi corporea magnitudo perpendatur, ſi robur, ſi ſplendor, & agilitas, ſine dubio ferarum plurimæ, corporis mole, ac fortitudine, longe homines antecellunt, pedum pernicitate ſuperant: aſt Homo cunctis rebus conditis anteſtat, quia rationis particeps eſt, ſcientiarum cognitione illuſtris, eruditione præcellens, Verbi Diuini imaginem præſeferens: nihil ergo mirum ſi Conditor Deus in homine fabricando moroſum, ac tardum ſe exhibeat, immoretur, diu quaſi fœtum allambat, ſollicitúſque ſit de ſola ipſius molitione: vt iam à Numine Doctores documenta capeſſant, ne nimis feſtini partus rationales edant; ſed conſilium ineant, fœtúmque mente perpoliant, diu, multúmque deliberent, moras interponant, quia prolem, non ſenſu deſtitutam, non rationis expertem, ſed ſenſu, & conſilio præditam, rationis compotem, ſapientiæ capacem, ſcientiarum participem, in lucem proferre tentant.

Gen. 1. *Deus in productione reliquarum creaturarum feſtinus, at in hominis molitione moras nectit.* Gen. 1. 20.

Scriptores erudiuntur à Deo ne nimis feſtini partus rationales edãt.

Hinc

636. Hinc mirraberis Adamum in ſapientia,ac omni ſcientiarum ſupellectili conditum ; tam citò ſtultum, ac fatuum euaſiſſe quippe homo cùm in honore eſſet non intellexit; adeoque ſe abſcondiderit à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi. Potuitne Adamus perſpicaces Dei oculos ſubterfugere , quantumuis remotiſſimos, ac reconditos mundi angulos, ac latebroſa orbis antra peteret ? vnde igitur tam ſupinus error , tam ſubita ignorantia obrepere potuit , vt à Dei conſpectu ſe ſubducere poſſe arbitraretur ? Vtique niſi fallor , quia Adamus nullo labore ſapientiam pactus eſt , nec proprio Marte rerum cognitionem ſibi comparauit, ſed à Deo conditore ſapientiæ , ac ſcientiæ theſaurus ſibi obuênit in momento, nullo labore eruditionem obtinuit ; ac proinde facillimè illam amiſit : nihil tædij, nihil certaminis paſſus eſt , nullas vigilias expertus ; quia igitur partus extemporaneus, & inſtantaneus exſtitit, citò breuiſſimam vitæ periodum finiuit. Propterea Adam,qui ſine vllo certamine, ac labore , diuino alloquio cæteriſque bonis dignus fuerat habitus,citiùs ea, quibus vtebatur, amiſit,anthore Iouio Monacho apud Bibliothecam Photij pag.630.

Sapientia in momento obtenta, ac nullo labore parta,cito deperditur.

Iouius Monachus.

637. Quare tametſi B.Virgo ſolùm per nouem menſes fuerit in materno vtero , ſi tamen numerentur alij menſes,qui præcedere debuiſſent , vt Deipara ad perfectam formationem,quam in Conceptione ſortita eſt ſingulari Dei priuilegio, pluſquam duodecim menſes compleuiſſet in vtero materno. Simili innixi fundamento Doctores aliqui defendunt Adami vitam diuturniorem extitiſſe , quàm reliquorum omnium poſterorum ante diluuium: licèt enim Mathuſalemus exceſſerit Adamum 30. annis ; verùm ſi Adamo adiicerentur quinquaginta, vel ſexaginta, qui neceſſarij erant,vt perueniret ad virilem iuuentam , qua gaudebat dum conditus fuit, hac facta calculatione , excederet Adamus Mathuſalemum 30. annis,vel 20. Licèt ergo Maria Virgo, ſolùm per nouem menſes delituerit in Annæ vtero ; ſi tamen ſupputentur ad minus alij tres, quibus perficiẽda erat paulatim,vt in eam perfectionem deueniret , quam in prima conceptione conſecuta eſt , certum eſt duodecim menſes compleuiſſe ; bene igitur feſtinanti manu conditur : vt ſingularis eius excellentia propalaretur;ſed diuturniori manu perficitur per nouem menſium ſpatium in vtero materno,vt elaboratum opus,omnibuſque numeris abſolutum prodiret. Rectè in hanc rem Auguſt. de Ancona ſuper *Miſſus eſt* dixit : *Sicut Aurifex non adeo diuturniorem operam impendit in elaborando annulum ferreum , illúmque propterea citius abſoluit , quàm aureum : ſic natura non adeò diligenti, & attenta manu incumbit fœminæ formationi , ac viri.* Sic laborioſiori , ac diuturniori diligentia,& opera incubuit natura Marianæ conditioni, vtpote excellentiori creaturæ : ſi enim naturæ viribus contigit in Maria Virgine tam diuturna in ventre commoratio , nulla alia cauſa eſſe potuit, niſi perfectio , & elaboratio maior prolis, illiúſque robur,& venuſtas. Profectò Anna Quid Magnum,& excellens erat in lucem editura, adeóque natura operis granditate hæſit,cunctabatur,æſtuabat, vt tantam Filiam moliretur ; ideò diutius in illa elaboranda remorata eſt. Sic Deus hominem conditurus cunctatur , & quaſi conſilium capit illis verbis : *Faciamus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram* ; nec vnico iactu virum , ac fœminam produxit ; ſed vir prior,poſtmodùm fœmina figulatur, quaſi magnum quid ineſſet hominum naturæ , quæ diuturniori tempore perficeretur : vel vt S. Thomas expendit , vt per illam ſeiunctionem magis vacarent coniuges contemplationi , ipſique intelligerent , edocerentúrque hoc facto , in rerum cœleſtium contemplationem aliquandiu ſeiungi oportere : ideò non ſic reliqua animalia condita ſunt,ſed eodem loco , & temporis momento conduntur Leo & Leæna compar, Vrſus & Vrſa,& ſic de reliquis.

Maria quia fœtus omnium nobiliſſimus, ideò diutius in materno vtero allambitur.

Auguſt. de Ancona.

D.Thom.

Adamus & Eua ſeiunctim figulantur, vt magis vacarent contemplationi.

638. Ex quibus facile occurres obiicienti ; fœtum ſolùm exiſtere ſolere intra materna viſcera nouem menſium ſpatio,qui ſupputandi non ſunt à die animationis, ſed à die commixtionis ſeminum maris, ac fœminæ ; ſi autem Virgo Deipara die octaua Decembris concepta , & animata eſt , fieret inde per nouem menſes delituiſſe intra vterum maternum à die animationis, totidem enim numerantur à die octaua Decembris ad diem octauam Septembris, cùm nata fuit. Quo argumento preſſus Peramatus negat animationem B. Virginis peractam fuiſſe die octaua Decembris : ſed immeritò , alioqui idem pronunciare poſſet de Chriſti Conceptione , quæ ſimul cum animatione in ipſo conceptus puncto abſoluta fuit ; itaque in eodem inſtanti Chriſti Corpus fuit membris diſpoſitum , ea quidem attemperatione , quam elaborare poterat ſemen in vtero materno quadraginta dierum ſpatio; cùm tamen à die 25. Martij vſque ad diem 25. Decembris nouem integri menſes numerentur : vnde idem efformari poſſet argumentum: videlicet Chriſti D. formationem,& animationem non accidiſſe ſimul,quod tanquam erroneum diſploditur à Suar. tom. 2. in 3. p. d. 11. ſect. 2. vel Chriſti natiuitatem non fuiſſe eo tempore, quo ab Eccleſia colitur, ſcilicet poſt nouem menſes elapſos à die Incarnationis ; quod pluſquam temerarium cenſendum eſt.

Suar.

Variè igitur varij præſentem difficultatem enodant. Primò aliqui reſpondent , poſito miraculo Conceptionis , & animationis inſtantaneæ, & celerrimæ,ſiue in Chriſto D. ſiue in B. Virgine, naturæ ductu naſci debuiſſe fœtum ante nouem menſes,diuina tamen virtute factum fuiſſe,vt non antea naſceretur , ne myſterium reſeraretur ; ac ne monſtroſa , ac portento ſimilis vtriuſque natiuitas cenſeretur. Nec vllum apparet incommodum , vt quantitatem aliquanto maiorem in vtero materno vterque fœtus habuerit. Cui reſponſioni illud fauet , quod in reliquis fœtibus poſt animæ rationalis infuſionem , non experimur tam diuturnam tot menſium in maternis viſceribus detentionem: ergo recurrendum nobis eſt ad aliquam extraordinariam diſpoſitionem , quæ in reliquis fœtibus non reperitur,vel ad miraculum,etiamſi verum ſit, quod docet Salaz. de Concept. c.9. ex mente Catherini, Mariam Virginem Adami pro ſtatu innocentiæ filiam eſſe cenſendam. Hic tamen opinandi modus non probatur Suario citato , nec mihi ; quia agglomerat miracula ſine vllo fundamento, vt mox videbimus. Leuiori etiam rationis momento ducuntur alij, qui adſtruunt Corpus Chriſti D. & B.Virginis , tametſi ita feſtinanter fuerint perfecta ; poſtea tamen eorum augmentum ita fuiſſe temperatum , vt paulatim accreſcerent , nec niſi nouem menſium emenſo ſpatio ad debitam natiuitatis maturitatem peruenerint. Verùm hæc augmenti mora, ac nouorum auctuum retardatio aduerſaretur valde cauſis ſecundis , quæ influunt in augmentum fœtus , præſertim in B.Virgine , quæ viridi, ac viuida iuuenta florebat, adeóque ſanguine puriſſimo , & vberrimo affluebat in alimentum fœtus;

fœtus ; ita vt iuxta naturæ præscriptum retardari non posset, nec ita attemperari augmentum illud, vt nouem mensium spatio, fœtus intra materna viscera cunctaretur : & idem cum proportione dicendum de Diua Anna, quæ semel victa sterilitate, & infœcunditate senili per miraculum, exigebat rerum natura, vt ei alimentum necessariumad fœtus augmentum, & maturationem subministraretur : asserta igitur retardatio, ex naturæ exigentia esse non potuit, adeoque oporteret, vt intercederet iuge miraculum in toto illo nouem mensium augmento.

Hæc difficultas iam fuit soluta supra num. 624. Vera ergo propositæ difficultatis enodatio desumitur ex D.Thom. 3.p.q.33.ar.2. Magistro in tertio sentent. dist. 3. S. Bonau. ibidem. Suar. cit. scilicet corpusculum Christi ; (& idem dicendum de corpusculo B. Mariæ) celerrimè fuisse dispositum membris, & organis dispunctum ad infusionem animæ rationalis ; sed magnitudinem illius fuisse exiguam, non quidem præternaturalem ; maxima enim, & minima quantitas corpori humano accommodata, non ita est indiuisibilis, sed habet aliquam latitudinem : itaque magnitudo corporis Mariani ipso die animationis, & conceptionis, minor extitit, quàm si solùm virtute causarum naturalium perficeretur per octoginta, vel nonaginta dies, ac proinde mirum videri non debet, si à die octaua Decembris supputarentur nouē menses completi, & inchoaretur decimus, ita vt accideret eius natiuitas octaua die Septembris, partus enim decimi mensis est maximè naturalis, vt docet Peramatus lib. de hominis procreatione cap. 9. Pineda lib. de rebus Salomonis cap. 10. Quod ergo Christus D. & Virgo B. nouem mensibus delituerint in visceribus maternis, mirum non est, vipote necessarij, vt à die animationis attingerent eam magnitudinem, quam aliàs sacra illa corpuscula sortirentur, si solùm virtute seminis virilis formarentur, & successiuè præpararentur ad infusionem animæ rationalis. Quo circa si Corpus Christi D. non fuisset Spiritus sancti virtute elaboratum, sed more aliorum hominum, in eius efformatione ante animæ rationalis infusionem, quadraginta dies insumpti fuissent, quando infunderetur anima, elapsis illis diebus, perueniret illud corpusculum ad tantam granditatem, & post septem menses, ac viginti dies, qui cum illis quadraginta complent menses nouem, vi sua natiua exigeret in lucem edi ; sed quia illud corpusculum Spiritus sancti ope efformatum, ac elaboratum fuit ; minorem, sufficientem tamen, granditatem sortitum est, vt anima in ipsum infunderetur ; ita vt ab eo instanti necessarij forent nouem menses, & decimi inchoatio, vt corpus illud attingeret eam magnitudinem, vel certè non multo maiorem, quam alioqui attigisset in totidem mensibus, si ex viri ope fuisset efformatum. Ex quo fit, inchoato decimo mense, Christum D. natum iuxta leges à natura præscriptas. Quæ eodem modo adaptari possunt conceptioni, & animationi B. Virginis, quæ speciali virtute, ac concursu Diuino peracta est, vt citò perficeretur corpusculum ad infusionem animæ rationalis, sed in magnitudine adeò exigua, vt elapsis octoginta diebus non multùm excederet eam granditatem, quam alioqui sortiretur, si octaua die Decembris solùm quoad informem embryonem concepta fuisset, & emensis octoginta diebus anima rationalis in illud infunderetur. Vnde sicut apto, & opportuno tempore iuxta naturæ præscriptum edita fuisset ex vulua in lucem hanc B. Virgo, octauo die Septembris, si octauo die Decembris informis concepta fuisset, & post octoginta dies, anima rationalis creata, & in corpus infusa ; ita censendum modò, videlicet naturalem fuisse ipsius ortum eodem die factum, licet octaua die Decembris conceptio, & animatio contigerit.

D.Thom. D.Bonau. Suarius.

P. ramat. Pineda.

CERTAMEN V.

An Deipara Biduo minus delituerit in vtero materno, quàm Iesus.

639\. Pet.Dam. Occasione nacta, ex verbis Cardinalis Pet. Damiani hæc quæstio nata est : dum enim de Ioanne Baptista verba faceret lib. 4. epist. 16. similem controuersiam mouet per hæc verba : *Si vtrique dierum numerus, vel quo Dominus in vtero Virginali, vel quo B. Ioannes in aluo mansit anilis, diligenter inspicitur, duobus diebus excedere Domini numerus inuenitur : à Conceptione quippe Domini, vsque ad natiuitatem ipsius, ducenti septuaginta sex dies ; à Conceptu verò Ioannis, vsque ad natiuitatem eius, ducenti Septuaginta quatuor dies tantummodo reperiuntur.* Veriùs locum habet hæc controuersia in B. Virgine, quia ab octaua die Decembris vsque ad octauam Septembris inclusiuè, quo tempore clauditur in visceribus Annæ, dies numerantur ducenti septuaginta quatuor : at verò à 25. die Martij inclusiuè vsque ad 25. Decembris, quo tempore Iesus in Mariani vteri sacrario clauditur, intercedunt dies ducenti Septuaginta & sex ; quod dierum discrimen, & supputatio, ex Februario aliorùmque mensium inæqualitate, promanat. Sed quispiam respondeat, in Christo numerandos esse dies à 25. die Martij exclusiuè, vsque ad 25. Decembris exclusiuè : non ita in B. Virgine, sed supputandos esse dies illos à die octaua Decembris inclusiuè vsque ad diem octauam Septembris inclusiuè ; hac enim ratione par dierum numerus in vtroque supputabitur. Quod enim aliqui Doctores apud Pinedam de præuio Salomone lib. 1 c. 10. fabulati sunt Christi Natalem mense Maio contigisse, vel in quinta die Ianuarij, vel vt alij in sexta, prorsus tanquam commentitium repellendum est. Standum ergo vsui Ecclesiæ Romanæ in dierum festorum indictione, tanquam legitima, & omninò tenenda.

Maria biduo minus delituit in materno vtero, quàm Iesus.

640\. Vt autem quæ proximè dixi componi possint, videlicet totidem dietum spatio B. Virginem in vtero Annæ gestatam, atque Christum clausum in visceribus eiusdem virginis Mariæ, ita fundari posset ; nam licèt ex calculatione dicta minus delituerit B. Virgo in vtero Annæ, quam Christus in aluo Virginea, tamen probabilitate non caret Christum D. paulò ante duodecimam noctis horam diei vigesimæ quintæ Martij fuisse conceptum ; id est labente iam, & deficiente illa die, & incepta vigesima quinta die Decembris natum, Mariam verò Virginem, incipiente octaua die Decembris fuisse conceptam, & labente octaua luce Septembris natam ; quomodo iam vnos dies superadditur Virgini Mariæ in vulua materna commoranti : alterius verò diei restitutio haurienda ex Anno Bissextili, quo iuxta aliquos fuit concepta ; in quo opinandi modo iam B. Virgo totidem diebus in vtero Annæ detenta fuit, quibus Christus in aluo B. Mariæ. Quod verò Christus D. ante

B. Virginem totidem diebus spatio delituisse in vtero, ac Christū in suis visceribus ostenditur.

ante mediam noctem, & non multo post Solis occasum diei vigesimæ quintæ Martij fuerit conceptus, probat Salmeron tom. 3. tract. 9. ex
Salmeron. consuetudine in Ecclesiam iampridem inuecta, qua signum datur in ipso noctis crepusculo pro B. Virgine salutanda, quia ea hora Gabriel B. Virginem salutauerit. Quod autem Christus D. paulo post mediam noctem, incipiente scilicet die vigesima quinta Decembris natus fuerit, nocturna missarum solemnia in ipsa Natalis Domini nocte confirmant. Restat modo illud firmare, quod videlicet Virgo Maria nata fuerit occidente luce diei octaui Septembris: hoc autem constat ex Reuelatione, quam refert Durand. lib. 7. c. 28. Azor. part. 2. lib. 1. c. 19. q. 8. Quod verò fuerit concepta inci-
Durand. Azor. piente die octaua Decembris, suadet similitudo IESV, & MARIÆ, vt scilicet æquali dierum spatio in vtero vterque delitesceret.

In eo autem opinandi modo, qui censet biduo minus Virginem Mariam in vtero detentam, quàm
641. IESVM, huius maioris detentionis discrimen tradidit Amadæus; quia in Christi conceptu nulla præiuit embryonis forma, quæ pedetentim præmuniret viam, ac disponeret materiam, vt in ipsam anima rationalis infunderetur; vt enim fœmina matris officium subire posset, opus non est, vt antecedenter aliquid præstet, vel efficiat in subiecto futuri filij, dummodò materiam exhibeat, cui anima infundatur: cùm verò B. Virgo non solùm futura erat filia Annæ, sed etiam Ioachimi, opus fuit tempore aliquo, vt materia à Ioachimo subministrata ad conceptum, tanquam instrumentum efficiens fœtum elaboraret, quo Ioachimus Patris officium subire posset. Quare commixtio seminis vtriusque parentis contingere potuit vno, vel altero die ante lucem octauam Decembris solitam naturæ, & sanguinis, seu seminis actionem exhibendo, ne solus Deus omnem suppeditasse influxum circa mate-
Amad. riam illam diceretur, quin præiret causarum secundarum instrumentalium actiuitas, qua præeunte Ioachimus necessarium influxum subministrauit, vt Pater esse, & dici posset. Deinde Deus materiam rudem, & informem disposuit, ac perfecit, opus peregit omnibus suis numeris absolutum, instrumentum eleuans ad concursum, quo forsan nixus fundamento Amadæus, vt alibi monuimus, existimauit post horas aliquas à coniunctione Ioachimi, & Annæ, B. Virginem fuisse conceptam; hoc est, animam rationalem in corpusculum iam dispositum fuisse introductam; cui censioni subscribit Granado, vt vidimus suprà. Hinc fortassis ortum, vt Ecclesia in festorum consignatione vnum, vel alterum diem detraxerit B. Virgini in vtero Annæ detentæ, & Iesu addiderit in aluo B. Mariæ; quasi tempus illud, quod impensum fuit in embryo-
Granado. nis elaboratione, ante animæ infusionem, & ante lucem octauam Decembris, supputandum non sit.

642. Hinc decidi potest quæstio alia, vtrùm Deus sup-
Fœmina quia frigidior ac debilior maius temporis spatium deposcit ad sui formationē in vtero materno. pleuerit plura in formatione corporis Deiparæ, quàm in conceptu IESV? Quod vt planius fiat, præmittere oportet, iuxta vnanimem Philosophorum, ac Medicorum sensum; fœmineam complexionem, ac temperamentum diuturnius tempus exigere ad sui formationem, & structuram, quàm virile tem-
Hippoc. peramentum. Ita expresse Hippocrates lib. de natura pueri: *Quod autem*, inquit, *famella posterius conformatur, ac articulatur, causa hæc est, quod genitura fœminea debilior est, ac humidior; quàm mascula, & iuxta hanc rationem necesse est posterius conformari puellam, quàm masculum.* Contestatur Arist. lib. 4. de ortu animalium: *Hac eadem causa* Arist.
est, ut fœminæ similiter, atque mares perficiuntur in genere hominum: quippe cum intra parentem fœmina tempore longiori perficiatur, quam mas: sunt enim fœminæ natura sua debiliores, frigidioresque, & sexum fœmineum, quasi læsionem naturalem, & detrimentum esse putandum est: intus igitur tandem pro sua frigiditate discernuntur; hæc enim discretio concoctio est, calor autem concoquit, & quod calidius, id concoctu facilius est.

Rursus iuxta communem Medicorum Doctrinã 643.
variæ fœtus articulationes adnotandæ sunt. Primò *Variæ fœtus in vtero delitescentis articulationes adnotantur.* enim, authore Hippocrate lib. de principiis, fit quædam rudis, maléque digesta figuratio die septimo à conceptione, quàm Aristoteles lib. 2. de ortu animalium c. 4. appellat Perigraphin, quæ similis Hipp.
est primis, ac rudibus artis pictoriæ lineamentis. Arist.
Deinde subsequitur coagulatio prima, & informis fœtus figulatio, quæ in mari, die vigesima; in fœmina, die quadragesima secunda contingit, iuxta eundem Hippocratem. Tertiò aduenit figuratio alia aliquantulum absolutior, quæ iam fœtui motum attribuit, & vitam, & fit in maribus, die quadragesima; in fæmellis octogesima. Demum ita fœtus figuratur, vt eius perfectio omnino absoluatur, quod fit quando iam dies partus imminet. Vnde elicies in fœminis figurationem, organorúmque dispositionem, quæ proximiùs adaptat corpus ad animæ rationalis introductionem, esse duplo morosiorem, quàm in maribus.

Ex harum figurationum diuersitate, quæ Philo- 644.
sophorum, & Medicorum dictis innititur, aliqua sacrorum voluminum testimonia elucidari possunt; præcipuè illud Dauidis: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*: vel vt transfert Hieronymus: *Informem me viderunt oculi tui.* Id est primis illis diebus quibus delitui in vulna materna, antequam perfectè effigiarer, & absolutam organorum perfectionem consequerer. Verba item illa subobscura Psalm. 138. v. 16.
Ioannis Baptistæ: *Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est.* Quæ verba si intelligantur de Christi diuinitate sanam doctrinam non continerent; quia Christus Dominus vt Verbum Diuinũ & Patris Filius, Genitus dicitur, non factus, vt tenet Catholica Ecclesia in symbolo, vbi dicitur Verbum Diuinum *Genitum, non factum*: si verò accipiantur de Christi humanitate, imminuitur, ac labefactatur historica Euangelij veritas: nam Luc. Ioan. 1. 15. *Verba illa Ioan. Baptistæ* Post me venturus est, qui ante me factus est: *quomodo intelligenda vt verum sensum habeant.* Luc. 1.
1. Ioannes Baptista mensibus sex in vtero materno præcessit, antequam Christus conciperetur. Qui nodus alioqui implexus, per supradictam figurationum diuersitatem in fœtibus facilè dissolui potest; sed enim formationem quarto loco positam in Ioanne factam, paulo ante partum si perpenderimus, iam planum fiet, Christum præiuisse perfectè formatum antequam Ioannes in vtero figuratione perfecta formaretur, quia Christus D. in primo suæ Conceptionis momento perfectissimè fuit absolutus, die scilicet vigesima quinta Martij, quo tempore Ioãnes nec tertiam figurationem ex supra memoratis nactus fuerat: vnde verissimè Ioannes proferre potuit propositionem illã: *post me venturus est, qui ante me factus est.* Quia Christus priùs factus est, & absolutus, quoad cõpletam perfectionẽ fœtus quam Ioannes: celeriùs enim confectum opus illud, licèt seriùs inceptum: ideóq; subdidit idem Baptista: *post me venit Vir, qui ante me factus est*: Virum appellans animo, & corpore absolutissimum,

tametsi quantitate pusillum. Eodem sensus tenore
Ierem. intelligi amant verba illa Ierem. 1. *Priusquam te formarem in vtero, noui te.* Id est ante exactam formationem tui corporis noui te scientia approbationis, media gratia sanctificante; ita Interpretes ad eum locum: neque enim ibi est sermo de notitia, qua bonos, & malos cognoscit Deus; nihil enim inde laudis in Ieremiam refunderetur: nec etiam fieri poterat vt ante formationem, Deus Ieremiam sanctitate donaret. Multiplex ergo fœtus delineatio in vtero materno à nobis asserta, horum verborum tenebras dispulit, lucemque attulit. Ait igitur Propheta: *priusquam te formarem in vtero*, vel iuxta S. Martyrem Victorinum, *priusquam te figurarem*; hoc est, ante terriam, vel quartam membrorum conformationem perfectam, & exactam, quæ animi rationalis introductionem subsequitur; noui te scientia, qua te ita maturè selegi in seruum meum, in te adhuc in vtero delitescentem, gratiam sanctificantem conferens; ita vt priùs anima gratiæ decoramentum nacta fuerit, quàm corpus perfectam, & absolutam membrorum figurationem obtinuerit.

645. Modò facilè propositæ difficultatis nodus solui potest. Censeo ergo non suppleuisse Deum plura in conceptu B. Virginis, quàm in conceptu IESV ex parte temporis. Quia licèt aliæ fœminæ octuagesimo die, vel nonagesimo animâ informentur, masculi verò quadragesimo die; hoc discrimen ex eo accidit, quia fœmineum temperamentum & frigidius, & debilius est, quàm virorum; vnde diuturniori tempore opus est ad fœminæ exactam, & absolutam formationem. Sed temperamentum B. Virginis fuit omnium virorum, dempto Christo, perfectissimum: ergo anima B. Virginis inducenda non erat octuagesimo die, sicut in aliis fœminis contingit, sed quadragesimo die; sicut in masculis; ergo ex hac parte opus non fuit, vt plura supplerentur à Deo in formatione celerrima B. Virginis, quàm in formatione IESV. Nec obstat quòd imbecillitas, & ætatis grandæuitas Parentum Deiparæ non ita præcocem formationem deposcerent, quam in aliis fœtibus, adeóque ad celerrimam Mariani Corporis formationem maioribus subsidiis indiguisse naturam, propter causarum proximè concurrentium imbecillitatem, quæ non desiderabatur in florida, ac viuida B. Virginis ætate. Hæc, inquam, nihil obstant; si enim semel admittimus B. Virginem miraculoso modo ex Parentibus senibus, & sterilibus ortum ducere; reliqua omnia ad exigentiam quasi naturalem subsequebantur.

CERTAMEN VI.

Perfectionem Corporis Mariani disquirit.

646. Suar. *Corpus Virginum in sua specie, & sexu omnium perfectissimum.*
Corpus Beatissimæ Virginis in sua specie, & sexu perfectissimum, & omnibus suis numeris absolutum, docet Suar. ex Patribus tom. 2. in 3. p. d. 2. sect. 2. §. *omissa ergo*: Et subiungit, temerarium esse contrarium affirmare; nulli enim rectæ rationi, nec authoritati inniti potest. Suaderi autem potest hoc placitum, quia ex corpore Virgineo fabricandum erat corpus Christi; ergo oportuit præmunire, viam in formatione perfectissima corporis Mariani vt medium fini adaptaretur, & materia apta tanto operi fabricando, scilicet Christi D. corpori suppeditaretur. *Quemadmodum* ait Alb.
Alb. M. Mag. apud Dionys. Carthus. lib. 1. de laudibus Virginis; *corpus Christi, quod Deus supernaturaliter per se ipsum formauit, est perfectissimum, atque pulcherrimum in natura, quod fieri potuit secundùm statum via: sic corpus Virginis ad hoc immediatè ordinatum fuit pulcherrimum secundùm statum via, quod natura per se operans facere potest.* Succedat ipse Dionys. cit. art. 34. vbi hæc habet: *A planta pedis vsque ad verticem capitis, nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, nec in anima indecens, reprehensibile, indecorum: imò totum fuit Diuina sapientia circino efformatum, pulcherrimè circumcisum ab omni superfluitate, plenissimè, ac speciosissimè operatum: sicut enim Christi humanitatem decuit propter vnionem Hypostaticam omni perfectione natura, & gratia in termino excellentia, praefulgere, ita ipsius Genitricis personam post Christum, oportebat in omnibus sic ornari, quoniam post hypostaticā vnionem non est alia tam vicina, vt vnio Matris Dei, cū Deo Filio suo.* Habuit ergo procul dubio Virgo Deipara nobilissimam secundùm indiuidualem perfectionem, substantiam corpoream, quæ accidentia nobilissima, & in summo perfectissima exambiret. Dion. Cart.

In cuius rei confirmationem huc aduocari potest corporis Adami formatio. Formauit illud Deus ex limo, ductauit lineas, exornauit, perpoliuit; dumque illud ita confingeret, Christum mente versabat, qui ex Adamo erat oriturus; huius mentis Authorem do Tertul. lib. de resurrect. carnis c. 7. *Recogita, inquit, totum illi Deum occupatum, & dedicatum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis adfectione, qua lineamenta ductabat; quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur.* Affectio igitur terram illam expoliuit, quæ formando corpori Adæ inseruiret; quod tanta Dei sapientia, consilio, ac prouidentia efformabatur, ex eo quòd post diuturnam temporum seriem, & post longam hominum generationem, Christus ex illo sibi corpus assumpturus erat. Quid ergo præstitisset Deus, cùm Marianum corpus coagmentauit, cùm Virgo B non iam remotè, sed immediatè, & proximè Christo corpus erat præbitura, ac Christi Mater vera, ac naturalis futura, præstituráque sanguinem purissimum illius formationi, & lac porrectura ipsius nutritioni: profectò totus Deus fuit occupatus in conditione Mariani corporis consilio, sapientia, prouidētia, affectu delineabat, ac lineamenta ducebat, manu, sensu, ac opere expoliebat, perficiebatque, quia Christus ex illa carne corpus assumpturus cogitabatur. 647. Tertul.

In reliquis Adæ posteris, in primo suæ conditionis momento, in quo anima corpus informatur ægritudinū omnium, ac molestiarum hæres protinus instituitur; intellectus enim mille errorū caliginibus obtenebrescit: voluntas item multiplici efferæni appetitione obsidetur; appetitus sentiens, instar equi efferi ab irarum, ac libidinum monstris raptatur: Reminiscentia obliuionem sæpiùs patitur; reliquæ potentiæ fraudibus circumueniuntur: corpus doloribus atteritur, mille morborū generibus subiacet, qualitatum aduersarum bellum intestinum sustinere cogitur, humorumque iugem discordiam. Hanc autem dirissimam Tyrannidem, iugumque grauissimū nequiuit Dæmon, in Virginē Deiparā protendere; vale diuersam conditionē sortita est; in qua distortæ affectiones nullæ ebullire potuerunt, nec libido flammā vllam accendere, nec in altū efferri arrogans sui amor, nec iracundia efferuescere, nec tumore inanis gloriæ cupido inflari, nec ambitio, vel alius prauus assultus suū exercere principatum. Altiorē productionis modū cratura omniū nobilissima deposcebat; quā viuis profectò coloribus depinxere 648. *Ada posteri in primo sua conditionis momento mille arumnis circumueniuntur.*

Amad.

depinxere Angeli apud Amadeæum raptu 4. vbi longè perfectius côditum fuisse B. Virginis corpus, ac formosius, corporibus Adæ, & Euæ, in prima sui productione, iidem attestantur Angeli.

649. Hanc corpoream perfectionem, omnibusq; suis numeris absolutam decantat Sponsa, dum Sponso manus torno factas attribuit, id est opera; in his enim, quę torni artificio poliuntur, nihil reperitur, quod perfectû non sit, & rotunditate, & æqualitate elaboratû. Eucher. lib. 3. in lib. Regû intelligit, celeritatem in operando. Præstat audire Rupertum in Cant. *Qui torno operantur faciliùs, citiusq; atque perfectiùs operatur: sic iste dilectus multò faciliùs, longè citiùs, valde perfectiùs, mira, quæ voluit operatus est, &c. ipse enim erat, & est antiquus tornator, qui tornauit cælum, & terram, & sphæricu Solis, ac Lunæ, cunctorumque stellarum corporu torno suo, id est imperio velocissimo.* Vbi sponsum tornatorem vocat, quia cœlum, & terram tornauit, ac perfecit: aptiùs dici potest tornator huius Mariani Cœli corporeis sicut enim quæ torno sunt facta, mira celeritate fiunt; sic Mariana formatio celeriter fuit perfectissimè elaborata, arte polita, ac venusta, nec maculis fœdata, nec aspera scalptura, nec inelaborato opere ingratum aliquid apparebat, sed totum pulcherrimum, affabrè effigiatum, ac veluti circino efformatum, omni defectu carens, multiplici perfectione decoratum, ac denique omnipotentię torno factum vsquequaque politum, teres, æquabile opus, nihil in eo inuenies quod scabrum sit, nihil quod sine arte, vel ineptè emineat, nihil quod depressum sit, sed omnia membra ad amussim disposita, omnia organa perfectè dispuncta. Vt hac ratione maior inter Christum, & Deiparam similitudo intercederet, non solum moribus, sed etiam & corporis perfectione, & affectibus illam consequentibus; hæc enim similitudo permagno conducit, & ad conciliandos animos, & inter se maiori beneuolentiæ nexu deuinciendos, & hac de re habita reuelatione confirmat S. Brigitta lib. 1. reuelat. cap. 50.

Deus tornator dicitur, quia Marianum corpus celerrimè, ac perfectissimè tornauit.

Cant. 5. 14. Eucher. Rup.

650. Quod etiam firmari potest ex S. Thoma de Villanoua Conc. 3. in Natiu. Virginis, cuius verba licèt pluscula referre non grauabor: *Fuit Christus Matri suæ simillimus super omnes filios, vt sicut in Cælo, qualis Pater, talis Filius: Filij imitantur Parentes, vt plurimum, & parentes transfundunt in filios non solum proprietates, passiones, ægritudines, figuram, colorem, formam, motus, habitus: sed etiam passiones, & virtutes animarum, vsque adeo, vt ingenium, virtus, & eloquentia hereditaria quodammodo videantur; etsi hoc in aliis, multo amplius in Christo; nam cum in aliis patris, & matris communes sint filij, aliquid accipiunt à patre, & aliquid à matre, & fit ex duobus tertia quadam mixtura, & similitudo; Christus verò, qui totus erat ex matre, sine patre, sine patre in terris, totus fuit matri simillimus, non solum forma, & vultu; sed moribus, verbis, & habitu. Sola Mater filium ex omni parte imitata est, cum reddens suis gratiis, & virtutibus, licèt in filio perfectiores colores essent propter diuinitatem coniunctam.* Quid illustrius ad nostram thesim confirmâdam? nihil ergo frequentius, quàm vt fœtus Genitores referat, & membrorum proportione, & natiuo corporis colore, & faciei physiognomia. Sed res est difficilis exhibere causam huius natiuæ repræsentationis; neque enim id totum in seminis vim, eam virtutem, & efficaciam habentis, refundendum est; cum sæpissimè soboles Genitores non exprimant: & lacti nutricum ea sit insita virtus vt Author est Aristoteles lib. 4. de generat. animalium c. 8. vt in lactentes pusiones qualitates, colores, moresq; nutricû refundat: non tamê infantium physiognomiam immutat. Subtilior ergo philosophia ea est, quæ adstruit, imaginatiuam potentiam multum iuuare virtuti seminis, vt fœtus Genitorem repræsentet; quia in ipso coitu facultas imaginatiua rerum repræsentatarum ad viuum delineat, imprimitque, & excudit easdem imagines in spiritibus vitalibus, qui eas in Conceptionis receptacula adsportant, seménque committuntur, fœtumque sigillant eisdem imaginibus. Hinc non rarò contigit phantasiam peregrinum concipientem obiectum in ipso cum fœmina coitu fœtum, illud peregrinum obiectum referre, non verò genitorem ipsum repræsentare. Qua de re lat[illegible], & eruditè agit noster Eusebius Nierembere. in sua admirabili Philosophia. Quę sententia nouum robur hausit ex facto Iacob Gen. 30. vide Pereiram in illum locum disp. 3. & 4. De qua phantasiæ virtute ad sigillandas in fœtu qualitates rerum, quas tenaciter concipit, videndus Delrius in Gen. lib. 1. c. 3. q. 3. Conimbricenses in lib. 1. de generat. & corrupt. c. 4. q. 10. a. 1. & 2. & hæc sine dubio potior est causa cur filij Patres referant sæpiùs, quia scilicet fœminæ imaginatio frequentiùs in vultum paternum figit obtutum.

Christus D. simillimus suæ charissimæ Parenti B. Virgini.

Thom. à Villan.

Aust.

Nierembere. Pereir. Delrius. Conimbr.

Vlteriùs nostrum placitum, stabiliri potest, quia perfectissimus animus perfectissimum omniû corpus exposcit, sed Virgo Deipara nacta est animum rationalem, omnium hominum, dempto Christo, perfectissimum; ergo & corpus. Quæ igitur perfectiones in corpore humano desiderari possunt, hæ quidem omnes in vna B. Virgine in gradu sublimi sedem suam fixerunt, videlicet membrorum omnium integritas, proportionata singulorum membrorum quantitas vnicuique accommodata, apta primarum qualitatum dispositio, debita humorum proportio, virtus, & efficacia sensuum, & potentiarum ad exercendas ipsarum functiones, & ad reliquas corporis operationes rectè obeundas. Nec mirum id omne deferamus Mariano corpori, quod Patres, ac Theologi corporibus primorum parentû, attribuunt, de quo côsulendus Suarius de opere sex dierû lib. 3. c. 3. n. 3. & quidem meritò; opera enim, quæ immediatè à Deo fluunt, perfectissimè côduntur, iuxta illud Gen. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*: ergo potiori ratione homo, qui vt præsideret reliquis animantibus, à Deo conditus fuit; ergo longe perfectiori penicillo elaboranda fuit Virgo Deipara, quæ vt rerum omnium dominaretur tanquã Imperatrix à Deo, tanquam à causa principali, vt alibi à me monitum est, condebatur. Suppleuit enim Deus menstrui sanguinis defectum in Anna, ex senectute prouenientem, qui defectus generationi dubio procul officit, iuxta S. August. lib. 16. de ciuit. c. 28. & in quæstionibus super Gen. q. 35. vbi de Sara ait: *Sara sterilis, & cruore menstruo destituta, propter quod iam parere non posset, etiamsi sterilis non fuisset*: ergo præcipuè hanc multiplicem perfectionem in Marianum corpus effundere opus fuit, cùm ex eo corpus humanum, Verbû diuinum assumpturû erat. Quid quod omnes defectus corporei, qui in indiuiduis humanæ naturæ côtingunt, per peccatum inuecti sunt; sunt enim in peccati supplicium in mundum ingressi, vt probat Suarius cit. atqui Virgo Deipara ea constitutione corporis gauisa fuit, qua forent homines in innocentiæ statu, excluso scilicet peccato, eiúsque pœnis (licet plura sustinuerit incommoda, quę protoparentum delictum in hunc mundû inuexit:) ergo corpore perfectissimo condita fuit. Quid quod 651.

Anima perfectissima B. Virginis perfectissimum corpus deposcebat.

Suarius.

Aug.

gratiæ omnes, priuilegia, omniáque dona animæ virgineæ à Deo profusà manu collata, id totum Virgineo corpori debebatur, ex quo Verbum carnem assumpturum erat; nihil verò ab anima B. Virginis: Vnde, propter corpus B. Virgo, est, & dicitur vera Dei Mater.

Corpus Virgineum superabat perfectione corpora primorum parentum.

652. Inquirat aliquis, an B. Virgo in his corporeis perfectionibus antecellat Euam, imo & Adamum, vel è conuerso in eisdem ab illis superetur. Huius autem quæstionis decisio clariùs patebit, si præmiserimus perfectionis corporis humani dari terminũ summum etiam in ordine ad Dei omnipotentiam, qui connaturalis est, & meta vltima in homine, vltra quam gradus alius naturalis perfectionis produci nequeat; in quo euentu arbitror corpora Christi D. & B. Virginis illum vltimũ, ac summum gradũ perfectionis attigisse, quidquid sit de corporibus primorũ parentum. Si verò nullus sit talis vltimus terminus perfectionis corporis humani, sed quocũque exhibito, alium perfectionis gradũ excellẽtiorem dari posse dicas; tunc arbitror neq; Christũ D. neque Virginẽ Deiparam, neq; primos parẽtes nactos fuisse summam perfectionem possibilem corpoream, & tũc temporis perfectionis excessus Deiparæ potius attribuendus, quàm Euæ, & Adamo. Vtrique enim omni corporea, ac naturali perfectione, sicut supernaturali Virgo Deipara semper est præferẽda. Ac propter eandem rationem, si Deipara non iubente Domino, ac præ nimio amore vitã finiisset, vel si tot vigiliarũ, ieiuniorum, laborum, ac peregrinationũ afflictio Virgineum corpus nõ torsisset, diutius multo, quàm Adamus vitam prorogasset; ipsius enim corpus perfectius, illustrius, & viuacius exstitit, quàm primorum parentum, & quàm forent corpora in statu innocentiæ.

Formatio Euæ ex triplici capite fuit nobilior quam formatio Adæ.

In cuius rei typum animaduersione dignum fuit aliquibus Doctoribus, quod Euæ formatio illustrior longè, ac nobilior exstiterit, quàm Adami conditio, quia scilicet formatio Euæ pro[illegible] Marianam Conceptionem, eiusdemque corporis formationem delineabat, teste Tertulliano lib. 2. aduersus Marcionem c. 4. vbi sic fatur premens verba illa Gen. 2. *Dixit quoque Dominus Deus: non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* In quæ hæc adiicit Septimius: *Eadem bonitas, & adiutoriũ prospexit, ne quid non boni, &c. sciebat enim illi sexũ Mariæ profuturũ.* & Richar. de S. Laur. lib. 1. de laudib. B. Virg. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium &c. illa enim litteralis Eua viro suo non fuit adiutorium, sed destructoriũ: Hæc autẽ, nempe Maria, in adiutorium.* Itaq; Euæ formatio, delineatio quædã fuit Marianæ formationis, ac proinde longè nobilior excellẽtiorque quàm Adami formatio, & quidem triplici ex capite, & ex parte loci, & ex parte opificis, & ex parte materiæ. Primò ex parte loci, quia Adamus extra paradisum conditus fuit, sic enim habes Gen. 2. 7. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem illius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem. Plantauerat autem Deus paradisum voluptatis a principio, in quo posuit hominẽ, quem formauerat.* At Eua in ipso paradiso fuit condita ex Adæ costa iam paradisum incolente. Vnde commoratio paradisi Adamo collata fuit gratioso Dei munere: Euæ vero fuit quasi naturalis, & ingenita; ille hoc priuilegium ex beneficio obtinuit à Deo, Eua autem natura ipsã.

Gen. 2.
Tertull.
Ric. de S. Lau.
Gen. 2. 7.

Deinde hæc maior excellentia formationis Euæ desumenda est ex nobiliori opifice. Nam teste Abulensi q. 395. in c. 13. Gen. Angeli formarunt corpus Adæ; saltẽ Angelorum ministerio vsus fuit Deus in ipsius formatione, at Euæ formatio soli Deo tribuitur ab Abulensi, qui multus est in hoc discrimine exórnando, expugnandoque: iuxta hunc igitur tantum Doctorem, corpus Euæ fuit primum opus humanum Dei manibus fabricatum. Præterea si materiã ex qua Deus formauit Adamum inspiciamus, nihil aliud erat, quã limus, vel terra aqua subacta, id est lutũ, quod pedibus teritur, & proculcatur. Eua verò compingitur a Deo ex corpore Adæ iã perfecto, & elaborato, diuino afflatu, ac spiraculo viuido; ac proinde materia ex qua Euæ formatio coagmẽtatur, clarior, nobilior, defæcatior, ac solidior, non emortua, sed viuida exstitit. Nẽpe qua proximior imago formationis Marianæ; quæ quia concipienda erat ab omni originaria labe immunis, æquum erat vt primæ mulieris formatio, quæ immaculatam B. Virginis Conceptionem delineabat, nobilior præcederet, pluribusque priuilegiis anteiret formationi Adami. Itaque Eua in gratiam B. Virginis cuius typũ gerebat, non extra, sed intra paradisũ formatur, qui statio erat iustitiæ originalis, sanctitatis habitatio, nunquam diuinã maledictionẽ, quę postmodum per omnes terrarum tractus grassatura erat, incursurus; vt iã inde à loco iustitia originalis, & immunitas à peccato in B. Virgine præmuniretur; quippe locus qui nunquã maledicendus erat, eã in Euæ vmbra excepit, & Mariam nunquã peccati maledicto feriendam contestabatur; vt nec per vmbram Mariæ primũ initium in eam terrã caderet, quæ diuina execratione deturparetur. Conditur ergo Maria in statione gratiæ, in sanctitatis domicilio, vt ipsa gratia, & sanctitas quasi non tã gratioso munere, quã veluti iure naturæ, & lege conditionis ad illã attinere crederemus, vt iam verissimum sit quod docuit Philo de sacrif. Abel, & Cain. *Longa experientia docemur, quod quidquid innatũ est animæ longo vsu cõfirmatur.* Locus Mariæ & patria fuit paradisus sãctitatis, vt quasi a natura ingenita B. Virgini gratia videretur Maria opus à supremo opifice elaboratũ non manu hominũ, siue Angelorum: de quo capi posset Ambros. in psal. 47. *In operibus,* inquit, *suis Conditor, & in ædificationibus suis ædificator agnoscitur, vt etiam si nomen non audias, tamẽ ex operum qualitate artificem deprehendas.* Perperã igitur Deus opifex eximius sustineret vt opus suum, nempè Maria, priùs macula originaria fœdaretur, quã opus omnibus suis numeris absolutũ à manib. suis prodiret. Bene in rem præsentem aptabis verba Philonis lib. de plantatione Noë. *Perfectissimũ enim oportuit effingi maximũ opus ab opifice maximo. Non fuisset autem perfectissimũ, ni ex perfectis completum esset partibus.* Postremò rationi etiã consentaneum fuit, vt materia ex qua Eua formaretur, quæ Mariã repræsentabat, illustrior & nobilior foret ea, de qua conditus fuit Adamus; quæ postmodum maledicto subiacuit, de qua aiebat Anastas. Syn. lib. 1. Hexam. *Oportebat terram à Deo factam, statim ab initio tãquam condemnatam, & abysso tanquam inferis traditam.* At verò materia ex qua compingenda erat Eua Mariæ imago purissima, solidissima, ac Dei adflatu condecorata: siquidem costa Adæ ex qua fabricatur Eua originali iustitia ornata præiuit, non Angelorum manibus, vt præmisimus ex Abulensi, sed Dei opificis manu extrahitur ab Adamo, & in mulierẽ venustissimã, perfectissimam, & absolutissimã coagmentatur. *Decet autẽ,* ait Philo lib. de cõfus. linguar. *sua natura diuina propria operari, optimum optima.*

Philo.
Ambr.
Philo.
Anast. Syn.
Philo.

Dictis tamen obstare videntur, quæ opponit Pe- 653.
trus Garcia lib. de locis affectis c. 4. negat enim in-

ternos

B. Virgo prædita fuit potentiis internis, & externis in summo perfectis. Garcia.

ternos sensus posse in aliquo indiuiduo perfectos reperiri in summo. Implicat enim, reperiri in aliquo omnes potentias rectrices summè perfectas; si enim vna ex illis ad sui operis perfectionem, exigit maiorē calorem, & alia minorem; cum in vna, eademq; parte nequeat esse calor remissus, & intensus; necessarium est, vt alterius potentiæ actus declinet à perfectione: nam ex parte organi ad perfectā apprehensionem requiritur humidum cerebrū; ad perfectam retentionē, siccum in gradu excellēti: sed hæ duæ qualitates non possunt in eadē parte cerebri secundum reciprocum excessum reperiri; ergo implicat eos sensus internos summè perfectos in aliquo reperiri, ac proinde neque in Christo, & B. Virgine: nec ideò aliquid de vtriusq; perfectione detrahi videtur, quia semper verum erit affirmare Christū D. ac Virginem Deiparam perfectioribus sensibus, ac excellentiore corporis cōstitutione naturali viguisse, quàm quilibet alter homo purus. Existimo tamen nulla ratione fatendum esse, Christū D. aut Virginem Deiparā, imò neq; primos Parentes, ab aliquo alio homine superari in aliqua perfectione sēsus interni, vel externi, quod ex sententia superiori, sequi necesse est. Satius ergo duco asserere Æstimatiuam, Imaginatiuam, Phantasiam, & reliquas potentias interiores, si inter se reapse differūt, esse in diuersis cerebri partibus, qua ratione nihil repugnantiæ obrēdi potest, quominus sint summè perfectæ, quid enim implicat, diuersas cerebri partes, diuersas sortiri dispositiones, & vt in alia, reperiatur siccitas in excellenti; in altera humiditas. Quòd si vna, eadēmque potentia solùm sit, licèt diuersa illa munia exerceat; vt tradidi ad libros de Anima asseram iuxta illa diuersa officia in diuersis cerebri partibus vigere: quare si non implicat diuersas partes diuersa sortiri temperamenta apta ad cuiusque operationes, neque repugnabit, illa temperamenta reperiri in partibus, vbi singulæ magis pollent, ita vt Christus D. & Virgo Deipara haberēt singulos sensus internos summè perfectos.

CERTAMEN VII.

Marianum Corpus omnium optimo temperamento pollet.

Galen.

Optima corporis constitutio ea est, inquit Galenus lib. de optima Corporis constitut. c. 4. in qua similares partes omnes propriam possident temperaturā. In duobus ergo potissimùm recta humani corporis habitudo sita est. Primò in apta mēbrorum compage, ordine, ac conformatione: Deinde in recta & apta partium similium, ex quibus membra coalescunt, mensura, ac temperie. Optima autem membrorum structura, ac dispositio ea est iuxta eundē Galenum est, quando omnia, ac singula mēbra appositum seruauerint modum in numero, quantitate, figura, ordine, ac connexione; seruata tamen proportione, ita vt omnes facultates, ac potentiæ humani corporis rectè actionibus vniuscuiusque propriis fungantur: ita vt præscriptus membrorum numerus expleatur, & adæquetur, non tamen augeatur, & excrescat: proportionata item magnitudo seruetur, omni vitiosa accretione, vel diminutione explosa; eaque lineamentorum niteat consonantia, quā non sit præstantior vlla.

654. At verò absoluta simplicium, ac similium partiū temperies, in eo sita esse dicitur, vt in eis quatuor primæ qualitates, ac reliquæ, quæ ex illis cōstantur; ita quasi in æqua bilance sint, vt altera alteri attēperetur, neutraque excedat in intensione, & agendi virtute, nec inferior sit. *Verum maximè*, ait Gal. l. 2. de temp. c. 1. *temperatus is est, qui corporis habitu medius horū extremorum apparet, gracilitatis, crassitudinis, duritiei, mollitiei, itemq; caloris, & frigoris.* In quibus verbis illud tēperamentum subindicat, quod vocāt Philosophi, ac Medici, temperamentū ad pōdus, cōtradistinctū à tēperamento, quod secundū iustitiam vocāt: & quamuis cōmunis Philosophorum sententia censeat, dari non posse corpus, quod constet tēperamento ad pondus, quia nequit constitui; aut conflari ex æqualibus elementorū portionibus, & ex parilibus qualitatū gradibus: Auic. tamen lib. de viribus cordis tr. 1. c. 2. ait tātam in humano corpore primarum qualitatū temperiem reperiri posse, vt omnis oppositio absit, omnia dissidia, quæ ex illarū inæqualitate exoriri solent, ac iurgia conticescant, nullumq. bellum insurgat, sed pacata trāquillitas imperet, nec ptoco earundem qualitatum fædere inito, seruata ad inuicē proportione, & symmetria, apta & congruenti commensuratione inter ipsas cōcinnata. Quare aliqui non euanida ratione ducti aiunt, hoc tēperamentum ad pondus, vt pote omnium perfectissimum, in prima hominis formatione constitisse; imo & in reliquū posterorū genus diffundēdum iri, si primus Parens à iustitia originali nō deuiasset: quod vel ex eo dignosci posset, quod humanæ vitæ dissolutio, ab his qualitatum pugnis nasci cōsueuit; vitæ autē continuatio ipsa qualitatū temperie, ac concordia nititur; quod eo sensu accipiendum est, non vt temperamentū ad pondus totū hominē, ac singulas eius partes peruadat, ita vt eandem tēperiem singulis partibus deferamus, sed solū vt toti corpori vt plurimùm congruat, vnicuiq; autē parti propria temperies cōcedenda est, quæ in pluribus saltē partibus non in æqua qualitatū tēperie, quæ tēperamentum ad pondus dici solet; sed in tēperamento ad iustitiā sita est; quis enim eat inficias, diuersā tēperiri constitutionē in corde, iecore, pulmone, renibus, ac liene, quæ calida, ac sicca sūtiquā in cerebro, medulla, & adipe, quę humida, & frigida esse nullus ambigit: diuersa item in ossibus, cartilaginibus, & neruis, quæ frigida, & sicca sunt. Tēperamentum ergo ad pondus, quod vniuersū circumambit corpus, præcipuè in cute totū eingente corpus, & vt plurimùm in carne, licèt forsan non in omni parte, sedem habet.

Auicen.

His igitur ita præmissis censeo Virginis Deipare temperamentum, omnium optima constitutione præditum fuisse, ita vt singularū partium, ac totius corporis temperiē, & quoad ordinem, numerū, magnitudinem, & quoad dispositionē, & symmetriā, ea excellētia viguisse, vt nihil aliud desiderandum superesset, vel in ordine ad se, vel etiā ad eliciendas perfectissimas operationes; ac proinde in vniuersa corporis compagine, ac structura tēperies illa, quæ pondere æquata nuncupatur, reperta fuit. Triplici ratione assertum probari potest. Prima quia corpus Virgineū à Deo tanquā à causa principe fuit elaboratū, vt alibi ostendimus: itaq; agentia naturalia, nō tanquā propria virtute, ac præcipua, sed à Deo eleuata in corpus virgineum concurrerunt; adeóq; prestantius opus, quam in reliquorum hominū formatione molitus est: Deus ergo Agens perfectissimus perfectissimè corpus Virgineum cum temperamento absolutissimo conformauit. Deinde probatur ex fine, cuius gratia corpus Marianū condebatur, nēpe vt ex eo Christi D. Corpus compingeretur, quod ex perfectissimo omnium temperamento fuisse coalitum nemo in dubiū reuocare potest; oportuit enim vt corpus, quod corpulentam molem ipsi Filio Dei exhibiturum erat, omniū perfectissima tēperie, ac cōpaginis structura coalesceret. Tertiò suadetur idē placitum, quia vt cōmunis tum Philosophorū, tum Medicorum 655.

Temperamentum corporis Virginis omnium optima constitutione præditum.

Medicorum docet assertio mutua,& reciproca inter corpus,&animã intercedit cõsensio,animiq;mores vt plurimùm respondent corporis temperamento: hinc Medici peritissimi ex humorum mistura,qua corpus humanum coalescit,& qualitatum temperie,quales in illo mores futuri sint augurantur. Et quidem Plato in Timæo,animi prauas affectiones, in corporis babitudinem refundit;ait enim: *Anima morbi propter corporis habuum ita nascuntur. &c. Nemo sponte malus, sed propter prauum corporis habitum, rudemque educationem, malus omnis fit malus.&c. Acris, & infesta pituita, amari item, felleique humores,quando oberrantes per corpus non exhalant, sed per viscera reuoluti, vaporem suum penetralibus animæ ipsius infundunt,languores animi varios, & magis, & minus. tum plures, tum pauciores efficiunt.* Consentit Aristoteles, qui ex corporis structura, membrorúmque conformatione,& qualitatum temperie ipsius animi mores coniicit. lib. de Physiognomia. Eatenus ergo animi affectiones corporis temperiem imitantur, quatenus ex ipsa corporis dispositione, humorúmque temperatura diuersæ,ac variæ enascuntur propensiones, quibus animus, vel ad virtutem alliciatur, vel ad vitium propendeat. Oportebat ergo Virginem Deiparam omnium optima corporis constitutione vigere, quia ipsius mores omnium præstantissimi in ea floruerunt. *Natura enim*, vt bene Galenus monet lib.6. de anatom. c.1. *cuique animanti corpus animi affectibus idoneum condidit.* Si ergo animi Virginei mores omnium præstantissimi exstitêre,ergo & corporis constitutio, & temperamentum.

Plato. Arist. Galen.

656. In hunc forsan scopum collimauit Isai.54. dum ait: *Ego sternam per ordinem lapides tuos,& fundabo te in sapphiris.* Quæ verba B. Virgini adaptari solent. Sapphiri autem cælestem præseferunt colorem; ita corpus Virgineum, quod instar fundamenti se habet in pulcherrimo, & absolutissimo Deiparæ palatio,ea temperamenti præstantia emicuit, vbi nulla contrariarum qualitatum dissidia, nulla dissymbolorum elementorum bella, nulli peregrinarum impressionum tumultus. Imo Auicenna lib.de virr. corp. tract.1. c.2. docet, humani corporis temperiem, & habitudinem, si omnibus suis numeris absolutæ fuerint, cœlestium corporum habitudinem,& constitutionem referre,ipsisque multum affines esse.Corpus ergo Deiparæ omnigena perfectione exornatum,defectus,& imperfectiones, quas alij infantes contrahere solent, neutiquam expertum fuit:& sicut paruum horologium eadem constat structura, eadem continet instrumenta, iisdem voluitur rotulis, imò politiori manu elaboratis, ac magnum; sic Mariæ Corpusculum,seposita logitudine, & latitudine corporeæ molis, quoad perfectionem constitutionis partiū, ac membrorum corporis,ac potentiarum,& facultatum,iam in prima formatione absolutum; vt docent plures Interpretes de Christi infantis Corpusculo,in illud Ierem.31. *Fæmina circundabit Virum.*

Isai.54. Auicen. Corpus B. Virginis quasi horologium, & organum.

De corpore Virgineo ait Gerson in suo canticordio Alphab.70.lit. Q. & sequenti,fuisse organum temperatissimum: *Respiciamus*, inquit, *in ea formatum Organum vnum præstantissimum, per quod, & in quod Spiritus Mariæ canticum suum non introrsus clausum teneat, sed ad exteriora deducat. Conuertimini, intuemini ad corpus eius organicum physicum, quod omnino contemperatum fuit, & ita prorsus elongatum ab omni fomite rebellis dissonantia, quod etiam minimè potuit operationum notula sibi discors esse. Gloriosum planè dixeris Organum tale, & ad omnem harmoniam formabilem summè dispositum.* Addit Alb.Mag.c.148.fuisse corpus Mariauum, simillimum corporibus resurrectionis, quod sensisse videtur Epiph.Hæresi 78. *Sancta, & impolluta enim Maria nobis ædificata est in Deitate Saluatoris.* De eadē Deipara ais VII.Synodus act.3. *Virgo omnis intelligibilis, ac sensibilis naturæ, gloria, & claritate creata sublimior.* ac si diceret nullam esse creaturæ sensibilis dignitatem, ac perfectionem,cui Marianum corpus non primas ferat.

Gerson. Alb. M. Epiph. 7. Synod.

Stabiliri denuo potest hæc absolutissima temperamenti constitutio in infantili B. Virginis corpusculo, quia vt plures docent; Deipara in plura cognoscibilia ferebatur mediis etiam corporeis phantasmatibus; quod fieri nullo modo poller,nisi iam in paruo corpusculo, perfectissimam corporis constitutionem nancisceretur:quis autem non videar,crassas valde,ac rudes intelligentias adesse in patuulis,antequam temperamentum virile sortiatur.De B.Virgine cum proportione rectè enunciabis, quæ de Christo Bernardus protulit Homil.2. super Missus est. *Fæmina circundabit virum, &c. à principio perfectus, à principio plenus fuit Spiritu sapientiæ,intellectusque,Spiritu consilij &c.* Si autem semel admiserimus, B.Virginem, perfectam in cerebro constitutionem,in prima sui formatione obtinuisse; asserendum etiam est in reliquis corporis partibus, eodem perfecto temperamento gauisam fuisse; vel monstrosam quandam corporis constitutionem ei attribuere cogemur. Quam perfectissimam corporis constitutionem illi omnes B. Virgini tenentur deferre,qui scientiam ex suo genere adquisitam, ei collatam fuisse in primo sui conceptus momento per infusionem arbitrantur, nec ab ipsa per sensus comparatam;tametsi temporis decursu, speciebus vteretur ad notitiam quandam experimentalem,ex rebus sensibilibus sensum excitantibus haustam. 657.

Bern.

Vlteriùs censeo B.Virginem veras nutritionis, & augmentationis leges obseruasse, ac proinde imbecilliorem fuisse Mariam infãtem, quàm puellam,& adolescentem;non tamen eam infieias,Mariam infantem, fœminam perfectam fuisse, non corpulenria membrorum,sed sensuum maturitate, vt de Christo fatur S.Bern.hom.2.super Missus est. *Virum dixerim fuisse IESVM, non solum cum diceretur,Vir Propheta potens in opere,& sermone; Sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra Dei Mater blando vel foueret in gremio,vel gestaret in vtero; Vir maturitate sensuum, non corpulentia membrorū.* Quæ cum proportione B.Virgini adaptari possunt, ita vt in prima sui formatione erat infans,& mulier simul, vnde relegandæ sunt ab ea cruditates omnes, quæ super aliorum infantiam,& pueritiam dominari solent, & ingenio hebetes,& minus aptos ad ratiocinium reddunt. Nanciscitur ergo Maria in instanti conceptionis complexionem, & temperamentum perfectissimum, nullis cruditatibus præpeditum, nullis prægrauatum superfluitatibus fœdis,illustrius multo,& excellentius primatum qualitatum temperie, & consonantia, quàm id, quo gaudebant primi Parentes in prima sui conditione. Reliqui infantes,ac pueri, ex eo, ingenio tardiori sunt, quia cruditatibus abundant, nimia humiditate exundant,excrementitiis, ac reiectaneis substantiis subduntur, quibus sensus penè obruti, ac mens, & reliquæ potentiæ oppressæ succumbunt,vt inidoneæ ad discernendum existimentur Marianum corpus nihil cruditatis, nihil excrementitium,ex maternis visceribus hausit, sed ex purissimis, ac defæcatis sanguinibus constructum, Deo speciali concursu operante, non incoctum,

Bernard.

ctum,& immaturum,sed constitutione perfectissima,temperie concordi, sensuúmque viuacitate ab omnipotenti Dei manu prodiit.

658. Addiderim Deiparæ temperamentum, adeóque & Christi D. Sanguineum extitisse, vt pote omniũ perfectissimum,quia calore,& humiditate præualet,in quibus potissimum vita consistit,fouetur, & conseruatur,vt probat Aristoteles lib. de longitud. & breuit.vitæ c.3.Tum quia hoc temperamentum sanguine abundat,illudque Virgo Mater in Filium deriuauit,quod potius elegit sibi Dominus IESVS, vt plus sanguinis pro nobis effundere posset. Rursus sanguineum temperamentum pronius est ad amandum, magísque amabilem hominem reddit, experientiâ magistrâ: qua ratione Virgo Deipara ipsius constitutionis corporeæ naturalis ductu pronior in nostrum amorem ferebatur,seséque nobis amabiliorem reddidit, similemque Filium in eiusmodi ad amandum pronitate progenuit.

Corporis Mariani temperamentum sanguineum, vt pote nobilissimũ omniũ, & ad amandum procliuius.
Arist.
Christus D. elegit sibi temperamentum sanguineum, vt plus sanguinis pro nobis effunderet.

659. Quæ optima Complexio multùm adiuuit ad bene operandum in B. Virgine;siquidem praui motus in nobis insurgentes, qui metas rationis transiliunt, ex vitiosa, vt plurimùm,temperamenti habitudine exoriri solent;cùm autem Corpus Virgineum omni praua intemperie,ac immoderata primarum qualitatum, humorúmque redundantia caruerit;imò omnia in eo pacata,ac tranquilla extiterint, sedatíque mores in animo imperium tenerent,dicendum est,ab omni prauo motu,ac vitiosa seditione, & tumultu procul Deiparam abfuisse; etiam ex hoc capite. Quod ex eius perfectissimis operationibus, siue quæ ad intellectus functiones spectant, siue quæ ad animi affectiones, corporisque actiones,aptè in rem præsentem dixit Galen. lib.1. de temperam. c.6. *Optimè se habere aliquid pro sua natura; ex ipsis functionibus intelligitur: quippe animal, ac stirpem quamlibet, tunc optimè se habere dicimus,cùm optimè suam functionem obeunt.* Sicut ergo operationes in Virgine Deipara à gratia proficiscentes perfectissimæ, & absolutissimæ gratiæ indices,ac prodromæ, illas intuentibus existebant;ita functiones à natura prodeuntes, omniũ perfectissimæ naturæ grande argumentum erat: *Multum iuuat*, ait nostræ censionis Patronus S. Antoninus 4.p.tit.15.c.10. §.2. *ab bono operandum bona complexio corporis, & debita organorum dispositio;& qui meliora naturalia habet (quod est ex dispositione corporis,) ille instinctu gratiæ perfecta perfectius exequitur: & quia B.Virgo optima naturalia habuit,& perfectissimam corporis complexionem, & dispositionem,repleta gratia in sanctificatione perfectè operabatur.*

Temperamentum optimum in B. Virgine multum adiuuit ad bene operandum.
Galen.
Antonin.

660. Refragantur dictis plures Philosophi cum suo Duce Aristotele lib.4. de Generat. animalium c.6. vbi fatur: *Sunt fœminæ sua natura debiliores, frigidioresque; & sexum fœmineum quasi læsionem naturalem, & detrimentum esse putandum est.* Cùm autem caloris inopia laborent,nequeunt vitæ operationes ritè elaborare, neque ea humorum consonantia potiri, quæ rectam temperiem constituant; & quidem fœminæ in corporis constitutione maribus longè inferiores esse, communis Philosophorum, ac Medicorum censio est. Ideo Aristoteles lib.2. de Generat.anim.c.3. ait, fœminam esse quasi marem læsum. Et sect.10. problematum q.10. *Mares naturæ integræ proditos esse, fœminas verò manca,& læsa.* Sed hæc,& alia,quæ in fœmineũ sexum iactitare solent Philosophi, nec minimum Deiparæ Virginis perfectioni derogare possunt,quæ ab omnibus muliebris sexus defectibus, speciali Dei beneficio, immunis fit: imò his aucta donis,ac priuilegiis, vt non modò fœminas, sed viros omnes, vnum si demas Deum hominem, omnigena corporis perfectione, constitutione, ac temperie longe superet.

Arist.
Fœmina natura sua debiliori & imperfecta constitutione corporea gaudet.
Arist.

Verum enim verò, quanquam permitteremus muliebrem sexum, quoad integritatem corporis, longe inferiorem esse maribus; id tamen de B. Virgine acriter denegandum est; non enim casu, vel ob facultatum naturalium debilitatem, vel ob naturæ læsionem seu vitium aliquod,muliebris sexus illi obuênit, sicut forsan aliquibus fœminis contigit; sed æterno Dei decreto,ac specialissimo Diuinæ sapientiæ Consilio sexus muliebris in B. Virgine destinabatur, vt vniuersæ naturæ ornamentum, ac complementum existeret: quæ ergo naturam omnem exornauit, ac compleuit, ipsius naturæ læsio, vitium, siue defectus nuncupabitur? tantum dedecus à Dei Genitrice procul absit. Absint, inquam,longè à Mariano corpore vitia,atque defectus, qui muliebrem sexum comitari solent, nempe virium imbecillitas, animi mobilitas, & inconstantia, cupiditatum impetus effrænis, sensuum agitatio lubrica, intelligentiæ tarditas, consilij inopia; quæ omnia, vt plurimùm, muliebri sexui,ob prauam, diminutamque corporis constitutionem, imparem qualitatum temperiem vitiosam coëuntium humorum mixturam, contingere solent. Meritò de Deipara asseruit S. Antonin.4. p.tit.15.c.20.§.9.Mariam Virginem totam virilem fuisse, nihilque fœmineum in moribus habentem. Aptiùs in B. Virginem vertes encomium illud S. Gregorij Naz. in S. Gorgoniam orat.11. *O fœminam! quapropter commune salutis certamen,virilem naturam superasti: atque illud conspicuum fecisti; masculum, & fœminam,corporis,non item animæ discrimen esse.* Disertè S. Bernardus Deiparæ robur, & super fœminei sexus indolem euehens ait,hom. 2.super Missus est. *Salomon requirebat, cum diceret: mulierem fortem quis inueniet? Nouerat quippe Vir sapiens huius sexus infirmitatem,fragile corpus,lubricam mentem: quia tamen & Deum legerat promisisse,& ita videbat congruere,vt qui vicerat per fœminam,vinceretur per ipsam,vehementer admirãs aiebat: Mulierem fortem quis inueniet? quod est dicere; si ita de manu fœminæ pendet,& nostrum omnium salus, & innocentiæ restitutio, & de hoste victoria, fortis omnino necesse est, vt prouideatur, quæ ad tantum onus possit esse idonea;sed mulierem fortem quis inueniet. At ne hoc quæsisse putetur desperando,subdit prophetando; procul & de vltimis finibus pretium eius; hoc est non vile, non paruum, non mediocre,non denique de terra,sed de Cœlo; nec de Cœlo proximo terris pretium fortis huius mulieris, sed à summo Cœlo egressio eius.* Vbi eleganti penicillo depingit B. Virginem non easdem defectuum, ac ærumnarum leges subiisse,quas reliquarum fœminarum vulgus; quia vltra omnes non modo fœminarum, sed vniuersæ naturæ in sui conditione supergressa est. 661.

Multiplex defectus in fœminis ortus ex debiliori & imperfectiori temperamento.
Antonin.
Greg.Naz.
B.Virgo licèt fœmina viros omnes,dempto Christo animi robore,ac masculea virtute longe superauit.
Bern.

Verum tamen est, Authore Alberto Magno in sum. q.82. corpus fœmineum posse esse eiusdem, vel æqualis perfectionis cum corpore Viri, imò & maioris; licet enim sexus fœmineus,ex sua natura imperfectior sit,quàm virilis,tot tamen perfectiones, & excellentiæ comites esse possunt alicuius indiuidui fœminei, exemplum sit in Maria Virgine, vt longè antecellat omnia Virorum corpora, vnum si demas Christum: & quidem contingere potest,vt indiuiduum inferioris speciei,& naturæ, 662.

Alb.M.

propter circunstantias, esse maioris perfectionis, quàm indiuidua plura superioris speciei, quod longè verius esse potest, intra eandem speciem, & naturam, vt sexus inferior exæquare, & superare possit in perfectione sexum superiorem. Assumptum constat quia plures Theologi aiunt actum iustitię talibus circunstantiis vestiri posse, vt superet omnes actus Religionis, qui de facto danrur, tametsi Religio secundum se perfectior sit, quàm iustitia. Imo Galenus lib. 2. de sem. c. 5. & lib. 14. de vsu partium, ingenuè fatetur, muliebre corpus quoad omnium partium integritatem, quantitatem, positionem, substantiam, numerum, parem habere cum maris corpore perfectionem, soloque accidentali discrimine, qnoad sexus dissimilitudinem differre.

Galen.

663. Insuper quòd fœminæ non casu, nec ex imbecillitate potentiæ generatiuæ, sed ex primaria etiam intentione Dei progignantur, suader communis Theologorum sensus in 1. sent. dist. 20. dum docent, in statu innocentiæ, non modò in duobus primis parentibus, sed in eorum nepotibus, ac posteris sexuum diuersitatem futuram, hominum scilicet, ac fæminarum; & probari potest, quia in illo statu naturali modo progignendi erant, nempe ex viro, & fæmina; ergo necessaria fuisset fæminarum multiplicatio, vt hominum Genus, vsque ad tempus à Deo definitum, vt compleretur prædestinatorum numerus, perdurare posset. Ac proinde fæminæ productio in illo statu, non esset casu, ac quasi monstrosa in humana natura, cum esset per se necessaria ad speciei humanæ conseruationem, eiusque indiuiduorum multiplicationem. Imò addiderim in eodem innocentiæ statu fœminarum productionem, noo solum futuram fuisse ex intentione naturæ, vel Dei, vt Author naturæ est; sed etiam ex intentione directa parentum, vt docet D. Bonau. in 2. dist. 20. q. 6. his verbis: *Quod in statu natura integra, generatio viri, vel fœmina subesset voluntati rationali.* Cuius rei ratio illa optima est, quia potentia generatiua, & vsus eius, ac membrorum motus illi deseruientium, imperio rationis, & voluntatis subiicerentur, ac proinde ex intentione generantium, ad productionem maris, vel fæminæ referri possent, quod valde conduceret ad perfectissimum illum statum. Hinc fieret quotiescunque homo intenderet progignere virum, vel fœminam, id assecuturum; semper enim id intenderet, quod magis rationi conformaretur, ideóque semper suum sortiretur effectum. Quod hac ratione rectè fieri potuisset; quia tum Adamus, tum reliqui in illo statu ritè callerent principia, & causas, ex quibus mas, vel fæmina formaretur, adeóque illas ita obseruare, ac disponere possent, viamque præmunire, vt intentio generandi marem, vel fœminam suo non frustraretur effectu. Quæ latiùs prosequitur Suar. lib. 5. de opere sex dierum c. 3. Cùm ergo optimè nosset Adamus, eiusque posteri, si in statu innocentiæ permanerent, virile semen, quò callidius, & copiosius cum debita proportione, eò efficaciorem, adeóque & potiorem causam esse maris generationi. Nouerat etiam ex parte fœminæ plurimùm conducere, tum dispositionem menstrui sanguinis, quo coagulatur fœtus, tum locum matricis, siquidem apud medicæ artis peritos, latus dextrum, ob vicinitatem caloris ab hepate prouenientis, magis cooducit ad maris generationem. Scirent præterea causas extrinsecas plurimùm iuuare, scilicet cælorum influxus, & constellationes ad hanc, vel illam corporis formam educendam, magis idoneas; deinde Aquilonem aptiorem multo esse ad masculorum procreationem, Austrum ad fœminarum: de quo Aristot. lib. 4. de generat. anim. c. 2. & lib. 6. c. 19. Vehementem item imaginationem ipsorum generantium ad hoc ipsum permagno referre, vt docet Bonau. cit. & Perer. lib. 4. in Genes. disput. hac de re q. 3. quæ omnia, & alia plura, cùm in statu innocentiæ homines perfectissimè cognoscerent, vtique cùm mallent fœminam, quàm marem progignere, ex illarum causarum obseruatione facilè intentum obtinerent; præcipuè cùm possent ante generationem illis alimentis vti frequentius, quæ ad talis sexus intenti procreationem potiùs conducerent; tum & post conceptionem fœmina eis escis posset vesci eidem intento magis deseruientibus.

Fæminarum productio non casu, nec semper ex imbecillitate potentiæ generatiuæ, sed ex intentione Dei fit.

Bonau.

In statu innocentiæ quotiescumque homo vellet progignere virum, vel fæminam, id assequeretur.

Suarius.

Arist.

Bonau.

Perer.

664. Dictis aduersaberis, quia in generatione vis præcipua in viro residet, qui ex se semper virum generare debet, omne enim agens perfectè sibi assimilare intendit effectum suum; ergo vir, nisi impediretur, semper virum progigneret, præcipuè cùm in statu innocentiæ, nullus reperiretur defectus, aut vitium naturæ, quod virorum generationi obsistere posset, ergo tunc fæminæ produci nequirent; ait enim Aristot. lib. 2. de Generat. anim. c. 3. fæminam esse Marem læsum. Verùm ex dictis, sufficienter dilutum manet obiectum: in Viro ergo non solum est principalis virtus gignendi mares, sed etiam fœminas; quæ virtus ex se indifferens est, & contrahitur in executione, ab aliis concausis, & circunstantiis occurrentibus. Item in fœmina residet potentia vtrumque sexum generandi, siue illa vis sit actiua, siue passiua, iuxta varios sentiendi modos; coarctatur autem illa virtus indifferens, ex concursu aliarum concausarum. Mas autem ex se solùm intendit sibi assimilare prolem in natura, non in sexu, quia in vtroque parente inest virtus communis ad vtrumque sexum procreandum, determinatur autem ad marem, vel fæminam ex aliis principiis, & causis adiunctis; præsertim cùm rationali intentione ducerentur in illo felici statu; constat enim aliquando viros optare fœminas gignere; & fœminas percupere mares procreare. Cùm autem Aristot. fæminam esse dicit, Animal læsum, non vult esse mancum, vel monstrosum, sed non ita perfectum, sicuti est masculus.

Arist.

665. Fœmineus tamen Mariæ sexus perfectior, ac robustior, tum bonis omnibus ditior longè censendus est viris omnibus, vnum si demas Christum, adeoqne primò, & per se, ac ex primaria intentione Deus in productione B. Virginis, fœminam condere intendit; licèt enim sexus ignobilior appareat, tamen vniuersis masculis longè præstantior est: quare multo maius discrimen reperitur inter hanc fœminam, & reliquos viros vniuersos, quàm sit inter viros, & fœminas reliquas; plus enim excedit hæc vna fœmina reliquos viros perfectione, robore, intelligendi perspicacia, ac reliquis bonis omnibus, quàm ab vniuersis viris reliquæ fæminæ eisdem bonis superari cognoscuntur. Quippe in Virgine Maria coadunantur masculum ingenium, temperamentum virile cum sexu fœmineo, adeóque constantiam, robur, prudentiam omnium virorum in se eminentiori modo complectitur; fœminarum verò clementiam, pietatem, humanitatemque supergreditur. Eua meritò ignobilior, & imperfectior viro condita fuit, quia in adiutricem ad procreandam sobolem Adamo exhibetur; verùm MARIA non in Cooperatricem alicuius viri, sed Dei, & ad procreandam sobolem,

quæ Deus ſimul, & homo exiſteret; ergo Deo ſolo inferior eſt.

CERTAMEN VIII.

An Marianum Corpus in prima ſui formatione aliquid mutuauerit à Cælorum influxu. Genethliaci ſugillantur.

666. Salmeron. Card. Aliac. Sixt. Sen. HAnc eandem quæſtionem euentilant de Chriſto D. plures Patres infra producendi; tum noſter Salmeron tom. 3. tract. 39. Cardinalis Aliacenſis q. 30. in Gen. Sixtus Senenſis lib. 6. Bibliothecæ ſanctæ annotatione 10. eodémque modo exagitari poteſt de B. Virgine. Et quidem de reliquis viuentibus habere dependentiam à Cœlorum influxu. conſtans eſt Philoſophorum ſententia, imò & de omnibus ſublunaribus; hinc illud Ariſt. Ariſtotelis axioma: *Sol & homo generant hominem.* Quis enim neget, aliquid Cœlum in hominibus poſſe, cùm conſtet ex Cœlorum influxibus vel turbari aërem, vel placidum reddi, ſeque ipſum illabi in viuentium corpora, ex quorum afflatu placido, vel turbulento, varij excitantur affectus, quibus homines vel ad ſegnitiem propendent, vel ad laborem alliciuntur; vel callidam indolem induũt, vel ingenuam ſimplicitatem nanciſcuntur; vel denique in vitia hi, illi verò in virtutes aliquo pondere & impetu feruntur; Itaque qui ex initibus Aſtris lenitatem hauſerunt, diſparem ſubeunt conditionem, ab his, quos grauia, ac turbulenta ſydera in feruidiores affectus adigunt: & qui ſub placido Cœlo hilaritatem ſortiuntur gratiori indole victuri, quàm homines, qui ſub triſti Saturno ortum duxerunt. Non eſt igitur animus hæc egregiæ prudentiæ præcepta carpere; ſed nimiam Mathematicorum licentiam coërcere.

667. Aliac. Card. *Ex aſtrorum adſpectu potuiſſe Reges Magos Chriſti Natiuitatem prænoſcere, quidam adſerunt.* Petrus de Aliaco Cardinalis q. 30. in Geneſ. & lib. de legibus, & Sectis, docuit, Magos Reges ſyderum ſcientiæ peritiſſimos, potuiſſe ex Aſtrorum adſpectu futuram Chriſti Natiuitatem prænoſcere, licèt non ea certitudine, qua poſtea ortum Chriſti ex nouæ Stellæ adſpectu, & ductu cognouerunt: ſiquidem tametſi Chriſti conceptus, & ortus cœlorum vires ſuperet, aſtrorumque potentiam excedat, & totius naturæ facultates; verùm in aliquibus Cœlorum virtus, & Aſtrorum influxus, tanquam mancipia Domino ſuo famulantia, amica lumina, placidos adſpectus, quos ab eodem Chriſto acceperant, orienti Chriſto mediis benignis influxibus, liberali manu ſuppeditarunt. Quocirca fieri potuit Magos non ſolum per noui Aſtri adſpectum, ſed etiam aliis indiciis permotos præſciuiſſe, Virum naſciturum religione, imperio, & gloria conſpicuum. Primò ex magna quadam coniunctione Iouis, & Saturni, qui anno ſexto ante Chriſti ortum in ſigno Cancri coïerunt, quo facto omnes illius æui Aſtronomi, magnam Religionis mutationem portendi prædixerunt. Deinde ex obſeruatione conſtitutionis cœli, ſub qua Chriſti ortus contigit; videlicet ann. 42. Octauij Auguſti, octauo Kalendas Ianuarij ante noctis dimidium; obtigit autem in eo horoſcopo, pars Virginis Octaua, quæ Religionis immutationem auſpicatur, faſtigium Cœli tenebat Saturnus; imum cœli tenẽte Sole, cæteriſque Planetis eo ordine diſpoſitis: Hæc Cardinalis Aliaci ſententia, quam ex parte Alb. M. tradiderat multò ante Alb. Mag. in lib. cui titulus eſt, *Speculum*; ſi tamen Alberti liber eſt, ait ergo: *Albumazar in ſuo maiori introductorio tract. 6. Aſcendit, inquit, in prima facie illius ſigni Virgo pulchra, & honeſta habens in manu duas ſpicas, & nutrit puerum, & vocat ipſum puerum quædam gens IESVM; & aſcendit cum ea ſtella Virginis. Hæc ille. Nos autem ſcimus, quod ſub Aſcendente eiuſdem Virginis natus fuit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cum hoc, quod æquatio motus octaua Sphæra in tempore eiuſdem fuit octo graduum, & 30. Minutorum ſecundum calculationem certiſſimam: eo quod ipſa erat tunc minuenda de locis Planetarum inuentis per canones, non quia ſubiaceat ſtellarum motui, aut earum iudicio natorum deſideratiſſimus, qui creauerat ipſas ſtellas; ſed quia cum extenderet cælos, ſicut pellem, formans librum Vniuerſitatis, noluit literis eiuſdem deeſſe ex his, quæ ſecundum prouidentiam ſuam in libro æternitatis ſunt ſcripta; etiam elegantiſſimum illud à natura, quod de Virgine naſceretur.* Quæ autem hic de Chriſto proferunt hi Doctores, potiori iure de B. Virgine dici poſſe exiſtimarent. Hæc tamen indigna ſunt viro ſapienti. Ad rem Chryſol. Chryſol. *Qui habet ſtellam, non habetur ab ſtella, nec ipſo agetur curſu ſtellæ.* Inficias tamen non ibo in natalitio B. Virginis benignum, placidum, melliſluumque Syderum adſpectum adfuiſſe, ſicut de Chriſti natali adſtruunt Cardinalis Aliacus, & Albertus. Hæc enim Fidei non aduerſantur.

Quæ autem de imperio, & dominatu aſtrorum 668. in hominum natalia proferuntur, falſa ſunt, & vana, & Mathematicorum ludibria, & Aſtronomorum figmenta, à ſacris voluminibus ſæpiùs reprobata, & à Sancta Tridentina Synodo, tanquam ſuperſtitioſa exploſa; regula 9. indicis per hæc verba: Trid. Synod. *Libri omnes Aſtrologiæ iudiciariæ per Tridentinam prohibentur.* *Libri omnes, & ſcripta Geomantiæ, hydromantiæ, aeromantiæ, pyromantiæ, onomantiæ, chiromantiæ, necromantiæ, ſiue in quibus continentur ſortilegia, veneficia, auguria, auſpicia, incantationes artis magicæ, prorſus reiiciuntur. Epiſcopi verò diligenter prouideant, ne Aſtrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices legantur, vel habeantur, qui de futuris contingentibus ſucceſſibus, fortuitiſque caſibus, aut iis actionibus, quæ ab humana voluntate pendent certò aliquid euenturum affirmare audent.* Hos Genethliacos rectè confutat Auguſtinus lib. 1. contra Fauſtum c. 5. tom. 6. qui hominis geneſim ſtellarum fato ſubiiciunt, ait ergo: Aug. *Et ne nos quidem ſub fato ſtellarum ullius hominis Geneſim ponimus, vt liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male viuitur, propter iuſtum iudicium Dei ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus; quantominus illius temporalem generationem ſub aſtrorum conditione credimus factam, qui eſt æternus vniuerſorum Creator, & Dominus. Itaque illa ſtella, quam viderunt Magi, Chriſto ſecundum carnem nato, non ad decretum dominabatur, ſed ad teſtimonium famulabatur, neque eum ſubiiciebat imperio, ſed indicabat obſequio.* & tract. 104. in Ioan. ſub mediũ, ita habet in illa verba Chriſti: Pater venit hora, clarifica Filium tuum: *Non ergo credatur hac ora fato vrgente veniſſe, ſed Deo potius ordinante: nec ſyderea neceſſitas Chriſti cõtexuit paſſionem: abſit enim vt ſydera mori cogerent ſyderũ Conditorem.* Quæ cum proportione B. Virginis natali, ac morti applicari poſſunt. In eoſdẽ elegãter inuehitur Chryſoſt. hom. 6. in Matt. Chryſoſt. *Si Chriſtus, inquit, ſecundũ legẽ eſt natus aſtrorum, quo modo Aſtronomiam ſoluit, fatumque deſtruxit, ac totum omnino excluſit errorem, omnemque vaniſſimam artis huius obruit officinam? Quonam etiam pacto Magi ex ſtella illa Iudæorum Regem illum eſſe dedicerunt? cùm certè non iſtius regni ille Rex eſſet, ſicut etiam*

Pilato

Pilato ipse respondit &c. Neque enim istud ad Astrologia spectat artem, vt eos, qui nascuntur cognoscat fletus.

669. *Astrologi ludiciarii perstringuntur,* Libet autem horum veteratorum ineptias, ac delicia paucis perstringere, & coarguere. Aiunt ergo has Astrologicas diuinationes esse scientiam verissimam, & optimam, eamque vtilissimam, admirabilesque futurorum prædictiones exhibere: arte suot longos Mathematicorum catalogos, qui certissima de natalibus, vita, morte, imperiis, bellis, victoriis, cæterisque tam faustis, quàm aduersis Regum, ac Principum euentibus, prædixerunt, Itaque vnam Cœli vim, vnos syderum cursus mortalibus imperuios, & inaccessos inuestigant, Solis metas scrutantur, liquidas, nec vestigiis deprehensas cœlestium luminum vias, nominibus mensurisque distinguunt, & in sudo aëre contemplantur, dumque in ea contemplatione hærent, experimento ipsorum probare iactitant, hæc humana syderum vi, ac motu gubernari; ex eorumque coniunctione, ac commercio vniuersum orbem regi, & ad vbertatem frugum, seu sterilitatem adigi tellurem; indeque singula mortalium corpora, vitam, mortem, morbos, affectus, tristia, vel læta, fausta, vel infausta auspicari: Deinde sciscitantur momentum, quo homo in lucem editus fuit; tunc in tabula Cœli imaginem delineant, & quotquot syderibus efformant domos, constituuntque eas, quas cùm homo nasceretur nactus est: Sol, Iupiter, ac Venus, (addunt) planetarũ fœlicissimi, optimos euentus prænuntiant: Saturnus cum Marte, Mercurius, & Luna infaustos successus portendunt. Vbi autem ingentem chartam multis lineis, punctisque distinguunt, demum exitus fœlices fortunatam vitam faustos hònores spondent, quia spe mercedis adacti, iam meliùs sibi, quàm tibi ex ea negoriatione augurantur. Inter hæc supercilium ducunt, perplexè cunctantur, nunc in te, nunc in astra oculorum obtutus defigunt, finémque rei imponunt, formidolosum quippiam subodorando, ambiguum tamen, & quod facilè in tristia, vel læta nuntia verti possit. Hæc huius scientiæ, vel potiùs fallaciæ, ac detestabilis imposturæ summa est.

670. Aiunt ergo ex Astrorum varia positione, ex ordine, ex illorum coniunctione, ex vi, qua influunt in infantium ortum in hanc lucem, fausta, vel infausta ipsorum auguria prouenire; fatentur etiam ea celeritate Cœlum rotare, vt in instanti astrorum adspectus varietur: si ergo, (vt hinc ordiar confutationem, ea est Cœli vertigo, vt vix cogitatione deprehendi possit; & ex positura diuersa fausti, vel infausti euentus augurantur; ergo nequeunt certo cognosci, cum ambiguum sit, qua syderum statione, & adspectu homo in lucem sit editus. Nunquid obstetrix astra consuluit, notauit articulum, & punctum natiuitatis, cùm potius parientium discrimina curam hanc, & parentibus, & circunstantibus penitus abrasit. Sed permittamus adesse aliquem, qui huic rei curiosiùs incumbat, sæpe puer nascendo remoratur frequenter manum, aut capitis partem exerit, ac reliquum corpus clauditur: tunc quæ syderum statio erit perpendenda? an quæ prodeunti capiti, an quæ toti corpori adfuit? præcipue cùm horologia solaria, siue etiam artificialia plerumque à vero Solis tramite deflectant; vnde vestigari poterit momentum natiuitatis pueri. Sed demus certò deprehendi natiuitatis tempus, stellarum situm, influxum, coniunctionem, & ordinem; vndenam sciunt hi tantum syderum imperium in hominum corpora, & animos? Cur ex hoc astrorum adspectu, hoc vitæ genus, ac mortis, hanc fœlicitatem, vel calamitatem exspectabimus? Omnes igitur, qui prælia subeunt, ac gladio pereunt sub eadem Cœli positione nascuntur; aut cuncti, qui naufragio submerguntur sub eodem sydere producti. Quid stolidius, quàm credere quotquot sub eodem astrorum ordine in lucem prodeunt, vno, eodemque viuendi, ac moriendi genere potiti. Bene in hanc rem Aug. lib. 5. de ciuit. Dei c. 1. *Dicuntur stellæ significare ista potius, quàm facere, & quasi locutio quædam sit illarum positio, prædicens futura, non agens: (non enim mediocriter doctorum fuit ista sententia,) vt v. g. Mars ita positus homicidam significet, sed homicidam non faciat.* Aug.

Et infra. *Qui fit vt nihil vnquam dicere potuerint Mathematici, cur in vita Geminorum, in actionibus, in euentibus, in professionibus, artibus, honoribus, cæterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte sit plerumque tanta diuersitas, vt similiores eis sint, quantum ad hoc attinet, multi extranei, quam ipsi inter se gemini per exiguum temporis interuallum in nascendo separati. in conceptu autem per vnum concubitum, vno etiam momento seminati.* Capite autem tertio sugillat eos, qui ex Nigidio Figulo contendebant disparitatem reddere geminorum, scilicet ob celeritatem cælestis motus, quæ pernicitate sua vtriusque infantis Horoscopum paruo illo temporis interuallo variaret. *Frustra*, inquit Aug. cit. *adfertur nouum illud commentum de Figuli rota, quod respondisse ferunt Nigidium a quæstione turbatum, vnde & Figulus appellatus est. Dum enim rotam Figuli quanta potuit vi intorsisset, currente illa, bis numero de atramento tanquam vno eius loco, summa celeritate percussit: Deinde inuenta sunt signa, quæ fixerat desistente motu, non paruo interuallo, in rota illius extremitate distantia. Sic, inquit, in tanta cæli rapacitate, etiamsi alter post alterum tanta celeritate nascatur, quanta rotam bis ipse percussi, in cæli spatio plurimum interest. Hinc sunt, inquit, quæcunque dissimillima perhibeantur in moribus, casibusque geminorum. Hoc figmentum fragilius est, quam vasa, quæ illa rotatione finguntur. Nam si tam multum in cælo interest, quod constellationibus comprehendi non potest, vt alteri geminorum hæreditas obueniat, alteri non obueniat, cur audeat cæteris, qui gemini non sunt, cum inspexerint eorum constellationes, talia pronunciare, quæ ad illud secretum pertinent, quod nemo potest comprehendere, & momentis adnotare nascentium.* Aug.

Sermone item 6. de Epiphania, hanc vanitatem ineptia, & stoliditate præcipuam, ac pessimam superstitionem, qua putant hi syderum obseruatores mortalium libertatem ab Astrorum præscripto recedere non posse, his verbis carpit; *Sed de genituris vani homines loquantur, quod insipienter opinantur; negent voluntatem, qua peccant; confingant necessitatem, qua peccata defendant; perditos mores, per quos in terra ab hominibus detestantur, in Cœlo etiam figere conentur; & à syderibus manare mentiantur, videas tamen vnusquisque eorum quemadmodum non vitam, sed familiam suam qualicunque potestate regendam putet; quandoquidem ista sentiendo seruos suos in domo peccantes verberare non finitur, nisi prius Deus suos in cælo radiantes blasphemauerit. Christum tamen ipsi, nec secundum suas vanissimas coniecturas, & non sanè fatidicos, sed plane falsidicos libros, ideo putent sub stellarum decreto esse natum, quia eo nato stellam Magi in Oriente viderunt. Hinc enim potius Christus,*

ſtus, non ſub dominatu eius, ſed Dominus eius apparuit, quia illa non in cœlo ſydereas vias tenuit, ſed hominibus quærentibus Chriſtum, viam vſque ad locum, in quo natus fuerat demonſtrauit: vnde non ipſa Chriſtum fecit mirabiliter viuere, ſed ipſam fecit Chriſtus mirabiliter apparere: nec ipſa Chriſti mirabilia decreuit, ſed ipſam Chriſtus inter ſua mirabilia demonſtrauit. Non diſſimili verborum contentione inuehitur Greg. Mag. hom. in Epiph. in Priſcillianiſtas: *Sed ſi,* ait, *Euangelij verba penſamus, quibus de eadem ſtella dicitur: vſquedum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer. Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit, ſi dici liceat non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellæ is qui apparuit puer fuit. Sed à fidelium cordibus abſit, vt aliquid eſſe fatum dicant. Vitam quippe hominum ſolus hanc conditor, qui creauit, adminiſtrat; neque enim propter ſtellas homo, ſed ſtella propter hominem facta ſunt: & ſi ſtella fatum hominis dicitur, ipſis ſuis miniſteriis ſubeſſe homo perhibetur. Certè cùm Iacob de vtero egrediens prioris fratris plantam teneret manu, prior perfectè nequaquam egredi potuit, niſi ſubſequens inchoaſſet, & tamen cum vno tempore, eodemque momento vtrumque mater fuderit, non vna vtriuſque qualitas fuit: ſed ad hoc ſolent Mathematici reſpondere, quia virtus conſtellationis in ictu puncti eſt. Quibus è diuerſo nos dicimus, quia magna eſt mora natiuitatis: ſi igitur in ictu puncti conſtellatio permutatur, neceſſe iam erit, vt tot dicant fata, quot ſunt membra naſcentium. Fateri etiam Mathematici ſolent, quod quiſquis ſigno Aquarij naſcitur in hac vita Piſcatoris miniſterium ſortiatur; Piſcatores verò, vt fertur, Getulia non habet; quis ergo dicat, quia nemo illic in ſtella Aquarij naſcitur, vbi piſcatura non habetur.* Subdit Epiph. lib. de ponder. & menſuris, Aquilam Ponticum primum ſacrorum voluminum Interpretem, non alio ex capite à Patribus de Eccleſia pulſum, niſi quòd dierum natalitiorum diuinationibus nimiùm incumbebat.

Greg.

Epiph.
Aquilas Ponticus primus ſacrorum voluminum interpres ab Eccleſia pellitur, quia diuinationibus natalitiorum incumbebat.

Stolidarum igitur mentium eſt diuinatoriæ Aſtrologiæ vacare; ſiue ſydera vocent cauſas, & principia humanorum effectuum; ſiue illis inclinationem tantùm attribuant, vel ſignificationem;
671. licèt enim interdum inclinandi vim habeant, vel aliquid portendant, id tamen ex tot, tantiſque circunſtantiis dependet, vt nihil ex arte certò prænunciare poſſint Genethliaci, niſi ex dubiis coniecturis temerè, & abſurdè aliquid prædicant; quippe vt eleganter docuit Origenes hom. 13. in geneſ. adeo exquiſitiſſima eſt eorum motus, ac ſyderum ratio, vt ſolis Angelis nota eſſe poſſit. Quare ſydera aliquo modo impellere ad rectos animi affectus, vel diſtortos, non cogere aſſerimus; tum ex ſyderum inſpectione prædici certò non poſſe, quod vitæ genus cuique maneat, vel quis finis futurus; ignorantur etiam Aſtra, quæ hos præ aliis affectus ingenerent; futuros autem euentus, præcipuè, qui ab humana libertate dependent, Aſtrorum neceſſitati attribuere, ſiue, vt illi, fato; non ſolùm ineptiſſimè, ſed grādi ſacrilegio adſtruitur. Sicut enim Sol omnia ſublunaria luſtrat, non tamen in omnes, eoſdem effectus ingenerat; hæc enim fouet, alia comburit; ceram, & alia liquefacit, lutum exſiccat; ob diuerſas rerum diſpoſitiones. Sic etiam eorundem Aſtrorum adſpectus, & influxus, ſub quibus plures homines hanc ſubeunt lucem, ob diuerſas diſpoſitiones ex varia parentum indole, valetudine, temperatura deſumptas, diuerſos, & ſæpe contrarios effectus nanciſcentur. Quo circa de infantis indole, moribus, affectionibus iudicium laturi, non ſolum Aſtrorum adſpectum conſulturi ſunt, ſed parentum mores inſpiciendi, matris grauidæ indolem, temperamentum, aliaque quamplurima nobis ignota, ſoli Deo vel Angelis perſpecta. De quodam fertur eò ſuperſtitionis deueniſſe, vt nec vxorem adiret inconſultis aſtris; ſi aut Mars cum deterrimo Saturno commercium ſubibat, aut ſi cauda Draconis repetito flexu cōplicabat aſtra, aut Scorpius in ea lucidum, ſed amarulentum euomebat influxum, tunc enim ſolus dormiebat: quid plura? aliquos habuit liberos, & omnes mente, & ratione deſtitutos. Et ratio ea reddi poteſt, quia nunquam certò cognoſci poteſt, quænam ſit Aſtrorum poſitura, ſiue coniunctio, ſiue auerſio, quæ naſcentibus, vel fauſta ſpondeat, vel triſtia minetur. Deinde cur ſiderum adſpectus, quæ imminent naſcenti conſuluntur, non verò illa, quæ ſuperſtant fœtui, dum in vtero animatur? vel quando primò compingitur, & paulatim per totos ſeptem menſes elaboratur: vt totidem planetarum influxus proles ebibat? non enim minus ex horum ſyderum adſpectu, & connexione pendere infantem, quàm ex Aſtrorum ſuperſtantium ipſius natiuitati cenſerem.

Orig.

Illud magis deplorandum, quòd res liberas, & 672.
quæ caſu contingunt, huic fatidico ſyderum præſcripto hi Myſtæ non ſine amentia, & grandi ſcelere addicant: vt ſi ducenda ſit vxor, hoc vitæ inſtitutum arripiendum, aut ſi homo violentam mortem ſubiturus ſit, vel aquis ſuffocandus, aut certo vitæ anno ægrotaturus, vel dignitatem obtenturus, quæ omnia certò ab Aſtrorum ſubtili indagine peti poſſe iactitant. Rem referam ſatis ridiculam: Commiſerat furtum quiſpiam, aufugit ille, ac deluſis Domini, ac Magiſtratuum ſolerti inquiſitione, & diligentia, liber euaſit; qua de re conſultus Aſtrologus reſpondit, ideò furem inultum abiiſſe, quia Mercurius latronum aſylum coiebat tunc temporis cum Luna, eique auxilium tulit, atque eum celauit. Præterea velim ab his ſcire, vtrùm quod ipſi vocant fatum Aſtrorum, portendens naſcenti infanti fauſtum, vel infauſtum omen, putà mortem, vel dignitatis aſſecutionem, vel morbum anno vitæ quadrageſimo, vel alio vitæ tempore; vtrùm, inquam, illa vis, quæ hos caſus portendit, permaneat in cœlo, ac præſcriptum tempus præſtoletur, quo in homines illabens neceſſarios illos euentus inducat; an verò ipſi infanti naſcenti indatur, à quo aſſeruata veluti foueatur, ac matureſcat; ſicque præſcripto tempore exiliat, ac opere compleat, quod ſydera portenderunt: ſi primum aſſerant, manifeſtò falſitatis redarguuntur; ſiquidem naſcentis fortuna fauſta, vel infauſta, vt ipſi Aſtrologi contendunt, conſtat ex adſpectu, & connexione ſyderum, ac ſitu, quem ipſa ſeruabant illo puncto, quo in lucem edebatur infans. Quam Aſtrorum ſtationem, ac ordinem omninò variauit eorumdem ſyderum motus, aliúmque adſpectum, ac ſitum reddidit, fortè priori oppoſitum: vbinam igitur aſſeruatur vis illa prior, quæ pluribus tranſactis annis executioni mandanda eſt? Quòd ſi aſſerant fatum illud ipſi naſcenti infanti indi, ipſúmque comitari, adhuc turpius hallucinantur: nam homo erat in cauſa, cur venti fremant, tempeſtates inſurgant, & nauis naufragium patiatur; & quod is ferro transfodiatur, alius fati ſui violentia deſtinato à ſyderibus interitu perit, & ſic de aliis ſiue fortunatis euentibus, ſiue triſtibus.

Quòd autem iactant plura auguria, quibus euen- 673.
tus reſpondent, vt ex eis fidem inter homines conciliet, nihil de eorum ſtultitia, & vanitate detrahit;

non

non enim illarum prædictionum veritas in constellationum obseruationem referenda est, sed in alia potiora principia; & quidem facilius mihi persuaderem, Deum, in impiæ, ac superstitiosæ credulitatis vindictā, aliquando velle ea ipsa mortalibus obuenire, quæ ipsi non ab ipso Deo, sed ab Astrorum & situ, & adspectu sibi formidabant. Insuper vt insomnia vaga, & oberrantia aliquando futurorum euentuum & casu, & fortuito species præseferunt, & Imagines; Et vtique oculis captus si lapidum iactus iteratos repetat, interdum & inscius destinatam lineam attingit; sic dum hi vani Harioli passim mentiuntur, fortuitò nonnunquam veritatis metam pertingunt. Sorte igitur Planetarij aliquando vera, non ex inspectorum Astrorum scientia, certa edicunt, sed ex vi occulta, & arcana Diuinæ Prouidentiæ dispositione inquit D. Aug. lib. 4. & 7. Confes. *Quæ cæcas, & improbas consultorum mentes aliquoties occulte quodam instinctu sic agitat, vt & nescientes proferant, quæ consulentes, vel ex eorum meritis, vel ex abysso iusti iudicij oportebat audire.* Interdum igitur abs Genethliacis vera exciduntur prognostica, eorum linguam Deo ita moderante, qui aliquando ex ore Balaami iniqui Harioli, & ex ore asinæ ipsius oracula vera prædixit. His & adiungo, multa ab his dicta, vt prædicuntur, euenire, ex fœdere inito ab ipsis cum nefandis geniis, ac Dæmonibus, vt docet D. Aug. lib. 5. de ciuit. Dei. c. 7. *His, ait, omnibus consideratis; non immeritò creditur, cùm Astrologi mirabiliter multa & vera respondent, occulto instinctu fieri spirituum non bonorum, quorum cura est has falsas, ac noxias opiniones de Astralibus fatis inserere humanis mentibus, atque formare; non horoscopi adnotati, & inspecti aliqua arte, quæ nulla est.* Eadem copiosiùs, & subtiliùs inculcat lib. 2. de Gen. ad lit. c. 17. *Fatendum est, quando ab istis vera dicuntur instinctu quodam occultissimo dici, quem nescientes humanæ mentes patiantur, quod cum ad decipiendos homines fit, spirituum seductorum operatio est, quibus & quædam vera de temporalibus rebus nosse permittitur, partim quia subtilioris sensus acumine, partim, quia subtilioribus corporibus vigent, partim experientia callidiori propter magnam longitudinem*

667. *vitæ, partim sanctis Angelis, quod ipsi ab Omnipotenti Deo dicunt, etiam iussu eius sibi reuelantibus, qui merita humana occultissima iustitia sinceritate distribuit; aliquando etiam iidem nefandi spiritus, quæ ipsimet facturi sunt veluti diuinando prædicant: Quapropter bono cuique Christiano, siue Mathematici, siue quilibet impiè diuinantes vt maximè dicentes vera, cauendi sunt; ne Dæmoniorum consortio animam deceptam, pacto quodam societatis irretiant.* Hi igitur Dæmones præterita recensentes, secretaque accuratè explorantes, sagaciter de futuris coniicere possunt, qui ab Astrologis acciti in commercium, & societatem, ipsis suggerunt, quæ supra mortalium captum erant.

Aug.

Aug. *Plerunque quæ Astrologi iudiciarij prædicunt, eueniunt ex pacto inito cum Dæmone.*

674. Quid immoror? si eiusmodi Planetarum obseruatores, inani euentu de rebus quotidianis prædicunt futuros, scilicet serenos, aut nubilos dies, imbrium affluentiam, frugum feracitatem, turbines, ventorum vim, horridas tempestates, in quibus adeò frequenter errant, vt dum ex syderum inspectione Solem promittunt, veriùs nobis pluuias spōdere possimus; dum illi pluuias augurantur, nos Solem, & sudos dies certius coniectabimus? Quid de occultis, ac reconditis rerum humanarum prædictionibus asseremus, dum imaginarias, & commentitias constellationum defluxiones, afflatusve sydereos, qui nec vsquam sunt, nec certo deprehendi possunt, fabulantur, pro sui cerebri stoliditate; & vt cuique eorum visum fuerit variis astris, eorumque positurae adscribunt, putà Veneri influxum ad res venereas; Marti ad iracundiam, furoremque bellicum; Lunæ ad insaniam, & amentiam; Capricorno ad regnum, & imperium; Andromedæ in res, & casus calamitosos, & infaustos, exilia, mortem, pauperiem, & infamiam; Orioni in venationes, Canopo in piscatoriam artem; sicuti & Medusæ in subitum, & inopinatum interitum portendunt. Imo si de his ipsis Astrologis facilis esset notitia, videlicet quo anno fructuum vbertas sequetur; quo verò sterilitas frugum, & alia eiusmodi; cur eadem scientia rem suam non augent; cur molesta quæque non declinant præuisis rerum successibus. Memini me legisse de anu quadam in his diuinationibus celebri in Phrygia. Petierat furto pretiosum vas in domo opulenta diuitis cuiusdam; Oeconomus adiit anum cum pecunia, ratus se iam furem inuenisse; cúmque cum socio aduentaret in vatis domum, ecce anus fores reserabat, quas cum multo sterquilinio infectas reperiret, irata subsistens, in hæc verba prorupit: Si scirem, quis ganeo hoc scelus patrauerit, ô Deus, regeterem in os impium, quidquid sordium meis liminibus applicuit: Quo audito œconomus in socium inspiciens, Quid tempus, ait, & pecuniam insumimus? nunquid anus hæc noscet, quisnam fur vas abstulerit, cùm rerum suarum prorsus inscia, & fæcibus penè in os ingestis, adhuc rei ignara sit? celeriùs igitur quàm venerat, inconsultâ stomachatâ Sybillâ, discessit. Cùm igitur hi Augures hæc sua ignorent, ac domestica; cur illa, quæ arcano diuinæ prouidentiæ consilio asseruantur, prænoscere existimabimus? scient nempe ex Astrorum adspectu, quæ sors homines actura sit? Quisnam belli exitus? Quo morbo designato tempore laborabis? Quænam calamitas, vel fœlicitas subsequetur? Quænam vitæ norma infanti assumenda? vel quisnam vitæ exitus subsequendus? cùm ignorent turpiter res suas, & impendentia sibi mala declinare nequeant.

Quidquid tamen sit de hoc vano, ac superstitioso stellarum dominatu in hominum natalitiis: at in natalitio B. Virginis nullum Astra habuisse Dominium certum reor, quod expresse docet Balthazar Sorius Dominicanus ser. 5. de Concept. *Supra influxum*, inquit, *cælestium corporum perfectionem suam creditur obtinuisse, non enim natura potuit suis viribus tam perfectum opus producere, quali Virgo donata fuit.* Perfectio vtique Virginei corporis influentiam cælestis corporis diuina operante virtute transcendit. Suaderi potest Assertum, quia formatio corporis Deiparæ fuit miraculosa; at miracula à Cœlorum influxu dependere nequeunt, sed Dei omnipotentia operantur: ergo nec formatio corporis Virginei ab Astrorum adspectu, & positione, ac influxu quicquam hausit. Itaque licèt Marianū corpus præuias habuerit dispositiones successu tēporis ante animæ inductionem, cùm etiam illæ ex miraculo contigerint, vt pote à parētibus senibus, ac sterilibus, potiùs ab omnipotentia Creatoris, quàm à superiorum lationum influentiis dependebant: vt videre est in cæco paulatim visum recuperante, quod quidem miraculum, licèt successiuè fuerit peractum, nihil tamen hausit ab Astrorum influxu; sed à Christi D. Omnipotentia patratum fuit: sic operationes successiuæ sanguinis, ac seminis, ac reliquarum dispositionū in prima B. Virginis formatione, 675.

In Natalitio B. Virginis nullum Astra habuerunt dominium. Balthasar Sorius.

formatione, vt pote miraculosa, quoad modum nequaquã à cœlestium orbiũ influxibus prodibant, sed à Dei cõditoris sui omni potentia peragebantur. Nostra volumus verba Gers. ser. de Natiu. Virg. *Mariæ corpus miraculosè conceptum; huiusmodi formatio non subiiciebatur Cœlorum influxibus, quia quidquid agebatur, hoc totũ gratiæ magis erat, quam naturæ.* Verum tamen est illas dispositiones, quoad substantiam procedere à virtute innata, eleuata tamen, indita vtrique Parenti B. Virginis, tanquam à causa instrumentali, ideòque veri, & naturales B. Virginis Parentes meritò sunt, & nuncupantur.

Gers.

CERTAMEN IX.

Vtrùm B. Virgo aliquo vnquam morbo laborauerit.

676. SAnitas inter maximas corporis dotes primas fert iuxta cõmune Philosophorũ placitum. Plato l. 1. de legibus, ait sanitatẽ primũ inter bona creata locũ obtinere: secundum, pulchritudinẽ: tertium, vires ad cursũ, & alios corporis motus: quartũ, diuitias: hinc decantatũ illud à pluribus: *Optimũ, & potissimum esse, bonã valetudinẽ, proximum, formam: tandem diuitias.* Cùm autẽ ex certamine 6. constet Virginis Deiparę temperamentũ omnium optima constitutione constitisse, ita vt quoad corporis tẽperiem, primarũ qualitatũ concordiã, nihil aliud desiderandũ superesset, facilè intelligere possumus Marianum Corpus salubre, vt vocant Physici, exstitisse, optima habitudine cõstans, ac sanitate absolutissima præditũ, cum hæc omnia ex optima constitutione, ac tẽperie necessariò consequantur. Corpus simpliciter salubre, vt docuit Gal. in arte Medica c. 4. est, *quod ab ipso ortu bonã habet tẽperaturam, in simplicibus, & primis particulis, atq; in his, quæ ex illis cõponuntur instrumentis est cõmensuratum.* & lib. de bona corporis habitudine c. 1. *Bonus simpliciter habitus optimã corporis constitutionẽ sequitur, at bonus habitus, optima quædã sanitas est, ac proinde in optimè constitutis corporibus reperitur, si enim talia non essent, non vtiq; optimã sanitatẽ susciperent, quare nec bonum habitũ.* Iterumq; lib. de optima corporis constitut. c. 1. *Ex calido, inquit, frigido, humido, & sicco tẽperamentum congruenti mensura definiũ, similariũ mẽbrorum sanitas existit.* Hinc facilè deducemus B. Virginẽ, & excellenti semper sanitate potitã, & nulla vnquã aduersa valetudine fuisse tactã.

Sanitas inter omnes corporis dotes primas fert.

Plato.

Galen.

677. Primò igitur ponimus, tanquã fide tenendũ, Virginem Deiparã, dũ apud nos degeret, mortalẽ fuisse, ipsiusq; corpus ex laboribus, peregrinationibus, vigiliis, ac ieiuniis plura passũ fuisse. Tamen sanitatẽ ipsius corporeã maximã fuisse, ac talis cõditionis, vt si violentum aliquod, aut insolitũ non accideret, sine miraculo, à morbis, & senectute libera, & immunis in æuũ permaneret. Quod vt fulciã statuo cum Gal. lib. de Marasmo c. 4. & aliis, quos citat Vaz. tom. 1. in 3. p. disp. 60. si homo perfectè vtilia nosceret, ac noxia, si temperantiã in cibo, & potu seruaret, possetq; vitare omnia extrinseca corporis lędẽtia; posset vtiq; vitã in æuum prorogare: quod quia cõmuniter fieri nequit, neq; fieri potest, vt homines pluribus ægritudinibus non tangantur, ac deniq; moriantur. Cùm ergo Deipara perfectã vtilium, ac noxiorũ cognitionem, vt nunc suppono, alibi ex professo probaturus, nancisceretur: tum etiam potentias vegetatiuas excellentiores, ac valentiores haberet, quàm primi Parentes ex singulari Dei dono; fit ex his, in integra valetudine, quamdiutissimè permanere potuisse, si aliquid violentum, & insolitum ei non adueniret.

Gal.

678. Censeo igitur corporis Mariani sanitatem fuisse ita perfectam, vt posset rectè conferri cum sanitate corporis Beati. Et quidẽ de sanitate Corporis Christi D. in vita mortali, id docet Ægidius à præsent. lib. 3. de perfectione accidentali corporis gloriosi q. 6 a. 1. §. 4. saltem pro aliqua parte tẽporis in ordine ad aliquã operationem exteriorẽ. Deinq; dicerẽ cum proportione de corpore Virginis Deiparæ. Quod vt suadeã aduoto sanitatẽ dupliciter sumi posse: Primò pro tali humorũ temperie apta, bene disposita, & cõcinna: secũdò, pro tali tẽperie omninò secura, ac immuni ab omnibus contrariis agentibus eam disturbare, ac discindere conãtibus: quo modo si sanitas accipiatur, perfectior proculdubio est sanitas corporis gloriosi per inamissibilitatẽ, sanitate Mariani corporis in vita mortali: si verò primo modo sumatur, certũ arbitror sanitatem corporis Virginei mortalis esse æquè perfectã, ac est sanitas corporis beati. Siquidẽ cõpositio quatuor humorũ erat optime disposita, apta, & cõcinna cum tẽperie primarũ qualitatũ, ergo sanitas corporis Mariani mortalis fuit æquè perfecta, ac sanitas corporis beati; in hoc enim tẽperamento sita est sanitas quoad intrinseca. Quemadmodũ ergo sine vllo errandi periculo dicere possumus sanitatẽ spiritualẽ, quę sita est in gratia habituali, esse aliquãdo maiorẽ in aliquo viro sãctitate cõspicuo in hac vita mortali, quã sit de facto in aliquo Beato; ita etiã affirmare possumus sanitatẽ corporeã B. Virginis adhuc mortalis, fuisse ęquè perfectã, ac est sanitas corporis beati; licèt propter omnigenã inamissibilitatẽ tum gratię tũ sanitatis corporeę, quã obtinẽt beati dicãtur maiorẽ sanitatẽ habere tã corporeã, quàm spiritualẽ.

Sanitas corporis Mariani conferri potest cum sanitate corporis Beati.

Ægid.

Occurres B. Virginẽ labi potuisse, tẽporis decursu in morbũ; seu imbecillitatẽ naturalis senectutis, quã corrueret in interitũ, vt opinatur de Christo Suar. to. 1. in 3. p. disp. 32. s. 2. ergo sanitas Deiparæ in corpore mortali, debilior fuit, quàm sanitas corporis B. quæ immutabilis in æternũ duratura est per impassibilitatis dotẽ. Deinde B. Virginis adhuc mortalis sanitas nõ pluribus fruebatur priuilegiis, quã sanitas primorũ parentũ in statu innocentię, qui licèt absq; vllo morbo vitã trãsigerent nato à nimio potu, & cibo, vel à solutione tẽperamenti: tamen in morbum forsan ruerent ex mutatione tẽperamenti, quam inuehere poterat diurnũ, & nocturnũ tempus, æstiua, & hyberna tẽporis successio, & alternatio: ergo robustior, & excellẽtior est sanitas corporis beati, quod nullus morbus inuadere potest, quã sanitas quælibet huius vitæ mortalis. Hæc tamẽ à nostra sententia nos dimouere non possunt, quæ adstruit Deiparę sanitatẽ pro aliqua ætate adeò fuisse perfectã, ac robustã, vt cõponi posset cum sanitate corporũ beatorũ; quòd autẽ non perduraret in perpetuũ, ex cõditione status Viatricis petendũ est: sicut ergo amor in Deũ in viatore solet interdũ intensior esse, quàm amor Beatorũ, vel saltẽ id de gratia negari nequit, licèt pro hoc statu deperdi queat; ergo similiter sanitas Deiparæ licèt ab agẽtibus externis labefactari possit, nõ ideò imbecillior, & minus robusta dicẽda est, quàm sanitas æternùm permãsura corporũ beatorũ. Et roboratur Assertũ nostrum, quia sanitas formaliter sumpta iuxta Gal. l. 5. de decretis Hippoc. & Platon. nihil est aliud, quàm corporis apta quædam temperatura, & humorum concordia; hæc autem tẽperatura, & humorũ concinnitas, quæ in corporibus beatis reperitur, neq; maior, neq; perfectior est, quàm illa, qua corpus mortale Deiparę gaudebat, cùm habuerit tẽperamentum optimũ, ac perfectissimum in summo; solùm illud interest discrimen, quòd sanitas corporũ beatorũ impassibilitatis, & immortalitatis dotibus præmunitur; at sanitas corporis Mariani in vita mortali agentiũ externorum incursibus subiiciebatur; vnde sanitas corporis mortalis Deiparæ potuit 679.

Suar.

eſſe æquè perfecta, ac robuſta, quàm ſanitas corporum beatorum: imo eadem ſanitas, id eſt eadem humorum temperies, & qualitatum cōcordia corporis Virginei mortalis in cœlo perdurat, nec ex incorruptibilitate, & impaſſibilitate augmentū vllū accreuit ſanitati corporis beati Deiparæ, cū ſanitas nihil aliud ſit, quàm apta humorū tēperies; ſed in cœlo eadem qualitatū temperies, & humorū concordia perſeuerat, quæ in mortali Mariano corpore exiſtebat: ergo ſanitas corporis Virginei æquè perfecta fuit in hac vita mortali, ac ſanitas corporis beati eiuſdē B. Virginis quoad intrinſeca, licèt dum eſſet mortalis externorum agentium inſultibus eſſet obnoxia.

B. Virgo nullo vnquā morbo laborauit.
Suar.
Sophron.
Caiet.
Galat.

680. Cenſeo 2. Virginē Deiparam propter optimā corporis conſtitutionē cum magna animi moderatione coniunctā, longè ab omni morbo, & ægritudine abfuiſſe. Ita Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 2. ſ. 2. §. *Vnde colliguntur mali.* Sophron. in ep. Synodicā, quę habetur in 6. Synodo Act. 11. Caiet. opuſc. de Spaſmo Virginis. Galat. lib. 7. c. 10. eſtq; communis Recentiorum ſententia. Probari primò poteſt, quia hoc priuilegio fruerētur primi Parentes, ſi in ſtatu innocentiæ permanſiſſent, ea enim gaudebant perfecta corporis diſpoſitione, & humorum concordia, vt inter ſe habere nequirent vehementē aliquam actionē, quæ morbū ab intrinſeco ingeneraret. Præterea ex dono iuſtitię originalis humores alterari nimiū non poterāt, ſiue ex feruenti aliquo affectu, vel ex nimia laſſitudine, aut labore. Hinc Aug. lib. 14. de ciuit. Dei c. 26. & lib. 1. de pecca. & merit. c. 3. ait: *Nihil corruptionis in corpore vel ex corpore vllas moleſtias vllis eius ſenſibus ingerebat; nullus intrinſecus morbus, nullus ictus metuebatur extrinſecus; ſumma in carne ſanitas.* Addit etiā ex parte loci ſcilicet Paradiſi: *Sicut in Paradiſo nullus æſtus, aut frigus; ſic in eius habitatore, nulla ex cupiditate, vel timore offenſio, nihil omnino triſte, nō laſſitudo fatigabat otioſum, non ſomnus premebat inuitum.* Atqui B. Virgo gaudebat priuilegiis ſtatus innocentię quoad eius intrinſeca, vt alibi oſtendemus; ergo nullo vnquam morbo correpta fuit.

Aug.

681. Sed inſtabit aliquis maximū eſſe diſcrimen inter primos parentes, & B. Virginē in ordine ad hanc ſanitatē corporis: namque ex duplici capite in corpore humano in ſua pura natura conſtituto, mors, & morbus obuenire poteſt, niſi aliquo remedio ſubueniatur, videlicet, quia paulatim deperditur humidū radicale, per actionē caloris naturalis; vel quia continuò diminuitur calor ipſe naturalis per reactionem alimenti, vel etiā ipſum humidū radicale, quod nequit ita perfectè inſtaurari ex extrinſeco alimento. Huic duplici malo ſubueniebatur in Paradiſo. Primò per fructus cōmunes, quia in corpore optima cōſtitutione cōpaginato, neq; mors, neq; morbus ſubſequi poteſt, niſi cibus, & potus deficiāt: ſi autē opportuno tempore naturali neceſſitati ſubueniatur, neq; fames, neq; ſitis, neq; humorū diſturbatio, atq; adeò neq; morbus ſubſequetur. Secūdo verò defectui ſubuentū fuit per lignū Vitæ, quia progreſſu temporis debilitaretur etiā humidū, & marceſceret iugi actione calidi in humidū, & reactione ciborū, quare opus fuit illis prouidere Lignū Vitæ, cuius fructus calorē natiuum inſtaurarent, ac nouas ſuperadderent vires; vt bene, & eleganter docet S. Aug. cit. *Lignum vitæ aderat, ne hominē ſenecta diſſolueret* &c. *Quandiu in Creatoris lege durauit, dignus fuit edere de arbore Vitæ, vt mori non poſſet, neque enim corpus tale erat, vt diſſolui eſſet impoſſibile, ſed fructus arboris Vitæ corruptionē corporis inhibebat.* Quæ omnia deerant B. Virgini, vt deperditū calorem recuperare poſſet. Sed his facilè occurrere poſſumus; licèt enim B. Virgo caruerit ligno Vitæ, & aliis fructibus Paradiſi optimarū, ac ſalubrium qualitatū; tamen vt infrà monebimus ſępiùs B. Virgo ab Angelis paſta fuit cęleſti alimēto, cui ineſſe potuit eadē, imò & perfectior virtus inſtaurandi calorem natiuū, & humidū radicale redintegrādi. Quid quod morbus, vel ægritudo, vel ex imperfecta corporis formatione, primarúmq; qualitatū vel humorū intēperie, quæ in B. Virgine nulla fuit, vt vidimus; vel inuehi poteſt ex immoderato cibo, & potu, aut ex vehementi aliqua affectione, quæ omnia procul à B. Virgine amādantur. Replicabis, ab aëris intemperie, & deterrimo Cœlorū influxu corporum cōplexioni, ac tēperamento aduerſanti, potuiſſe accidere morbū in B. Virgine. Reſpondeo, id quidē verū eſſe reſpectu corporū, quæ vel non gaudent apta cōſtitutione, vel ſuperfluis humoribus redundāt, vel quæ habēt intra ſe alias morborū radices, quæ omnia procul aberāt à recta Mariani corporis tēperie: vnde influxus cœleſtes, aëriſq; intemperies ſola non ſufficit ad inuehendū morbum. Hinc audiendus non eſt Fr. Franc. Biuarius in Luciū Dextrum cōment. ad ann. Chriſti D. 48. n. 1. dū probat B. Virginē obiiſſe anno ætatis ſuæ ſexageſimo tertio: quia ille annus, ait ille, eſt clymatericus, & quaſi naturalis terminus vitæ, vel vt minimùm ingerit maximū mortis periculum: vnde multi præſtantiſſimi Viri, ſubdit idem Author, eo ætatis anno ſunt hac vita defuncti, vt Benedictus, & Bernardus, & alij plures: Quod tamē in B. Virgine non habet locum; licèt in aliis verum eſſet, annum ſexageſimum tertium eſſe criticum, clymatericum, & mortis auſpicium; placet tamen, in eo quod addit Biuarius, B. Virginem nullā vnquam ægritudine fuiſſe vexatam.

Biuar.
Falſo aſſerit Biuarius B. Virginē obiiſſe anno 63 ætatis ſuæ, quia hic annus eſt clymatericus.

Quod adhuc amplius roborari poteſt ex ſimilitudine cum Chriſto, qui nullo affectus eſt morbo, vt docent Theologi in 3. p. q. 14. Suar. ibid. diſ. 32. ſ. 2. §. *Ex quo expeditur.* S. Baſil. in reg. breu. interrogat. 177. Athan. lib. de Incarnat. Verbi. Decebat enim perfectionem corporis Chriſti D. interna temperatura, humorum ſymmetria, ac primarū qualitatum concordia talis, vt nunquā vllam partiū auulſionē, contractionem, diſcordiā, ac internum bellum experiretur: dedecebat item eum, qui languores aliorum ſanaturus aduenerat, proprium corpus languoribus affectum nanciſci, quæ omnia in B. Virginem rectè cadunt; ſiquidē vniuerſale Inſtrumentū decantatur à Patribus, ſalutis, & animæ, & corporis totius humani generis. Procul ergo à B. Virgine exularunt principia, ac cauſæ, quæ morbos, & ægritudines inuehere in humana corpora conſueuerunt: quidquid aſſerat Abul. q. 12. in Leuit. Quamuis autem paſſa ſit famem, ſitim, mortem, & alia naturæ lapſæ incommoda; non tamen morbos ſubiit: illa enim non proueniunt ex defectu virtutis formatricis, vel tēperamenti perfectiſſimi, vel ex intēperantia victus, ſed ab extrinſeco aduenīūt: morbi verò, & ægritudines abs tēperamento malè affecto, vel ex nimia humorum affluentia accidere ſolent, quæ procul à præclariſſima Mariani corporis conſtitutione exularūt. Cui ſententiæ ſubſcribere videntur Henriquus de Haſſia apud Dionyſ. Carthuſ. lib. 2. de laudib. Deiparæ, vbi ait: *Maria plena gratia optima cōpaginis naturalis.* Et Gerſon in ſerm. de Concept. Virginis: *Quod ad corpus attinet, conferemus ei omnem delectationem, omnem ſanitatem, harmoniam, & temperantiam complexionis.* Pulchrè Nazianzenus vocat morbum, corporis Tyrannidem, ſcilicet diſcordiam, & tumultum ab intrinſeca partium ſeditione aſſurgentem: ab hac igitur ſæua Tyrannide B. Virginem iure quidem optimo vindicamus; decebat enim in B. Virgine Deipara permanere ſemper omnem interiorem ſymmetriam, & pacem. 682.

Suar.
Baſil.
Athan.
Abul.
Henric. de Aſia.
Gerſon.
Nazianz.

Sed

683. Sed insurget quispiam primò aduersus dicta: si Virgo B. non fuisset violẽta aliqua amoris vi emortua, nunquã è vita decessisset; quod aduersati videtur corpori mortali iuxta naturæ lapsæ statum. Quòd autem nunquã moreretur, inde patet, quia nunquã morbum, aut ægritudinẽ subiret; at ex sententia Medicorum nequit homo ob seniũ vita defungi, nisi aliqua ægritudine tangatur. Verùm occurro argumento exhibens disparitatem inter mortẽ, & ægritudinẽ: mors enim ab intrinsecis principiis, videlicet ab ipsa natiua corporis cõstitutione ortũ ducit, quippe humidũ radicale, & calor natiuus pedetẽtim minuitur, & labefactatur alimentorum iugi concoctione, ita vt tandẽ vires debilitentur omninò, ac deficiant; ex quo necessariò mors inducitur: morbus autẽ in corpore aptè disposito, & cõuenienti constitutione ex quatuor humoribus cõpacto, ac per moderatũ, & aptum victũ custodito, nullum habet locũ, nec sufficiens principiũ, à quo oriri posset; neq; illa defectio, seu debilitas caloris natiui humidũ radicale depascẽtis, quæ paulatim superuenit, tẽporis decursu, & ineũte senio habet rationẽ ægritudinis, sed solùm dispositionis naturalis in tali ætate humano corpori debitæ. Quare dispositio naturalis, in qua potest humanum corpus permanere, habet certum terminum, quem natura præfixit, quo adueniente, deficit, & vnio animæ cum corpore dissoluitur, nullo superueniente morbo.

684. *Spasmum B. Virgini quidã Patres attribuunt.* Secundò, obiiciat aliquis Virginem Deiparam ex Christi patientis intuitu spasmũ passã fuisse, quod suaderi posset ex authorit. PP. D. enim Bonau. in medit. vitę Christi c. 77. & 79. ait B. Virginẽ præ nimio dolore, & angustia semimortuã fuisse: & c. semimortuã corruisse inter Magdalenę brachia. Anselm. in dialogo de pass. Dom. sub persona B. Virginis ita fatur: *Nudauerunt* IESVM *vnicũ Filium meũ vestibus suis, & ego exanimis facta fui.* Bern. itẽ tr. de lament. B. Virginis, ex eius ore hæc profert: *Defecit spiritus meus, & non erat ferè mihi sensus, neq; vox, aut sonus* &c. *Iuxta crucẽ stabat Christi emortua mater, vox illi non erat, quia dolore attrita pallens iacebat, quasi mortua viuẽs, viuebat moriens; præ doloris vehementia, & amoris immẽsitate quasi exanimis facta fuit.* Luculẽtius autem, & significantius spasmũ attribuit B. Virgini S. Brigitta non semel lib. 1. reuelat. 10. cui etiã opinioni fauẽt plures antiquę picturæ. Deinde huic sententiæ multũ subsidiatur id quod aiunt Aranda tr. 1. c. 14. de terra Sãcta. Medina etiã vt refert Ribera in c. 19. Ioann. videlicet in via, quæ du[cit] ad Caluariã; templũ esse iam dirutum, quod nunc in stabulum equorũ Turcarum versum fuit, cui nomen impositum fuit, *Sancta Maria de Spasmo*, quod ibi animi deliquiũ passa exanimata corruerit ex adspectu Filij crucẽ baiulantis. Addit Caiet. Opusc. de Spasmo Virginis, quod reperitur in fine tom. 1. opuscul. Festum Spasmi B. Virginis veneratione cultũ totis octo diebus, petitis à sũmo Pontifice indulgentiis ad idẽ festum religiosiori cultu celebrandũ. Tertiò, etiã ratione roborari posset hæc sententia; nam dolor intensissimus solet esse causa spasmi, vt Medici testantur, quia contractionẽ, rigorẽmq; membrorũ inuehere solet; atqui dolor B. Virginis ex Christi patientis in cruce conspectu fuit maximus; ita enim exponi solẽt ab Interpretibus verba illa Simeonis: *Tuã ipsius animã pertransibit Gladius.* Additq; S. Damasc. lib. 4. c. 15. *Dolores partus, quos effugit pariens, illos tẽpore passionis sustinuit ex materna compassione viscerũ, lacerũ reparturiens* Ergo sine dubio Spasmũ in B. Virginem induxit, & animi deliquiũ inuexit.

Bonau.
Anselm.
Bern.
Brigitta.
Aranda.
Medina.
Damasc.

685. Verùm improbabilẽ omninò cẽseo hunc sentiendi modũ cum Card. Toleto in Ioan. in c. 19. cõm. in illa verba: *Stabat autẽ iuxta crucem Iesu Mater eius.* Vbi hæc habet: *Vnde improbabilis est eorũ Recentiorum opinio, qui in B. Virgine spasmũ quendam confingunt.* Rigidiori censura ferit hanc sententiã Bartholom. Medina in 3. p. q. 27. a. 4. vbi eam vocat temerariã, scandalosã, & periculosam. Assero ergo si loquamur de spasmo, vt significat cõrporalẽ defectũ, sensuum abalienationẽ, languorẽ, membrorumq. contractionem, seu viriũ debilitationẽ, nullo modo in B. Virgine admittendũ. Et probatur 1. Quia contraria sententia aduersari videtur verbis Scripturæ Ioan. 19. vbi legimus: *Stabat iuxta crucẽ Mar[i]a* Non sedet, non humi prosternitur, sed stat animo forti, & infracto. Vnde Ambr. de obit. Valentiniani, nec flenisse illã affirmare audet; *Stantem*, inquit, *lego, flentẽ non lego.* Et Anselm. libello de excellentia Virginis B. c. 5. affirmat, omniũ Martyrum dolores, aut leues, aut nihil fuisse si cõferantur cum dolore, quem pertulit B. Virgo; & tamen cùm ita dolore affecta esset, nihil indecorũ gessit, aut muliebriter eiulando, aut faciẽ crinẽsve lacerando, sed corde tristitiã premebat, ac stabat: Gladiũ igitur mortis Christi animã B. Virginis pertransisse docet, quia tanto dolore illã affecit, vt nisi speciali Dei fauore consortata esset, viribus prorsus defecisset. Idẽ docet Bern. in serm. ad eadẽ verba, *Stabat autẽ iuxta crucem.* Imò addũt aliqui Patres, eo tempore exercuisse Virginẽ Deiparam actus Obedientiæ, & Charitatis perfectissimos erga Deum, & homines, Filiũ Patri offerentem in hominũ salutem, quibus actibus, ait D. Bonau. in 3. dist. 48. q. vlt. & Deum, & homines sibi maximè deuinxisse. Idẽ tenent Abul. q. 14. prologi in Matth. Gerson tr. 2. de cantico decachordo. Suarius tom. 2. in 3. p. d. 4. sect. 3. §. *Nec desunt.* & disp. 41. sect. 2. §. *Tertio loco* &c. Fortiter in hãc rẽ Guarric. Abbas serm. 4. de Assumpt. asserit: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius: Plane mater, quæ nec in terrore mortis Filium deserebat, quomodo enim morte terreri poterat, cuius charitas fortior quàm mors erat.* Vt vel hinc appareat ineptissimè à quibusdã pictoribus, Matrẽ Domini iuxta Christũ patientem dolore exanimẽ, & collapsã, & syncope affectã depingi: Alienũ ergo à textu sacro est hæc mentis, ac corporis Virginei consternatio; si enim spasmum passa fuit, quomodo tam citò stetit constantia summa iuxta crucẽ: vtiq; potius sedere, vel iacere debuisset, præsertim non ablata, imò aucta causa spasmi, scilicet dolore ex Christo patiente, & vitam iam agente; imò nec spasmus semper ex maximo dolore consequitur, experientia Magistra.

Tolet.
Omnis spasmus, & animi deliquium denegandum omnino B. Virgini.
Medina.
Ioan. 19.
Ambr.
Anselm.
Bern.
Bonau.
Abul.
Gers.
Suar.
Guarr.
Icones quæ Mariam præ dolore iuxta crucẽ collapsã & spasmo affectam repræsentant omnino abolenda.

686. Ratione etiam suadetur hæc constans animi, ac corporis Virginei fortitudo nunquam collapsa: licet enim dolor vehementior esset, quàm vt verbis à quoquam explicari possit, ex alio tamen capite, ardentissimus in Deum amor Beatæ Virginis, quo ardentius exoptabat, id semper omnino fieri, quod in maiorem Dei gloriam cederet; Charitas item ardentissima in genus humanum, qua omnium hominum salutem exoptabat; Spes etiam certa de Filij anastasi magnitudinem doloris leniebant, illósq; motus non ita decentes inhibebant. Ex qua ratione rectè deduces Virginem Deiparam, non solùm non passam fuisse spasmum, verùm etiam neq; aliquid indecorum egisse, quod non summam modestiam, & morum grauitatem præseferret. Aptè in in nostrum gustum Antoninus 4. p. Theol. tit. 15. c. 41. §. 1. *Stabat verecunda, modesta, lachrymis plena, doloribus immersa; ita tamen Diuinæ voluntati conformis, quòd, vt Anselmus ait, si oportuisset, ad implendam, secundum rationem, voluntatem Dei, ipsa Filium in crucem posuisset, atque obtulisset; neq; enim*

Antonin.

minoris fuit obedientia, addo & fortitudinis, quàm Abrahã. Deinde quia Virgo Deipara perfectissimè suis omnibus actibus, & affectibus dominabatur, omnésque motus portionis interioris ita regebat, vt nihil indecorum, nihil rationi dissonum in se permitteret; at quid rationi difformius, quam propter inferioris partis tristitiam, ac perturbationem, corporis viribus, sensuum & rationis vsu priuari. Denegandi ergò prorsus sunt B. Virgini defectus omnes, qui plenitudinem, auctusque gratiæ cæterarumque virtutum nouos impedire possent: cõstat autem motus, & affectus rationis vsum absorbentes meritorum filum interrumpere, eo præcipuè tempore, quo plurima merendi seges sese offerebat. Quid quòd si opus fuisset, etiam diuina virtute robur, ac vires B. Virgini adaugerentur, & corporis motus, & humores temperarentur, & affectus animæ continerentur, ne præ doloris acerbitate plus iusto assurgerent. Omnis igitur spasmus, qui morbus est iuxta Auicennam, & omnis etiam syncope, quæ est quædam animi defectio, deliquiúmve mentis, orta iuxta Galenum ex tristitia, virium debilitatione, spirituumque vitalium defectione, qua sensus intercipiuntur, arteriarum pulsus languet, sudor euocatur frigidus, ratióque, & libertas adimitur; procul à B. Virgine releganda est: hæc enim omnia maximè à tanta Deipara abhorrent, quæ viribus constans semper fuit, neque à diuinarum contemplatione, feruentique erga Deum amore vnquam animum auocauit.

Omnes defectus qui meritis, & gratiæ augmentum impedire possent, releganda à B. Virgine.

687. Patres autem, & Doctores, qui pro opposita sententia adduci solent, quibus adde Laurent. Iustin. de triumphali Christi agone, prope finem, Lodulphum de vita Christi p. 2. c. 64. & 70. Dionys. Carthus. in Ioann. 18. per exaggerationem quandam locuti videntur. Deinde liber ille de lamentat. Virginis inter dubia D. Bernardi opera reponi solet. Dialogus item de Passione Anselmo adscriptus, Anselmi stylum non redolet, & aliqua ibi reperiuntur, quæ doctrinam, ac sapientiam tanti Doctoris dedeceant: præsertim cùm planè pro nostra sententia stet, vt vidimus. Caietanus, qui ex aliorum sententia refert B. Virginem occurrisse Christo crucẽ baiulanti, ac præ doloris magnitudine collapsam spasmo affectam, in cuius rei memoriam templum fuisse constructum, solemneque Officium per integros octo dies, scilicet à Dominica in Passione vsque in Dominicam Palmarum magna veneratione coli; contrariam affectatur sententiam. Ratio, qua illa sententia firmabatur, nihil habet roboris, vel asserendum esset sæpiùs B. Virginem spasmo exanimatam fuisse, cùm sæpissime ingenti dolore perculsa fuerit, & in triduo Christi duodennis absentis; & toto Passionis tempore. Nec fidendum picturis, quæ ex vulgi, & plebeculæ opinioni inuectæ sunt, cum B. Virginis exanimatione, vt ingentem ipsius dolorem exprimerent; idémque censeo de Historia à Caietano relata: Picturæ autem, & icones, quæ Virginem Deiparam spasmo collapsam repræsentant, iussu Quæsitorum fidei interdictæ, & meritò.

Patres qui spasmum B. Virgini attribuunt in commodum sensum explicantur.

CERTAMEN X.

Vtrùm lac, quo Iesus à Maria; & Maria ab Anna lactatur, aliquo singulari priuilegio gauderet.

688. DE B. Virginis lacte ambigi posset primò, num per miraculum in vbera virginea transfusum fuerit, an a natura ipsa fuerit euocatum. Primum sustinet S. Vincent. Ferr. serm. de natiu. Virginis; ait

Vin. Fer.

enim: *Virginem lacte carentem pro lacte Deum deprecata fuit; tunc subito subit vbera lac de Cælo sibi immissum.* Et D. Athan. serm. de descriptione Virginis, & Ioseph: *Vbera, ait, Virginis natura consueta radicem non habuisse, longéque à naturali consuetudine, ac lege fuisse aliena, lac vero peregrino, & nouo modo fluxisse.* In quam partem abeunt aliqui apud Salmeron. tom. 3. tract. 33. Primò, quia nulla fœmina lac suppeditare potest, quæ non sit cognita à viro, quod etiam compertum est in aliis animalibus, quæ nisi à masculis concipiant, lac non subministrant: ergo neque Maria incognita viro lac naturale subministrare quiuit. Verùm hæc regula non est omnino infallibilis, ait Salmeron, licèt nulla experiẽtia comprobari possit, cùm tamen naturale sit omni puerperæ lac subministrare, naturalis etiam erit lactatio Virginis Deiparæ erga IESVM. Secundò probant, quia, vt aliqui aiunt, B. Virgo caruit omnino sanguine menstruo, qui quidem cessat in pariẽtibus, quia refluit in mammas, & in lac transit: ergo non potuit Maria lac naturale præbere infanti IESV; sed per miraculum vt infantulus nutriri posset: quod innuit Ecclesia in octauo respons. lectionis octauæ officij Circumcisionis, vbi habetur: *Virgo lactabat vbere de Cælo pleno.*

Lac quo Maria lactabat Iesum, miraculosum fuisse autumant aliqui.

689. Autumo tamen multo verius esse oppositum, nempe lac Marianum erga IESVM naturale esse: ita ipse Salmeron cit. Morales in Matt. lib. 5. tract. 15. n. 20. Barradas tom. 1. in Euang. lib. 8. c. 15. probatur, quia naturale est omni puerperæ, vt sanguinem confestim ad mammillas mittat in fœtus alimentum; gignitur enim naturæ vi ex sanguine ad vbera confluente, siue sanguis menstruus ad id cõcurrat, vt vult Salmeron; siue vt nostra fert sententia sanguis purissimus: Virgineus ad mammillas euocatus, & per caloris coctionem ad candorem deductus in alimentum prolis. De quo rectè Tertul. lib. de Carne Christi c. 20. *Respondeant,* inquit, *obstetrices, Medici, & Physici de vberum natura: an aliter manare soleant, sine vulua genitalis passione? Pendentibus exinde venis sentinam illam interni sanguinis in mammillam, & ipsa translatione decoquentibus in materiam lactis latiorem: inde adeo fit, vt vberum tempore menses sanguinum vacent.* Verba autem Ecclesiæ capienda sunt ratione miraculi antecedentis, nempe conceptionis, Spiritus sancti ope, nullius viri subsidio.

Lac Marianum erga Iesum naturale fuit.

Salmeron.
Morales.
Barrad.

690. Ex aduerso existimo lac D. Annæ erga Mariam fuisse omninò miraculosum, siquidem subministrabatur vetulæ, impotenti illud producere, adeóque erat perfectissimum; si ergo manna Cœlitus exhibitum admirandos continebat effectus; potiori iure id affirmare possumus de lacte Annæ diuinitus à Deo præparato in ipsius vberibus, pro nutritione futuræ Dei Matris: ab hoc ergo lacte quædam vis, & robur inditum Mariæ, quo medio adhuc septuagenaria Virgo sanctissima quasi florentem ætatem, robustam valetudinem, pulchritudinem vernantẽ sibi semper adsciseeret; multo melius, ac in Paradiso homines fructibus vitalis illius arboris florentẽ ac viridam iuuentam in plurimos annos producerent. Lac ergo D. Annæ fuit miraculosum, quia in senectute, & post longam, ac confirmatam sterilitatem concepit; in eademque senili iugi obice permansit; vnde continuum lac ministrasse Virgini infanti, continuum, ac perpetuum miraculum ostentabat: siquidem senium, & impotentia naturæ meatus omnes, per quos lac generari solet, obstruebat; non enim Anna in ætatem iuuenilem rediit; sed in ætate senili diuinitus roborabatur ad producendum lac supra vires senilis

Lac D. Annæ erga Mariam fuit miraculosum.

-nilis conditionis. In ſingulis ergo Annæ lactationibus ſingula miracula intueri debemus, quia in eodẽ ſenio permanſit;idémq;membrorum languor, & imbecillitas poſt conceptũ,& partum in ea perſtitit;non enim ex vi puerperij ſolius conſequi poterat in vbere ſenili lactis vbertas adoleſcentulæ, qnotidie ergo nouum lactationis miraculum contingebat, vel vnum, idémque miraculum toto lactationis tẽpore perdurauit. Concinnè igitur Chryſoſtomus hom. 46. in Gen. verba de Sara lactante vbere ſenili, Diuæ Annæ flectes. *Nec ſic admirabile fuit, quod ex petra in deſerto ſcaturierint fõtes aquarum, quando illam Moyſes Virgâ percoſſit; ſicut de vulua iam emortua puerum naſci, & lactis fontes ſcaturire.* Imo lactatio Annæ prodigioſior multò cenſenda eſt, quàm laticum ſcaturitio ex petra illa, de qua Exodi 17. ſiquidem aquarum illarum curſus ſemel à vicino fonte, vel flumine tranſmeatus in rupem, naturali conſecutione, aquæ ductu mutato, è rupe in poſterum proſiliret ſine nouo miraculo: at in Anna non tranſmutato ſenili temperamento, ſemper lactis influxus miraculoſus permanſit ad ipſius vbera, in oppoſitum refragante ipſius ſenectute, membrorúmque ariditate.

Chryſoſt.

Lactatio Annæ erga Deiparam prodigioſior quam vndarum ſcaturigo ex petra.

691. Malè tamen hinc inferat quiſpiam mirabilius fuiſſe lac D. Annæ erga Deiparam, quàm Deiparæ erga IESVM; licèt miraculum maximũ fuerit quòd Virgo conceperit; at ſuppoſita conceptione, & partu, naturali ſequela poterat lactare infantem, nullus enim erat obex ex parte MARIÆ, quominus lac generare poſſet. At ex parte D. Annæ duo obtendebantur impedimenta, nempe ſenij, & ſterilitatis, ſeu impotentiæ ad progignendum lac. Cæterũ lac Deiparæ ad lactationem IESV in ſua ſubſtãtia mirabilius erat proculdubio, nobilius, ac perfectius lacte Annæ ad lactationẽ Mariæ; vt pote quia ſubminiſtrandũ in alimentum Chriſti corporis, longè præſtantioris corpore Mariano. Tum quia Virgo Deipara ex puriſſimis, & ſelectiſſimis alimẽtis fuit paſta, quæ ſingularẽ temperamenti perfectionẽ, ac nobiliſſimas qualitates indiderũt. Ait enim S. Germ. in orat. de Virg. oblat. *Manſit autẽ de cætero in Sanctis ſanctorum, ſeu in templi penetralibus, Ambroſium nutrimentum per Angelum accipiens vſque ad ſecundãm ætatẽ.* Andr. Cret. in Encomio 1. de dormit. Deiparę: *Dico autem generis claritatem, quomodo ſit pulchrũ munus Deo dedicatũ, & quomodo in adytis, tanquã in aureis vecta thalamis, immortalem; non autem cõmunem, cibum ſumebat.* Georgius item Archiepiſc. Nicomed. apud Caniſ. lib. 1. de B. Virg. c. 13. hæc habet: *Cum ea, vt ſolebat, verſante in adytis, vidit Zacharias quendã ſermocinantem, qui erat inuſitata ſpecie, & ei præbentẽ alimentum; erat autem qui apparebat Angelus: eſt Angelicus qui cernitur habitus, & alloquitur Adoleſcentulam, forma incorporeum affert nutrimentũ tanquã corporibus conueniens, & eſſentia materiæ expers, tradit mulieri caniſtrũ.* Et poſt aliqua interiecta, ſubdit: *Tu autẽ, ô homo, admirabilẽ, & nouã viuẽdi rationẽ audiens in tẽplo Virginis, noli de eo dubitare, noli examinare ratione ea, quæ ſunt incõprehenſibilia. Vides inauditã naturæ innouationẽ, & de his dubitas? Vides ipsũ Dei Verbũ, modo ineffabili habitaſſe in eius vtero, & cõtendis fueritne alimentũ materiale, an expers materiæ? Nihil eſt dubium ex his, quæ ſunt caſtiſſimæ Virginis, ex eius magnalibus, nihil eſt quod non ſit conueniens; omnia à veritate ipſa ſunt confirmata, oportebat enim diuinum tabernaculum, augeri talibus aſcenſionibus: oportebat Agnam immaculatam cæli excipi conuiuio, talibus cibis exſatiari.* Ximenez item lib. 2. de vita Chriſti c. 47. refert ex Greg. Turon. B. Virginem famẽ cœlitus allato pane fugaſſe.

Lac B. Virginis erga Ieſũ mirabilius, ac perfectius lacte D. Annæ erga Mariam.

Germ.

Andr. Cret.

Georg. Nic.

B. Virgo in templo alimento cæleſti ab Angelis allato reficiebatur.

Ximen.

De quo videndi Caniſius citatus, Suarius tom. 2. in 3. p. d. 7. in proœmio; quod approbat etiam Clemens VIII. in Breuiario ab ipſo recognitu pro Eccleſia Græca. Ioannes Geometra Hymno 2. ait:

Caniſ. Suar. Clem. VIII. Geom.

Salue almum Corpus nutritum rore Polorum.

Et Hymno 3.

Gaude concretum ſublimi corpus Olympo.

Nec mirum id priuilegiũ B. V. deferamus, quod per annos plures Iudæis delatũ fuit, quo contẽplationi, & Theoriæ Diuinorũ arcanorũ incumbere poſſent, ne alimoniæ ſollicitudo animũ pungeret, nec quies cęleſtium meditationũ interciperetur. idcircò eſcarum œconomos Angelos in ſui clientelam habuit populus Iſraëliticus. Potuit Angelus Eliæ panem porrigere, cui cõnaturale eſſet, vt quadraginta diebus, & totidem noctibus ieiunus incederet, ex vi vnius vel alterius ſumptionis; quid ergo mirũ videri debet, quòd alimenta manibus Angelicis præparata Deiparæ, in Templo præcipuè cõmoranti, ſubminiſtrarẽtur. Deinde ſic præſtruebatur via, vt corpus Virgineum cœleſti illo cibo altũ diſponeretur, vt ex illo Dei Filius humanitate puriori amiciretur. Manna Hebręorũ corpora præſeruabat, ne ægritudine aliqua laborarent, ſed vires reſumerent, & vegetiora fierent, non ſenſus turbabat, nec hebetabat mentes: Præparabatur vtique à Spiritu ſancto corpus Virgineum; vt digna Dei Filij ſedes exiſteret; quo etiã cibo ab Angelis allato præſtitũ eſt; qui B. Virginis corpus extraordinariis, rariſque qualitatibus, & accidentibus affecit, tum fortitudinis, tum ſanitatis: tum puriorũ humorum, ſenſuũ viuacitatis potentiarum ſubtilitatis: quippe Deum erat conceptura, ac puriſſimo ſuo ſanguine ipſum altura; quare opus fuit, vt priùs corpus Virgineũ cœleſti alimento defæcaretur, ac roboraretur: ex parte igitur principij efficientis, nempe Virginis Deiparæ, tum ex parte materiæ exhibitæ ad lactis elaborationẽ, lac B. Virginis erga Ieſum proculdubio longè præſtantius, ac nobilius erat lacte D. Annæ erga Mariam.

Hoc ſanè lacte fortiſſimus Siſara nempe Satan, *Soporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt.* Iudic. 4. Cibo, non potu, Dæmon per Euam, Adamum ſubegit, ac totam humanam naturam labefactauit: *Dedit viro ſuo, qui comedit*: Itaq; fœmina per eſum tot mala in mundũ inuexit, & quæ formata eſt in vitę ſocietatem, mortis concinnatrix inuenta eſt, & per pomũ, tanquam per æneum globũ, vniuerſum genus humanũ interemit: At per hauſtũ lactis, hæc inuicta Iaël Maria vitam intulit mundo; & quidem eò velociùs, quàm Eua mortem, quò citiùs potus abſoluitur, venáſq; refrigerat, ſitímq; reſtinguit; quã eſus, qui tardius dentibus atteritur; & commolitur, antequã in ſtomachũ elabatur, famémq; ſedet. Eua per eſum tardum mundo calamitatem, ac mortem aſportauit: Maria per potum celeriùs felicitatẽ, ac vitã nobis omnibus peperit: *Cui hac ſeruata victoria eſt*, ait Bernard. hom. 2. ſuper Miſſus eſt; *niſi Mariæ? ipſa procul dubio caput contriuit venenatum.* 692.

Iudic. 4.

Gen. 3. 6.

Maria celeriùs vitam intulit mundo, quam Eua mortem: hæc per eſum, illa per potũ.

Inficiari tamen non poſſumus lactationem Deiparæ erga IESVM, nouũ à conceptu miraculũ videri non deberi; bene verò lactationem Annæ erga Deiparam, vt ſuprà monitum manet: poſito igitur primo miraculo conceptus in Virgine, quaſi naturę debito, ſanguis ille, quo fœtus in ſacris Parẽtis viſceribus nutriebatur, vbi primùm partus in lucem editus fuit, in vbera Virginea confluxit, vt infantis alimentum fieret: ſicut non fuit miraculum, quòd conſueto tempore, expletis inquam nouem menſibus partus ederetur, ſed ex lege naturæ contigit, vt bene Damaſc. lib. 4. de fide c. 15. *Lege partus in vtero tulit, quem peperit ſupra natiuitatis naturã, quo-* 693.

Damaſc.

niam conſueto in tempore, nam nouem menſes complens, & decimum attingēs naſcitur, id fit lege partus. Eadem ratione ex lege inconcuſſa, & inuiolabili ipſius partus, ſanguis ille, quo infans in vtero nutritur, protinus ad mammillas in lac conuerſum euocatur, vt infans illud ſugens alatur. Anna verò ſemper ex miraculo lac porrigebat infanti MARIÆ, gelida enim ſenectus ſua ariditate vbera exſiccabat. At in Maria erga IESVM poſito conceptu, ac partu ſupernaturali, natura ſcaturientes mammas ſubminiſtrauit, alimenta præparans naſcituro Infanti. Nec illud Doctorum aſſertum à Salmerone relatum de fœmina incognita viro poteſt experientia vlla ſtabiliri, cùm ſola Deipara, Virgo permanens, lac Infanti ſtillauerit.

694. Nunc libet vtriuſque priuilegia, lactis, inquam, Annæ erga Mariam, & lactis Mariæ erga Ieſum acutiori mentis indagine veſtigare: priúſque hoc præiaciendum fundamentum ex D.Th. 1. p.q.97. art. vltimo, naturalem fuiſſe vim in fructu arboris Vitæ in Paradiſo conſtitutæ vitam in æuum prorogandi, floridam conſeruandi iuuentam, ac ſenium ablegandi, quod ſic oſtendi poſſet; ſi enim illa vis ſupra naturam infuiſſet, peccante Adamo omninò euanuiſſet, ac proinde non eſſet opus aditum in Paradiſum occludere, ne homo arboris vitæ fructus mandens, vitam in longiora ſpatia protenderet: ſuperuacanea inſuper fuiſſet Angelorum cuſtodia, ſufficeret enim, vt Deus ſupernaturalem ſuſpenderet influxum; omnino indebitum poſt Adæ tranſgreſſionem; cui ſententiæ adhæret Pereira lib. 3. in Gen. diſp. de Arbore vitæ; quo ſubtracto fundamento, non omninò improbabili coniectura ductus quiſpiam dicere poſſet, lac Marianum erga IESVM, & lac Annæ erga MARIAM, licèt omninò miraculoſum, & reliquis fœminis indebitum fuerit, vtrique tamen lacti potuit natiua vis ineſſe, vt eadem, & forſan maiora priuilegia corpori ſugenti ſuppeditaret, quæ fructus arboris Vitæ in ſtatu innocentiæ conferret; videlicet vitam prorogandi, florentem iuuentam inuehendi, ſenectam eliminandi, alioſque mirabiles effectus producendi. Suaderi poteſt hic opinandi modus, quia plures Doctores adſtruunt MARIÆ, & IESV corpora gauiſa fuiſſe pluribus priuilegiis debitis innocentiæ ſtatui, nec enim Deus minus prouidens cenſeri debet in formatione & nutritione vtriuſque, quàm in conditione primorum Parentum fuit, ac foret in productione, & conſeruatione poſterorum, Adamo non peccante; charior enim multo, ac præſtantior fuit Deo Deipara, & Chriſtus, quàm Adamus, eiúſque poſteri cuncti. Præterea lac Marianum erga IESVM, & Annæ erga Deiparam, ſolo Deo eleuante naturam ſenilem in Anna, & Virginem viro incognitam in MARIA inſtillari potuit in vtriuſque vbera: quis ergo credat minus munificum Deũ extitiſſe pro MARIA, & IESV in lacte ſupernaturaliter immiſſo, quàm fuerit in alimento arboris Vitæ, id exigente natura illius fructus: Deo itaque ſupernaturali concurſu operante, illud lac inſtillatum eſt MARIÆ erga IESVM, & Annæ erga Mariam, quod omnium optimum temperamentum, vel eminenter, vel virtute contineret, cui inquam vis ineſſet, vt Mariam, ac Ieſum ſine vlla ægritudine, ac morbo ſeruaret in æuum, immunes à ſenio cuſtodiret, floridam in eis iuuentam in longiora temporum ſpatia prorogaret. Nec obſtare poteſt quòd Annæ lac erga Mariam, & Mariæ erga Ieſum eiuſdem eſſet naturæ cum lacte aliarum fœminarum, nam ſortiri diuerſum temperamentum poterat, ac proinde alios, & alios effectus inuehere in infantulos, vt patet in triplici calore ſtomachi, Solis, & ignis, qui licèt eandem ſpeciem ſortiantur, plurimos tamen effectus operatur calor ſtomachi, quos nec ſol, neque ignis producere queunt: ergo nihil mirum ſi lac Marianum vitam in æuum protenderet; licèt lac aliarum fœminarum illum effectum in fœtus inuehere nequiret. Vlterius quæcunque mixta primas quatuor qualitates eiuſdem ſpeciei ſortiuntur, ex quibus mixtorum omnium temperamenta coaleſcunt; & tamen in adamante, & aliis, temperies pene immortalis aſſurgit; in fructibus, plantis, & hominibus labilis valde, & caduca natura coagmentatur; & tamen ea omnia iiſdem qualitatibus, earumque admixtione componuntur: ergo lac Marianum, & D. Annæ, licèt eiuſdem naturæ cum lacte aliarum fœminarum potuit ea pollere virtute, vt ſenium diſpelleret, & omnino defæcatum totum in ſubſtantiam aliti abiret, diuturnã iuuentam inueheret, morbos abigeret; vt de facto in Virgine Deipara ſeptuagenaria contigit, quæ ab omni languore, & ægritudine immunitatem, robuſtas vires, temperamentum vegetum, integrũ potentiæ loco motricis robur nacta fuit, adhuc tertio ætatis anno, quo tempore, ſine duce, ac ſcipione quindecim potuit percurrere gradus, ſi Hieronymo credimus in Hiſtoria de ortu Deiparæ, & Cardinali Iacobo Vitriaco in Hiſtoria orientali c.62. Inſuper ſicut Manna illud Hebræorum, vt author eſt Abulenſis in cap. 16. Exodi q. 8. Hebræorum corpora illæſa ab omni morbo cuſtodiebat, niſi ipſi ſe ſceleribus attaminaſſent; cur lac Annæ, & Mariæ eoſdem effectus non poſſet inuehere. Quòd ſi in Manna pro libito cuiuſcumque rei ſapor occurrebat; ita in lacte Mariano maxima quædam ſaporum oblectatio deliteſcebat, quæ guſtatui ineffabilem quandam dulcedinem adſportabat: in eo tamen lac vtrumque ſuperabat Manna vetus, quod illud ingenium mite ad clementiam pronum inſtillabat ſugentibus; quod priuilegiũ in Manna non agnoſcunt Doctores, ſiquidem ex eius eſu plures ex Hebræis immites, efferatiores, ac pecuariis moribus imbuti prodierunt: Demum Manna ſcatebat vermibus, ac putredine tabeſcebat, ſi diu aſſeruabatur; lac tamen Marianum, & Annæ, quamuis diutius in vberibus lateret, idem ſemper temperamentum conſeruabat ab omni corruptione immune. Quòd ſi verum eſſet, quod tradidit S. Aug. lib. 1. de peccat. meritis, & remiſſ. c. 2. & 3. nempe Henoch, & Eliã, vel nullo paſci alimento in Paradiſo, vel fructu ligni Vitæ veſci, à quo vitam hauriunt immortalem ab omni calamitate, & morbo exemptam: eadem ratione aſſerere poſſemus in lacte Annæ, & Mariæ eadem reſidere priuilegia; hoc diſcrimine, quod difficilius longè ſit in hac noſtra temporum intemperie, & cauſarum incurſu vitam protendere incolumẽ, & immunem à morbis, & ſenectute, vt contigit in MARIA, & IESV ex lactationis vi; quàm in paradiſo conſiſtentes Henoch, & Elias ſub puriori aura, & cœlo ſine vlla temporum inclementia, vitam ab omni morbo, & ſenio liberam in æuum producere.

Libuit hic in fine adiicere, quod longa traditione à Maioribus accepta aſſerunt incolæ Bethlehemi, & Chriſtiani Latini, & Græci, & impij Saraceni religioſè venerantur, vt refert Chriſtophorus de Caſtro in Hiſtoria Deiparæ c. 10. n. 2. nimirum dum D. Ioſephus Bethlehemum ingreſſus fuit paraturus neceſſaria itineri in Ægyptum, Deiparam prope Bethlehemum in ſpelunca delituiſſe; dumque Deo infanti lac porrigeret, lactis guttis in prædurum antri ſcopulum decidentibus, 695.

ita

D.Thom. *Fructus arboris vitæ in paradiſo natiua vi vitã in æuum prorogabat.*

Pereira.

Lac Marianũ erga Ieſum, & D. Annæ erga Mariam aliquo ſingulari priuilegio gaudebãt.

Hieron. Iac. Vitria.

Abul. *Lac Marianũ confertur cum Manna Hebræorum, ipſique præfertur.*

Aug.

Chriſtop. de Caſt. *Lactis Mariani guttæ decidentes prædurum ſcopulum emolliunt, & velut in candidiſſimam farinam conuertunt.*

ita fuisse rupem illam emollitam, ac dealbatam, vt sit instar pulueris tenuissimi farinæ candidissimæ, ex qua aqua subacta paruuli panes efficiuntur, qui morbos varios dispellant, præcipuè contractionis lactis in fœminis; vnde vocantur panes illi, *Lac Dominæ nostræ*. Et quidam ex nostris hos viderunt panes, qui terram illam perlustrarunt.

CERTAMEN XI.

Marianum Corpus aliquibus virtutibus, & qualitatibus pollebat, ad miros, & extraordinarios effectus.

696. PRobabilitate non vacat quorundam assertum asserentium in corpore Mariano plures repertas qualitates, dum hac luce frueretur, destinatas ad effectus admirandos: quod de corpore Christi D. plures statuunt. Paludanus in 4.dist.1 q.1.adstruit Christum in suo corpore omnem habuisse virtutẽ motiuam cæli, & omnes virtutes naturales omniũ creaturarum corporalium, vt virtus de illo exiret, & sanaret omnes: subditque animam Christi D. omnem virtutem motiuam cœli habuisse supernaturaliter quam Angelus habet natiua vi. Sed meritò eum impugnat Salmeron tom.5.tract.2.Cardinalis Toletus in c.8.Luc.Annotat.96.docet, Christi carnem mortalem floruisse virtute sanandi, qua virtute plures plantæ, lapides, cæteræque res naturales gaudent; non tamen ad modum rerum naturalium necessariò, sed pro ipsius arbitratu; additque hanc virtutem cognouisse in Christo D.Augustinum, & Hilarium. Videantur Vincentius, relectione de Christi gratia, Capreolus in 1.d.1.q.1.Ferrariensis 4.contra gentes c.56.Alb.Mag. in parua Philosophia, & super *Missus est* c.148. Doctores autem eadem fermè ratione loquuntur de perfectione corporis Mariani, eiusdemque priuilegiis, ac de perfectione, ac virtutibus corporis Christi D. vbi non repugnabat conditio sexus.

Palud.

Tolet. *Christi caro mortalis floruit virtute sanandi.*

Aug. Hillar.

Capreol. Ferrar. Alb.M.

697. Deinde suaderi posset Assertum, quia plures naturales virtutes experiuntur in inanimatis, vegetatiuis, ac sensitiuis corporibus, quæ mentem captumque superare videntur. Euocetur in exemplũ Lignum illud, quod Exodi 15. in aquas immissum dulces reddidit, quod ex vi quadam à natura insita ortum habuisse creditur à Lyrano in c.15. Exodi, Caietano ibidem; alioquin non aptè efformaretur argumentum apud Eccles. *Altissimus creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nonne à ligno indulcata est aqua amara.* c.38. n.5.sic plures qualitates occultas enumerat D.Aug. lib.21.de ciuit. Dei.Basil. epist.168. Nazianzenus orat.34. quæ vim habent in corporibus humanis aliquibus ex singulari beneficio, aut cœlorum influxu aut peculiari qualitatum commixtione, & indiuidua proprietate: ergo non erit rationi dissonum, sed valde conforme, vt aliqoid simile deferamus corpori Mariano miraculosè efformato. Propter aliquam ex his arcanis qualitatibus docet Carthagena lib.15.Hom.12, ex aliquorum Medicorum sententia, eiusmodi complexionem sortita fuisse aliquorum corpora, vt humata iam longo tempore incorrupta asseruarentur, & odorifera etiam. Plus adhuc attribuũt Mariæ Gerson tract.4. in *Magnificat*.& Alb.Mag.super *Missus est*.c.148. illis verbis: *Maria viatrix iam dotes corporis gloriosi inchoabat, nec non donum Spiritus super corpus, & animam, vt esset inde corpus agile, & secundum omnes vires motiuas subtile; præterea neque ita passibile vt nostrum.*

Exod.15. *Lignum in aquas immissum dulces reddidit ex vi à natura insita.*

Lyra. Caiet. Eccl.38. 5. Aug. Basil. Naz.

Gerson. Alb.M.

698. Tertiò firmatur eadem assertio, quia plures sunt proprietates indiuiduæ in aliquibus indiuiduis, non à forma specifica ortum habentes; sed intra eandem speciem propriæ solùm aliquorum indiuiduorum; vel quia à parentibus hæreditario iure receperunt eas; vel quia à vario alimentorum genere desumptæ, vel ortæ ab aliis circunstantiis cõcurrentibus: ergo plures ex his qualitatibus potuerunt corpora Christi, & B.Virginis haurire, vel à miraculoso conceptu, vel à lactatione, vbere de Cœlo pleno, vel ex cibo Angelorum ope administrato. vel ex aliis capitibus. in cuius Confirmationem S.Hieronymus in c.9.Matth. vtitur exemplo Magnetis, & succini miris, & arcanis pollentium virtutibus, vt probet oculorum Christi efficaciam, quâ, vi quadam ad se Matthæum allexit: Et S.Cyril.de incarnatione ad Valerianum tom.6. Concil. Ephes.c.17. *Sedulo*, inquit, *scrutemur carnem, quæ Dei omnia viuificantis effecta est, viuificam ipsius Verbi virtutem, & operationem obtinere, gloriamque ineffabilem*. Quibus ostendit, virtutes, & proprietates inditas fuisse Corpori Christi D. ad miros effectus. Quæ omnia de corpore Mariano cum proportione dici possunt. Pereira lib.3. in Danielem ex Plinio lib.7.c.2.refert Pedem dextrum Pyrrhi Epirotarum regis curasse Spleniticos; ac reliquo corpore combusto, illæsum permansisse. Sic aliæ admirabiles virtutes inditæ lapidi Bezoar, Moscho, Zibetho, Castoreo, & aliis referuntur. Ita similiter cùm corpora Christi D. & Deiparæ perfectissimè fabrefacta fuerint, potuerunt pluribus virtutibus donari ad effectus varios, & admirandos.

Corpus Marianum, sicut & Christi D. pollebat virtutibus & qualitatibus ad miros effectus.

Hieron.

Cyril.

Pereira. *Pes dexter Pyrrhi Epirotarum regis curabat splenicos, ac reliquo corpore combusto, illæsus permansit.*

699. Quartò probari posset placitum, quia nonnulla, quæ antea vita vegetatiua, vel sensitiua fruebantur, à natura qualitates quasdam sortita sunt mirabiles, vt cornu Cerui contra venena; Cranium humanum contra epilepsiam; cinis Cancrorum fluuialium contra Canis rabidi morsus, quas virtutes promanare à forma quadam substantiali vegetatiua, & sensitiua iam emortua certum est. Cùm ergo Anima B.Virginis perfectissimè posset continere, vel eminenter, vel formaliter omnes virtutes formarum vegetantium, & sentientium, quæ secum indecentiam non inuoluunt, illi attribui poterunt. Quod confirmare rectè possumus ex eo, quod in singulis speciebus aliquæ reperiuntur proprietates abditæ, & mirabiles: Homines vniuersos esse præditos virtute, quæ Magneti insidet, experientia docet; si enim in nauicula aquæ quiescenti imposita extensus quiescat, aut cubet, natiua vi, caput ad Septentrionem, pedes ad Austrum vergunt, sicut acus magnetica. Pulsus arteriæ humanæ ex secretis qualitatibus horas indicare globulo è filo suspenso, plures asserunt: eadem ergo ratione dicere nonnemo posset, validiores, & perfectiores qualitates, ac virtutes inditas à Deo, Mariano corpori. Totum Opusculum 34.D.Th.exagitat occulta, & abstrusa naturæ opera, vbi arcana specierum, & indiuiduorum proprietates refert in altiora principia nempe in corpora cælestia, & in substantias intellectuales. Cùm ergo in formatione MARIÆ Deus veluti Omnipotentiam effuderit, proculdubio in illã plurimas virtutes ad effectus mirãdos prodegit: si enim natura tam admirabiles effectus operatur, vt ostendimus; quid non præstablt in corpore Virgineo perfectissimo Dei Omnipotentia. Rectè Gerson cit. *Si Maria Beatitudo noscenda esset, tribuendum illi, quidquid in creaturis repertum viderimus.*

Homo quilibet præditus est virtute quæ residet magneti, experientia docet.

D.Thom.

oportebat enim inter cætera aromata, temperantiæ vnguentum in illam regionem deportari. Quid ergo mirum si asseruerimus Virginē Deiparā primū Virginitatis Deo voto nuncupato dicatæ exemplar, adeò suauem odorem à suo castissimo corpore spirasse, vt cœlum terramque mira suauitate perfuderit.

CERTAMEN XII.

Vtrùm in vultu Mariano splendor aliquis irradiaret?

703. EX hoc certamine nouam lucē accipiet superius; est enim noua illius confirmatio. Duplex autē hic quæstio exagitanda est: altera an Virgo Maria decorata fuerit a Deo externo quodam, ac corporeo splendore, qui saltem in eius sacro vultu radiaret, quo tantæ Imperatricis authoritas, ac dignitas hominibus elucceret, signúmq; foret internæ sanctitatis in animo delitescentis... ltera est, an ex ipsa perfectissima humorum harmonia, ac interna sensuum viuacitate, spirituumque vitalium ardore, naturali quadam sequela, in externam B. Virginis faciem splendor aliquis promicaret.

Marianus vultus cœlesti quodam splendore fuit perfusus.

Quoad primum sensum, verissimam esse puto sententiā nobilissimorum Doctorum asserentium, vultum Virgineū cœlesti quodam splendore fuisse irroratum, ac perfusum, vel semper, vel frequentissimè. Suadetur primò ex splendore in vultu Christi radianti, docet enim S. Hieronymus in c. 9. Matth. Christi vultū Diuinitatis radio coruscasse, quo omnium animos in sui amorē blanda quadam vi compelleret. *Certè, inquit, fulgor ipse, & maiestas Diuinitatis occulta, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad se videntes trahere poterat adspectu: si enim in magnete, lapide, & succinis hæc esse vis dicitur, vt annulos, & stipulas, & festucas sibi copulent; quantò magìs Dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat, quos vocabat.* Idem asserit de Christo Chrysost. hom. 8. in Matth. Id ipsum tribuunt filiis Dei, nempe filiis Seth, Cæsarius frater Nazianzeni, & Chrysost. in Ps. 3. videlicet quòd in vultu præseferrent splendorē quendam, quo ab aliis secernebātur, & veluti filij Dei cēnsebātur, quia Adamum in felici innocentiæ statu referebant, cuius vultus iuxta aliquos, luce quadam perfundebatur, qua per transgressionē amissa, animalia ei non obsequebātur, sicut ante peccatum. Nihil ergo mirum si asseramus Deiparā quodā veluti Diuinitatis splendore in vultu, homines suaui, efficaci tamen quadam vi, ad se allexisse. Præterea ex Moyse depromitur exēplum appositissimū qui ex Dei colloquio splendidissimā faciem præseferebat; multo autem intimius cum Deo, ac Filio colloquuta fuit Deipara; cur ergo similis splendor illi denegandus? & Actuum c. 6. de S. Stephano ait Lucas: *Intuentes eam omnes qui sedebant in concilio viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli*; id est micanti splendore suffusam, ac collucentem, iuxta Chrysost. Aug. Tertul. Hugonē apud Lorinum in c. 6. Actuum, v. 15. Hūc Diuinum splendorē confirmant verba S. Dionys. Areop. in ep. quadā ad D. Paulum, quam vide in Carthagena lib. 2. hom. 5. *Hanc tanquam Deum venerarer, nisi Deum non esse fides diuina admoneret.* Plures item viri, ac fœminæ ingenti sanctitate conspicui radiis collucentibus frequenter conspecti sunt, qua de re vidēdus Thomas Bozius lib. 15. de signis Ecclesiæ signo 61. c. 5. Cur ergo omniū Sanctorum Imperatricem hunc à se splēdorem eiaculatā fuisse denegabimus? Adfauet Dionys. Carth. lib. 1. de laudib. virg. c. 36. *Interior, inquit, illa Virginis puritas, ac sanctitas in eius facie visibiliter radiabat, tantáque fuit, vt opus fuerit huiusmodi radiationem diuinitùs tēperari, quò posset cum hominibus conuersari.* E Virginea igitur facie mirus quidam splendor emicabat, quo intuentiū oculos ad adspectum, animos ad amorem conciliabat. Hanc sententiam tuetur S. Th. 3. p. q. 28. a. 3. Author Margaritæ q. vlt. morali his verbis firmat: *Respicientes Christi, & Virginis Diuinam vultū, non posito actuali obice, statim mouebantur ad detestationem peccatorum, vitæ emendationem ex quodam cœlesti fulgore ex eorum vultibus radiante.* Hinc aiunt aliqui, dū viueret hac vita mortali, spectatores suos ex vi solius adspectus Virginei ad pœnitentiā allexisse: de quo Aloys. Nouar. in vmbra Virginea excursu 80. Huc aduoco Timoth. Hierosolym. orat. ad *Nunc dimittis*, inquit: *Iustus Simeon oculos huc illuc circumferens, vidit quidē multas mulieres, verùm singulas schemate, ornatuque humana natura proprio effectas; solam autem Virginem, quodam diuino, infinitóque lumine circumfusam animaduertit. Currens itaque segregauit reliquas matres &c.* Vnde D. Hilarius, & Nicolaus de Lyra super c. 1. Matth in illud. *Ioseph non cognoscebat eam, donec peperit Filiū suum.* Aiunt Iosephum prę nimio Virginei vultus splendore non potuisse in faciem illius intendere. Quod etiam docet Origenes super 1. Matth. *Quandiu, ait, Virgo B. habuit in suo vtero Solem iustitiæ, tātus fulgor exibat ab eius facie, quod Ioseph eam cognoscere, & discernere non valebat, nec in eius faciem intendere poterat, donec eius vterus fuit euacuatus.* Iuxta hos igitur Doctores ex vtero Virgineo micantis fœtus baiulo, is splendor vibrabatur in faciem, vultumque Virgineum, vt intuentium oculos arceret à visu, pulcherrimámque faciem adstantium obtutibus inuiam redderet.

Christi D. vultus radians splendore commemoratur.

Filij Dei, id est filij Seth in vultu splendorem præ se ferebant, quo ab aliis secernebantur.

Adamus in innocentia luce quadā emicabat, quā per transgressionē amisit.

Hieron. Chrysost. Cæsar. Act. 6. Chrysost. Aug. Tertul. Hug. Lorin. D. Dionys. Dion. Carth. D. Thom. Author Margaritæ. Nouar. Timoth. Hieron. Hilar. Lyra. Matth. 1. Origen.

Iosephus præ nimio vultus Virginei splendore non poterat in faciem illius intendere.

704. Verum illud obstare videtur, quòd fulgor ille splendentis faciei in Virgine Deipara, vel omnibus pateret, vel intuentiū omniū oculos perstringeret; quòd si aliquibus detegeretur, aliis verò occuleretur, magiæ verti posset ab ignaris; vel certè si Deipara mysterium detegeret, ipsi, pueróque non leue periculum impenderet, cùm Herodes postea Iesum diligenter inquireret ad necem. Imò splēdor ille Virgineo pudori, quo B. Virgo occultari ambibat, consentaneus videri non posset. Præterea vt author est D. Ambrosius in Luc. lib. 2. c. 1. tom. 5. & contestātur alij Patres, ex eo Christus ex maritata nasci voluit, vt partus Diabolo celaretur, nec statim inferorum principes in eius cognitionē deuenirent, malè autem fulgor ille vultus Mariani rem celaret, cùm potiùs detegendo, quàm occultando tanto mysterio inseruire posset. Sed facile his occurrere possumus, si asseramus splendorē illum in vultu Virgineo solùm conspici potuisse à Iosepho, & aliis, qui ipsius sanctitatem conspicuā æmularentur: quod vultus Virginei iubar splendens subodoratus est Moyses spiritu prophetico Exod. 40. dum ait: *Operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud: nec poterat ingredi* scilicet, *Moyses, tectum fœderis, nube operiente omnia, & Maiestate Domini coruscante.* Nempe Iosephus ad Marianum tabernaculum, Virginē, inquam, Deiparam fulgore diuinò coruscantē accedere formidabat. Nec miretis Ma- 705
rianum vterum sole flāmantium luminum grauidatum, ipsius Deiparæ faciē fulgoribus adspergere quasi ibi agens præludia Christus D. solemnitatis illius, cum facies Christi resplenduit sicut Sol in Thaboris vertice, veluti à sacra Parente edoctus didicit euibrare radios, claritatis spicula eiaculari, ac flammantes globos iubaris fulgētis in prospectantium

Ambr. Exod. 40.

tium oculos contorquere. Scin Alphonsum Tostatum in c.17. Matth.q.35. distinguere hunc Deiparæ splendorem à conceptu vsque ad partum habitum, à fulgore faciei Christi D. in transfiguratione, quæstionem enim ita soluit: *Dicendum quod illa claritas faciei Marianæ fuisset de conditione claritatis Moysis, id est non esset claritas gloriæ, quia gloria corporis nunquam datur ante gloriam animæ, cum gloria corporis causetur per refluxum ab anima in corpus: & tamen Virgo viuens non habuit animam glorificatam, hoc enim sola anima Christi habuit, ideo non daretur ei claritas gloriosa, sed esset claritas de conditione naturalis claritatis.* Verùm arbitros Virgineum splendorem in vultu à conceptu ad partum ex fœtu sacro in vtero delitescente, in faciem B. Virginis fuisse euibratum; sicut ex vicinitate aduenientis Solis Aurora effulgere solet; oubes item radiis solaribus obiecta, radios imbibit, & eiaculatur Suffragium fert huic censioni Ricard de S. Laur. serm. 2. part. 1. *Demus ista, B. Virgo, vnde Sapientia ædificauit sibi domum Prou. 9. & locum habitationis gloriæ tuæ, id est Filij tui; locus iste vterus virginalis, & benedicit locum habitationis gloriæ tuæ, id est vterum virginalem, vbi habitasti gloriosè, & quem inhabitando gloriosum effecisti.* Quasi vterus Marianus indolem, & proprietatem vteri Patris Æterni æmuletur, à quo Solis instar gloriæ Verbum exoritur. Quod pepigit Dauid ps. 109. Ebiberat sine dubio Virgo B. proprietatem Patris, ac proinde fulgurantem sobolem parturiuit, candicantem fœtum edidit, nec minus Christus D. quà exoritur à Matre, gloriæ Splendor nuncupari debet, ac quà à Patre innascitur, de quo Paulus ad Hebr. 1. *Cum sit plendor Gloriæ, & figura substantiæ eius:* ita vt quispiam addubitare posset quidnam Christo D. splendidius extiterit, magisque gloriosum respectu hominum; Mariæ fuisse filium vt hominem Deũ, an Patris vt Deum in æterna generatione; ideo de corona, qua Deipara Christum redimiuit aiebat Salomon cant. 3. *Egredimini Filiæ sion, & videte Regem Salomonẽ in diademate, quo coronauit eum Mater sua.* Licèt autem Verbum Diuinum diuinitatis corona à Patre decoretur; inuitamur tamen ad contemplandam hanc à Matre adeptam coronam: quæ duo diademata admiratus Hugo Victor. lib. 1. Miscel. c. 117. interseque illa componens, hæc habet verba: *Mater dedit substantiam carnis, Pater dedit consortium Maiestatis: Mater dedit in quo vicit; Pater dedit in quo regnauit: Mater dedit in quo victor coronatur; Pater dedit in quo regnans adoratur: in eo quod à Patre habebat, de superbis prostrauit superbũ; in eo quod à Matre habet, infernum spoliauit auarum.* Nec solum Christo Deipara diadema contulit splendoribus gloriæ coruscũ, sed regali eum, & Imperatoria purpura vestiuit, thronum, soliumq; construxit magnificẽtissimũ. De diademate iterũ belle D. Thom. à Villan. ser. 2. de natiu. Dom. *Hunc ergo magnum Salomonem videte in Diademate, quo coronauit eum Mater sua, Mater Beata, super omnes fœminas benedicta; diademate, inquam, non aureo, nec argenteo, sed carneo ex visceribus suis, artifice Spiritu sancto fabricato; diademate decoro, florido, & vernante, omnimque odorum varietate fragranti.* Accipe nunc purpuram ex Damasceno orat. 2. de Natiu. Virginis: *Vestem*, ait de Christo loquens, *verè Diuinitùs contextam, hoc est carnem nostram induit, quam ex immaculatis, ac Virgineis sanguinibus tinctam*, (en tibi purpuram) *in spiritu regio modo tanquam conchylium efformauit, ac velut regiam purpuram exhibens, massam nostram induit.* Appositè satis Alcuinus lib. de Trinit. c. 14. Vocat Mariam Lanam mundissimam diuinitate purpuratam, solummodò æterno Imperatore dignissimam; vt ea videlicet amiciretur. Vbi vides B. Virginem regalem purpuram Christo subministrasse: imò & nobis Sacerdotibus, eiusque sanguine pastis; qua purpura vetustas Adami pelles, primæuæ culpæ solocem, delicti infandi dedecorosam tunicam, probrosum dedecus è medio sustulit. Sceptrum præterea à Virgine Matre accepit Christus: *Orietur stella ex Iacob, & consurget virga ex Israël.* Num. 24. ab Stella Maria scintillante germinatur virga; quis ab stella nisi radios eiaculari, euibrari spleodores, contorqueri lumina crederet, non virgam germinare, floresque producere? Translatio Symmachi mysteriũ reserauit: ait enim; *Et consurget sceptrum*, quo regnum Christi à Maria delatum, à qua ad regnĩ fastigium euectus: Nec solùm diadema honorificum, sceptrum regale, purpuram imperatoriam Christo subministrauit Maria: ipsamet Thronus est, imperiique solium tanto Imperatori coostruxit, vt ipse Christus fatetur: *Veni electa mea, & ponam in te thronum meum.* In quę verba Guarricus Abbas serm. 1. de Assump. hæc habet: *Non poterat signantius, aut elegantiùs describi prærogatiua gloriæ eius, quam vt Thronus Dei regnantis esse diceretur.* Acutè in hanc rem Tertull. ni malè memini, ait; Diuinitatis fastigium in humanitate strauisse. Vnde sententiosè Africanus Diuioitatem antequam carne Virginea amiciretur cum Imperatrice sine solio, & strato componit; quo quidem è medio sublato in publico theatro, profectò omnis etiam eius è medio tollitur Maiestas Imperatoria, regalis deponitur fastus; inhonora, dedecorosa, ac pudibunda iacet dignitas illa regia, nec discrimen vllum inter Reginam, ac reliquum fœminarum vulgus apparet: illo autem substructo, regiam magnitudinem ostentat, regalẽ præsefert magnificentiam; emicat imperatoria Maiestas, scintillat suprema authoritas, suique specimen clarissimum exhibet: sic liceat nostro rudi idiomate vti; Verbi Diuini diuinitas antequam eum Virginea carne copularetur, veluti Regina sublato omni fastigio, in publicum hominum prospectui se dabat veluti inculta, & inhonora: Postquam verò Virginea carne indutus apparuit Christus, tunc Diuinitas quasi in fastigio sub sublimi solio cum Maiestate Imperatoria visenda hominum, & Angelorum prospectibus se dedit, veluti regali in solio Imperatrix ab omnibus suspicitur, à Regibus adoratur, plausibus ab hominibus excipitur, Angelicæque mentes Christo recens nato applaudunt, ac intonant; *Gloria in altissimis Deo*; sicut enim in splendoribus splendor gloriæ generatur à Patre luminum; ita cum à Matre Virgine prodit, gloria Deo in Altissimis decantatur; ita vt caro Mariana resplendens Christi splendori adaugendo subseruiat, aliquid gloriæ accumolet.

706 Quam verò radiosa, ac fulgens sit Deipara, vel ex pusione Ioanne adhuc in vtero materno delitescente addisces; de quo habes apud Luc. c. 1. *Et factum est, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, vt exultaret infans in vtero eius.* Sed cur exilire conatur Ioannes vtero conclusus? Occurrit S. Cæsarius Nazianzeni Frater dialogo 5. *Ille appropinquãte matri suæ, ea, quæ gestabas Filium sine Patre, Matrem reueritus, gestiit exiliendo; & velut imminente sibi à prægnante, periculo, non ferebat eam, quæ facem gestabat, propiùs accedere.* Mirum profectò, Ioannem sustinere non potuisse Mariani fulgoris radios, ideóque exiliisse, quasi lumiooso splendore perculsum;

Abul.

Ric. de S. Laur.

Vterus Marianus indolẽ vteri Patris ebibit, à quo instar solis Verbum exoritur.

Hebr. 1.

Cant. 3.

Christus D. ex vtero Virgineo diadema regium, sceptrum, & regalem purpuram hausit.

Hug. Vict.

Thom. à Villa.

Damasc.

Alcuin.

Num. 24.

Symmach.

Guarr.

Tertul.

Diuinitas sine humanitate quasi Imperatrix sine solio, & strato.

Luc. 1.

Cæsar.

Ioannes vtero clausus sustinere non poterat Mariani fulgoris radios.

perculſom;retrocedebat quaſi loogiùs diſtare exoptans,quod eò magis mirandum , quòd Ioannem inter & Mariam paries intermedius ; ſcilicet Eliſabethæ matris vterus interiacebat ; & tamen nequibat ortum ex Maria fulgorem temperare: quando infinita Diuinitatis lux alarum velamento Seraphinorum ſufficienter temperabatur, vt immenſus Dei ſplendor contemplari poſſet ; cùm tamen Ioannes vtero materno obuelatus , ac tectus Marianum ſplendorem ſufferre non poſſet , quin oculi perſtringerentur.

Salmeron. Suar. Alex. Al. Ric. de S.Laur.

707. Stant pro hac ſententia Salmeron tom. 3. tract. 44.Suarius tom.2.in 3.p.d.2.ſect.2. Alexan.Alenſ. 3.p.q.49.memb.3.a.1. Richard. de S.Laur. lib.12. ſer.in Aſſump. *Nota*, inquit, *quod Maria facta eſt amictus Solis iuſtitiæ, quando ipſum carne mundiſſima induit ; & amicta ipſa Sole, quando Filium portans in vtero facie ſplendebat vt ſol:ita quod Ioſeph, vt dicitur, ipſam facie ad faciem videre non poterat.* Itaque Sole circumamicta non poterat non micanti ſplendore lucere;ſolares radij à ſole in aluo latitante repercuſſi pingebant genas,venuſtabāt faciē, vultū luminoſo,ac cæleſti fuco decorabant,totámque luminoſam reddebāt;ita vt Ioſephus noui Solis iamiam aduentantis iubar præſentiens,ſplendoremq; Aurora Mariæ proſpectans, fugam meditatur, tāqu.im indignum ſe reputans tantæ Virginis

Chryſoſt.

contubernio , quod expendit Chryſoſtomus hom. 4.in Matth.tom.2. *Supra legem philoſophatur,ſiquidem aduentante iam gratia, multa ſublimioris diſciplina documenta fulgere oportebat ; vt enim ſol,nondum radiis oſtenſis, eminus tamen ſplendore ſuo maximam orbis partem illuminat;ita & Chriſtus ex vtero Virginis iamiamque progreſſurus , vniuerſo orbi, etiam priuſquam oriretur,illuxit. Propterea igitur & Ioſeph tantam philoſophiam mentis oſtendit.* S.Hila-

Hilar.

rius hom.in Matth. *Propter Sanctiſſima Mariæ glorificationem à Ioſeph cognoſci non potuit,donec peperit ; Dominum enim gloriæ habens vtero quomodo cognoſceretur? &c. Poſt partum autem à Ioſeph cognita inuenitur ſpecie faciei, non tactu libidinis.* Placet

Henr. de Haſſia.

hoc loco aduocare Henricum de Haſſia Carthuſ.de Virginis formatione ita ſantem: *Quoniam omnium artifex Deus ad ipſius formationem in vtero ſupernaturaliter concurrens,filio ſuo dignum habitaculum fabricaturus eam intrinſecus omnium gratificantium chariſmatum,& dignificantium habituum plenitudine adornauit;vt eius etiam in exteriori effigie diuina gratia tam copioſè efficaciterque luceret.* Idcirco Venantius Fortunatus vniuerſam Solis, aſtrorumque ſupellectilem ſubſeruire Virgini Deiparæ, nempe propter ſplendorem,quem ab ore, ac vultu iaculabatur,eleganter pangit lib.8.Hymn.5.

Venant. Fort.

Ore diem iaculans radios à fronte ſagittans,
Luminibus rutilis lumen honore votans.
Sydereum ſpeculum illius domus Omnipotentis
Vultibus ex illis fulgura clara ferens.
Cryſtallum, Electrum, Aurum , Oſtrum,Concha alba, Smaragdus,
Quo tua forma nitet, cuncta metalla iacent.
Nix premitur candore tuo ; ſol, crinis honore:
Palleſcunt radij, Virgo, decore tui.
Lychnites hebes eſt, cedit tibi Lucifer ardens:
Omnibus e[illegible]ciis lampade maior ades.

708. Quod verò ſpectat ad poſteriorem ſenſum,nempe an ex perfectiſſima humorum harmonia,aliarumque qualitatum perfectiſſimarum commixtione, naturali ſequela in externam B. Virginis faciem ſplendor aliqois reluceret ; pars affirmans ſtabiliri poteſt:ſicut enim ex optima corporis Mariani temperie, reſultabat natiua vi, vt oſtendimus , ſuauis quidam,ac fragrans odor ; ita etiam in Deipara affirmare poſſumus, ex quadam ſenſuom viuacitate, potentiarum ardore aliarúmque qualitatum optimarum permixtione, innatum quendam ſplendorem ſæpè reſultaſſe:ſic ferunt Alexandrum & alios, ex oculis radios quoſdam luminoſos , adhuc in tenebris,ex interno ardore, ſenſuúmque perſpicacia igneam qoandam ſubſtantiam præſeferentem emiſiſſe.Id innuere videntur verba illa Dionyſij Carthuſ.lib.2.de præconio Virginis c.4. *Hoc*,ait,*eſt credibile, imò certum, excellentiſſimam illam gratiæ plenitudinem, & mentis claritatem in corpus redundaſſe,præſertimque in vultu reſplenduiſſe:ſi enim mentis perturbatio in anima paſſionata deformitatem corpori adducit , cur non ſereniſſima , ac candidiſſima mentis,& in Spiritu ſancto lætiſſima conſcientiæ vultus decorem, totiuſque corporis venuſtatem exuberaret,ac redundaret.* Huc ſpectant quæ initio Certaminis dedimus de filiis Seth,deque ſplendore Adami in innocentiæ ſtatu.Meritò ergo Virginem Deiparam,Fœminam fulgorum,ac lampadum nuncupaoeris ; ſicut Debora vxor Lapidoth dicta fuit,id eſt Fœmina coruſca,& fulgorum , ſiue lampadum quia tota ſplendens, & coruſca conſpiciebatur.

In Maria ex ſenſuum potentiarumque viuacitate innatus quidam ſplendor reſultabat.

Alexander Magnus ex oculis aliquos luminoſos radios eiaculabatur adhuc in tenebris.

Dion. Cart.

Maria dicitur fœmina fulgorum

CERTAMEN XIII.

Admirabili pulchritudine, ac decore Marianum corpus venuſtat.

CORporea elegantia, ac decor,ex eo in bonorū album adnumeratur,quia planum & euidens 709.
eſt integerrimæ corporis temperiei , ac diſpoſitionis corporeæ optimè affectæ ſigoum,ac illatio quędam veluti naturalis conſequens ex apta , ac congruenti partium conſtitutione,& quædam Diuinæ pulchritudinis particula, veſtigium item , qoo veluti manu ducimur ad incomprehenſam Dei pulchritudinem veſtigandam, iuxta illud Sap.13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.*

Sap.13.

Fateor autem corpoream pulchritudinem parui eſſe æſtimandam à quolibet cordato viro , nedum virtuti dedito ; & quidem à B. Virgine flocci pendebatur , in cuius rei ſignum, Lunam quæ totius pulchritudinis ſymbolum eſſe ſolet , iuxta illud, *pulchra vt Luna*,ipſam tamē Virginem Deiparam pedibus Lunam terentem adſpexit Ioannes. Id Deus ipſe innuere viſus eſt,dum rebus omnibus à ſe productis laudis commendationem illam pro coronide adhibebat: *Vidit Deus quod eſſet bonum.* Gen.1.Demum in lucem editur homo,nulla tamen laudis cōmendatione ſubſcribitur. Vulgaris, ac trita reſponſio eſt illa ; nempe quia homo omnem commendationem ſolùm à Virtute auſpicaturus eſſet,& à bono vſu liberi arbitrij in re virtutis laudem hauſurus.Si verò inſtes ſciſcitaodo,cur ſaltem ſicut reliqua Dei opera à corporis pulchritudine, qua res omnes anteibat,vel commendatiooem aliquantulam ſibi non comparat à ſummo rerum Cōditore?Sed aptè in rem noſtram quæſtionem dirimit Ambroſius de inſtit.Virginis c.3. *Pulchra quidem ſpecies,& præſtantior cæteris animantibus : ſed irrationabilia ſpecie corporis æſtimentur , ea autem, quæ rationis plena ſunt communē laudem ſequeſtrent.* Quaſi res inanimes,ac rationis expertes de pulchritudine meritò laudes nanciſcantur ; homo tamen rationis compos de corporis venuſtate , ac decore commen

B.Virgo amnē corpoream pulchritudinē pedibus terit.

Apoc.12.

Gen.1.

Ambr.

Irrationabilitatem ſapit ex corporea pulchritudine laudes auſpicari.

commendatione indignus haberetur: cui alia longe præstantior laus præ omnibus reseruaretur. Ac si irrationalitatem saperet ex corporea specie, decore, ac vultus venustate, procera statura, membrorum proportione, virium integritate, ac rectâ reliquarum partium dispositione, ac physiognomiæ laudes explicari. Ideò B. Virgo commendationem omnem à corporea valetudine, ac pulchritudine despicatui ducit, pedibúsque proterit: cùm tamen pulchritudo bonum sit maximè inter reliqua bona naturalia, vt docet Stobæus serm. 65. *In primis equidem ipsum felicem existimo pulchritudine, quæ inter humana dona maximè conspicua, & suaui ima diis est; hominibus rarissima; possidenti minimè molesta; cognosci facillima. Cætera enim bona in homine sita, vt fortitudo, prudentia, latêre possunt, nisi opere aliquo demonstrentur: pulchritudo autem latêre nullo modo potest; statim enim in possidenti apparet; aut etiã à principio celerem sui sensum exhibet. Ad hæc bonis quidem plurimi inuident, & inimici redduntur; pulchritudo autem eos, qui ita sentiunt amicos reddit, & neminem inimicum sibi fieri permittit.* Diogenes autem specie, ac pulchritudine præditas appellabat Reginas, iuxta eundem Stobæum: Plato pulchritudinem, naturæ priuilegium vocat; non ergo tale priuilegium, ac regnum abesse poterat à rerum omnium conditarum Regina, & Imperatrice: ideò nos hic illam explicandam aggredimur, tanquam cœleste donum, ac diuinæ illius pulchritudinis scintillam.

Stobæus. Diogenes. Plato.

710. Triplex autem quæstio institui potest Prima, an Virgo Deipara corporea floruerit pulchritudine. Secunda, an nacta fuerit pulchritudinem in summo. Tertia, an specie æquè præstanti prædita fuerit, ac Beatorum corpora.

Circa primam, nonnemo asserere posset corporalem MARIÆ pulchritudinem non fuisse eximiã; quia Michaël de Medina libro de recta in Deum fide c. 7. eam Christi Corpori denegat, & variis rationibus id persuadere conatur, quæ vt plurimùm idem probant de B. Virgine. Verùm cum hanc Medinæ opinionem temeritatis nota inurat Suarius tom. 2. in 3. p. disp. 32. sect. 2. §. *Secundo ex eadem.* Eam meritò explodimus: rationibus autem oppositis totius Certaminis decursu fiet satis.

Medina. Soar.

711. Concors ergo tum Patrum, tum Scholasticorum sensus docet, eximia, ac præstanti formæ pulchritudine inter omnes conditas creaturas excelluisse Virginem Deiparam. Hugo Victor. ser. de Assumpt. Virg. *Ipsa, inquit, tota dulcis est, & tota suauis, vultu pulchra, & singulariter speciosa.* Greg. Nazianz. in Christo patienti ante medium sic habet: *O Virgo, forma quæ nitore cæteras præis.* Andr. Hierosolym. ser. de Assumpt. vocat B. Virginem, Eximiam Pulchritudinem, à Deo sculptam Statuam. Pet. Dam. ser. 1. in Natiu. Deiparæ: *Virgo Dei genitrix, cuius pulchritudinem Sol, & Luna, mirantur.* Pallescunt solares radij ac fatiscunt, sicum auricomis Deiparæ capillis in certamen veniant. Georgius Nicomed. Episcopus orat. in Præsentat. Deiparæ: *O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinum! ô Dei Genitrix pulchrorum omnium summum ornamentũ!* Hæc autem pulchritudo Virginea, vel positiuè vel negatiuè cõsiderari potest: vtramq; pulchritudinẽ meminit, ac laudibus euehit sponsus Cant. 4. aiens: *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Vbi Virgineam pulchritudinẽ positiuã declarat, & rerum omnium coaceruatione, quæ absolutissimã pulchritudinem constituere possunt, exornatam decernit: Deinde eorum omnium carentiã, quæ quidquam eius decori, ac venustati detrahere, illamve diminuere posset, ab ea longe propulsat, in quo pulchritudo negatiua describitur, vt bene aduertit D. Bonau. ser. 1. de B. Virgine. *Non solum, ait, pulchra es, in quo notat eam omnem pulchritudinem habuisse bonum; sed addit: & macula non est in te; in quo notat eam nullam maculam admisisse, vt sic fuerit summè pulchra per omnis boni præsentiam, & fuerit absque macula per omnis mali, & culpa absentiam.* Quare meritò Virgini Deiparæ Sapien. verba c. 7. adaptantur. *Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur prior.* Sicut ergo cœlestia lumina prospectantium oculos sua pulchritudine, ac venustate oblectant, ac luce sua circumfundunt; sic etiam nulla reperiri potest pulchritudo, nullus decor, nullas venustas, qua Mariana pulchritudo non sit longe eminẽtior.

B. Virgo pulchritudine reliquas omnes creaturas excelluit. Hug. Vict. Naz. Andr. Hiero. Pet. Dam. Geor. Nico. Cant. 4. Bonau. Sap. 7. 29.

Hæc autem Mariani corporis excellens pulchritudo ex optimo ipsius temperamento constare potest; cùm enim ex communi Medicorum, & Philosophorum calculo, pulchritudo ex optima corporis constitutione, apta membrorum dispositione, proportione, ac magnitudine consurgat, quæ omnia in corpore Mariano reperiri abundè in peculiari Certamine huius Palæstræ ostendimus, adeóque corpus Virgineum omnium creaturarum pulcherrimum exstitisse affirmandum censemus. *Vera pulchritudo,* ait, Galen. lib. 1. de vsu part. c. 5. *nihil aliud est, quàm constitutio optima.* Et lib. de Hipp. 5. c. 3. *Pulchritudo corporis ex omnium Medicorum, Philosophorumque sententia in membrorum apta connexione sita est.* Accinit S. Ambrosius lib. 1. Hexam. c. 5. *Illa est vera pulchritudo, & in singulis membris esse quod deceat, & in toto; vt in singulis gratia, & omnibus forma conuenientis pulchritudo laudetur.* S. Aug. lib. 8. de Trinit. c. 3. *Vt bona facies hominis est vt sit dimensa pariliter, & affecta hilariter, & luculenter colorata.* Hæc omnia aptissimè in corporis Mariani structuram, membrorumque dispositionem, ac reliquarum partium proportionem quadrare, ex verbis Deiparæ, Filij sui speciem, formamque describentis apud S. Brigittam lib. 4. Reuelat. c. 7. rectè deducere possumus: *Filium meum, qualis est in cælis videre non poteris; sed qualis erat secundum corpus in mundo, cognosce: Ipse enim tam pulcher facie erat, quod nullus videbat eum, qui non consolabatur in adspectu ipsius, etiamsi præcordialiter dolorem haberet: iusti verò spiritali consolatione consolabantur: sed & mali à tristitia sæculi tãto tempore, quo eum videbãt, releuabantur. Vnde & dolentes dicere consueuerant: eamus & Filium Mariæ videamus, vt saltem tanto tempore releuemur. Anno igitur 20. ætatis suæ in magnitudine, & fortitudine virili perfectus erat inter medios moderni temporis magnus, non carnosus, sed neruis, & ossibus corpulentus. Capilli eius, supercilia, & barba croceum colorem referebant, frons non prominens, vel mersa, sed recta: nasus æqualis, non paruus, nec nimis magnus, oculi verò eius tam puri erant, quòd etiam inimici eius delectabantur eum adspicere: labia non spissa, sed clarè rubentia, mentum non erat prominens, nec nimis longum, sed pulchrè moderatione venustum. Maxillæ carnibus modestè plena, color eius erat candidus, claro colore permixtus, statura eius recta.* Ex quibus perspicuè Mariana pulchritudo depingi potest; cùm enim inter Filium, ac Matrem maxima intercesserit similitudo, eadem corporis constitutio, idem temperamentum, eadem etiam forma, & species, quantum sexus inæqualitas pati potest, ac proinde quæ de filij corporea pulchritudine dicuntur, eadem de Deipara affirmanda censendum 712.

Gal. Hipp. Ambr. Aug. Brigitta.

censendum est. Quòd ipsemet Filius attestatur apud eandem D. Brigitt. lib. 1. reuel. c. 51. *Sicut semen*, ait Christus, *vbicunque seminatur tales flores germinat, quale semen fuerit. sic membra mea conformia fuerũt membris tuis in forma, & facie.* Confirmat S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 11. §. 1. & suo, & Alb. Magni suffragio: *De pulchritudine particulari docet Alber. in tribus sitam esse, nempe in debita corporis quantitate, & qualitate, in eleganti membrorum dispositione, & proportione, & coloris venustate. Conueniens quantitas corporis Deiparæ probari potest à quantitate corporis Filij sui, quod tanquam perfectissimum in suis naturalibus debitissimam habuit quantitatẽ; corpus enim Filij formatur à corpore generantis, ita vt de tali tale, & de tanto tantum, nisi error, aut impotentia impediat, vel per viã accidentis aliter fiat: sed naturaliter magnus magnum, & paruus paruum, & tantus tantum. Cum ergò Filius habuerit in summo debitã quantitatem, & Mater eius Virgo habuit debitam quantitatem conuenientem fœminæ. idemque de qualitate dicimus.* Ibidem autem singulas corporis partes describens ex Gnati pulcherrima membrorum proportione, ac symmetria, colore, figura, venustate, ipsius parentis pulchritudinem dimetitur, arguméto ex Philosophorum penu deprompto. *In formatione*, ait, *corporis à generante, sic formatur totum à toto, quod à qualibet parte generantis sit formatio: vnde inter generantem, & genitum naturaliter, & regulariter singulorum membrorũ ad inuicem est similatio in forma, & figura, nisi per viam accidentis impediatur; in corpore autem Dominico formando nullum potuit intercedere impedimentum, cùm Spiritus sanctus formator exstiterit; & ideò membra illius corporis fuerũt elegantissimæ dispositionis, & congruentissimæ proportionis; ita vt oculi non fuerant nimis grandes, vel parui respectu aliorum membrorum: similiter aures, genæ, os, & brachia, manus, tibiæ, & huiusmodi alia, sed singula erant aliis correspondentia: & idem dicendum est de membrorum proportione B. Virginis matris eius; quod probatur ex parte geniti.* Roborat ergo argumentum ex similitudine Matris cum Filio: vbi enim generatio perfectissima intercedit, nullúmque interponitur impedimentum, similitudo maxima inter generantem, & genitum interuenit: sed Filius speciosior formâ præ cunctis hominibus prædicatur; ergo illo dempto, eius diua parens omnium pulcherrima, & speciosissima iure quidem extollitur. Quam argumenti vim premit idem Antoninus citatus: *Secundum Philosophum, naturâ est vis insita rebus, ex simili similem procreãs; nisi ergo natura impediatur, vel erret, filius erit similis Patri, vel Matri. Vnde sequitur, quòd Filius, qui nascitur de Matre, & non de Patre, & tali operante quod impediri non potest, vel errare, scilicet, Deo; ibi necesse est Filium fieri similem Matri, & è conuerso: sed ipse est pulcherrimus iuxta illud: Speciosus forma præ filiis hominum; & in ipsum desiderant Angeli prospicere: ergo & Virgo Deipara est pulcherrima.*

713\. Deinde eadem Thesis robusto firmatur argumẽto; quia si ritè rimeris causas omnes, ex quibus pulchritudo resultare solet; intelliges summam Deiparæ pulchritudinem exstitisse. Primò ex causa materiali; quia vt ait S. Brigitta serm. Angelico de Virginis excellentia; *de puris, & claris elementis materiã benedicti corporis habuit Maria.* Secundò, ex parte formæ; ab animi enim pulchritudine in Deipara ad corporis decorem, & elegantiam ducit pulchrũ argumentum S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 10. §. 2. *Corpus*, inquit, *humanum pulchrius est, & nobilius omnibus corporibus brutorum propter vnionem ad animam rationalem; ergo nobilitas corporis attenditur, & augetur ad nobilitatem animæ, ad quam ordinatur vt suum perfectibile, forma enim, & materia debent esse proportionabilia: si ergo anima Virginis fuit nobilissima post animam Filij, igitur & corpus eius fuit nobilissimum & pulcherrimum post corpus Filij: Corpus enim Filij, quia vnitum Deitati, ideò perfectissimum in pulchritudine: vnde corpus immediatè ordinatum ad ipsum erit secundo loco pulcherrimum; sed illud fuit corpus Matris, vnde assumebatur id, quod vniebatur Diuinitati, propter quod sequitur quod fuit pulcherrimum corpus B. Mariæ.* Quæ igitur omnium perfectissimam animam nacta fuit, speciosissimum, & pulcherrimum corpus deposcebat. Huc adueco verba Antonij Cordubæ lib. 1. q. 45. *Imo etsi pietati, & quidem rationi consonanea locus est; ingenuè credendum est, simul atque semina Parentum in vtero coaluerunt, à sorde, & infectione qualibet naturali Diuinitus esse purgata, vt inde purissimum corpus Virgineum sine vllu naturali infectione, corruptione, & vitio formaretur; quod nullis, nisi diuinis vsibus mancipandum erat.* Tertiò ex parte efficientis, nempe Deo, qui in elaborando corpore Mariano plus operis præstitit, quàm ipsa natura. Certum autem est, vbi efficientis causæ vis, ac virtus sit potens, nullusque sit obex, opus præstantissimum, ac pulcherrimum proditurum. Neque fas erat, ait Plato in Timæo, quidquam nisi pulcherrimum facere eum, qui est optimus. Quartò, à finali causa; quæ enim ad generandum corpus omnium dignissimum condebatur, opus fuit vt pulchritudine, forma, ac decore reliquis anteiret.

Alb. M.
Anton.

Antoni.
Christus D. omnino similis parenti sua pulchritudine, & phisiognomia.

Pulchritudo B. Virginis ex quadruplici genere causa ostenditur.

Antoni.

Corduba.

Plato.

Nec parui facienda hæc Mariani corporis pulchritudo quæ per plura capita ab Spiritu sancto decantatur toto Cant. libro, vbi singularũ partiũ Virginei corporis pulchritudo, & elegãtia describitur: & quidem id omne, quod absolutissimæ venustatis fingi, excogitaríve potest in corpore humano, id omne in corpus Marianum effigiandum congessit omnium molitor Deus, quod proculdubio eximiũ Dei facinus, opus sane egregium, ac nobilissimũ primatus, & imperij inter corpora omnia obtinuit principatũ. Mentis ergo oculos coniiciamus paulisper in eximiã, ac imperio dignã illã corporis Virginei pulchritudinẽ ab Spiritus sancti penicillo effigiatã: vultus splendorẽ cum maiestate coniunctũ contemplemur, vbi gratiæ omnes sedẽ fixerunt. Benè Salomon omnes cõuocat creaturas, vt tantũ opus suspiciant, & admirentur, c. enim 1. Cant. nomine filiarũ Sion, fœminas omnes inuitat, vt hanc Sponsam tanquam omnium formosissimã prædicent. Cap. 2. ipse Salomon attonito similis, ac tãtæ venustatis stupore correptus, ter eam pulchrã vocat, quasi lingua hæreret faucibus; nunc campi florem; conuallium lilium inter vepres, dumetaq; quę si cum Virgine Deipara cõponantur, sicut & aliæ pulchritudines, horrida spineta videbuntur. c. 3. Sionides sui decoris fasces submittentes Marianæ venustati occinunt: *Quæ est ista, quæ ascẽdit de deserto sicut virgula fumi?* in qua gratiæ omnes, ac naturæ dotes amica societate conueniẽte, & quasi comminutæ instar pulueris pigmentarij ex aromatibus variis confecti, vt hanc vnã condecorarent, eiúsque pulchritudinẽ adaugerent. Cap. 4. quasi proferre non valens nec minimã huius pulchritudinis particulam, quasi balbutiens hiulcã periodum producit: *Quã pulchra es! quàm pulchra es!* præ admirationis magnitudine. Cap. 6. Adolescentulæ sententiam ferunt pro hac vna Virgine, eamque pulchritudine adeò cæteris antistare; sicut Luna inter reliqua sydera; adeo venustatis viribus pollens,

714\.

Totus Canticorum libro est descriptio pulchritudinis Mariana.

Cant. 3.

Cant. 4.

tantoque pulchritudinis robore prædita, vt iam sit instar exercitus communiti in aciem prosilientis, ingenté victoriã ab hoste debellato reportantis; cùm faciem auricomã rubeam, ac candidã ostentat, quasi tormentarium puluerem displodit, quo adstantium oculos, ac corda in sui amorem accendat.

715. Hæc in genere Salomon de Mariana pulchritudine; vnamquanique verò corporis partem multiplici symbolo, ac similitudine varia, seorsim postea describendam aggreditur. Statura ipsius, palmæ quãsimillima rectissimæ, quæ io alterã partem flecti non potuit, oec pluriũ annorũ pondere, nec dolorũ, ac laborũ grauedine. Virgineũ caput seosuum emporium cum Carmelo confert; mons omniũ vberrimus est, siue vinearũ feracitate, siue oliuarũ pinguedine, siue arborũ, fructuumq; vbertate, siue plantarũ florumq; odorifera salubritate; siue aëris téperie, siue soli abũdaotia; hæc enim omnia io voũ coire opus est, vt aliqoo modo eminentissima illa sensuũ, potentiarumq; statio Virginea exprimi possit, vel potiùs adũbrari, tanquã rudi tabula. At Mariæ vultus totus Maiestate plenus, nec rotundus, nec acuminusus, sed aliquantulũ loogior cũ omni decẽtia, ac prnportione, eam auté præseferebat grauitaté modestam, vt spectantiũ corda prosterneret in terram, ac in sui obsequiũ blanda quadã vi, efficaci tamé alliceret. Oculi verecundi, demissis semper superciliis, coloré viridé referebant similé oleæ, ideoq; Columbarũ oculis assimilari dicuntur, quæ iuxta aquarũ fluenia subsidétes vicinarũ arborũ viroré exprimebant. Hinc Sionides virgineos oculos cũ piscinis Hesebon componunt, quæ virore quodam ob arborũ viciniam emicabant. Nasum turri Libani Damascum respicienti assimilat; sicut turris affabrè exstructa, quacunq; ex parte conspecta gratã mirabilemque perspectiuã exhibet; ita etiã hæc pars in media vultus parte sedem habens iucundum adspectũ omni seruata proportione inspectantibus proponebat. Florigera Mariæ labia, ac rosea instar vittæ coccineæ, ob rubedioem; instar faui, ob verborũ suauitatem. Hæc auté corporis pulchritudo in B. Virgine nullo ætatis tempore, nullis ieiuniorũ, vigiliarũ, ac peregrinationũ asperitatibus vnquã deperdita. Quáuis enim Deipara si in longiores annos vitam protraheret, inspecta lege cõmuni, ac Dei prouidentia ordinaria pulchritudiné deperderet, vel aliqua ex parte minueret, vel annorum vi, vel ipsa natura defectrice, dũ tamen huius vitæ superstes fuit, harmonica humorũ proportio, ac eximiũ, & excellens temperamentũ primæuam pulchritudiné conseruauit, omni fœda rugarum, & maciei cadauerosæ senecta procul abacta. Et ausim dicere sine miraculo corpus eius, vtpote robustius, ac vegetius corporibus ante diluuium existentibus, natiua vi per plura sæcula, atque annorum centurias seruari potuisse, nisi Deus Virginem B. amoris spiculo feritet in mortem. Si igitur Mariæ longior vita debebatur, vtique septuagenaria florentem iuuentæ pulchritudinem custodiret illæsam.

716. Illa cantatissima Parœmia, pulchritudiné scilicet esse floré deciduũ, velocé, fugacem, eodé penè momento vernanté, & arescenté. Fallit in Deipara, quæ semper pulchritudiné, & venustaté præse tulit: cuius typũ gessit Sara, quæ nonagenaria pulchritudinem nou exuit. Coofer 90. annos Abrahami tépote cum annis 70. æuo Mariæ, & facilè deproioes eaodem vtrobiq; assignari proportioné. Applaudit huic cogitatui Hesichius serm. 2. de laudibus Deiparæ, ipsã vocans, Virgã semper viridé. Et quidem oportuit vt hæc pulchritudo semper illæsa seruaretur io Maria, si enim flos ille emarcuisset ætate ingrauescéte, minus amabilis appareret, rugis, ac pallore obsita, ac

Hesichius.

protnde minùs, inspicientes in sui amoré, & cultũ alliceret. Probat Pererius in Geo. disp. 1. in c. 20. nõ esse miraculo attribuendũ quòd Sara nonagenaria cum vultu decẽtissimo ac pulcherrimo appareret; si ergo nihil venustatis Saræ detraxit senilis ætatis grãdæuitas, nec tot susceptæ peregrioationes cum Abrahamo, non tot labores exantlati: si pulchra Rachel nimis, licèt pastrix ouibus aduigilabat, Gen. 29. *Et ecce Rachel veniebat cum ouibus Patris sui: nã gregẽ ipsa pascebat:* Et tamé de illa ait Iosephus lib. 1. Antiq. c. 19. *Iacobus verò non tam cognatione, aut huius affectu, quàm insigni puellæ forma captus obstupuit, vt qui perpaucas viderat pulchritudine huic conferẽdas.* Quid mirum, si asseramus B. Virginem post tot susceptas cum Filio peregrinationes, post tot superatos labores, illæsam cooseruasse cutis venustaté, formæ elegantiam, nec pulchritudinis floré ætatis grandæuitate fuisse decussum. Vxoré Ioachimi appellauêre Susannã ipsius consanguinei, id est Lilium, vt illius pulchritudinis primatũ exprimerent. Esther Edissæ nomine donatur quæ Myrtum denotat, pulchritudinis symbolum; ideoque Veneri gratissima sacratur, vt eius singularis gratia extolleretur. Absalonis Filia Thamaris nomine nũcupatur, quod Palmã adsignificat, quia inter pulcherrimas fœminas primas ferebat, & palmã reportabat. Tribus Iobi filiabus, nomina Diei, Cassiæ, & Cornustibij indita fuêre, quia inter cæteras omnis speciei, & gratiæ imperium retolêre. At Virgini Deiparæ Mariæ nomen iure quidem optimo inditũ, quod Maris crispantis pulchritudiné, pluuiarũ fœcunditaté, Arabiæ Myrrhã odoratissimam, gemmas, pretiosissimas domioiũ, Maris stellã, sydus polare, adeoque cœlorũ splendoré, elementorum concinnitaté, fragranté plantarũ salubritaté, syderũ decoré scintillanté adsignificat, & cohibet. Hinc spõsus dũ Marianã pulchritudiné laudibus effert à palma ducit similitudiné, Cant. 7. *Quam pulchra es, & quã decora charissima in deliciis; statura tua assimilata est palma.* Vbi à totius corporis elegãtia, aptaq; membrorũ omniũ conformatione Mariana pulchritudo cõmendatur, & cum palma confertur, quia inter omnes pulchritudinis palmã præripit. Deinde palmæ folia gladiorũ similitudiné referunt; tot igitur gladiis accingitur palma, quot foliis decoratur; sic Deipara quot pulchritudinibus venustatur, tot acutissimis gladiis accingitur, & quidé districtis ad aduersariorũ cuneos cædendos, prosternẽdos, & intuentiũ corda feriecda, & in sui amorem subiicienda: quippe decor, & venustas, Gladius nuncupatur Ps. 44. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tua & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna.*

Pererius.

Gen. 29.

Vna Maria omnium pulchritudinum splendorem in se cohibet.

Cant. 7.

Pulchritudo Mariana ficut palma, quoniam inter omnes palmam præfert.

Ps. 44.

717. Eamdem Virgineam pulchritudiné venustissima similitudine ex Cant. lib. deprompta, libet describere; vbi postquam sponsus Virginem Deiparam omniũ pulcherrimã extulit, ait c. 1. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea:* hoc est vt quidã nobilis Interpres eius loci trãsfert, *In curribus Pharaonis euertendis, ac dissipandis similis euasisti equitatui meo potẽtissime.* Sed quid similitudinis habere potest oris venustas, ac corporis pulchritudo cum equitatu? Equidem plurimùm; perinde enim est, ac si diceret Spoosus; ea est tui vultus elegantia, decor, orísque venustas, vt meritò te vocem potentissimum quendam equitatum ad omnium animos expugnandos, & subigendos: sicut enim in bello immissus equitatus acerrimè dimicare solet, hostium turmas hinc, indeque cædens, hostilem acié euertens, eósque qui ab ore gladij effugerant fugæ cõmittens: ita Virgineæ pulchritudinis lineamenta, gratus oculorum adspectus, nitens genarum color,

Cant. 1.

Pulchritudo Mariana tãquã exercitus equestris ad omnes voluntates subigendas.

lor, oris decor, & elegantia, vultûs venuſtas, aptiſſima cæterarum partium diſpoſitio, validiſſimus erat exercitus equeſtris ad omnium voluntates etiam rebelles ſubigendas, Deóque ſubiugandas: Quò reſpiciebat Sponſus Cant. 6. dum ait: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Sicut ergo acies inſtructa eſt viſui pulcherrima, & quodam mentis ſtupore admirabilis, terroremque hoſtibus incutiens, de eiſdē triumphans; ita ſe habet Mariana pulchritudo, eſt veluti numeroſa equitum phalanx, acieſque eum dexteritate inſtructa, potentiſſima ad hoſtium cuneos ſuperandos, ad quodlibet ferreū pectus emolliendum; adſpectui quidem pulcherrima, quęque in admirationem, ac ſtuporem rapiat. Imò nihil in hac vaſta creaturarum vniuerſitate, nihil omni ex parte ita pulchrum reperiri poteſt ad exprimendam hanc B. Virginis venuſtatem, ſolum in cœlis tantæ pulchritudinis aliquales vmbræ, ac lineamenta viſuntur: quare Sponſus eam pulchram vt Luna, vocat; electam vt Sol.

Cant. 6. 3.

CERTAMEN XIV.

Vlterius Mariana pulchritudo prædicatur, & obiecta refelluntur.

718. IN ſtuporem acti ipſi Cœlites præ Mariana pulchritudine eaſdem intonant voces: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol?* Quibus ſymbolis omnium maximum fuiſſe B. Virginis decorem ſubindicant; Poëtarum inſtar, qui frequenter formæ pulchritudinē, modò cum aſſurgente Aurora; nunc cum dealbicātis Lunæ radiis; interdum cum Solis ſplendore cōponunt; quorum exempla paſſim obuia reperies. Plutarchus de Cleopatra: *Exaggerauit,* inquit, *probrum, quod geminos ex illa ſuſtuliſſet, appellaſſetque vnum Alexandrum, alterum Cleopatram, cognomine hanc Lunam, illum Solem.* Addunt Cælicolæ; *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Quo denotent fortiora multò tela, quę ex pulchritudinis pharetra depromuntur, quam quorumuis armatorum. Quos nō proſternat amor, ſi pulchritudinis telo adoriatur? fortiter ſanct. Chryſolog ſerm. 40. *Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœna, quæ mortes amorem præualent ſuperare perfectum? Amor impenetrabilis eſt lorica, reſpuit tacula, gladios excutit, periculis inſultat, mortē ridet; ſi amor eſt, vincit omnia.* Cùm ergo ſponſam pulcherrimam deſcripſerint, eam ſimul terribilem, ac formidabilem proponunt. Hinc Balaam ſuis ſuadebat, neutiquam cum Iſraëlitis debellandum, inſtructis armatorum cuneis, fortiſſimorum militum legionibus, cataphractorum potentia inſuperabili, ſed egregiæ formæ fœminarū lenocinio, puellarūque decora venuſtate, vernante decore: quod verum probauit euentus apud Numer. librum. c. 24. & 31. Quod factum venuſtè ponderat Orig. hom. 20. *Si vis,* ait, *eum populum vincere, primum eorum pudicitiam deiice, & ſpontè vincentur. Sed aduerſum hæc, non virtute militum, ſed mulierum decore pugnandum eſt, nec armatorum vigore, ſed fœminarum mollitie; forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat; vincentur ſpecie, qui non vincuntur prælio.* Qua de re videndus Ioſephus lib. 4. Antiq. c. 6. Philo in vita Moſis, Theodoretus q. 45. in Numer. Nefandū profectò Balaami conſilium, Diabolicum ſtratagema Madianitis, & Moabitis exhibitum, ne ſcilicet cum populo Dei armorum vi, ſed fœminarum venuſtate decertarent. Iam ergo bello accinctus erat Iſraëlitarum exercitus, iam Madianitarum phalanges præſtolabatur; Moabitarum cohortes, armatorum Myriades, quibuſcum manus consererent; cùm ſubito, inopinóque facto pulcherrimarum puellarum inſtructam, ac coordinatam aciem proſpectat, quæ non aliis telis erant cum ipſis congreſſuræ, niſi natiua pulchritudine: quæ loco caſſidum, aureas, criſpantéſque comas, vndantem cæſariem per humeros expanſam diſcriminabant; loco ferrei thoracis candida colla, ac nudata vbera obiiciebant inſpectantibus, & manibus idolorum paruas effigies ferebant: quibus inſpectis Hebræorum milites hoſtium ferociam in amantium teneros amores conuerterunt, quo facto penitus ſubacti Iſraëlitæ, ac deuicti cæſique fuerunt. *Perſuaſit itaque,* ait Theodoretus citatus, *Madianitis, vt non viri ſed mulieres cum illis decertarent; quæ non armorum vi, ſed amorum potentia, & corporis venuſtate, ac verborum illecebris eſſent præditæ, vt illarum pulchritudine capti, illorum idolis inſeruirent.* Alij per Caſtrorum aciem ordinatam, capiunt cœli ſydera, & quidem appoſitè; ſic enim Mariana pulchritudo cū Aurora, Luna, Sole, & ſtellis confertur. Quòd autem aſtra cœli militia dicantur, conſtat ex Deuter. 14. & 4. Regum 23. & Iudic. 5. vbi dicitur: *De cælo dimicatum eſt contra eos; ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo aduerſus Siſarā pugnauerunt.* S. Aug. lib. 7. de Ciuit. Dei c. 16. Soli, ac Lunæ ſagittas attribuit, quibus hæc duo ſydera de cœlo radios terras vſq; eiaculentur. Hine addiſces, cur à Ioanne Apoc. 12. Deipara Solis radiis, Lunę cādore, ſtellarūq; ſplēdore circūueſtiatur; quippe eius pulchritudine ſyderū, Lunę, Soliſq; nitor, ac iubar accreſcit, & adaugetur.

Cant. 6. 9. — Plut. — Chryſol. — Num. 24. — Orig. — *Pulchritudo potentius telū ad omne hoſtium robur edomandum, ac proſternendum.* — Ioſephus. Philo Theodor. — *Aſtra cæli militia dicuntur.* — Iudic. 5. — Aug. — Apoc. 12.

719. Tanta autem fuit hæc Mariani corporis, animiq; pulchritudo, ac decor, vt Deus ea captus, veluti extaſim paſſus ſit, ſic Leſſius li. 9. de perfectionibus Diuinis c. 3. n. 13. Deo venuſtè aptat rationē extaſis; veluti enim Mariana ſpecies extra ſe rapuit Deum, cū vt homo fieret, fecit, & tāquā ſui oblitus, factus eſt temporalis, cuius ſine principio, ſine fine æternitas, egenus, atq; inops, cuius ſunt omnia mūdana; atq; cœleſtia, tantóque noſtræ incubuit ſaluti conamine, vt de ſuis nihil cogitaret emolumētis, quò nos in æternā requiem eueheret. Huc reſpiciebat ſponſus Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Vbi Rabbi Abraham ita transfert: *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi fortiores fuerūt me, præualuerūt, & abſtulerunt mihi robur meū.* quaſi nimirū Deus conſpecta B. Virginis pulchritudine, veluti mentis deliquiū paſſus ſit, totum ſe Virginis eſſe confitens, vt ipſe planè confitetur Cant. 4. *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meū in vno oculorū tuorū; in vno crine colli tui.* LXX. verterunt, *excordaſti, & ſtupefeciſti.* Quaſi mira ſui pulchritudine ſponſum ſubegerit, ſibiq; ita ſubacto eū blandè inſultantē cor eripuiſſe, ex quo tēpore cordis ſponſi Domina effecta vocat ſponſum Cor ſuū: Cant. 5. *Ego dormio, & Cor meum vigilat:* ad me cuſtodiendum ſcilicet; vnde quiſque deinceps à me Sponſum eripere contendat, quaſi mihi cor eripiat, & auellat animam, vitamque auferat. Victus igitur ſponſus à pulchritudine Mariæ, ſolùm deerat, illum veluti catenis alligari; habes igitur alligatum: primo namque vnius Deiparæ oculo deuictus capitur, ac tanquam captiuus vincitur, blandè tamen, nempe Virgineis crinibus: *vulneraſti,* inquit, *cor meum in vno oculorum tuorum, in vno crine colli tui:* hoc eſt pulcherrima capillorum cæſarie: quod luculentius exprimitur Cant. 7. *Comæ capitis tui, ſicut purpura regis iuncta canalibus.* Septuaginta transferunt: *Cæſaries capitis ſicut purpura, rex ligatus in canalibus.* Conferuntur ſponſæ crines cū canalibus; criſpantes nempe capilli, vndā-

Pulchritudo Mariana ea fuit, vt veluti Deum extra ſe rapuerit. Leſſius. — Cant. 6. — Cant. 4. — LXX. — Cant. 5. — Cant. 7.

Maria fortis illa virago qua Deum subegit pulchritudine sua, ac suiflauo capillamento legantis, ac venusto.

tibus aquis rectè assimilantur. Virgineo ergo capillamento sufflauo captū, constrictumq; regem gerit Virgo Deipara, aureisq; crinibus irretitum; quamobrem Salomō in Muliere forti, ac belligerante Bellona peruestiganda tempus non terat. Adest enim fortissima Virago, quę Deum ipsum subegit, ac vultus sui decore, ac venustate, suo subiugauit imperio. Verum Rabbi Salomon vertendum locum illum censet ita: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me superbire fecerunt.* Quasi tanta fuerit Virginis Deiparæ pulchritudo, vt Deus ipse de tam absoluti omnibus suis numeris operis elegantia, iactantiæ discrimen subire posset, sibi ipsi quasi gloriabundus efferri, ac superbire videretur; adeòq; monet sponsam Deiparam, vt à se oculos interdum auertat, ne de tanti operis præstantia sese nimis iactaret, vt ita humano loquendi modo dicam, & arrogantiæ, cuius non est capax, speciem præ se ferret.

Mariana pulchritudo ea fuit, vt Deus quasi iactātiæ discrimen subire posset de hoc opere suo adeo eleganti.

720. Sed ingruunt Aduersarij, & vndique inimica intonant arma: Hanc igitur Marianā pulchritudinem inficiantur primò, quia loca ex sacris voluminibus deprompta, non ad pulchritudinem corporis B. Virginis, sed ad animi; virtutumque decorem, & concinnitatē referenda sunt; neq; enim B. Virginem decebat pulchritudo Adonidis, Narcissi, Ganimedis, vel Helenæ, Athalantæ, aut Ariadnæ, & similium; de his bene inclamat Sapiens. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Verùm falsum est solùm capienda illa sacrę Scripturę loca, in qoibus Virgineus decor commendatur, de virtutum concinnitate, animique decore; illa enim passim Doctores ac Patres de corporea B. Virginis pulchritudine interpretantur: cùm enim Deipara simillima fuerit in corporis lineamentis, ac vultus physiogoomia Filio, quē pulcherrimum exstitisse Patres, ac Interpretes tradunt; quidquid in oppositum asserat Medina citatus: at Filius inter omnes speciosus effertur, vt monuimus. Instas, non decuisse B. Virginem affectare pulchritudinem; licèt enim non oportuerit, illam esse deformem, tamen Virginem Sanctissimam, mundi contemptricem, omnis voloptatis interemptricem, honoris, ac diuitiarum, & omnium rerum. quæ in sæculo amantur, atque adeò pulchritudinis inimicā, quia sciuerat in sacra Pagina non semel fœmineam pulchritudinem, tanquam fallacem, euanidam, & nociuam taxari. Eccles. 9. *Virginem ne conspicias ne fortè scandalizeris in decore illius.* & iterum: *propter speciem mulieris multi perierunt & : ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Quis verò non videat pulchritudinem quamplurimis offendiculum esse, quo in barathrum ruant. His tamen, & aliis occurrendum est, naturalem pulchritudinem cum summa virtute, & modestia coniunctā, maximè exornare quemcunque virum Sanctissimum, atque adeò multo meliùs Virginem Deiparam; præsertim quando solum ab ipsa naturali compositione, & formatione exoritur, non ex humana curiositate, & affectatione. Quam autē procul iret Mariana pulchritudo ab illis incommodis, quę ex Sacra scriptura depromuntur, infrà videbimus.

Prou. 31. 30.

Eccl. 9. 5.

721. Secundò: obiectant Aduersarij aliquot Patrum testimonia, quæ Michaëli Medinæ auxilium præstare videntur. Nam Basil. mag. in psal. 44. hæc habet: *speciosam forma Dominum appellat, eius innuens Diuinitatem; nō enim carnis pulchritudinem laudat; nam scribitur: Vidimus eum, & non habebat speciem, neque formam; sed eius species ignobilis fuit præ omnibus.* Theodoretus eiusdem videtur esse sententiæ dum præfata Psalmi verba, ad virtutem, non ad corporis pulchritudinem intorquet. Subscribit S. Cyrillus Alexand. lib. 5. comm. in Isa. *Species,* inquit, *eius inhonorata, quemadmodum quoad Diuinam, & supremam excellentiam, & illustrem decorem naturæ omnia superantis dictus est formosus pulchritudine præ filiis.* (Addit adhuc maius) *despectior omnibus hominibus, videlicet species eius in humili, & abiecto ordine erat Emanuel, ita vt aliis hominibus inferior videretur.* Fauet Clem. Alexand. 3. Pædag. c. 1. *Ipsum autem Dominum fuisse adspectu deformem testantur spiritus, per Esaiam: & vidimus ipsum, & non habebat speciem, neque pulchritudinem, sed species eius vilis, diminuta præ hominibus; quis est autem Domino præstantior? sed non carnis pulchritudinem, quæ visione apprehenditur; sed veram animæ, & corporis ostendit pulchritudinem, animæ quidem beneficentiā, carnis verò immortalitate.* His suffragiū fert Tertul. de carne Christi, c. 9. aiens de carne Christi. *Carnis terrenæ non mira conditio, ipsa erat, quæ cætera eius miranda faciebat, cum diceret; vnde huic doctrina, & signa ista? etiam respicientium formam eius hæc erat vox. Adeo nec humanæ honestatis corpus fuit, nec dum cœlestis claritatis. Tacentibus apud nos quoque Prophetis de ignobili eius adspectu, ipsæ passiones, ipsæ contumeliæ loquuntur; passiones quidem humanam carnem, contumeliæ verò inhonestā probauere.* Cùm ergo iuxta hos Patres Christus D. corporea pulchritudine non floruerit, & Virgo Deipara Filio corporis lineamentis, quamsimillima exstiterit; ergo nec B. Virgo insigni decore prædita fuit. Non tamen hæc ita nos vrgent, vt à sententia nostra arcere queant; præsertim cum falsò à Christo D. corpoream pulchritudinem demant, reclamantibus Patribus, ac Doctoribus. Qui autem hîc producuntur, intelligendi sunt de Christo patiente; si verò absolutè denegent corpoream Christi pulchritudinem, illos non amplectimur: vnde hac ex parte Mariana pulchritudo labefactari non potest.

Basil.

Aliqui Patres pulchritudine corporeā à Christo D. tollere penitus videntur.

Theodor.

Cyr. Alex.

Clem. Alex.

Tertul.

Tertiò, Virgo Deipara nulli morbo obnoxia fuit, 722.
nec vlla vnquā corporis ægritudine laborauit, omnis autē excellens pulchritudo cum insigni sanitate rarò coniungi solet, neq; enim aptè coëunt tēperamentum sanitati idoneū, & simul pulchritudini aptū: ergo vel robusta B. Virginis valetudo nutabit, vel excellens pulchritudo ipsi est deneganda. Hinc cōstat quotidianis experimētis viros, ac fœminas pulchriores plus esse ægritudinibus obnoxios reliquis. Falsum tamen reor optimā valetudinem non posse coniungi cum maxima pulchritudine. Nam Clem. Alex. l. 3. Pædag. c. 11. ex optimo tēperamento, & sanitate pulchritudinē coagmentat: quod firmat Marsilius Ficinus in conuiuiū Platon. orat. 5. c. 1. vbi ait: *In animalibus autē salubris humorū complexio iucundam lineamentorū & colorū speciem procreat.* Eiusdē est sentent. Tull. l. 1. offic. *Venustas,* inquit, *& pulchritudo corporis secerni non potest à valetudine.* Adfauet Ambr. l. 1. offic. c. 45. ait enim: *Pulchritudo super salubritatē, & valetudinē videtur excedere, & tamē sine his esse non potest.* Cùm ergo Deipara optimo fuerit tēperamento prædita, etiam inerat illi venustas, ac perfectus color, qualis ad pulchritudinem maximā attinere opus erat. Si verò formosi aliquādo morbis subiacent; non tamen inter se pugnant optima valetudo cum maxima pulchritudine coniuncta. 723

Pulchritudo excellens raro cum insigni sanitate coniungi solet.

Clem. Alex.

Mars. Ficin.

Tullius.

Ambros.

Instabis Virginem Deiparam decuisse maximè virilem, ac masculā fortitudinē, qualis fuit in tolerādis tot peregrinationibus, subeūdis laboribus, ac doloribus, præsertim corā Filio patiente: pulchritudo autē vix, ac ne vix quidē cum animi robore, ac constantia coniungi potest; quippe teneritudo, quæ sēper pulchritudinē comitatur, robori, ac fortitudini aduersatur. Viri enim robustiores, & in tolerādis laboribus cōstantes, nec venusta forma describuntur,

Pulchritudo cum mascula fortitudine ac animi robore raro coniungitur.

nec

nec pulchritudine præstanti prædìti esse solent; vt videre est apud Laërtiū l.6. de vitis Philosoph. Quocirca Goliath Philist. 1. Reg. 17. viso Dauide rufo adolescente, & pulchro adspectu, nihil sibi periculi accidere posse existimabat, quia quò pulchrior Dauid, eò magis imbellis, & imbecillior futurus sibi videbatur vt Author est Abulensis ibid. quæst. 32. Quod Ouidius occinit de Paride epist. 14.

Laërtius.

Abul.

Quòd bene te iactas, & fortia facta recenses;
A verbis facies dissidet ista tuis.
Apta magis Veneri, quàm sunt tua corpora Marti,
Bella gerant fortes; tu, Pari, semper ama.

Ergo vel arcenda est à B. Virgine robusta sanitas, masculeū robur, integrarúmq; virium fortitudo, vel ei denegādus insignis decor, ac pulchritudo. Verùm hæc falsa esse existimamus, quod ex humana, & sacra eruditione confirmari potest: & quidē qui pulchro corpore, & apta mēbrorum dispositione, ac bene à natura cōstituta tēperie pollent, hi ferè semper robore, ac viribus præstant, quæ in deformi corpore desiderari solent, vt ait Cornel. Tacit. l. 12. de Iulio quodā Peligno deformi, & ignaui animi: & Lucretius pangebat.

Nam facies multum valuit viresque vigebant.

Idem attestantur sacræ Paginæ Ps. 92. *Dominus regnauit decorē induit, induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* & Prouer. 31. de fœmina illa Viragine dicitur: *Fortitudo, & decor indumentum eius.* Et in Cant. celebratur sponsæ pulchritudo vnà cum eiusdem robore. *Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Vbi pulchritudinem maximam cum maximo robore coniungit sponsus.

CERTAMEN XV.

Aliquot Dubia de Mariana pulchritudine dirimuntur.

724. CErtamine superiori XIII. triplex à nobis quæstio instituta fuit discutienda: verùm cum prima nimiū exercuerit, reliquas in hoc certamen remisimus. Nunc igitur primò inquirimus, an Virgo Deipara nacta fuerit pulchritudinē in summo. Aio igitur Marianā pulchritudinē summū attigisse culmen, ad quod natura extendi potest quantùmuis vires suas exerat; quod cōceptis verbis affirmat S. Anton. 4. p. tit. 15. c. 10. §. 2. *Deipara Virgo ad ea pulchritudinis fastigia peruenit, vt in natura rationali nulla alia præstātior excogitari queat; ordo enim est in rebus naturalibus, & in corporibus humanis; natura facit aliquod pulchrum, & aliquid pulchrius: ergo & aliquid debet esse pulcherrimū secundum naturā: Natura enim habet aliquē terminum, ad quē possit peruenire, & non vltra: aut ergo illū terminum continget in aliquo indiuiduo, aut nusquā; si nusquā, ergo deficit respectu earum operationū; quod est falsum: quia ait Philosophus, quòd natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessariis; natura ergo alicubi habet suum summū. Corpus autē naturale aliquādo formatur à corpore naturali, ipsa natura creatura operāte naturaliter, & aliquādo ipso Deo operante supernaturaliter: ergo alicui est summū in corpore humano, Deo operante, & alicui summū natura operāte: sicut ergo corpus Dei, quod Deus per se ipsum formauit, est perfectissimum, & pulcherrimū in natura, quod Deus potest facere secundū statū viæ; ita corpus B. Virginis ad hoc immediatè ordinatum erit pulcherrimū secundum statū viæ quod natura potuit facere se operante* Alb. M. suffragatur huic thesi teste Bernardin. de Bust. ser. 4. de Natiu. Deip. hæc ex illo verba referente: *Deipara summum in pulchritudine habuit, quod potuit esse in corpore mortali natura operante.* Id innuunt verba Georgij Nicomediens. orat. de oblat. Virg. *O pulcherrima pulchritudo omniū pulchritudinū.* In eundē sensum veniūt verba Dionysij Carthus. l. 1. de laud. Virg. a. 3. *Quemadmodū corpus Christi est perfectissimū, & pulcherrimū naturæ, quod fieri potest secundū statum viæ; sic corpus Virginis ad hoc immediatè ordinatū fuit pulcherrimū secundum statū viæ, quod natura per se operans facere potest.* & art. 35. alia multa cōgerit, quæ non minùs conducūt in huius asserti confirmationē. *A planta pedis vsque ad verticē capitis, nihil penitus fuit in Virgine neq; in corpore, neq; in anima reprehēsibile, indecorū, imo totū fuit diuinæ sapientiæ circino formatū; nēpe sicut Christi humanitatē propter eius personalē cum Deo vnionē decuit omni perfectione naturæ, & gratiæ in termino excellētiæ præfulgere; ita ipsius Genitricis personā post hypostaticam cum Deo vnionem, non est alia tam vicina, vt vnio Matris Dei cum Filio suo.* Subscribit Canis. l. 1. de B. Virg. c. 13. Salaz. de Cōcept. c. 22. n. 15.

Pulchritudo Mariana summum attigit culmen ad quod natura extendi potest.

Antonin.

Alb. Magn.

Georg. Nicomed.

Dion. Cart.

Canis.

Salaz.

Huc spectant quotquot Marianā pulchritudinem prædicāt, ita vt post Christū D. nullus homo, nullàve fœmina fuerit, aut futura sit formæ elegātioris, aut æquè præstantis. ita cōmunis cum Alb. S. Antonin. cit. Suar. in 3. p. to. 2. disp. 2. s. 2. Barrad. to. 2. cōcord. lib. 9. c. 19. Bustos in suo Mariali part. 2. ser. 4. Vieg. in c. 12. Apoc. com. 2. s. 5. Granad. de Cōcept. disp. 3. c. 2. s. 1. qui ducitur hac ratione. Christus D. fuit omniū hominum pulcherrimus: ergo B. Virgo post ipsum omniū pulcherrima meritò decantatur. Assumptum probat Granado de Incarnatione; quia in hac hominū specie nullus exstitit, neq; futurus est æquè pulcherrimò addit nullū generari posse pulchriorē. Cōsequentia ex eo cōstat, quia inter Christū, eiúsq; Genitricē intercessit similitudo maxima, & Christi corpus cōpactum fuit ex purissimo Mariæ sanguine; ergo ipsi Christo infuit tēperamentum idē quod inerat Virgini Deiparæ, ergo cùm in Christo adfuerit absolutissima tēperies humorū, ac primarū qualitatum; etiam in ipsa reperta fuit, cùm eam Filio communicauerit: ex optimo autem temperamento certum est, vt supra monuimus, magna ex parte pulchritudinem resultare: ergo Virgo Deipara post Christum, in summo pulchritudine decorata fuit. 725.

Maria post Christum omnium indiuiduorum humana natura pulcherrima.

Suar.

Barr.

Bustos.

Viegas.

Granad.

Quòd si obieceris optimè inferri Mariani corporis pulchritudinē fuisse eximiā; non tamen inferri fuisse superiorē pulchritudine omnium fœminarū, & virorū post Christū: nam temperamentū B. Virginis non ita fuit perfectū, ac temperamentū Christi; ergo inferius fuit illo, excessus autem iste non fuit indiuisibilis; siquidē qualitates, ex quibus resultat, sunt diuisibiles, adeóq; excessus diuisibilis erat; ergo inter tēperamentum Christi D. & B. Virginis aliud interiacere potuit, quod proximius accederet ad tēperamentum Christi Domini; ergo illud aptari potuit corpori humano perfectiori, ac pulchriori corpore Virgineo. Respōdeo quātumuis eiusmodi corpus dari posset in rerū natura, non tamen inde fieri productū fuisse, aut aliquando producendū, vnde de facto Mariana pulchritudo saltē vincet omnium hominum pulchritudinem, qui hucusque producti sunt, vel in posterum producentur. Quid quod verissimum, ac certissimum censeo, nullam fœminam edi posse naturæ vi in hac hominum serie Virgine Maria pulchriorem, ac venustiorem: sicut nullus homo Christo Domino pulchrior, ac speciosior esse potest, vt probat Granado cit. Et probari potest; nam corporis fœminei formatio, ac temperamentum multum discrepat à formatione, & temperie corporis virilis, licèt intra eandem speciem sint, ergo quemadmodum summa corporis pulchritudo suadetur ex eo, quod species humana deposcat determinatam quandam membrorum proportionē 726.

Nulla fœmina edi potest natura vi in hac hominum serie Virgine Maria pulchrior.

humorũ temperiem,& qualitatũ mixturam in victo,ita vt nulla alia sit æquè bona naturæ humanæ, qualis exstitit in Christo D.ita eodẽ pacto sentiendum in B.Virgine,videlicet summam fuisse Mariæ pulchritudinem, quia eam formationem,& corporis compaginem,ac qualitatum temperiem ita accommodam sortita est, quæ fœminco corpori maximè proportionata existeret. Quare quamnis dari possit aliud temperamentum in se perfectius, & magis accedens ad temperamentum Christi, quod intendebat obiectio; illud tamen non esset corpori fœmineo aptum,nec conduceret maiori fœmineæ pulchritudini, quæ sine dubio aliquo modo à pulchritudine viro competente discrepat: hic autem solùm intendimus Marianum corpus,ita venustum fuisse, vt intra hanc speciem humanam nullum aliud produci possit pulchrius,ac venustius, ea venustate,& decore, quæ fœminam deceat.

727. Disquiro 2. An Mariana corporis pulchritudo æquaret Beatorum corporum pulchritudinem? In qua re statuo cum aliquibus modernis Doctoribus optimæ literaturæ, Virginis Deiparæ in corpore mortali pulchritudinem,vel æquè præstantem,vel forsan præstantiorem extitisse,quàm illa,qua prædita erunt corpora beatitudine donata. Quod vt magis adluceat,præmitto, pulchritudinem dupliciter sumi posse; primò pro apta partium proportione cum grata quadam coloris suauitate iuxta Arist. alibi datum,Tullium 4.Tuscul.August. epist.151. Clement.Alex. 3. Pædag.c.11. Basil.in psal.4. Nazianzenum orat. 51.S.Thomam 1.p.q.39. a.8.& 2.2.q.145.a.2.qui omnes extra essentiam pulchritudinis ponunt, quiquid additur supra naturam, aut debitum ipsius. Secundò sumitur pulchritudo pro illa partium proportione apta, ornata tamen certo quodam lumine, ac splendore cum reliquis gloriæ dotibus, quæ nimia multò magis omnium ad se alliciunt spectantium oculos: si sumatur pulchritudo primo modo,in quo substantialis pulchritudo sita est, censeo maiorem esse potuisse pulchritudinem in corpore mortali Deiparæ,quàm erit in corpore alicuius Beati. Suadetur,quia Marianum corpus maximam habuit proportionem,& valde similem corpori Filij sui; ergo maiorem habuit pulchritudinem substantialem, quàm plura corpora gloriosa, non tamen cum illo gloriæ splendore. Exemplo res fiet illustrior: imago affabrè depicta cum apta partium proportione,dicitur reuera pulchra imago: si verò postea micanti illuminatione decoretur,multo splendidior apparebit,eandem tamen partium proportionem exprimit, ac seruat: sic se habet splendor gloriæ comparatione pulchritudinis naturalis, est enim veluti illuminatio supernaturalis omnem pulchritudinem substantialem naturalem præmittens, Simile quid reperies in vestium ornatu,& elegantia, quæ valde conducit ad splendorem, non tamen est de conceptu formali pulchritudinis naturalis; sic se habet elegantia dotiũ corporis gloriosi comparatione pulchritudinis substantialis naturalis. Deinde eadem Thesis roborari potest: sicut enim pulchritudo animi Virginei adhuc viatricis, fuit multò Intensior, videlicet gratiã, quàm aliorum Beatorum in patria, quamuis gratia Deiparæ adhuc viuentis simpliciter deperdi posset,ergo etiam pulchritudo corporea,quæ vel ab ætate,vel à morte amitti poterat,potuit esse ita excellentior, vt immortalem corporum Beatorum pulchritudinem superaret: præsertim cum pulchritudo nihil aliud sit, quàm proportio quædam, & harmonia dissimilium qualitatum: vnde aptè satis per concentum in sonis demonstratur; nam in musicis instrumentis,alius quidem sonus est, qui per infimam chordam editur;alius, qui per huic proximam;alius,qui per summam;alius,qui per huic vicinam: is autem,qui ex omnibus componitur,concors numerus est: sic etiam pulchritudo resultat ex dissimilium partium proportione. Hinc veteres Poëtæ Dearum omnium pulcherrimam Cythereã, à Cytharæ harmonia nuncuparunt: modò sic efformari potest robustum argumentum nostram thesim probans. Deipara iam Beata eandem numero partium proportionem symmetriamque, membrorum concinnitatem,faciei physiognomiam,vultus colorem retinet, quin aliquid immutatum fuerit ex his, quæ viatrix nacta fuit: atqui modo pulchrior est Virgo,quàm reliqua Beatorum corpora; ergo adhuc mortalis pulchriori gaudebat corpore, quàm ipsa Beatorum corpora. Adderem in Deipara resurgente eundem inesse colorem sub eadem intensione repertum, quem in vita mortali obtinuerat: & ratio est, quia Virgo Deipara omnium optimo gaudebat temperamento, ex quo color optimus naturali sequela resultat; ergo necesse non fuit resurrectione perfici, solùm ergo additæ sunt quæ sunt gloriæ dotes, quæ illam maximè splendẽtem reddiderunt. Eadem assertio roboratur ex toto Canticorum libro, qui totus est in depingenda, & delineanda Deiparæ eximia,ac admirabili pulchritudine. Cui etiam instituto conducunt quæ Alb. Mag. super *Missus est*, pluribus disquirit capitibus de pulchritudine B.Virginis, de corporis quantitate, de membrorum proportione, de colore cutis, capillamenti, & oculorum. Videatur Conradus Redẽberg lib.de vinea Domini Sabbaoth. Turrianus in selectis disp.34. Sicut ergo potuit Deus nobiliorem mundum producere; hunc verò iam conditum non potuit nobiliori proportione,& mensura, siue integritate, his permanentibus elementis, ac creaturis; eadem ratione potuit Deus pulchrius aliud corpus producere,& nobilius; at corpus Marianum non potuit aptiorem proportionẽ sortiri, nec meliorem physiognomiam comparare, nec maiorem membrorum concinnitatem nancisci, nec nobiliori gratia exornari, quàm ea, qua corpus mortale Virgineum sortitum fuit. Bene quidem fuit in Cœlo subtilitatis, agilitatis, impassibilitatis, & claritatis decoramento nobilitatum; sed hæc omnia in essentialẽ pulchritudinis quidditatem, vt loquitur Schola, non ingrediuntur, licèt illam exornent, & venustent; splendor ergo radians, aut fulgurans ad pulchritudinem non spectat; ait enim Ang.cit. *Quid est corporis pulchritudo? Congruentia partium cum quadam coloris suauitate.* Et Clem. Alex. citatus: *Corporis pulchritudo sita est in ratione commoda mẽbrorum, & partium cum bono colori.* His adde externam vultus Mariani pulchritudinem, ac venustatem splendore quodã maximis incrementis adauctam. Præter innatam igitur pulchritudinem, diuinum Deus indidit splendorem, vt iam supra monuimus, multò melius, quàm Heroinæ illi, de qua Iudith. c.10. *Cui etiam Dominus contulit splendorẽ.* atque adeò Virgineus vultus instar Beatorum vultus emicabat, vt claritatis dotem iam præseferre videretur; *Non mirum*, inquit appositè Richardus de S.Vict. in cantic.c.26. *Si lucida fuit, quam splendor gloriæ impleuit; si pulchra fuerit, qua splendorẽ lucis in se suscepit. Non quoque dubitandum, amoris ignẽ, & interiorem candorem exterius etiam in ea lucere, vt quæ puritatem Angelorum habuit, vultum etiam Angelicum habuerit.* Ex his verba S.Dionys. Areop. ab aliquibus in dubium reuocata, veritati conformia censebis; cùm enim Deiparam aliquando conspicetet,

Arist. Tullius. Aug. Clem. Alex. Basil. Naz. Thom.

Pulchritudo substantialis Mariæ in hac vita mater esse potuit quã pulchritudo alicuius corporis Beati.

Alb.M. Conradus. Turria. Aug. Clem. Alex. Iudit. 10. Ric.Vict.

ſpiceret, nimio vultus fulgore perſtrictus, ſtupore perculſus, atque attonito ſimilis in ea dicitur prorupiſſe verba: *Niſi crederem in Filium tuum, de quo mihi per Paulum prædicatum eſt, nunc plantis tuis prouolutus, vnum te Diuinæ Maieſtatis inſigne adorarem; & niſi fides adeſſet, haud mihi perſuadere poſſem, Deum orbis authorem te eſſe pulchriorem. Sed noui, quod his incomprehenſibile lumen inhabitat, à quo tu ad nos radius es deſtinatus, vt illuminares eos, quos prima mulier cæcos parturiuit.*

Adſpectus Marianus caſtos infundebat affectus.

728. Hæc tamen Mariani corporis pulchritudo diſcolos libidinis cogitatus, & affectus frænabat, & caſtos, ac pudicos inſtillabat amores. Quare 3. Inquirimus an Mariana pulchritudo inſpecta caſtitatem irroraret? In qua quæſtione, Cenſeo primò; ſi quos Maria inſpiceret, licèt ipſa ab ipſis non inſpiceretur, caſtos infundebat affectus: quod ſonant verba illa Ambroſij lib. de inſtit. Virg. c. 7. *Si quos inuiſeret, integritatis inſigne conferebat.* Suffragatur Gerſon de Natiu. Mariæ conſid. 3. vbi hæc habet ex D. Bonau. *Extinguebat libidinem Dominus ille adſpectus, quaſi frigidus quidam ex oculis deciduus ros Virgineus exſpiraret, vel efflaret à mente ſua ſanctiſſima.* Meritò Cedri nomine nuncupatur MARIA, inquit Alex. Aleoſ. 3. p. q. 9. membro 3. a. 1. *Quia ſicut Cedrus interficit ſerpentes odore ſuo; ita ſanctificatio eius irradiabat in alios, & in eis extinguebat omnes motus concupiſcentiæ carnales in carne ſerpentes. Itẽ comparatur Myrrhæ; ego ſicut Myrrha electa: quia ſicut Myrrha interficit vermes; ita eius ſanctitas interficiebat vermes, id eſt concupiſcentias carnales.* Et S. Brigitta in ſer. Angelico c. 13. *Gratiſſima corporis eius pulchritudo omnibus eam cernere cupientibus vtilis fuit, & conſolatoria in terris &c. In his autem, qui ad peccandum proniſſimi erant, ex eius verborũ, & geſtuum honeſtate ſtatim peccati feruor extinguebatur, quandiu ipſam conſpiciebant.* Id autem prouenire poterat, vel ex qualitate quadam à B. Virgine immiſſa iuxta Gerſonem cit. & Bonau. Scio in Phyſicis id difficultate non carere; ſi verò velimus, Deum Mariana pulchritudine vſum tanquam inſtrumento morali ad inſtillandam in adſpicientes pudicitiam, forſan à vero non aberrabimus: vnde effectus hic tanquam ex opere operato à vultu Virgineo prodibat; quem ſenſum poſſunt admittere verba illa Gerſonis ſer. de Concept. Virg. *Phyſiognomia Virginis monebat adſpicientes ad omnem caſtitatem, & luxurioſas extinguebat, mortificabatque cogitationes.* Quod etiã puto contigiſſe ſine præuia vlla diſpoſitione præcedenti ex parte inſpectorũ.

Ambr. Gerſon. Alex. Al. S. Brigitt.

Pulchritudo Mariana inſpecta ad caſtitatem alliciebat.

729. Cenſeo 2. inſpectam Marianam pulchritudinem, licèt illa non inſpiceret, ad caſtitatem allexiſſe: ita Ioan. Maior in 1. Luc. S. Bernardinus tom. 2. ſer. 2. feriæ Dominicæ Palmarum. Simon de Caſſia lib. 2. in Euang. c. 22. ait enim: *Nec propter excellentem eius pulchritudinem immunde poterat conſpici.* S. Th. in 3. diſp. 2. q. 1. a. 2. ad 4. ait: *Gratia ſanctificationis non ſolum repreſſit in Virgine motus illicitos, ſed etiam in aliis efficaciam habuit, ita vt quamuis eſſet pulchra corpore à nullo concupiſci potuerit.* S. Bonau. in 3. d. 3. q. 3. hæc habet: *Quidam Iudæi aſſerunt, hoc mirum fuiſſe in Virgine, quod cùm eſſet pulcherrima, tamen à nullo vnquam viro fuerit concupita.* Eiuſdẽ ſunt ſententiæ Gabriel in 3. d. 3. q. 9. a. 3. dub. 2. Bernardinus de Buſto ſer. 4. de Virg. Mar. Nullũ igitur efficacius remedium aduerſus libidinem, Virginis Deiparæ intuitu: quod probari poſſet ex Philoſophia, per qualitates quaſdam, quæ à Mariana pulchritudine exhalabantur, quæ immutare poterant animum mediis ſpeciebus immiſſis in externos ſenſus, ac per illos ad phantaſiam. Conſulantur Hurtado, & Arriaga de torpedine piſce; ac aliquarum fœminarum prauis qualitatibus, quibus infantes faſcinant: videantur item Expoſitores in Tobiam, dum agunt de piſce illo aſſo, qui miram in dæmonem virtutem continebat. Vel ſecundò hoc accidere potuit per miraculum, quia Deus vſus fuit Mariana pulchritudine, tanquam inſtrumento morali ſaltem, ſi non phyſico ad infundendam pudicitiam ex opere operato; quod fieri poterat abſque vlla hominis inſpicientis diſpoſitione. quare plus operabatur Mariana pulchritudo inſpecta, quàm ea, quæ ex opere operato ſuos producunt effectus; quod audacia pia affirmare videtur Maior in 1. Luc. *Eá viſâ, infrænis libido, vt firmiter teneo, prorſus extinguebatur.* Hinc S. Greg. Thaumat. ſer. 1. in Annunciatione ait: *Non ſolùm admirationem nobis parit ſanctiſſimæ illius in corpore pulchritudo, ſed virtutes animæ eius.* Nouum profectò cognomen pulchritudinis, illam ſcilicet nuncupare ſanctiſſimam, ſoli B. Virgini natum; aliis verò improprium: quia ſola Mariana pulchritudo ſanctitatem inſtillabat. Idcirco pariatur pulchritudo ſponſæ ſcilicet Mariæ pellibus Salomonis, quæ cùm ſint mortuorum animalium exuuiæ, mortis memoriam excitant; atque adeò vel ſolùm inſpectæ à peccatis remouent, ad virtutes alliciunt: ſic Mariana pulchritudo à vitiis inſpectatores deterrebat, ad omnem ſanctitatem adhortabatur. Aptè S. Th. à Villanoua ſer. 2. de Annunc. in rem præſentem: *Pura,* inquit, *& immaculata Virgo, cui etiam præ aliis hoc virginitatis inſigne erat, vt inſpectatores ſuos Virgines faceret; erat enim in ea Virgines germinans Virginitas.* & Bernardinus de Buſto ſer. 4. de Virg. Maria. *Habuit Virginitatem transfuſam, quæ in alios transfundebatur, licèt enim pulcherrima, à nullo vnquam potuit concupiſci, quia eius puritas omniũ corda penetrabat, & omnes motus illicitos extinguebat, vnde de illa dicere poſſumus, quod de Filio dicitur, Luc. 6. virtus de illa exibat, & ſanabat omnes.* Plus addit S. Ephræmus de Margarita pretioſa: *Fuit igitur Maria hominibus fons ſpiritus æterni, & pudicitiæ, atque incorruptionis præceptum.* Et quidem Apoſtolus de virginibus præceptũ Domini non habet, ſolùm conſilium præbet: & tamen Maria non ſolùm pudicitiæ præceptum imponit, ſed ipſa eſt ipſum caſtitatis, ac temperantiæ præceptum: nam inſpecta Maria ſtatim ipſam inſpicientibus omnis pudicitię inſigne, & quaſi characterẽ imprimebat, affectus omnes effrænes coërcens, quaſi ad Virginitatem compellens, ad pudicitiam rebelles deuinciens, ad caſtitatem præcepto quodam non verbis impoſito, ſed reipſa obſtringens, videlicet quia ſui conſpectu inſpicientibus omnem turpitudinem interdicebat, omnem libidinem procul abigebat, ad puritatem, ac carnis ſequeſtrationem vi quadam, & quaſi indito præcepto compellebat. Pulchritudo in reliquis fœminis ſanctitatem debellat, & expugnat; in Virgine Deipara pulchritudo caſtitatem indicit, ſanctitatem adauget. Ex quibus inferes Mariæ Ægyptum ingredienti, comite Ioſepho, nulla opus fuiſſe cautione præuia, à Ioſepho adhibita, ne ſponſa ad alienas ædes raperetur, vt olim in Sara contigit in Ægyptum cum Abrahamo eunte Gen. 12. Licèt enim B. Virgo multò pulchrior Sara fuit, nihil verebatur Ioſephus; ſciebat enim, ac longa experientia didicerat, Mariæ pulchritudinem arietare omnem libidinem ac prauos motus longè propellere, quia inerat ipſi hæc gratia, vt ſolo viſu carnis incentiua ſopiret: Ita Simon Caſſia cit. *Non vt Abraham Saram, præmo-*

Maior. Bern. Sen. Sim. de Caſ. D. Thom. D. Bonau. Gabr. Buſtos.

Maior. Greg. Thau.

Inter omnes fœminarum pulchritudines ſola Mariana pulchritudo ſanctiſſima vocatur.

Th. à Villan. Buſtos. Ephræm.

Maria inſpecta quaſi præceptum pudicitia impoſuit.

nuit Ioseph Mariam, vt diceret se ipsius esse sororem; sciebat enim, quòd melius quàm Sara custodiebatur ab Angelo, & talem gratiam in Maria Deus posuit, vt nec propter excedentem pulchritudinem potuisset ab aliquo concupisci.

CERTAMEN XVI.

Marianum corpus adhuc in terris degens aliquo modo Beatorum dotibus nobilitatur proprietatesque spiritus ebibit.

730. *B. Virgo vtero grauida quasi agilitatis dote leuitabat.* Fulg.

QVæ certamine XI prælibauimus de splendore vultus Mariani, tū ea, quæ infra proferemus, permagno conducunt huius quæstionis decisioni. Et primùm de agilitatis dote id luculenter sensisse mihi visus est S. Fulgentius ser. de laudibus Deiparæ: *Nulla*, inquit, *pati grauedo potuit concipienti, nulla tristitia parturienti: cum esset grauida salubri leuitate plaudebat; lumē enim, quod intra se habebat, pondus habere non poterat.* Vnde Deipara, siue pedestris, siue equestris iter ageret, nullum onus præsentiebat, quasi agilitatis dote Beatorū grauitatis pondus adimeretur. Ita Morales in Matth. lib. 5. tract. 1. n. 3. Barradas tom. 1. concor. lib. 8. c. 14. En tibi licèt vterus Virgineus corporea mole vestitus, ac fœtu repletus sacro, grauidæ vuluæ onera nesciebat, dolores parientis neutiquam experiebatur, omnis defatigationis impos leuitabat, omnis lassitudinis expers, agilis, ac pernix per montium abrupta, per Iudææ montana celeri pede gradiebatur: sed quo calcare puncta, qua præpeti penna alata? scilicet Sole fœta: concipit Verbum, & exsurgit, ac festina iter aggreditur; & quidem rès mira, siquidem fœminæ vtero grauidæ tædio afficiuntur, grauedine torpent, fastidio laborant, rarioribus gressibus incedunt, lassantur iugiter, frequenter accombunt: omnia vera; verùm Maria progenuit Verbum: cùm autem intellectus subtilia, & ingeniosa sensa mente concipit, voluptate exilit, & affectionis gressibus, siue mentis alis ocyori volatu in sublime fertur, Euro celerior agitatur, iuxta illud Sap. 7. *Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia: Attingit autem vbique propter munditiā suā; vapor est enim virtutis Dei.* Hoc igitur inopino, concitóque cursu ostendit Deipara Verbum vtero concepisse, conceptúque nihil sibi grauedinis illud importasse; ac si vterus mens fuisset, ac Spiritus functiones ebibisset; concito igitur gressu montana transcendit, nullam vteri grauidi segnitiem, fastidiúmve præsentiens: quare meritò aiebat Bern. ser. super Signum magnum. *Illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Vnde & in ipso conceptionis initio, quādo potissimùm cæteræ mulieres miserabilius affliguntur; Maria tota alacritate montana cōscendit, vt Elisabeth ministraret: sed & ascendit Bethlehē, imminente iam partu, portans illud pretiosissimū depositum, portans onus leue, portans à quo portabatur.* Quia videlicet secum adsportabat Verbum Diuinum, quod omnia portat Verbo virtutis suæ. Huc spectat quod B. Virgo adhuc vitæ mortalis superstes apparuerit D. Iacobo Cæsaraugustæ, in cuius beneficij æternum monumentum; Templum D. Mariæ sacrum erectum est ingentibus sumptibus, exemptionibus, ac priuilegiis, à Sede Apostolica tēporum decorsu donatum. Ioannes Maior apud Barradam tom. 1. Euang. lib. 4. c. 14. ait: *Parum, aut nihil oneris Virgo inter ambulandum in fœtu, vt puto, sentiebat agilitatis dote, grauiditatis pondus fuit ademptum, diminutúmve.* Ludolphus in vita Christi: *B. Virgo licèt grauida esset, & iam vicina partui, non tamen ex hoc grauabatur in corpore.*

Morales. Barrad. Sap. 7. Bern. Maior. Ludolp.

731. *B. Virgo quasi impassibilitatis dono potita in hac vita mortali.*

Quòd autem impassibilitatis priuilegio potita fuerit, hinc edisces quòd nullos in partu dolores præsenserit; de quo infrà fusiorem sermonem instituemus: nunc præstat auscultare magnum Athanas. de incarnatione Dei: *Vnde neque Virgine pariente partus affectiones sentiebat.* Plus addit S. Zeno ser. 3. de Natiu. Christi: *Non dolore, sed gaudio nascitur sine Patre Filius; non totus Matris, sibi debens, quòd conceptus; donans Matri, quòd natus.* Posita enim semel hac veritate, videlicet quòd permanens Virgo conceperit, & pepererit, nouum quasi non videbatur Miraculum, quòd sine fastidio, & dolore, fœtū ederet, quòd quasi naturali quadam sequela debebatur Virgini parienti, vt quasi impassibilitatis dono insigniretur: si ergo Deipara quasi impassibilis apparet, cùm Filium in lucem edit, quia nullū dolorē præsentit, nullo agitatur fastidio, nec ruptionem, aut corruptionē patitur; dicat Episcopus Veronensis B. Virginē ex dono à Deo accepisse, quòd Virgo pareret, quòd verò eadē in partu, reliquarū fœminarum dolori, lassitudini, fastidio, ac ruptioni tributa non solueret, noluit nouo dono, ac priuilegio deferre. Ex quo iam rectè inferes cur Euangelista B. Virginem viro desponsatam dicat, Luc. 1. videlicet, ne si solùm Virgo diceretur, nec mariti meminisset, aut Angelus, aut Diuinitatis scintilla crederetur; nempe Virgo in partu permanens, quasi impassibilitatis, & immortalitatis priuilegiū nanciscitur. Cui censioni adstipulatur S. Athanas. Epist. ad Epictetum: *Gabriel*, inquit, *porro ad illam legatur, neque simpliciter ad quamuis Virginem, sed Virginē desponsatam viro, vt ex sponso ostenderet Mariam verè hominem esse.* Licèt enim ossibus, & carne cōpacta Maria, ita tamen Virginitas ad immortalitatem enexit; ex aduerso autem nuptiæ adeò corruptionem, & passibilitatē præseferunt, vt opus fuerit, vt Euangelista eam nuptam assereret; vt crederemos, eam fœminam, & indiuiduum aliquod naturæ humanæ, nō Angelum, aut naturæ superioris, siue Deam. Ideò Moysis coniugati mortem refert sacer Scriptor, & Eliæ Virginis in igneo curru in paradisum ascensum absque vllius corruptionis, & interitus nomine memorat, vt bene ponderat Hieronymus lib. 2. contra Iouinianum. *Quod si*, inquit, *contentiosè in Moyse nuptias, in Helia Virginitatem dixerint demonstrari: breuiter audiant, Moysem mortuum, & sepultum; Heliam igneo curru raptum, ante immortalem esse cœpisse, quam mortuum.*

Desponsatur Maria, ne crederetur esse Angelus, aut diuinitatis scintilla. Athan. *Maria permanens in partu Virgo quasi impassibilitatis, & immortalitatis priuilegiū nanciscitur. Nuptiæ corruptionem, & passibilitatem præseferunt.* Hieron.

732. De claritatis dote satis, superque certamine XI. dictum. Nunc iuuat parumper in Thaboris vertice nubem lucidam, ac splendentem obumbrantem discipulos contemplari, vocemque Patris ex nube intonantem auscultare; cur nunquā Deus sine nube, super nubem leuem ascendit, nempe B. Virginem? In Thabore resplenduit facies eius sicut sol; & mox, nubes lucida obumbrauit eos. *Venit*, ait Ambros. in psal. 118. *in nube leui, & cum esset virtus Altissimi obumbrauit Mariam, vt transfiguraret corpus humilitatis nostræ conforme fieri corpori gloriæ suæ.* Inde vt elicias dotes corporis gloriosi à nube leui carnis Virgineæ auspicari, à qua Beatorum corpora dotes suas, ac priuilegia inchoant: priùs enim Marianum corpus eiusmodi dotes afficiunt, vt ibi gloriæ præludia agant, in cuius schola Beatorum corpora illuminare, & effigiare eleganter ediscant. Eiusmodi ergo dotes in Gymnasio Marianæ carnis pellucidæ,

Ambros. *Dotes corporis gloriosi in Thabore Christus à carne Virginea auspicatur.*

pellucidæ, agilis, incorruptæ; edoctę, Beatorum corpora similibus priuilegiis insignire didicerũt. Quod innuisse Ioannem videor mihi subodorari, dum ait: *Mulier amicta sole*, Quia virtus Altissimi his insculpsit cælaturis Marianam carnem, his dotibus circumuestiuit, talibus perfectionibus excoluit; vt ipsi soli lucidissimum, ac leuissimum subministraret amictum. Corpus ergo Marianum cùm primùm à Deo tanquam à causa principe formatur, eo temperamento coagmentatur ad gloriam, à cuius magisterio ipsum Christi corpus, ac reliquorum Beatorum promicare, ac leuitare, ac incorruptionem didicerunt; ex Marianæ carnis penu Transfigurationis lineamenta in alios deducta sunt.

Apoc. 12.

In schola carnis Marianæ Beatorum corpora promicare, ac leuitare didicerunt.

733. Imò caro Virginea Spiritus affectiones ebibisse; vel in spiritum abiisse videtur. Quid enim tritius apud SS. Patres, quàm asserere Marianum corpus à Maternitate Dei fuisse sanctificatum? hoc autem solius Spiritus est proprium. Succurrit Basilius ser. de incarnatione: *Ex sanctitate igitur compacta caro digna erat, vt Deitati Vnigeniti vniretur.* S. Athanas. De incarnat. ita fatur: *Vnde neque Virgine pariente partus affectiones sentiebat, neque dum in corpore esset coinquinabatur, sed potius corpus sanctificabat.* Eundem sensũ admittunt verba S. Bonau. in speculo c. 8. *Non solum est Dominus generaliter creatura vniuersalis, non solum est Dominus specialiter creatura rationalis: imò ipse etiam est Dominus singulariter aula Virginalis sua Sanctissima Genitricis: Maria enim singulariter tam corpore, quàm anima, est aula Domini, Domus Dei sanctissima de qua in psal. dicitur: Domum tuam decet sanctitudo Domine.* His adhæret Bern. serm. 3. super Missus est: *Dominus Spiritum sanctum, de quo concipis, qui cum Patre & Filio tuum sanctificat vterum.* Iuo Carnot. Episc. ser. de natiu. Domini suffragium fert: *Quomodo Matrẽ carnis sua sanctificauerit, deinceps audiamus, vt vnde latetur Catholicus, immundus confundatur hereticus: carnem quippe de carne eius sumens eandem in Diuinam munditiem transformauit.* S. Hieron. Epist. de Assump. B. Mariæ, ad Paul. & Eustoch. suo calculo confirmat thesim hanc: *Vterus Virgineus impollutus, alienus à contagione peccati, & sanctus.* Sophron. Patriar. in epist. ad Sergium contestatur: *Ideo Virgo sancta accipitur, & corpus, animaque sanctificatur, qua ita ministrauit Incarnationi, vt munda, & immaculata.* Idem adstruit VI. Synodus generalis act. 58. *Confitemur Christum in vulua illibata Virginis habitasse, & corpus per Spiritum sanctum ex sancta, & immaculata carne eius in propria substantia carnem sumpsisse.* S. Damasc. vocat Virgineum corpus: *Diuinum tuum, & sanctum, ac macula expers prorsus corpus.* Fortiter, & audacter Richard. de S. Vict. lib. 3. de laudibus Virginis hæc profert de Mariano corpore: *Virginis caro quodammodo Deificata, quando à Dei Filio inhabitabatur; nam sicut Christus portionem illius assumens, in ea infirmatus est vsquequaque; sic & caro Virginea Diuinum quid nobis ineffabile, & humanum excedens intellectum, ex Diuina omnipotentia mutuauit.* Multus est S. Greg. Nyss. in orat. de natali Dom. in vteri Virginei sanctitate laudãda, quam supra reliquorum hominum sanctitatem animam decorantem extollit; ait enim: *O Beatum vterum illum; qui bonitatis sua prastantia ad se traxit animi bona; in reliquis omnibus vix animus purus Spiritus sancti prasentiam capit: hic autẽ, caro fit Spiritus sancti receptaculum.* Vbi dilucidè adfauet nostro cogitatui, cùm dicat vterum Virgineũ ad se attraxisse animi bona, adeóque Spiritus proprietates ebibisse, quippe sanctitas propria est Spiritus: ergo si corpus Virgineum, seorsim, ab anima sanctum prædicatur à Maternitate Dei, vtique id quod proprium est animæ sibi arrogat.

Basil.

Corpus Virgineum Spiritus affectiones ebibisse videtur.

Athan.

Bonau.

Bern.

Iuo Carn.

Hiero.

Sophr.

VI. Syn.

Damasc.

Ric. Vict.

Greg. Nyss.

Sed sciscitaberis in quo sita sit hæc vteri, ac corporis Virginei sanctitas? Alij aiũt, sitã esse, in integritate & puritate carnis, quia Matri Dei debebatur integritas carnis, probrosum enim, & indecorũ esset Filio Dei ex carne vitiata, & impura carnẽ assumere. Vnde ex morali quadã connaturalitate, debita erat hæc carnis integritas. Alij opinãtur, hanc corporis Mariani sanctitatẽ, cõsistere in integritate naturæ, qualis foret in corpore in statu naturæ integræ, & innocentiæ, nam caro Virginea immunis omnino fuit ab omni vitio contracto per primæuum peccatum per quod natura vitiata remansit: idem ergo erit in Deipara carnem essẽ sanctam, ac esse integram, & innocentem, sicut contingeret in statu innocẽtiæ. Verùm cùm verba Nysseni aliquid amplius innuant; nam carnis Virgineæ sanctitatẽ supra sanctitatem animæ in reliquis Iustis, euehit; ideò sanctitas carnis Virgineæ, nõ solùm in puritate, in incorruptione, siue integritate naturæ solùm sita erit; hæc enim sanctitas sanctitatẽ animorũ in reliquis Iustis non supergreditur. Quare meliùs Ripalda tom. 2. de ente supernaturali disp. 79. sect. 13. n. 94. hanc corporis Mariani sanctitatẽ, nihil aliud esse statuit, quàm specialem Dei complacentiam, quam secum adsportat caro, & corpus Virgineum, quia officia materna erga Dei Filium præstitit, munia subeundo concipiendi, in vtero baiulandi, pariendi, lactandi, & alia. Ideo Patres vocant vterum Marianum, Paradisum voluptatis Dei. Bern. homil. 2. super Missus est. *Hic locum voluptatis vterũ Maria intelligo, in quo cumulauit omnes delicias deliciarum Dominus.* Eandem appellationem indidit Pet. Damian. vtero Virgineo. Quod subindicat Sponsus Cant. 4. *Quàm pulchra sunt mamma tua, soror mea sponsa!* quę verba sic premit Guillelmus; *Quàm grata sunt oculis Patris aterni! complacentia in carne, & vberibus Marianis denotatur, è quibus pendulus Filius Dei lac suxit.* Et roborari potest hic opinandi modus, quia caro, & corpus Virgineũ speciali cultu, & veneratione suspici debet; ergo specialem hic cultus respicit sanctitatem in ipso corpore Mariano seorsim ab anima: quam specialem veneratione subindicat S. Ignatius M. epist. 1. dum ait: *Sunt & hic multa de nostris mulieribus Mariam matrem Iesu videre cupientes, eam vt contingant, & vbera eius contrectent qua Dominum Iesum aluerunt.* 734.

Ripal.

Sanctitas corporis Mariani sita est in speciali complacentia Dei.

Bern.

Pet. Dam.

Cant. 4.

Guill.

Ignat. M.

Nec solùm sanctitas, sed etiam rationalitas, quæ propria sunt Spiritus; de vtero Virginis Deiparæ efferuntur: quod innuit Angelus, dum ait: *Concipies in vtero, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Hoc est Dei Verbum, & Patris ratio, vbi vtrumque adnectit, sanctitatem scilicet, & rationẽ. Profectò in tam sublime fastigium caro Virginea elata fuit, vt hæ perfectiones, & affectiones, quæ propriæ sunt Spiritus, & mentem ornant, animumque decorant ad se vocet; sibique adaptet, ac proinde communi Patrum voce intellectualis, & sancta efferatur. Quid à corpore remotius, quàm Spiritus? quid à ratione distantius quàm venter? Quid ab vtero seiunctius, quàm mentis conceptus, intellectionis terminus, æterni Patris Verbum, & ratio? Quid magis abstractũ, ac deuium à corpulenta carnis mole, quàm sanctitas? Et tamen hæc tam inter se dissita extrema, vna Beata Virgo in vnum colligauit; cùm Patris Verbum in vterum illabitur Virgineum, æterna Ratio in ventre editur, idémque met terminus intellectionis Patris æterni est terminus, & conceptus ventris Mariani ab eodem cõclusus, ac cõprehensus. Meritò adstupet S. Cypr. 735.

Luc. 1.

Idem [illegible] terminus intellectionis Patris æterni est terminus vteri Mariani.

minus,

de idolor.vanit. *Hic, ait, est virtus Dei, hic ratio, hic sapientia eius, & gloria: hic in Virginem illabitur, carnem Spiritu sancto cooperante induit.* Ideò Maria à Theophane Hym. in Annuntiat. Intellectuale habitaculum appellatur; quasi disruptis propriis carnis repagulis, venter Virgineus in sphæram Spiritus protenderetur, & abiret, ita vt in posterum Maria ab vtero, in quo Verbum, & rationē concepit, intellectualis nuncupetur. *Ipsa*, inquit Epiph. de laudibus Virginis, *est clibanus intellectualis, qua ignem, & vitæ panem habebat*: Nec cuiuslibet vitæ panem, sed panem vitæ, & intellectus: vt addiscat Marianum corpus spiritus functiones ebibisse; imò spiritus, ac Mens nulla quouis gloriæ lumine euecta vnquam Deum comprehendere, & cohibere potuit, cùm tamen Marianus venter tanquam Dei comprehensor, ac Beatus verè commendetur; iuxta illud Ierem. *Fœmina circundabit virum*, qui verus Deus est: & *Beatus venter qui te portauit.* Meritò igitur laudibus efferat Marianam carnem S. Germanus orat. in natiu. Virg. *Sic & corporis decens habitus ad tantum puritatis perductus, vt ad ipsam perueniret corporum expertis, atq; incomprehensibilis supernaturalis substantiæ granditatem, per vnā sanctæ Trinitatis personam. Hæc Deipara est Maria.* Cuius rei ratio hæc assignari potest, quia virginitatis ope, & Spiritus sancti igne defœcata, decocta, ac depurata caro Mariæ corporis scoriam expulit, fæculentasque carnis fœces, ac sordes à se procul arcuit, corpoream molem grauedinemq; instar puri Spiritus non sentiēs, ac proinde partus dolores, corporis lassitudines, vteri grauidi fastidia, carnis molestias, ægritudines reliquarū fœminarum experta non fuit. Quocirca deinceps Marianam carnē neutiquam cum hominum reliquorū carne componas, sed cum eorundē spiritu, ac mente. Ad nostrū gustū ait Damianus ser. 45. in natiū. Virginis: *Dilectissimi considerandum est, quanta sit dignitas nostra; quantaque sit nobis proportio cū Maria; Concepit Maria Christum in vulna carnis, deferimus & nos in visceribus mentis.* Nec mirum, quia Maria nata ex mente Patris, velut altera Minerua ex Iouis cerebro, hinc erudita prosiliit ad concipiendum Dei Verbū: itaq; sicut carne altus, caro est; sic è mente exorta, mētis functiones exerit: quod fatetur ipsamet Deipara apud Nazianzenum de Christo patiente: *Ex mente summa me mens nutrit Pater.* Si è mente superni Patris prodiit Maria, & Patris mens Verbum generat, nihil mirum si Maria Patris æterni indolem referat, & in generationem Verbi propendeat.

Theopha. — Epiph. — Germ. — *Virginitas Mariana sui corporis affectiones in spiritus indolem transmutauit.* — Pet. Dam. — Naz.

736. Vterus ergo Virgineus, licèt corporeus, spiritus dotes ambit; hæ sunt Sanctitas, Rationalitas, Beatitudo, & aliæ eiusmodi. Beatitudinē Virgineo ventri mulier de turba, de Spiritu sancto edocta defert; *Beatus venter, qui te portauit.* Vbi Beatitudo non mētis, sed ventris laudibus euehitur: imò ipsa Beata Virgo ex generatione Verbi Diuini ex suis visceribus sui ipsius beatitudinem per omnem posteritatem decantandā in carmine prophetico prædicit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Grādis profectò Mariæ cōmendatio, quod eius venter Patris æterni beatudinem, & eminentiam ebibat, sibique adaptet; siquidem Pater quia diuinitatem comprehendit, Beatus succlamatur; ideóque Beatus, quia Dei hominis comprehensor. *O vterum*, ait Epiphanius de laudibus Virginis, *cælo ampliorem, qui Deum incomprehensum, in te vero comprehensum portasti!*

Luc. 11. *Vterus Virgineus dotes spiritus ambit, nempe sanctitatem, rationalitatem, ac beatitudinem.* — Luc. 1. — Epiph.

737. Dictis refragaberis: Beatitudo est omninò spiritualis ab omni corporea mole seiuncta, in intellectione omninò spirituali sita: cōprehēsio verò, quæ vtero Virgineo adaptatur est corporea intellectionis expers: quæ igitur similitudo, vel analogia reperiri potest inter comprehensionē corpoream vteri Mariani, & comprehensionem merè intellectualē, quæ in purum spiritum quadrat. Id totum verū esse nullus est qui diffiteatur; sed quia Verbum Diuinū adeò Intimo illapsu in vterum Virgineū descendat, vt tota Maria Deo repleatur, qui Ratio est, tota quasi rationalis euadit, tota quasi ratione afficitur, intellectionē in se recipiens, scilicet Logon Patris, ac proinde Verbum Diuinū aluo concludēs, ac cohibens, illud cōprehendisse vnanimi Patrū consensione fatendum est. Ideò aluū Virgineā rationalē, ac intellectualem nuncupare non verentur. Vnum Epiphaniū suprà productū pro pluribus substituo de laudibus Virginis, sic fantē: *Ipsa est Clibanus intellectualis.* Et alibi. *Fidei mensa intellectualis.* Aluus Mariana, mēsa, & clibanus intellectualis asseritur, vt pote qui totū Verbum Diuinū ad modum intellectus Patris cōprehendit. Quemadmodū ergo Pater intelligendi actu rationem; scilicet Verbū generat; sic B. Virgo è ventre mūdissimo Verbū progignens, scilicet Rationem; rationalis, & intellectualis rectè dici potest vterus Rationem generans. *Et sicut mens nostra*, ait Theodoretus in Epitom. Diuin. decret. c. 2. *Sermonem parturiens opus non habet coniunctione fæminæ, sed vt quæ perfecta ipsa est, perfectū sermonem efficit.* Ita etiam B. Virgo ratione, & Verbo Patris æterni fœcūdata, sine cōiunctione viri protulit Verbum, conceptū parturiuit, rationem edidit, & quidquid vterus parturiuit, ipsissima Dei ratio fuit: meritò ergo rationalis, & intellectualis denominationem sortitur: sic vterum Marianum cōpellat Card. Pet. Dami. ser. 45. de natiu. Virginis. *In hoc rationali sanctuario, hoc est Deiparæ vtero, multo mirabilius, multóque felicius dignatus est manere pro nobis, in quo Verbum caro factum est.* Nemini ergo insolens videri debeat, si aluus Virginea rationalis nuncupatur, cum in se effigiet, & producat Verbum, & Logon Patris, hoc est Rationem omnium perfectissimam, conceptum mentalem diuinissimum. Aptissimè in hanc rem vocat vterum Marianum, Tabernaculum viuum ratione præditum, Damasc. orat. 1. de Natiu. Virginis, quia, inquit idem orat. 1. de dormit. Deiparæ, idem Verbum quod est terminus paterni intellectus, est etiam terminus vteri Mariani.

Epiph. — Pet. Dam. — Damasc.

PALÆSTRA VII.

Perfectionem animæ Marianæ, eiusque potentiarum introspicit.

CERTAMEN I.

Mariani animi præstantiam præ aliis omnibus rimatur.

738. SVperiori Palæstra huius Mariani Palatij vestibulum contemplati sumus, videlicet corporis eius priuilegia, & affectiones protulimus; modò iuuat ad interiora pedem referre, eius scilicet animi præstantiam contemplari: Verùm quis audeat Mariani Throni adyta penetrare, fastigiúmve conscendere, ipsiúsque persequi laudes, cum duodecim Leones per omnes sex gradus huius

Salomonici

3 Reg.10. Salomonici Throni conspiciantur. 3.Reg.10.sic ha-
bes : *Et duodecim leunculi stantes super sex gradus
hinc inde.* Si in gradibus leones occurrunt, quis te-
merario ausu thronum cõscendat. *Leo est in via*, aie-
Prou. 2. bat Ille prou.2. vt difficilem , inaccessamque viam
ostenderet:hic autem,non vnus Leo, sed duodecim
custodiunt thronum,quippe vt inaccessibilem cõs-
censum ostendant.Sed apage,animos erige,leuncu-
li enim sunt,& quidem depicti , siue lapidei ; nihil
Sapientes , ac mali verere.Facilis accessus ad thronum , patet etiã
rudes ad Ma- imbecillibus , quisque,vel balbutiens infans poterit
rianas laudes sibi parare conscensum,præcipuè ipsa Virgine Dei-
decantandas para adhortante,& inuitante.Habes enim Apoc.19.
inuitantur.
Apoc.19. *Et vox de throno exiuit dicens : Laudem dicite Deo
nostro omnes serui eius, & qui timetis Deum pusilli,&
magni.* Vides,non solos ingenio præcellenti conspi-
cuos euocat hæc vox ad se , verùm etiam rudes , ac
plebeios:vox à Throno egrediens , scilicet à Maria
inuitat cunctos homines,etiam ingenio hebetes ad
Dei laudes in Maria decantandas. *Salomon noster*,
Pet.Dam. ait Pet.Dam.ser.de Natiu.Mariæ,*fecit thronum,vte-
rum videlicet intemerata Maria,in quo sedit illa ma-
iestas,qua nutu concutit orbem*,&c. *Et vox de Throno
exiuit dicens : laudem dicite Deo nostro omnes sancti
eius:ex hoc Throno laus Angelorum prorumpit , &
hominum.* Non solùm ingenio Angelico florentes,
sed & humano,ac rudi inuitat Thronus, id est Vir-
go Beata ad Dei magnalia,& ipsius Deiparæ enco-
mia euulganda.

739. A corpore igitur Mariano ad animum sermonem
Anima B. conuertimus. In qua re pro comperto statuimus,
Virginis,dem- animam Deiparæ , post animam Christi D.præ om-
pta Christi, nibus præstantissimam fuisse. Quod planè omninò
omnibus præ- ipsam Virginem Deiparam ita decebat : sicut enim
stantior aliis. excellentiora multò priuilegia nacta fuit,quàm re-
liquæ omnes creaturæ intelligentia præditæ, nem-
pe quia ipsa creaturarum omnium Regina inaugu-
rabatur , tanquam Conditoris omnium Genitrix;
oportebat etiam, imò præcipuè præstantiori animo
reliquis anteire. Quod assertum luculentius stabi-
liunt hæ omnes rationes , quibus superiori palæstra
corporis perfectionem,temperamentum, membro-
rum dispositionem,humorum concinnitatem, phy-
siognomiam, pulchritudinẽ reliquis omnibus ante-
tulimus. Primò igitur suaderi potest hæc thesis ex
maxima,quæ inter Deiparam ac Filium, similitudi-
ne intercedit;enimverò hæc similitudo potiùs circa
animam attendi oportet,& in ipsa radices agit:quæ
ergo de Mariana perfectione corporea , compara-
tione ad Filium superiùs protulimus, validius asser-
tum nostrum corroborant;siquidem animæ præstã-
tia in ordine ad similitudinem, magis quàm corpo-
ris expendenda censetur : corpus sed enim propter
animam conditur,suámque omnem excellentiam ab
anima,quæ illius est forma,nanciscitur;& præcipuæ
excellentiæ,ac dona non in corpore , sed in anima
sedem suam figunt;quæ cùm sint longè præstantio-
ra,quàm ea,quæ vlli puræ creaturæ delata sunt,etiã
animam omnium præstantissimam esse oportuit,vt
perfectissima gratia,ac supernaturalia dona propor-
tionatum,& appositum naturæ fundamentum sor-
tiretur. Quæ veritas multo melius constabiliri po-
test in eorum sententia , quàm ad libros de anima
sustinuimus;videlicet inter rationales animas repe-
riri inæqualitatem indiuidualem:& quamuis deter-
minatio ad animam tantæ , vel tantæ perfectionis
solum ex voluntate Dei dependeat,neque nobis ni-
si per reuelationem innotescere possit; nihilominus
rationibus, & coniecturis innixi asserere possumus
Deiparæ animam esse omnium post Christum præ-
stantissimam,prout decebat eã,quæ Deum progeni-
tura erat,& Angelorum,& hominũ Regina,& Im-
peratrix inauguranda, quæq; non solùm quoad ani-
mã,sed etiã quoad corpus, & quoad totum hominẽ
ab ipso Deo ortum duxit tanquã à causa principe,vt
supra monuimus.Fatemur ergo animam B.Virginis
sub eadem natura specifica cohiberi cum aliis , in
quo æqua censetur omnium conditio , nullumque
incremẽtum,vel decrementum,quoad hoc reperiri
potest;nullaque etiam Christi D.perfectior,aut præ-
stantior alia : si verò indiuidualem cuiusque inspi-
ciamus differentiam,nihil obstat,quominus vna an-
tistet alteri : nulla enim nos ratio cogit ad asseren-
dum,hasce indiuiduas differentias,æqualem sibi ad-
sciscere dignitatem , & vnam altera præstantiorem
non esse ; iuxta quem dicendi modum adstruimus
animam Deiparæ Virginis,secundum indiuidualem
rationem longe reliquis omnibus etiam primorum
parentum antecelluisse.

Hinc etiam facilè inferri potest,vires ipsius animæ 740.
Marianæ,scilicet proprietates esse omnium nobilis-
simas,nimirum intelligentiam,quæ omnium homi-
num,& Angelorum perspicacissima fuit,& ad intel-
ligendum,ac diiudicandum perfectissima,nulliq;er-
rori,aut falsitati obnoxia,vt infra monemus:Poten-
tiam itẽ volitiuam omninò expeditã,ac prõptam ad
bonum prosequendum, ad malum fugiendũ, & per-
horrescendum,ad vniuersa virtutum studia assectã-
da pronissimã fatemur : Memoriam similiter tena-
cissimam,ad apprehendendum facilem , nulli obli-
uioni succumbentem , ad retinendum constantissi-
mam.Reliquæ etiam potentiæ,& facultates omniũ
nobilissimæ adstruuntur, nullis obicibus,aut impe-
dimentis præpeditæ;nullas difficultates , aut retar-
dationem passæ in suis exercendis operationibus;
optima enim corporis constitutio,optimum operã-
di modum deposcebat:animus item,ac corpus om-
nium præstantissima nobilissimas facultates exige-
bant : vel enim eiusmodi proprietates idem re ipsa
sunt cum substantia,cuius sunt proprietates,vt cen-
sui ad libros de Anima;vel ab ipsa secernuntur:si pri-
mum,ergo sicut anima Mariana præstantior est cũ-
ctis,ita etiam & facultates , quæ idem cum anima
esse censentur : sin autem eas ab ipsa anima secerni
alicui videatur;idem asserendum est,quia potentia-
rum præstantia,& excellentia,substantiæ perfectio-
nem indicat,& quò eæ præstantiores fuerint , eò &
illam fore præstantiorem demonstrant , quia facul-
tates naturales rei,cuius sunt,perfectionẽ æmulãtur.

Ea autem est animi,ac corporis,ac reliquarum fa- 741.
cultatum,& denique totius compositi Mariani præ-
stãtia,vt impulerit Antidicomarianitas, ei tanquam
vero Numini sacrificia litare.Nec defuere quædam
nefariæ mulieres in eandem hæresim prolapsæ , vt
assererent Deiparam naturæ cuiusdam esse diuinæ,
ac proinde diuinos ei deferebant honores;quarum
insanam sacrilegamque impietatem fusè S. Epiph. Epiph.
hæres.78.& 79.propulsat.Equidem non è lutulentis
horum,ac similium lacunis spatiosum Marianarum
laudum campum irrigabo;nec turpitudinum obsce-
nos fontes,specie honoris,in sanctitatis domicilium
corriuari volo : nec è senticosis spurcorum hæreti-
corum dumetis Dei Genitricis serta componam:Sed
S.Cæsarij fratris Naz.Dialog.1.tanquam prudenter, Cæsarius.
ac solidè prolatum , meum esse seorsum volo : *Non
quædam propriè mea,lentáque proferam,sed quæcum-
que clarorum,beatorúmque Patrum prata peragrans,
de illorum roseto collegi , quorum rosa aqua è latere
Dei,ac Verbi quod carnẽ assũpsit,manante rigantur,&
à iugi sãguinis indidẽ orti riuo,rubro colore tinguntur;*
totúmque

totúmque mundum suaui odoris fragrantia replent. Qui & splendore suo firmamenti luminaria vincunt, & vitæ sermonem continent. Quorum ellychnium nunquã decidit, & lucerna non comminuitur, & oleum non absumitur, & lampas non quassatur, & flãma non extinguitur. Non enim quorumcunq; est B. Virginem laudibus efferre, iudice Basilio Seleuciæ orat. 39. sed dumtaxat *hominum perspicacissimorum, quique corpore, & animo sincere expurgati, nec non einicatione quadam diuina gratia affatim illuminati, debitam Dei matri laudationem plenè concinnent.* Quos vbinam reperies, nisi forte homines sanctitate, ac doctrina conspicuos, quorum verbis, atq; sententiis magnæ Matris encomia euehere est in votis, eximiamque Virgini Dei Genitrici Doxologiam pangere. Bellè huc reuocabis illas Damasceni voces carm. de Annunc. *Tanquam animatam Dei arcam tangat nequaquam manus non initiatorum, labra autem fidelium Deipara intacta voces Angelicas canãt.* Ipsa quidẽ Virgo B. præstita sibi à sanctis Dei hominibus encomia, vt est æqui bonique obseruantissima, pluris habet, quàm à quibuscunq, lectiorib. vocibus depactas, & speciosiori sermone prolatas aliũde laudes. Quocirca nemo prudens amicis auribus auscultet insulsa blandiloquia, quæ quidam è Catholicis, imprudenti erga Virginem Deiparã amoris affectu perculsi effuriunt, distractis iustæ laudationis legibus; eam, Deam, vel quasi Deam mediterraneam appellitantes; qui tituli infame dedecus, potius quàm decus tantæ Virgini inferunt, vt pote omnium blandientium vocularum, ac mendacis encomij multum auersatrici: nec probatus Author ex antiquis talem fictitiam commendationem sustinuit. Solùm in extrema Tragædia, *Christus patiens*, cuiusdam Apollinaris Hæretici habetur precatio ad Virginem, vbi vocatur æternitatis pallio ornata, vt Dea habita: sed quid inde? anne quod hæreticus forsan carminis vi compulsus, nec sine particula temperante apposita protulit, statim à Christiano Doctore imprudenter referretur inter vera Deiparæ Virginis encomia. hos sane commentitios titulos, qui nos Hæreticis exsibilandos proponant, procul abigamus, vt priùs monitum fuit à Serario lib. 2. Litanent. quæst. 13. insistamus Patrum vestigiis, apud quos neutiquam eiusmodi falsas, ac ementitas commendationes deprehendas: nec ideo vt puto censebit cordatus nemo, minus erga Deiparam addictos, aut minoris ingenij exstitisse ad introspicienda vera ac legitima Virginis Deiparæ laudum, encomiorumque decoramenta. Demum idem S. Epiph. hæres. 79. ex eo inquit, Christum D. appellasse Virginem Mariam, *mulierem*, non *matrem*, vt notum fieret, illam non esse Deam, nec diuina latriæ adoratione colendam. *Sanctum*, ait, *erat corpus Mariæ, Virgo erat ipsa Virgo, & honorata, sed non ad adorationem* (scilicet latriæ) *nobis data: & propterea Euangelium munit nos dicens, quod ipse Dominus dixerit. Quid mihi & tibi est mulier? quò non putarent aliqui magis eximiam esse sanctam Virginem, mulierem eam appellauit, velut prophetans, quæ futura essent in terra sectarum, ac hæreseon gratia.*

Basil. Seleuc.

Damasc.

Laudes ementita infame potius dedecus quam decus B. Virgini importans.

Epiphan.

742. Quòd si cùm hæreticis Antidicomarianitis obiectaret quispiam: cur ergo nullam Euangelistæ narrationem interserant de B. Virginis parentibus, cùm præsertim aliorum quorundam, ipsa Deipara longè dignitate inferiorum parentes recenseant. Verùm occurro id ad vberiorem cumulatiorémque ipsius Deiparæ Virginis gloriam factum esse: perinde, ac si nullos in terra habuisset genitores, adeóque nobis aliquid de ipsa sublimius esset cogitandum; non ita tamen, vt illam è cœlo elapsam, vel Angelicæ substantiæ portionem, vel diuinæ naturæ scintillam suspiceremus; sed vt ipsam tanquam verum naturæ humanæ indiuiduum, non tamen quoad communem cum reliquis hominibus conditionem, & ærumnas sortiretur: sed quòd naturam humanam integram, innocentem, emaculatam ab omni primæui delicti labe nacta sit. Quare licèt à parentibus, quoad corpulentam molem ortum traxerit, à Deo tamen singulari priuilegio, tanquam à causa principe edita fuit. Ne igitur de magna Matre, humile, ac vulgare mens nostra conciperet, sed sublimius, & excellentius; ipsius parentes supprimuntur ab Euangelistis, ipsiúsque ortus, ac conceptus; vt eius excellentia singularis potius ex Dei maternitate, ad quam euecta fuit, quàm ex parentibus, aut ex communi cum reliquis hominibus generatione deprehendi posset: itavt de Deipara meliori longè iure liceat proferre, quæ Paulus de Melchisedech protulit ad Hebr. 7. *Hic enim Melchisedech rex Salem Sacerdos Dei summi sine Patre, sine Matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, assimilatus autem Filio Dei manens sacerdos in æternum.* Quia ergo Virgo Deipara omnium maximè assimilata fuit Filio, opus fuit, vt nulla parentum ipsius, vel conceptus, vel ortus mentio recenseretur, sed ex dignitate maternitatis Dei eius præstantia singularis, ac sublimiora priuilegia dimetirentur. Hac de causa S. Petrus Damian. lib. 2. epist. 5. festiuè satis expendit Moysen, de omnibus creationis diebus sermonem instituẽtem, vnicuique Mane, & Vesperum attribuisse, at verò Sabbatho, qui dies Virgini Deiparæ sacer est, consultò, nec Mane, nec Vesperum, nec initium, nec finem assignasse: solùm ergo ait sacer Scriptor: *Requieuit die septimo ab vniuerso opere, quod patrarat:* de aliis autem diebus, addit: *factum est vespere, & mane dies vnus:* & sic de aliis diebus sequentibus; nempe quia reliqui homines suum ortum, & exitum, suósque parentes nanciscuntur, à quibus nobilitatem hauriant, & laudes auspicentur; at Mariæ neque vesperum neque mane, nec parentes, nec ortus, nec natiuitas recensentur; *Ad similitudinem*, inquit Damianus, *Melchisedech Sacerdotis; etiam Sabbathum Moyses introducit, id est sine Patre, sine Matre, sine Aurora, & Vespera.*

B. Virginis conceptus, & ortus, ac parentes supprimuntur. quia ex maternitate Dei potius censenda est.

Hebr.

Petr. Dam.

Gen. 2. 2.

Sabbathi dies B. Virgini sacer, & ideo sine aurora, & vespere.

743. Meritò igitur Virgo Deipara, non ex parentibus, à quibus progenita fuit, sed ex Filio, quem ex visceribus genuit, gloriam auspicatur: quicunque enim res præclarè gestas adorsurus est, Magnique cognomen sibi comparaturus ob præclara facinora; parentum affectum omnem exuat, necesse est; omnem cognationem dissimulet terrenam, consanguinitatem deneget, si velit opera laude præstantia cum sapientia, & consilio patrare. Annunciaturus quippe Euangelista Ioannes Verbi diuini genealogiam, orditur in hunc modum: *In principio erat Verbum, & Verbũ erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Et finem facit dicendi: *Et Verbum caro factum est.* Cur nomen filij subticet, cùm sit vnigenitus filius à Patre, eiúsque genealogiam subtexit: dicat ergo: in principio erat filius, cur nomen Filij supprimitur? Cardinalis Toletus occurrit ingenioso acumine, hancque exhibet rationem; nempe quia Filius Dei, Verbum Patris se gessit instar Verbi diuini, non vt Filius, quia Filij nomen respectum Patris importat, cúmque totum Verbum diuinum ab æternitate destinatum fuit in

Res præclare gestas aggressurus, carni, & sanguini longum Vale dicat.

Ioan. 1.

Toletus.

opificem

opificem rerum omnium, quæ hoc cæli ambitu continentur; *Omnia enim per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*: ideò filiationem dissimulat, respectus ad Patrem subticetur, solumque sapientiam, summúmque consilium ostentat, rerumque omnium perfectissimam cognitionem exprimit sub nomine Verbi: *Causam esse arbitror*, ait Toletus in prædictũ locum Ioan. 1. *quia statim per hoc verbum, omnia facta esse annunciaturus erat Euangelista, at expressior, & significantior est ista veritas, per Verbum facta sunt omnia, quam per Filium; quia illa locutione significantur facta esse cum consilio, & cum sapientia, & sine labore, & difficultate, quia Verbo facta sunt, quæ tamen in hac sententia, per Filium facta sunt, non explicantur.* Vt & hinc addiscamus illũ qui præclara facinora aggressurus est, omni cõsanguinitate nudari oportere, nec parentũ meminisse; quorum nimius affectus virtutum operibus bellum indicit, rerum præclarè gestarum facinora adorientibus impedimenta struunt, obicẽ obtendunt parentũ respectus, consanguineorũ affectiones; cùm Verbum diuinum grandia, & excelsa vrbis opera aggressurũ, & cum sapientia, & consilio patraturum, nostro rudi concipiẽdi modo sese accommodat, ac filiationis nõ meminit, nec ad Patrem respectũ exprimit: solùm sibi Verbi nomen arrogat, quod sapientiam, ac rerum omnium perfectissimam cognitionẽ adsignificat. Sat ergo fit Sacris Scriptoribus Mariã Verbi diuini Genitricẽ nuncupare, vt ipsius grandia merita, ac opera præstantissima cum omni consilio, ac sapientia præstita fuisse constaret; vtriusque parentis nomine suppresso, tectóque omnis consanguinitatis respectu, solùm maternitate Dei expressa.

744 *B. Virgo non adscititio Genitorum splendore, sed propriis meritis nobilitatur.*

Nisi velis asserere Virginem Deiparam non ex Genitorum gloria, & virtute nobilitari, ideoq; Euangelistas ipsorũ nomina silentio prætetiisse, nempe quia ex splendore proprio, ac ex propriis virtutum operibus omnem laudem famamque sibi erat adeptura: qui enim omnibus destituuntur ornamentis ad famam, nomenque comparandum, adscititiis meritis, & alieno splẽdore indigent; quod enim propria virtute, ac merito consequi nequeunt, ex maiorũ gloria, ex Auorum splendore, ac facinoribus emendicant; indigni profectò qui posteritati commendentur; instar Aëris, cuius nulla in prima rerum omniũ molitione mentio exstat, cùm tamen cælorum, terræ, marisque expresse sacer Scriptor meminerit Gen. 1. At quid aëre præstantius, & conducibilius, per quem homo in animam viuentem respirat, quasi per quamdam Diuinitatis portiunculam? Deinde aëre suspiramus, quo animus maximè leuatur: Aëre item refrigerium captamus; ipso in varios regionum tractus enauigamus: aëre augescunt plantæ, ac in maturitatem deueniunt: cur ergo aëris mentio omninò supprimitur, eique in sacris monumentis omnis memoria abraditur? An quia aër à rebus aliis colorem emendicat, speciem, ac figuram adsciscit, cùm ipse nec vllam figuram exprimat, nec proprium aliquem colorem sibi vendicet, sed rerum earum quibus adhærescit, colores, & imagines refert; nunc sub nubilo turbidus, nunc sub sole splendens, nunc sub nocte tenebrescens, nunc sub æquore cæruleus, nunc sub herbido virens, adeoque adscititiis laudibus venustatur, alieno emicat splendore, mutuatis onat ornamentis; ergo iure optimo è sacris voluminibus Aëris nomen aboletur, infamiæ nota ad omnẽ posteritatem inuritur, qui nullo natiuo meritorum splendore clarescit: eleganter Greg. Nyss. tract. in Hexam. aërem sugillans ita fatur: *Quod quidem ille non facit, quod nihil ad mundi constitutionem aer conducat, aut quod seclusus sit ab elementorum potestate, sed quia fortasse natura molli, ac facilè cedenti præditus, eas omnes in se suscipit, easdemque præ se fert: cum nec colorem proprium, nec figuram, nec speciem habet, sed alienis coloribus, & figuris informatur, nam & lucis splendidus fit fulgore, & tenebrarum interuentu niger, & obscurus; per se enim nec splendidus, nec obscurus est, sed omni figura, omniumque colorum specie imbuitur, & ad omnium rerum, quas suscipit, motum se accommodat.*

Aër meritò in Sacris voluminibus subticetur, quia alienis splendet ornamentis.

Laus igitur omnis Virginis Deiparæ, non à parentum generoso sanguine, sed à Filio decerpitur; non à genitorum, ac proauorum stirpe præclarissima, sed ab egregiis virtutum suarum splendoribus omnem commendationem aucupatur: subticeantur ergo Deiparæ Virginis parentes, solúmque Gnati nomen in sacris voluminibus splendeat, à quo laus omnis Mariana depromenda est: ait enim Matth. *De qua natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Quæ enim hæreditario iure nobis obueniũt, siue gloria, siue nobilitatis splẽdor, siue virtutum laus, siue facinorum præcellentium fama regiaque stemmata, Imperatorij tituli, quasi in album bonorum nostrorum non computantur, neque in nostrorum rerum censum assumenda, sed quasi extera, & ab alienis suffurata laus, & fama recensentur. Factum subiiciam, vt rem exemplo confirmem. Nonne auditur in Christi D. Genealogia à Matth. descripta Dauid bis Regis nomine conspicuus: *Genuit Dauid regem: Dauid autem rex genuit Salomonem: Salomon autem genuit Roboam*: vbi Dauid bis Rex nuncupatur; bis etiam Salomon nominatur, nunquam tamen regio nomine insignitur, cùm tamen Salomon præstantissimum supra omnes prædecessores obtinuerit imperium; oportebat ergo illum potiori iure Regis adnotari titulis? Quæstionẽ decidit Author de mirabilibus Sacræ Scripturæ c. 3. ex eo Salomonem regio priuari nomine apud Scripturarum monumenta, quia Salomon hærèditario iure in regnum deuenit. Quamuis ergo diuino Oraculo ex Saüle in Dauidem regnandi potestas deuoluta est, tamen vt sceptrum obtineret, regioque diademate cingeretur, & bello plurimo, & frequentibus præliis ac repetitis cum hostibus congressionibus, id priùs assecutus est; ac expugnatis hostibus, proprio marte ad Thronum conscendit; vt acumine solito obseruauit S. August. in titulum Psal. 51. *Cùm ergo, ait, Dauid Deus elegisset, & prædestinasset ad regnum, voluit & ipsum Dauid antè regnum tenere, quàm primò à persequentibus liberaret populum, vt etiam in hoc figuraret nos, id est corpus eius, cuius corporis caput Christus? porro enim si ipsum caput nostrum sine primo peracto labore in terra, in cælo regnare noluit, neque leuare sursum corpus, quod deorsum accepit, nisi per tribulationis viam, quid audent membra sperare capite suo magis se posse esse felicia.* Ex eo igitur Salomon regio priuatur stemmate, quia concessa imperandi dignitas Dauidis Patris adscribebatur bellorum congressibus, ac victoriis, atque adeò non suis, sed alienis meritis, ac sudoribus parta. Qui ergo peregrino lumine splendet, quin aliquid laboris in laude, proprio marte, adipiscenda contulerit, nec laudis, nec gloriæ vllius fama in posteritatem nitescet; qui verò non ab exteris emendicatis titulis famam sibi, nomenque comparat, is meritò solij fastigium tenet, regalibus condecoratur insignibus. Quare ex eo Virgo Deipara non indiget adscititiis parentum honoribus, ideóque in Sacris literis non recensentur, singulari Dei ductu, vt eius gloria omnis ex Filij laude, non à progenitorum splendore deriuaretur,

Matth. 1. *Dauid bis rex apud Matth. acclamatur, quia proprio Marte regnum obtinuit.*

Matth. 1. *Salomon rex omnium præstantissimus, & tamen rex nõ appellatur, nempe, quia hæreditario iure solùm regnum adeptus est.*

Author de mirabilib. Sacr. Script.

August.

ex fœtu à se progenito, non ex extera parentum gloria.

CERTAMEN II.

Ab intellectu Mariano omnem errorem, & ignorantiam prauæ dispositionis exterminat.

745. Singulare fuit in Deipara priuilegium quod nunquam luce veritatis orbata fuerit, nunquã alicuius erroris tenebris suffusa, semper lucidissima. Habes huius rei symbolũ sacris appositum Gen. 8. c. vbi de columba sic fatur Moyses: *At illa venit ad eum ad vesperam portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo.* A quibus hostibus aufugit, ac pertimescit candida sine felle columba, siquidem omnes ab vndis cataclysmi submersi sunt; cur aduenienté vespere extra Arcam noctu remanere non posset? quia scilicet tenebras tanquam infestos hostes formidabat, lucem ambibat, cauebat densa suffundi caligine, horroribus nocturnis circumsepiri; ergo ad arcam regreditur auis lucis amans, vbi aderat lucerna perennis, sic luce, diu noctuque potita fuit, nunquam splendore vidua pererrauit. *Non otiosè*, occurrit ad rem Ambros. lib. de Noë, & arca cap. 19. *posuit vesperam, vt non arbitreris sine lumine eam fuisse, & quibusdam tenebris occultatam, sed diuino candore fulgentẽ expectasse vsque ad occasum diei, & sic ad eum regressam, apud quem etiam vesperi tenebras habere non posset.* Quænam hæc Columba, nisi Virgo Deipara, quæ semper veritatis amans, nusquam luce carens, nunquam non luminosa splendescit, nullo vnquam tempore alicuius erroris caligine oblita? Reliqui Doctores quantumuis primarij subsellij, non semper lucidi, nec semper luminosi, aliquando luce veritatis destituti pererrarunt: sola Columba hæc à primo sui conceptus instanti doctrix, ac magistra exstitit. Reliqui sapientes aliquando ignari scientiæ subsidio caruere, tenebris consepulti à veritatis via, ac tramite deflexerunt, vel in vitæ primæ nascentis exordio, vel ob infantiæ balbutiem, vel sub senectam ob ætatis decrepitæ impedimenta, memoriæ defectum, obtusam mentis aciem, sensuum hebetudinem, potentiarum imbecillitatem: sola Maria nunquam veritatis splendore orba à primo vitæ limine, nunquam erroris alicuius tenebras passa fuit, nec in vitæ occasu ob senectutem, quantumuis multo maior, & annosior perdurasset, scientiæ indiga, veritatis expers, erroris ve conscia fuit, nec aliquando aliquod scientiarum decrementum passa.

Gen. 8.

Ambr.

B. Virgo noctica columba nunquam luce caruit, nunquã alicuius erroris caligine obsita.

Vt autem huius quæstionis decisio luculentior appareat, duplex est cum Dialecticis discriminanda ignorantia: alia positiua, & ignorantia prauæ dispositionis dici solet, quæ errorem secum importat: aliam priuatiuam vocant, in carentia scientiæ consistentem, quæ adhuc partiri solet in ignorantiam propriam priuatiuam, quæ carentiam scientiæ dicit, debitæ alicui iuxta illius statum, & conditionem, quæ ignorantiæ sibi nomen arrogat propriè; alia enim, quæ in negatione sulùm scientiæ possibilis, indebitæ tamen, nec pertinentis ad hunc hominis statum, impropriè ignorantiæ nomen meretur, propriùs & veriùs negatio scientiæ dicetur, siue nescientia.

746. Quo posito ignorantiæ discrimine. Dicendum primò, ab intellectu Mariano error omnis, seu ignorantia prauæ dispositionis procul semper aberrauit. Quam thesim ita certam arbitratur Suarius tom. 2. in 3. p. disp. 19. sect. 6. §. *Dicendum verò*, vt oppositã pias aures offendere censeat. Ita communis Doctorum cum Suario cit. Salmerone tom. 3. tract. penultimo. Bartholom. Medina in 3. p. q. 30. art. 1. Vnus Gerson Alphab. 15. lit. 5. adstruit B. Virginem, dum dormiret, interdum in intellectu errorem passam fuisse, & in phantasia falsas imagines, ac phantasmata. Plus ausus est Corduba lib. 1. Theolog. quæst. qu. 46. dũ in intellectu Virgineo, & æstimatiua errorem, ac deceptionem in vigilia admisit, leui nixus fundamento, vt decursu certaminis constabit. Nostra tamen sententia, quæ verissima est suaderi potest; quia ex Richardo Vict. lib. 2. de Emanuële c. 29. & 30. & Canisio lib. 4. de Deipara c. 19. Virgo Deipara non solum io omni gratia absolutissima fuit, verum etiam in omni dono, ac bono, cui nihil defuerit de plena virtutum perfectione: cui sententiæ subscribit Ambrosius lib. 2. in Lucam, vbi tradit B. Virginis personam, quò esset melior, ac perfectior, eò etiam prophetia pleniorem fuisse *quæ prorsus nesciret errorem*. Rup. item lib. 1. comment. in Cant. Mariam magnam Prophetissam statuit, quæ cùm plena esset gratia, prorsus non ignorauerit, quod Luc. 2. alioquin ignorasse, ait: proponit enim quæstionem illam: Quare Maria apud Lucam dixerit: *Fili quid fecisti nobis sic &c.* subiungit autem Euangelista Christi responsum, & quod parentes eorum quæ dicta fuerant, nihil intellexisse: *Ecce*, ait Rup. *duo velut pugnãtia, si enim Maria sciebat, nec ignorabat, quomodo quærebat dolens? si autem ignorabat, quomodo, vel de quibus in corde suo conferebat? ergo magna hæc Prophetissa, quid ageretur non ignorabat, quoniam gratia plena erat; tamen dolore perculsa quærebat, quoniam dispensatione diuina ipsa suo silentio seruiens, licèt cum quærentibus quæreret, tempus tacendi custodiebat, ac dolentibus condolebat.* Quæ verba Tuniciẽsis Abbatis ex aliis eiusdem in commentariis in Matth. nouam lucem accipient. Nunquam ergo admittit Rup. B. Virginem simpliciter ignorasse, quæ Dominus illi in Templo respondit; sed quod instar, aliorum pro ignorante se gesserit, arcanumque sapienter celauerit, suo tempore cum aliorum emolumento patefactura. Quod dilucidè D. Bernar. hom. 4. de B. Virgine confirmat; dum B. Virginis fidem, ac sapientiam propalat, quia ab Angelo, prius quàm ab homine vllo Euangelium acceperit, ne Mater Dei à consiliis Filij exclusa videretur, si eorum, quæ in terris ita propè gererentur ignara mansisset: imò addit, ita decuisse, vt de mysteriis omnibus à principio cælitus edoceretur, pleneque instrueretur, quæ temporis lapsu Apostolis, ac Scriptoribus Canonicis veritatem omnem erat reseratura. Quò respiciebat ipsa Deipara, dum sub typo sponsæ ait. *Introduxit me in cellaria sua:* quia non solùm B. Virgini Vnigenitus à Patre traditur, sed etiam ditissima omnis sapientiæ cellaria, & quæ in Sacris Literis continentur arcana, ipsemet Filius reserauit. Qui verò potuisset consiliis regere primarios illos fidei Doctores, Euangelij præcones edocere, fideles in fide confirmare, Ecclesiam in omni doctrina stabilire, si ipsa aliquando in fide nutaret, vel caligaret; vel si in omni sapientia, & doctrina illos omnes non longè antecelluisset. Appositè in hanc rem ait Bern. ser. de verbis Apoc. *Insipientia*, inquit, *omnis longè sub pedibus eius est, vt penitus absit hæc ab insipientium mulierum numero, & collegio Virginum fatuarum.* Siquidem Luna errorem, fatuitatem, ac ignorantiam innuit, quam pedibus B. Virgo terit.

Ab intellectu Mariano error omnis, & ignorantia praua.

dispositionis semper exulauit.

Suar.
Salmero.
Barth. Med.
Gerson.
Cordub.
Richar. de S. Vict.
Canis.
Ambr.
Rup.
Luc. 2.
Bern.
Cant. 1. 4.

B. Virgo lunã sub pedibus terit, quia omnem insipientiam, ac fatuitatem auersatur.

Bern.

Deinde

Deinde in statu innocentiæ abesset omnino illa erroris, aut deceptionis imperfectio à primis parentibus, nos autem peculiari Palæstra ostendimus Deiparæ Virgini collata fuisse omnia illius status priuilegia, his dempris, quæ cum corpore mortali, ac possibili oppositionem dicunt: quippe omnis eiusmodi perfectio Marianam dignitatem decebat; cùm ergo error, vel deceptio per transgressionem Protoparentum inuecta fuerint, vt author est D. Thomas 1.2.q.85.a.3. & quemadmodum omnem inordinatum affectum relegamus à voluntate, & appetitu Deiparæ, quia indecentiam inuoluit, & cum innocentiæ statu pugnat, eodem modo omnem actum inordinatum ab intellectu, & sensu cómuni Virgineo, qualis est error, & deceptio, procul depelli oportet, cùm non minorem indecentiam includant, & inter pœnas spirituales per peccatum inflictas adnumerentur. Demum Virgo Deipara perfectissimum dominium obtinebat in suas omnes potentias, & actus, quos ita moderabatur, vt nullus inordinatus motus assurgeret, qui optimæ rationi aduersaretur: cùm ergo summa floreret prudentia, facilè poterat de rebus ita iudicare, quæ solum, vel certa scientia, vel fide, vel reuelatione aliqua præhouerat: in alijs verò iudicium omninò suspendebat, vel solùm, quæ verosimiliora videbantur, iudicabat. Quod quidem iudicium optimæ prudentiæ metas non transiliebat; imo ipsi Beati de his rebus, quas certò non norunt, non aliter iudicium ferunt.

D.Thom.

747. Huius singularis priuilegij B. Virginis symbolum splendidius adiiciam. Audisti post sex dierum opera quæ Deus patrauerat, requieuisse die septimo, qui dies pluribus auctus priuilegiis inter reliquus: habes enim illú sanctificauisse, in illo feriatus est Dominus ab omni opere: alij præterea dies vespere, & mane constabant, at dies sabbathi totus lucidus, & splendens apparuit, nihil tenebricosum, nec minus lucidum admisit, nullum cum nocte commercium, nec cum crepusculo cognationem habuit, neque ad occasum vergit totus luminosus sine næuo vllo. At certum est diem hanc magnum, ac celebrem Sabbathi B. Virginem adumbrauisse, in qua perfecto orbis opificio, Numé requieuit, in qua ita lux promicabat, vt tenebras omnes dispelleret, ignorantiæ caliginem effugaret, errorem omnem arceret: quippe in Maria nihil non lucidum, & radiosum, diuinæ sapientiæ fulgoribus circumfusa, splendorum pelago immersa: decebat enim, vt is qui lucem habitat inaccessibilem, sedem sibi lucidissimam deligeret. Opportunè Pet. Dam. ser. de Annunc. de Virgine Deipara sermonem attexens: *Sibi consecrat Deus in Virgine reclinatorium aureum, in qua sola post tumultus Angelorum, & hominum, reclinaret, & requiesceret.* Lux illa, quæ prima creationis die orta fuit, totis primis tribus diebus sine noctis interruptione splenduit, authore Beda apud Lippomanum, ex D. August. lib.1. super Gen. ad lit. c.11. vbi hæc habet: *Non est credendum primam illam lucem fuisse extinctam, vt nocturnæ tenebræ succederent, & rursus accensam vt mane fieret, antequam hoc solis officio gereretur, quod a quarto die cœpisse fieri eadem Scriptura testatur.* Quænam hæc lux Solis prænuncia Christi, nisi Maria non luce faciens, sine noctis interstitiis promicans? Iure ergo Virgo Deipara superni Patris æmula dicat de Christo: *Ego hodie genui te*, hodie, inquam, vbi lux alma radiat, semper splendida, nullis tenebris consepulta, nullius ignorantiæ caligine oblita, neque alicuius erroris vmbra cincta, omnis nebulæ expers, quæ demũ sine nocte tota dies est. *Secundum carnem*, ait Iansen. in Psal. 2. *Maria Virgo etiam dicere potuit: Ego hodie genui te.* Meritò ergo exclamet S. Aug. vocem contendens ser. 21. in appendice, qui computatur sermo 9. de tempore. *O dierum dies omnium, lucrum lucis, & dispendium cæcitatis, in quo æternus Sol de summa celsitudine charitatis paternæ descendens, vulua virginalis aluum reserauit.* Dies alma Maria, lucis æmula, quam nox neque antecessit, neque subsecuta est, quia sine nocte culpæ vllius, & absque ignorantiæ, & erroris alicuius tenebris promicauit. *Annon etiam Virgo dies*, ait Bern. ser. de aquæductu, *& præclara: rutilans plane dies, quæ procedit, sicut aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol*: idemque ser. 5. ex paruis: *Dies diei eructat verbum, Deitas Virginitati, de vtero paternæ Maiestatis, in vtero maternæ integritatis.*

Dies septimus totus lucidus ac splendens, quia B. Virginem semper luminosam adumbrabat.

Pet.Dam.

Lux illa ante solem condita triduo sine nocte splendens, Mariam semper splendentē sine alicuius erroris nocte adumbrabat.

Beda apud Lippom.

Aug.

Iansen.

Aug.

Verùm insurget aliquis aduersus dicta: quia error intellectus sæpè oritur ex deceptione in sensu: atqui in sensibus B. Virginis frequentius potuit esse deceptio: nam interdum à longè prospiciens, potuit res apparere minor, quàm reapse erat, vel videre colores Iridis & existimare veros esse colores; vel aliquid simile in aliis sensuum obiectis. Respondeo Virginem Deiparam per scientiam infusam potuisse corrigere sensus, ne intellectum in deceptionem inducerent. Nisi aliquis velit subiicere, Marianos sensus ita fuisse diuina virtute roboratos, vt semper viderent obiecta, ac res perciperent, sicut in se erant, quocunque modo applicarentur: quod Suarius admittit in Christo de Incarnat. disp. 24. sect. 3. §. *Ad primam confirmationem.* Suarius.

In nullo ergo rerum genere fuit Virgineus intellectus aliquo errore obscuratus, aut alicuius rei ignorantia ad proprium statum attinentis præpeditus, & quidem illam qui reddidit à culpa originaria immunem; ab errore etiam, & ignorantia, quæ est pœna primæui delicti liberam fecit; multùm enim Dei matrem dedecebat: licèt aliqui erroris eam insimulent per illa verba Lucæ 2. *Existimantes illum esse in comitatu.* Tum propter illud quod adiicit Euangelista: *& ipsi non intellexerunt.* Tertiò quia subdit Christus D. *Nesciebatis quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Quibus supra ex Ruperto satisfecimus. Alij etiam respondent, verba illa Christi D. non ad ipsius Parentes, sed ad auditores vel spectatores in Templo pertinere; displicet, tamen quia aduersatur contextui Scripturæ eiusmodi responsio. Alij arbitrantur, indecens non esse, asserere B. Virginem non plenè calluisse, virùm illo responso Filius innueret velle iam in Hierusalem vitam degere, aliorum more adolescentium in Academiam Sacram confluentium, vel haberet in animo intra parietes non ampliùs concludi priuatos. Alij verba Christi, *Nesciebatis, &c.* & illa alia Euangelistæ: *Et illi nihil horum intellexerunt*, per Synecdochē accipi debere; sicut ea alterius Euangelistæ verba de latronibus cum Christo suffixis, de eodem Christo blasphemantibus, cùm tamen solus alter videatur blasphemias in Christum iactasse: sic verba illa ad vnũ Iosephum referri debent, qui non ita in fide profectus fecerit; sicut Deipara. Consulendus hac de re Canisius lib. 4. de Deipara c. 19. §. *Sunt qui.* Rem omnem diligentius examinans Dion. Rikelius lib. 2. de præconio, & dignitate Virginis c. 13. hæc profert: *Indubitanter fœlix, & gloriosa Maria certissimè nouerat, quòd Vnigenitus per Patrem suũ, designauit Patrem æternum: quod itemper ea, quæ Patris sunt, intellexit diuinum cultum; atque quod cultui Patris cælestis oporteret eum, secundùm assumptam naturam, semper esse intentũ; sed circumstantias loci, & temporis, modumq; occupandi se in his, quia Patris sunt, nondum cognouit: quemadmodum etiam Filium suum cum*

748. *Marianus intellectus nulla fuit alicuius rei ignorantia præpeditus, cuius cognitio ad ipsius statum attineret.*

Luc. 2.

Canis.

Dion. Rikel.

dolore quæsiuit, non quod putauit eam errasse, periisse, aut perditam esse; sed separationis à dilecto impatiēs, verebatur ne ex proposito ad alia diuertisset: vel vt Origenes respondet, ne fortè redisset ad cælos, inde dū sibi placeret rediturus. Addo cum Suario tom. 2. in 3. p. disp. 19. sect. 6. §. *& hinc facile,* de communi Patrū consensu dici posse, Virginem Deiparam nesciuisse, vbinam Christus tunc esset, id enim nullum errorē, aut ignorantiam prauæ dispositionis inuoluit; propter mysterium autē aliquod arcanum opus fuit, vt tunc Christus sese Matrē celaret, præsertim cùm ad meritum augendum permagno conduceret, & ad exemplum multùm nobis prodesset. Existimabat ergo Deipara Filium esse in comitatu, nullum iudicium absolutum efformans, falsum, aut erroneū, sed solùm enuncians id accidere potuisse, & ex signis, ac circumstantiis, quæ tunc occurrerant id asserens esse verosimilius; quæ enunciatio vera erat, & rectè congruit cum illis, quæ ab Euangelista referuntur.

Suar.

749. Ex verbis Christi D. & ex illis: *Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos:* impiè collegit Erasmus, Virginem Deiparam dubiam fuisse circa Christi diuinitatem: & Origenes in Lucam adnotat Iosephum, & Mariam necdum plenam fidem habuisse. Verùm absit tantus error, & ignorantia à B. Virgine, tū & à Iosepho. Lutherus in Postilla huius Euangelij non veretur Mariam, rudem, & ignorantem, ac errori obnoxiam dicere. Centuriatores verò cēturia 1. lib. 1. inquiunt, nequaquam perfectissimam fuisse Mariam, sed quibusdam imbecillitatibus subiacuisse. Culmanus item Lutheri discipulus suam in dialectica imperitiam prodit hoc argumēto: *Si errauit Maria, ergo & Ecclesia errare potest. Plena gratia erat Maria, & tamen errauit, & permittit Deus huiusmodi desperationes, & ignorantias in Sanctis, ne desperemus si accidant similia.* Ex falso antecedenti falsissimum subinfert cōsequens: satius inferre oporteret: In rebus credito necessariis nunquā Maria ignorantiam passa fuit, neque vnquā errauit, quia sapientia, & gratia præuenta, & confirmata fuit; ergo neque Ecclesia, cuius ipsa typum gessit, vnquam errat, neque Spiritus sanctus eam errare permittit. Lossius item hæreticus ... Doctor ait, Christi Parentes non intellexisse verbū Domini propter carnalē imaginationem de regno Messiæ temporali, quia expectabant à Iesu non doctum aliquem & peritum Rabbinum, sed illustrem in sæculo regem. His, & aliis calumniis proscindunt Hæretici sapientiam, ac fidem inconcussam Mariæ, quæ dubio procul erat Prophetissa doctissima, plena fide, & in sacrorum voluminum lectione, & intelligētia omnium Prophetarum versatissima: non ergo eam poterāt verba tam dilucida, ac perspicua latere. Addo B. Virginem vniuersa non vnico momento percepisse, quotidie enim proficiebat, & sciētia, & fide, & meritis; nec ideò repertus fuit in illa vel vllus error, vel eorum, quæ scire oporteret, ignorantia, vel fides tardior: ignorauit ergo vbinam esset Filius triduo illo, & anxia, & dolens quæsiuit; & ita ad eum directum fuit Euangelistæ verbum illud, *Et non intellexerunt illi*: ad quid tunc illud potiùs quàm alio tempore fecerit.

Erasm. Orig. Luther. Centur. Culman. Lossius.

750. Quare dicendum est 2. Virginem Deiparam non omnia semper sciuisse, sed pro temporū diuersitate nonnulla ignorasse negatiuè. Ita Suar. tom. 2. in 3. p. d. 19. s. 6. §. *Dico* 2. Salmeron tom. 3. tr. 46. Et probari potest ex dictis, nō enim opus fuit neque status eius necessariū, vt omnia sciret; nescientia autē non est aliqua peccati pœna; quia Beati Angeli in cælis à nescientia purgantur per nouas reuelationes ab altis acceptas, teste D. Dion. lib. de cælesti Hierar. c. 7. Vnde ante Angelicam annunciationem nesciuit modū conceptionis; & similiter post Incarnationem non omnia futura semper præsciuit, neque quæ in locis dissitis patrabantur, cognouit; neque omnes Christi passionis, ac reliquorum mysteriorum circumstātias perfectè callum: carentia igitur scientiæ alicuius rei, quæ ad ipsam illo tēpore minimè attineret, non dedecuit Deiparā. Hinc rectè inferri potest, vt moneo infra, in B. Virginē cadere potuisse admirationē; tum quia in ea noua rerū cognitio aderat, quæ admirationis causa existere solet, tū quia de rebus iā cognitis, si noua quadā consideratione perpendantur, aut nouo modo offerantur, dari potest admiratio: de quo Suar. tom 1 in 3. p. q. 8. in comment. art. 8. vbi sermonem instituit de admiratione in Christo.

Suar. Salmer. *Nescientia nō est peccati primi pœna vnde decuit B. Virginem.* D. Dionys.

In B. Virginē rectè cadere potuit admiratio. Suar.

Quocirca immeritò quis opponat illud Luc. 2. *Existimabant illū esse in comitatu,* ergo iā B. Virgo fuit decepta; siquidē fuit existimatio falsa, neq; cū obiecto reapse conformis, nā Iesus erat Hierosol. in Tēplo, Deipara existimabat esse in comitatu; ergo existimatione sua decepta fuit. Mihi autē altius rimāri cū Maior. in c. 2. Luc. visū est absonū rationi rectæ, & à vera pietate abhorrēs, vllū in B. Virgine admittere errorē etiā speculatiuū. Bellè ad rē nostrā Aug. l. 3. de libero arbit. c. 18. *Approbare vera pro falsis nō est natura instituti hominis, sed pœna dānati.* Vidēdus Suar. de opere 6. dierū l. 3. c. 10. si ergo hæc mentis perfectio collata fuit primis parētibus, B. Virgini Dei Genitrici denegaretur? Censeo ergo ab intellectu Virgineo, ab imaginatiua, & sensu cōmuni omne à recta ratione deuiū procul ablegandum. Verba ergo illa: *Existimabant illū esse in comitatu.* ita sunt capiēda, vt Deipara illud existimauerit, sed sine assensu firmo, & absq; vllo iudicio erroneo; videlicet ex probabilibus coniecturis & rationibus, illud probabile iudicium efformauit; verosimile est Dominū Iesū esse in comitatu: quod iudiciū temerariè, & sine vllo fundamēto dici potest error, seu deceptio; perperā enim quis errare dicitur, aut decipi, si probabilibus rationibus, seu coniecturis ductus probabiliter existimat, & coniectat de aliqua re absq; vllo firmo assensu. Quē ergo sensum admittāt verba illa Euāgelistæ: *Et ipsi nō intellexerūt;* licèt in Deiparā & Iosephū detorqueātur, indicio cū Barrad. to. 1. in Euang. l. 10. c. 15. videlicet, quia Deipara, & Iosephus nō intellexerūt tūc, in quibusnā reb9 Patris, illa ętate oporteret Christū distineri; tū quia forsā, viso ac inuēto Christo ex absētia tridui illius, maximo in illū inflāmata amore, toto cordis impetu, ac omnib9 animi virib9 in Christū erecta, nec satis quid ille diceret animaduertit. 751

Luc. 2. Maior. Aug. Suar. Barrad.

CERTAMEN III.

De voluntate Virginis Deiparæ in ordine ad suos actus.

CErtum inprimis ab omnibus haberi debet, Virginem Deiparā, in vtroq; ordine gratiæ, & naturæ, perfectissimè fuisse operatā; ac proinde excellentissimos virtutum naturaliū, & supernaturaliū actus exercuisse: solùm actus turpes, & vt arbitror, actus merè indifferentes nunquā elicuit. De actibus necessariis dubium exoriri posset, vtrū aliquando in B. Virginē caderent: & quidē de actibus, qui vocantur a Schola primo primi, rationē omnē præuenientes, qui necessaria veluti consecutione resultant, & ad malū impellunt; certū reor, illos in B. Virginē nunquā cecidisse, quia hi actus secū imperfectionē inuoluūt. Actus autē primò primi, & indeliberati ad bonū propellentes, licèt admittātur in Deipara, nihil erit absurdi, aut indecētiæ. Vlteriùs cū alibi ostēderimus, frequentiùs Deiparā, essentiā diuinā, adhuc 752

vitæ

vitæ ſuperſtitem prælibaſſe, conſequenti & neceſſaria illatione dicendum nobis eſt, actum amoris neceſſarium ſæpiùs elicuiſſe, dum viſio illa Beatifica ipſius animam beabat.

Deinde cùm Virgo Deipara libero, & rationali modo in obiecta collimaret, ac modo perfectiſſimo in finẽ propoſitũ intenderet: ideò per omnium actuũ latitudinẽ, videlicet ſimplicis voluntatis, intẽtionis, electionis, cõſenſus, vſus, fruitionis, Mariana voluntas, dũ viueret, ſpatiata eſt; ſiue in ordine naturali, ſiue ſupernaturali, hæc enim actuum varietas valde conducit ad perfectũ operandi modũ. Poſtremò etiã diſcerni poſſunt in voluntate totidẽ actus, quot affectus in appetitu ſẽſitiuo alibi diſtinximus, altiori tamẽ, & eminentiori modo in volũtate admitti oportet. Proinde voluntatẽ Virgineam feruẽtiſſimo Dei, & proximi amore perculſam fuiſſe cenſendũ eſt; peccatum etiam odio maximo auerſabatur, ſpe gloriæ firmiſſima nitebatur, forſan etiã deſperationis actũ elicuit aliquando circa hominum reproborũ ſalutẽ. Non rarò actu deſiderij gloriæ maioris Dei, ac redẽptionis generis humani accendebatur; cur etiã in fugam mali oppoſiti aliquando prorũpere nõ potuit. Audax etiã in aggredienda pericula ad aliquod bonũ nanciſcendũ proſiliit, vt patet cùm in montana perrexit Eliſabethã inuiſura; tum ad aliquod malũ ſuperandum, vt cùm Ægyptũ petiit infantem ab inſequentiũ manibus liberatura. Vlteriùs ira, vt eſt iuſta voluntas malũ aliquod vindicandi, tantam Virginẽ nõ dedecuit. Gaudium, & fruitionẽ in eadem, ſat indicant verba illa: *Et exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo.* Idem inſuper obiectũ, quod appetitum ſenſitiuum ad timorẽ adigit, poteſt etiam eundẽ excitare in voluntate: ſicut ergo infra diſſerimus, appetitum ſenſitiuũ Marianum timore non ſemel fuiſſe perculſum; idẽ cenſemus de virginea voluntate. Præterea quis eat inficias, naturalẽ triſtitiæ affectum, qui honeſtus eſſe poteſt, ſedẽ in voluntate Mariana plerumque fixiſſe; præſertim ſæpiùs exiſtente ſufficienti principio reapſe ex parte obiecti, & apprehenſionis eius: vt cũ recuperato Filio, ipſum alloquens ſic fata eſt: *Fili quid feciſti nobis ſic? pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Et etiam cùm ipſius animã doloris gladius tranſadegit, in Filij perpeſſione, ac morte. Hæc autem triſtitia nihil gaudij veri in Deo, & in Virgine Deipara imminuere, nihil tranquillitatis pacatæ extenuare poterat; quãuis enim gaudium, ac triſtitia iuxta rationes cõmunes, & vniuerſales, & in modo tendendi in obiecta propria quandã pugnantiam veluti ſecũ afferant, non tamen oppoſitionem propriã, niſi tendant in idem omnino obiectũ; vt videre eſt in actibus aſſenſus, & diſſenſus, qui nullam obtendunt oppoſitionẽ niſi ſint de eodẽ obiecto ſub eadẽ conſideratione, & ratione: plerumq; enim quia aſſentimur alicui propoſitioni, alteri diſſenſũ præſtamus: ſic etiã ex gaudio amoris diuini plerumq; reſultat triſtitia, ac dolor de diuina offenſa: quare gaudium, ac triſtitia in voluntate Mariana non opponebantur inter ſe, quia in diuerſa omninò obiecta, & ſub diuerſa conſideratione tendebãt: eodẽ modo maximo perfundebatur gaudio de morte filij, quatenus illa nobis ſalutem erat allatura: & ſimul grandi ferebatur triſtitia de eadem morte, prout grande naturæ malum Chriſto inferebat.

Luc. 2.

753. Quibus præiactis diſquires primò, vtrùm Mariana volũtas fuerit ſemper omnino cõformis diuinæ voluntati. Cẽſo primò voluntatẽ Mariæ Virginis operãtis per modũ naturæ per actus ſimplices, & inefficaces, quibus auerſabatur malũ naturæ ſecundũ ſe inſpectum, non ſẽper fuiſſe in materiali obiecto, vt aiunt, conformẽ diuinæ voluntati. Actus verò efficaces eiuſdẽ Deiparæ, vt deliberatè operantis ſemper fuiſſe diuinæ voluntati conformes. Pars Aſſerti prima ex illis verbis ſatis apparet. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* vbi per ſe conſtat, aliud voluiſſe B. Virginem actu illo inefficaci, quàm Deus volebat. Potuit etiã velle arcere mortẽ Filij affectu inefficaci, prout erat malum naturæ, ſicut ipſemet Chriſtus, dũ protulit: *Pater ſi poſſibile eſt trãſeat à me calix iſte.* Secũda Aſſerti pars conſtat etiã; cùm enim Deipara feruentiſſimè Deum ſuper omnia diligeret, quidquid Deus volũtate abſoluta decernebat, B. Virgo omninò adimpleri peroptabat: opportunè Ariſt. l. 9. Ethic. c. 4. ait: *Vnum de amicabilibus eſt eadẽ velle, & eligere.* Robatur, quia B. Virgo apprimè callebat Dei voluntatẽ, & quod nollet, vt humana voluntas opponeretur diuinæ; ergo ſẽper illi conformabatur, imò adynaton videretur, hac animæ B. Virginis poſita cognitione, qua ſibi rectè cõſtabat diuina voluntas beneplaciti in rebus exequẽdis, ipsã B. Virginem efficaciter aliud velle, quia obiectum repræſentabatur, vt impoſſibile: ergo voluntas illa oppoſita diuinæ volũtati eſſet omninò otioſa, & imprudens, adeóque à tanta Virgine procul releganda. Quis enim niſi auſu temerario, & imprudenti, ac impudenti poteſt actu efficaci contra voluntatem Dei abſolutam ſibi cognitam contendere.

Mariana voluntas quoad actus inefficaces non ſemper fuit conformis diuinæ voluntati; bene tamen quoad actus efficaces.

Luc. 1. 34.

Matt. 26. 39.

Ariſt.

754. Cenſeo 2. Licèt Virgo Deipara actu inefficaci volũtatis vellet, quod abſolutè & ſimpliciter Deus nolebat, ſẽper tamẽ ille actus erat diuinæ volũtati, tãquam primæ regulæ obſecundans, & conformis, vnde nunquã voluntas Mariana voluntati diuinæ aduerſabatur. Et ſuadetur, quia eiuſmodi actus inefficaces in B. Virgine erant vtiq; in ſuo genere honeſti, ac boni in genere moris; vt videre eſt in actu illo inefficaci Chriſti D. *Tranſeat à me calix iſte.* Quare diuina voluntas illos volebat, vt ſcilicet humana volũtas illos eliceret; ideò ergo B. Virgo actus illos elicuit, vt diuinæ voluntati cõformaretur. Quid quod cũ actu illo inefficaci bene ſtabat actus efficax obiecti oppoſiti, vt patet in Chriſto D. dũ dixit: *Pater trãſeat à me calix iſte, verũtamen nõ mea, ſed tua fiat voluntas.* Quòd ſi opponas; hi actus: *Vele, & Nollem,* quãuis ſimpliciter nõ opponãtur, cùm tamẽ ſint de eodem obiecto materiali, aliquo modo inter ſe pugnãt: vnde Mariana volũtas voluntati diuinæ aliquo modo aduerſabatur. Verùm aſſero nullam inter illos actus oppoſitionẽ reperiri; tunc autẽ pugnantia eſſet admittẽda, quando alter eorũ fieret præter rationẽ, & deliberationem voluntatis: quãdo autem actus inefficax eſt ab ipſa ratione regulatus, honeſtatẽ ebibit, ideóq; nulla poteſt reperiri repugnãtia & oppoſitio inter illũ, & actum efficacẽ circa idẽ obiectum materiale. De hac Mariana volũtate cum Dei voluntate omninò cõformi ſatur Guarr. Abbas ſer. 4. de Aſſũp. Mariæ: *Itaque Mariã, quæ ſecundum carnem Mater erat, alia quoq; ratione Matrem ſibi Ieſus probat, quãdoquidem & ipſa voluntatẽ Patris in tantũ faciebat, vt de ipſa prædiceret Pater, Eſai. 62. Vocaberis Volũtas mea.* & lib. reuelat. S. Brigittæ 5. c. 4. Filius ita Matrem alloquitur: *Oculi tui fuerunt in conſpectu Patris mei ſic lucidi, quod ſe ſpeculabatur in eis, quia in ſpirituali viſu tuo, & intellectu animæ tuæ, videbat Pater omnem voluntatẽ ſuam, quod nihil volebas, niſi ipſum, & nihil deſiderabas, niſi ſecundum ipſum.* Imò adeò conſtans in Dei voluntate perſtitit, vt aſſerat D. Antoninus ex Anſelmo: *ita diuinæ voluntati conformis erat, vt ſi oportuiſſet ad implendam voluntatem Dei, ipſa in cruce Filium poſuiſſet, atque obtuliſſet; neque enim minoris fuit obedientia, quàm Abraham.* Hæc Antonin. 4. p. tit. 15. c. 41. §. 1.

Actus inefficaces B. Virginis erant ob finem bonum, quare vt ſic, conformes erãt diuinæ voluntati.

Guarricus.

Brigitta.

Anton.

755. Diſquires 2. Vtrùm omnis voluntas efficax B. Virginis

Voluntas efficax B. Virginis semper opere completa fuit.

ginis semper opere completa fuerit, solùm est sermo de actibus efficacibus; quia compertú est, actus inefficaces nunquam sortiri effectum, vt videre est in Christo D. Matth. 26. *Transeat à me calix iste*, & Matth. 9. vbi latere voluit, nec potuit. Assero igitur: quidquid Virgo Deipara actu absoluto, ac efficaci voluit; reipsa effectum; ac proinde voluntaté B. Virginis semper fuisse effectum sortitam. Quod assertum ex proximè dictis lucem accipit; quippe voluntas efficax Deiparæ semper voluntati diuini beneplaciti obsecúdauit, & confirmata fuit: sicut ergo in Deo voluntas beneplaciti semper executioni mándatur, ita & voluntas efficax Mariana semper opere completa est. Nouum robur accedit nostro asserto ex sententia asserentiú B. Virginem præsciuisse omnia futura, præsertim ea in quæ ipsius voluntas, dum viueret, intentura erat, ergo efficaciter velle nequibat, nisi id quod reipsa euenturú prænoscebat. Deinde Mariana voluntas in nullum obiectú ferebatur actu efficaci & absoluto, nisi sub honestissima, ac prudentissima ratione; ergo id solum actu efficaci intendebat, quod certo consecuturá esse præsciebat. Huc vocari possút plures SS. PP. qui mirá B. Virginis potentiá deprædicát. Qui explicádi sunt, vel quia ex perfecto, & prudéti operádi modo, scilicet quia semper diuinæ volútati conformis erat; vel quia aliquo modo omnipotentiá Dei ebibebat tanquá instrumétum morale Diuinitatis, vt alibi fusiùs moneo.

756. Dicat aliquis, hoc sensu nihil nos deferre volútati Marianæ absolutæ, & efficaci, quod voluntati cuiuscumq; Beati attribui non possit: nam cùm sit conformis omnino diuinæ voluntati, si aliquid efficaciter optat, id infallibiliter nanciscetur, quia illud idem Deus vult voluntate beneplaciti. Hinc ait Ansel. lib. de similit. c. 52. Quemq; Beatum, si efficaciter vellet transferre montem ab vno loco in alium, consecuturum, quoniam ipsum omnipotentem suæ voluntati concordanté habet: ac proinde nihil nouú, aut mirum in hac re de Deipara proferimus. Respondeo sat nouú, ac mirabile esse B. Virginem vitæ mortalis superstitem, eandem felicissimam fortunam subire cum Beatis. Deinde assero non esse eandem paritaté; quia non omnis Dei voluntas beneplaciti est nota Beatis, sed solùm animæ Christi, & B. Virginis, vt alibi enodo: vnde voluntas Mariana nihil contra Dei voluntatem efficacem exoptat: alij verò Beati, cùm non semper, quid absolutè futurum sit, præuideant, ideò aliquádo ex parte actus absolutè, & efficaciter aliquid fieri postulant, quod reipsa Deus voluntate beneplaciti non exequetur: & roborari potest ex Daniele c. 10. in Angelis illis, qui efficacibus precibus effectus omnino pugnantes à Deo exorare contendebant: tum etiam quia Virgo Deipara est quasi instrumentum morale Christi, præcipuè in ordine ad opera redemptionis, & iustificationis. Certum ergo mihi persuadeo nihil vnquam à Sanctissima Virgine efficaciter concupitum, quod ex Dei beneficio non obtinuerit, obsequentibus, atque inseruientibus ad Mariæ gustum, non solum rationalibus, sed etiam omnibus insensibilibus creaturis, vt efficax Mariana voluntas suum sortiretur effectum; imò ipse rerum omnium molitor Marianæ voluntati famulabatur, iuxta S. Bern. to. 1. ser. 61. c. 6. *Tot*, inquit, *creaturæ seruiunt gloriosæ Virgini, quot seruiunt Trinitati. Propterea hæc est vera propositio: Diuino Imperio omnia famulantur, etiam Virgo: & iterũ hæc est vera propositio: Imperio Virginis omnia famulantur, etiã Deus.* Quod ita intelligendú, quia Mariæ nutui ac volútati nunquá nó obsecúdet: quidquid B. Virgo, siue in cælo, siue in terra concupiuerit, id Deus veluti suæ Parenti parens, ipsiusque nutui subseruiens opere præstat.

Ansel.

Dan. 10.

Bernardin.

CERTAMEN IV.

Vtrum appetitus sensitiuus B. Virginis, eosdem, quos noster, eliceret actus.

HI actus, qui in nobis affectiones, seu passiones dici solent, ad vndecim capita referútur, iuxta Theologos cum D. Th. 1. 2. q. 22. quæ sunt, amor, concupiscentia, delectatio, odium, fuga, tristitia, spes, audacia, desperatio, timor, & ira. De quibus hic disquirimus, vtrùm dum apud nos degeret, in B. Virgine reperirentur saltem in vniuersum; neq; enim omnes exercere potuit, siquidé certú est non omnes amoris sensibilis species, siue doloris, & sic de aliis, tantam Virginem decere: nec omnia obiecta sensibilia sub sensum Virginis B. cadere poterant. D.Tho.

757. *Actus appetitus sensitiui, qui in nobis passiones dicũtur, sublatis imperfectionibus, in B. Virgine reperiebantur.*

Censeo igitur in appetitu sensitiuo Virgineo sensibilem amoré resedisse, nullá enim indecentiá claudit, ideoq; in Beatis admitti solet à Theologis: tum quia Deipara, & in vita mortali, & modo in cælo, amore in summo fertur in Filiú; qui amor cùm tédat in bonú, nec vllam claudat imperfectionem, non est cur B. Virgini denegari debeat. Deinde affectus odij, qui aduersatur amori cú versetur circa malú naturæ, & opponatur bono dilecto, in eodem appetitu Mariano sedem habere potuit: nec enim fieri potest, vt qui ad vnum terminú accedat, ab alio sibi opposito non recedat. Cùm autem actus desiderij, seu concupiscentiæ sanctæ respiciat bonum absens, & tendat in illud inquirédum; ergo quemadmodú amor illius boni, vt monui, honestaté secum præsefert, ita & desideriú illius. Arsit igitur Virgo Deipara desiderio Christum duodenné videndi in Templo manentem. Alios ité actus desiderij in ordine ad alia bona sensibilia absentia elicere potuit: iú & actus fugæ mali oppositi bono desiderato. Rursùs non raro oblectabatur actibus delectationis sensibilis, hi enim actus sæpiùs ex obiectis aliquibus honestis promanant: quare in Beatis reperiútur, attestante Dauid: *De torrente voluptatis tuæ potabis eos, & alibi: cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuũ.* Insuper actus spei sensibilis tendens in bonum sensibile arduú, ac consecutu difficile naturæ viribus, in eodé Mariano appetitu locú habuit. Eodemque modo dicendú de desperationis actu tendente in aliquod bonú sensibile, vel circa aliquod malú vitandum; poterat enim illud apprehédere vt insuperabile per naturæ vires, vt de morte vitanda, qui actus nihil repugnátiæ inuoluit in Deipara. Ité audaciá sanctá aggrediebatur discrimina ad propulsanda mala, bonáque difficilia consequenda. Quis enim inficias ire possit, Virginé Deipará in maximis vitæ discriminibus, & honoris constitutá, in quibus prudenti quadá audacia ad illa superáda præmuniebatur? Nec defuère in ea plurimi tristitiæ actus, cuius obiectú est malú sensibile, quod licèt reipsa corpus non lædat, neq; aliquo externo sensu percipi possit, quod solius doloris proprium est; imaginatione tamé sentitur vt præsés, quod frequenter in Virgine Deipara contigit, vt ex apprehésione Christi patientis, illatarú Christo iniuriarú, ex hominú peccatis, & similibus: nunquá tamen tristitiæ ita succubuit, vt pacatam animi tranquillitatem amitteret. Vero etiá sensibili timore affecta fuit, qui connaturalis est appetitui, qui pati potest, quando scilicet aliquod imminet malú, plura verò mala sibi imminentia frequenter secum ipsa recogitabat, Filij cruciatus, mortem, & alia eiusmodi: vnde timoris actibus concurrebatur. Dicat aliquis cum S. Th. 3. p. q. 15. a. 7. & Aristotele 2. Rhetor. 5. Timor non est, nisi vbi est spes aliqua euadédi; quando enim nulla est spes, malum vt præsens apprehenditur; sic autem potius

Psal. 35. 9.
Psal. 83. 3.
D. Tho.

potius triſtitiam inuehit, quàm timorem: atqui Virgo Deip. Filij paſſionẽ, ac mortẽ apprehẽdebat cum omni certitudine, abſq; vlla euadẽdi ſpe, ergo nullus timor sẽſibilis eſt deferẽdus B. Virgini. Verũ præcluditur obiectio, ſiquidem incertitudo mali futuri, ſeu ſpes euadẽdi, sẽper non eſt de ratione timoris; vt patet in fuga mali absẽtis, aliquando tamẽ futuri; quæ verus timor eſt, licèt malũ illud propulſari nequeat; hoc enim nihil minuit de ratione mali imò illã adauget. Quòd ſi inſtes, tale malum, quando eſt certũ, cẽſeri præſens, atq; adeò triſtitiã inferre. Reſpondeo reipſa absẽs eſſe, ac proinde obiectũ timoris, quãuis ſimul illud triſtitia comitetur: & patet ab oppoſito; ſicut enim bonũ futurũ etiãſi omninò certũ apprehẽdatur, non tamẽ ex eo ſpem excludit, vt videre eſt in animabus purgatricibus flãmis addictis, quibus ineſt ſpes certiſſima de beatitudine futura, ex qua ſpe magnũ ipſis gaudiũ reſultat; ergo idem dicendũ cũ proportione de timore: ſicut enim ſe habet ſpes ad futurũ bonũ difficile, ita timor ad malũ imminẽs. Demũ affectus iræ ſanctę in appetitu Marianu reperiri potuerũt; poſſunt enim actus honeſtatẽ induere ſeruato
D.Thom. iuſtitiæ, & charitatis ordine. Ira igitur ex S.T.p.q. 15.a.9. eſt affectus quidã iuſtitiæ, & coaleſcit ex triſtitia, & appetitu vindictæ: potuit ergo V. Deipara appetere vindictã iuxta rectũ iuſtitiæ ordinẽ; & vo-
Aug. catur hæc ira, *Zelus*. Vnde D. Auguſt. tr. 10. in Ioann. ait: *Zelo domus Dei comeditur, qui omnia, quæ ibi peruerſa videt ſatagit emẽdare; quod ſi emẽdare nõ poteſt, tolerat, & gemit.* Sicut ergo fide certum eſt in Chriſto zelũ eiuſmodi ſedẽ fixiſſe; ita in B. Virgine certũ arbitror. Hic autem non eſt ſermo de ira ratio-
Iacob. 1. nẽ præueniente, de qua D. Iacob c. 1. ſatur: *ira viri iuſtitiã non operatur.* Hanc irã, ſeu zelũ à B. Virgine procul amandamus; ſed illã ipſi tribuimus, quæ ipſã rationẽ ſubſequitur. Verùm ſciſcitaberis, qui cõponi poſsũt ira, & manſuetudo, quæ in B. Virgine in ſũmo
Ariſt. floruit; cũ aſſerat Ariſt. 4. Ethic. 5. irã aduerſari man-
D.Thom. ſuetudini. Reſpondeo cum S.T. 3.p.q.15.a.9. ad 2. illam iram, quæ rectum rationis præſcriptum tranſilit, opponi manſuetudini, non verò illam quæ rationis moderamẽ ſubit, qualis in B. Virgine ſplẽduit.

758. Supereſt nunc difficoltas, vtrũ eiuſmodi effectus
Eiuſmodi actus appetitus in Maria non paſſiones, ſed propaſſiones nuncupandæ. appetit⁹, qui in nobis paſſionũ vocabulo nuncupãtur, in Virgine Deip. idẽ nomẽ ſortiantur. Verũ cũ hi affectus ex deliberatione volũtatis imperãtis præcurrẽte ratione procederẽt in B. Virgine, neq; vnquã anteuerterẽt rationẽ, aut volũtatẽ, ideò nõ paſſionũ nomine, ſed propaſſionũ, vt in Chriſto D. vocandi: id ſonant PP. verba dũ de his Marianis affectionibus ſermonẽ
Geomet. inſtituunt. S. Geom. Hym. 2. *Salue,* inquit, *calũ exultans, & ſine flatibus vllis, affectus expers, mœſtitiaq; carens.* S. Dam. a Caniſ. cit. l. 4. de Deipara c. 15. Beatam
Damaſc. Caniſ. Virginẽ ait, in nullis terrenis verſatã eſſe perturbationibus. Paſſio in nobis nulla cõtingere poteſt ſine perturbatione, aut cõmotione aliqua, qui motus tãquã indecẽtes nunquã B. Virginẽ adorti ſunt, adeoq; neq; paſſiones admiſit, quia nunquã terrenis perturbationibus cõcuſſa. Idẽ perſpicuè intẽdunt verba S.
Cypr. Cypr. ſer. de natiu. c. 2. *Lex carnis Virginẽ non infeſtauit, nulliq; rebellio afflixit ſpiritus quietem.* Quod capi nequit niſi de motibus, & affectibus, qui paſſiones vocãtur, & ab amore, odio, aut triſtitia, & timore deriuãtur: qui ergo à Deipara cũctas rebelliones arcet, vniuerſas ab eadẽ paſſiones propellit: cui ſententiæ
Heſych. non obſcurè fauet Heſych. ſer. 2. de laudib. Virginis. *Maria,* inquit, *concupiſcentiæ fumus non attigit.* Lu-
Ric. de S.V. culentiùs hãc veritatem nobis propoſuit Rich. de S. Vict. l. 2. de Emanuele p. 2. c. 29. *Quæ eſt iſta,* inquit; *obſecro, terra, de qua bella omnia ſine tenus auferũtur, niſi Maria, de qua idẽ Propheta alibi teſtatur: Veritas de terra orta eſt. De hac itaq; terra omnis pugna tollitur; in hac terra pax plena reparatur. Arcum, inquit, conteres, & confringes arma: in arcu, & ſagitta percuſſio eſt, non tam virtuoſa, quã artificioſa. Per arcũ igitur intelligimus tentationes fraudulẽtas: per arma verò tentationes violentas.* Quæ verba vix cõmodum ſenſũ admittere poſſunt, niſi paſſiones omnes à B. Virgine arceantur. Huic noſtræ ſentẽtiæ ſuppetias fert Card. Tolet. in c. 1. Lucæ, Annot. 74. vt fusè pro Tolet.
hac ſtat ſentẽtia: negat enim in Virgine Deipara affectus, qui rationẽ abſorberẽt, vel anteuerterent, vel aduerſus eã inſurgerẽt: quod ſingulari priuilegio B. Virgini deferendũ fuit, vt nullos eiuſmodi motus experiretur, qui rationẽ expugnarent; imò nec mẽtem oppugnarẽt: ſicut & in Chriſto, cuius omnes motus, & affectus omnino liberi, & voluntarij exſtiterunt: triſtabatur, imminentia mala formidabat, zelo, & ira percellebatur pro arbitratu; & tamen nullus ex his motibus, ipſo abnuẽte aſſurgebat: quæ omnia in Virgine Deipara, ſpeciali Dei prærogatiua, eodẽ modo cõtingebãt; & meritò, quia hi affectus quòd rationẽ præueniãt, voluntatẽq; anteuertant, ortũ habet à primæuo Adami delicto, cui nunquã Maria ſubiacuit. Quocirca cũ ad Angeli conſpectũ turbata fuit, ſua ſpõte id accidit; vnde nõ paſſio, ſed propaſſio dicẽda eſt turbatio illa. Hęc ferè omnia ex Toleto deprõpta, vbi rationi valde cõforme ducit, Dei Genitricem in his Filio aſſimilatã fuiſſe, vt qualis Filius, talis etiam Mater, nõ tamẽ æqua perfectione. Cui ſẽtioni libẽti Clem. Alex.
animo ſubſcriberet Alex. Clem. l. 6. Strom. cũ nullas à Die Pẽtecoſtes paſſiones deferat Apoſtolis. Nihil ergo mirũ, ſi eas Apoſtolorum Reginæ à primo ſui cõceptus inſtãti denegemus. Verba Clement. accipe: *Apoſtoli autẽ, cũ irã, & metũ, & cupiditatẽ per Dominicã doctrinã ex Verbi quadã cognitione ſuperaſſent, ne ea quidẽ, quæ videntur bona ex patibilibus motionib⁹ vt pote confidentiam, æmulationẽ, gaudiũ, cupiditatem ſuſceperunt, vt qui propter firmum quemdam, ac ſtabilem ſtatum mentis nihil penitus mutarentur.*

Inſuper quotquot ab inſtãti cõceptus peccati fo- 759.
mitẽ in Maria denegant; ſimiliter hos motus, & affectus, qui paſſiones nominantur, à Mariano appetitu exterminabũt. Hi inter alios plures, quos ſuo loco re- Alex. Alen.
tuli, ſũt Alex. Alen. 3. p.q.9. mẽbro 2.a.1. Argent. in Argentin.
3.p.q.1.a.3. Cather. l. 2. de Cõcep. Virg. c. 1. Caniſ. l. Cathar. Caniſ.
1. de Deipara c. 10. Cordub. l. 1. q. 45. Suar. to. 2. in 3. Cordub.
p. diſp. 4. ſ. 5. Qui autẽ ſolũ ab Incarnationis inſtanti Suar. D.T
extinctũ in Maria penitus hunc fomitẽ opinãtur: iidẽ ab eo tẽpore hos motus, & paſſiones omnino ex- Bonau. Albert. M.
tinctos adſtruũt, & ſolas in Maria propaſſiones ag- Richar.
noſcũt. Hi autẽ ſunt S.T. 3.p.q.27.a.3. Bonau. in 3.d. Heruæus.
3.a.2. Alb. Mag. in 3.d.3.a.6. Rich. ibi. a.1.q.3. Heru. Paludan.
Palud. & alij: ea autẽ horũ DD. ratio, cur hos motus, ſeu paſſiones à B. Virgine diſpellãt; eſt, quia fomes ad malũ eſt quædã præpropera anticipatio sẽſus, & appetitus mouẽs, & alliciens voluntatẽ, vt ad ſenſibilia obiecta feratur, quãuis rectæ rationis præſcripto aduerſari videãtur: ideò ſupradicti DD. tuẽtur Deiparæ liberã voluntatẽ præmiſſe ſenſibus, & appetitui: nullus igitur ex his motib⁹; neq; ira, aut amor, vel timor inſurgere poterãt in appetitu, quovſq; voluntas tanquã Domina arbitratu ſuo, ac nutu diriget. Quod perſpicuè oſtendũt verba Med. in 3 p.q.27.a.4. cõc. Medin.
2. *Infertur,* inquit, *in B. Virgine nõ fuiſſe motus primò primos, qui rationẽ præueniũt, ſed omnes fuiſſe regulatos rectæ rationis præcripto: & proinde appetitum ſenſitiuum non ſolum moueri quando à ratione imperabatur; ſed neque moueri niſi à ratione prius imperaretur: & hæc eſt communis Theologorum opinio.* Cuius Mariani priuilegij ſi vlterius rationem ſciſciteris; occurram aſſtinans, omne priuilegium gratiæ poſſibile, quod Chriſti dignitatem non lædat, Mariæ deferendum eſſe: in quod proloquium con-

ſpirãt plurimi ex Scholaſticis:atqui ſine vllo Chri-
ſti præiudicio fieri poteſt,vt fulæ propaſſiones in-
ueniantur in Deipara;imò id conceſſum iã fuit pri-
mis parẽtibus,ac poſteris cõferretur,ſi in originali
iuſtitia permãſiſſent:ergo deferendũ eſt B.Virgini.
Quod autem in innocentiæ ſtatu hi motus,& affe-
ctiones rationẽ,ac libertatẽ præuenientes nõ adeſ-
Conc. Trid. ſent,præterquã quod plures adſtruunt,vix inficiari
poteſt; cùm Concilium Trid.ſeſ.5.can.5. decernat
fomitem ad malũ à culpa originaria ortũ habuiſſe;
quia ex peccato eſt,& ad peccatũ inclinat:ergo ante
peccatum nulli praui motus,nullæq; paſſiones fo-
rent, quæ rationem, ac voluntatem anteuerterent:
ſin minus aduerſus Conciliũ fieret, illas paſſiones,
Suarius. ac motus à peccato nequaquam duxiſſe principiũ;
ideò Suar.lib.3.de opere ſex dierum c.12.latè hanc
firmat veritatem;additq; in Adamo prædictos actus
non habuiſſe ſtatũ paſſionum,ſed propaſſionũ,iux-
ta modum loquendi S.Hieronymi epiſt.22. ad Eu-
ſtochium.Quod priuilegium eſſet quaſi proprietas
naturæ in illo ſtatu adnumeranda inter illas pro-
prietates,quæ à Dei libera pendent voluntate:quòd
enim homo decem digitis conſtet in manibus à na-
tura eſt;quia Deus ita ſtatuit;& ſic de aliis.Hinc ta-
men nõ inficias imus,aliquas eſſe propietates,quæ
neceſſariò ex talibus rerũ eſſẽtiis conſequãtur,qua-
760. les sũt facultates riſus,fletus,admirationis,& aliæ.
Rationibus hoc noſtrum placitum firmare iuuat.
Prima ſit, quia paſſionis nomen malè audit, Chri-
ſtumque dedecuit,ergo etiam ipſius parentem Ma-
riam;ſiquidem motus illi appetitus abſque volun-
tatis conſenſu;ipſaque renuente inſurgentes,infæ-
licitatem naturæ lapſæ arguunt,ac frequẽtiùs eue-
niunt cũ aliqua virtutis iactura: cùm verò hi mo-
tus à ratione imperantur,vt in Chriſto, eiúſq; Ge-
nitrice,tunc laudem merentur, quia ad opera vir-
tutum ſubſeruiunt tanquam inſtrumenta volunta-
tis: arcendæ igitur eiuſmodi affectiones rationem
præcurrẽtes à Virgine Deipara,ne dedecus,ac igno-
bilitas aliqua in Mariam refundatur. Roboratur
adhuc ratio ſuperior, quia motus hi bellum indi-
cunt rationi,ac imperfectam gratiam,non conſum-
matam oſtendũt,ſtatus enim gratiæ perfectus om-
nem motum prauum primò primum reſpuit;vt pa-
tet in primis parentibus ante tranſgreſſionem,imò
& in viris perfectiſſimæ ſanctitatis, in quibus hi
motus ita coërceri viſuntur repetitis virtutum acti-
bus,vt vix extra rationis metas,ſine eiuſdem ratio-
nis imperio reſilire audeant.Sed Mariana virtus,&
ſanctitas longè perfectior, & abſolutior exſtitit
Adami ſanctitate,ac omnium iuſtorum gratia etiã
ſimul ſumptorum, ergo indecens eſt admittere in
Virgine Deipara hanc motuum,& affectuum præ-
occupationem,qui anticipent actus rationis facul-
tatem,eiuſque imperium præueniant. Hinc etiam
facilè ſuſtineri poteſt priuilegium illud ſpecialiſſi-
mum,quo Maria à leuiſſimis etiãm defectibus im-
munis à Concilio Tridentino prædicatur: nullum
quippe magis opportunũ medium, nullum faciliùs
ac ſuauius ad leuiſſimas culpas euitandas, ac præ-
cauendas,quàm ſi aſſeramus nullis motibus primò
primis agitatam;ſed ſemper rationem,& volunta-
tem Virgineam excubias egiſſe, ne motus aliquis
inordinatus ſine ipſarum iuſſu,& imperio aſſurge-
ret. Secunda ratio, quia cauſæ omnes, quæ exhi-
beri ſolent,ex quibus ortum habẽt hi affectus,qui
paſſiones dicuntur,procul à Deipara abfuerunt,er-
go & earum effectus:hæ autem aſſignari ſulẽt:pri-
ma,peccatum originale, ex quo tanquam cœnoſo,
ac fœculento fonte eiuſmodi toxico plenæ beſtio-
læ proſilierunt, quod procul amandauimus à Dei-
para.Deinde aliæ producuntur radices horum mo-
tuum,nempe naturalis corporis defectus,prauum,
ac diſtortum temperamentum, iniqua complexio,
ignorantia,& imperitia cum ruditate,& hebetudi-
ne coniuncta,authore Platone in Timæo; ſiniſtra
inſuper puerorum educatio, quæ viam aperit, ac
adſtruit effrænibus hiſce affectionibus;ſenſuum fa-
cultates imbecillæ, & imperfectæ, quæ omnes, &
aliæ cauſæ, vt videbimus in vniuerſo hoc opere,
quamlongiſſimè à Maria exulant.
Si verò ſcire exambis,quomodo hi actus appeti- 761.
tus ſenſitiui in Deipara fuerint voluntarij,& ratio-
nali facultati obſequerentur.Reſpõdeo duplici mo-
do id contingere potuiſſe.Primò,ſi præcederet deli-
beratus voluntatis actus, quo appetitui intimaret
vt in actum amoris,timoris,ſiue triſtitiæ proſiliret:
alio modo,ſi præuidens intellectus, ac præcurrens
voluntas præſentirent,quę appetitus ſenſitiuus ſua
natiua indole vellet,aut nollet,permitterent opera-
ri iuxta naturæ ſuæ ductũ,nullo intimato imperio,
qua ratione iuxta Suar. tom.1.in 3.p. d.34. ſect.1. Suarius.
Chriſtus D. aliquando ita operatus eſt. Sed quia
oſtendi alibi Virginem Deiparam perfectiori quo
poterat modo operatam fuiſſe,omníque amoris co-
natu in Deum ardentiſſimè tetendiſſe: cenſeo ab
imperante voluntate actu deliberato motus illos,
& affectiones appetitus dimanaſſe: ſic omnis ope-
ratio Virginea conſenſu poſitiuo propter Deum
patrata fuit.
Rurſus inquiro,an appetitus ſenſitiuus B.Virgi-
nis aliquando vel ferretur in irã,vel iret in amorẽ,
vel odium,vel ita intensè triſtaretur,vt corporis cõ- Suar.
motionem pateretur,ſiue immutationẽ aliquã.Quã
quæſtionem euentilat Suar. de Beatis tom.2.in 3.p.
d.47.ſect.6.§.*quarto igitur*:vbi ait illos ferri in obie-
ctum feruenti delectatione harum affectionum,vt
cum corporis alteratione,ſeu cõmotione coniungã-
tur.In his tamen affectibus,vt docet Suar.cit.etiam
Beati experiuntur aliquem localẽ motum in corde,
vel ſpirituũ vitalium,vel etiã ſanguinis abſque vlla
alteratione. Quocirca dicendum arbitror Deiparã
vſam fuiſſe eiuſmodi affectibus appetitus ex libera
voluntate cũ illa vultus, & oculorũ commotione,
modeſta tamen,quam in aliis viris ſanctitate con-
ſpicuis experimur,maximè quando cauſa aderat vr-
gens; ferè tamen ſemper abſq; vlla qualitatũ alte-
ratione,vel corporis commotione,ſolo motu locali
cordis latiori,vel anguſtiori eiuſmodi eliciebat af-
fectus amoris,doloris,deſiderij &c. Cuius rei ratio
efficax aſſignari poteſt, quia B.Virgo affectu appe-
titus ſenſitiui ex voluntatis iuſſu feruentiſſimè in
Deũ ferebatur:at nequit fieri ſine ingenti miracu-
lo,vt diu viuat,quæ tãdiu iugi, & ſine interceptio-
ne aliqua ardentiſſimo affectu amabat;ſæpius enim
parentum affectus in filios in ipſis amplexibus ip-
ſorum parentum ſubitò vitam eripuit, quia cordis
anguſtiæ eam lætitiæ dilatationem capere nequi-
bant; ergo ardentiſſimus appetitus Virginei affe-
ctus cum corporea illa commotione,vel alteratione
humorum vix ad diem permanere poſſet, quin ipſa 762.
cordis dilatatione mortem obiret.
Circa alios actus appetitus ſenſitiui Mariani,vi-
delicet deſiderium,ſpem,gaudiúmque ſenſibile ob-
ſeruanda ſunt nonnulla. Primum, Deiparam licèt
actus deſiderij elicuerit ſenſibilis, non tamen per-
turbatam,aut commotam,vt turbari ſolent,& com-
moueri rem aliquam vehementer ambientes: cu-
ius ratio optima eſt; quia reliqui homines vel re-
nitente ratione exoptant aliquid, vel nequeunt
commotionem à nimio deſiderio dimanãtem com-
peſcere,hoc enim in ſua poteſtate non eſt,hinc an-
xietates oriuntur,tumultus aſſurgunt, perturbatio-
nes angunt:at Deipara,in omnes appetitus ſenſibi-
lis

lis actus dominabatur, ſui ſemper compos erat, ſolùm deſiderium ſenſibile rationi conſentaneum exercebat, abſque vllo tumultu, & anxietate. Quòd ſi aliquando appetitus æſtuare, mœrere, & anxietatem pati aliquo modo iuxta rationis præſcriptum viſus eſt, præ nimio deſiderio, id vtique factum fuit quia ita placuit, vt cum Luc. 2. Filium allocutus ait: *Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.*

D. Thom.

Deinde, nonnulli ſpem cum deſiderio confundunt: at S. Th. 1. 2. q. 40. diuerſam eſſe paſſionem opinatur: quidquid de his ſit; in Mariæ appetitus neque aliud, nec aliter ſperabat, quam voluntas rationis ductu præſcribebat: hac ſpe appetitui inhærente promouebat operationes, cordis latitudinem adaugebat; ex hac ſpe audacia intrepida, ac confidentia ad ardua quæque aggredienda prodibant, ita tamen vt rationalis voluntas B. Virginis has omnes affectiones inchoaret, intenderet, ac pro libito remitteret: his autem affectionibus tunc Maximè vſa fuit, cum in Ægyptum pro immuni ſeruando Gnato intempeſta nocte iter ſuſcepit, & nauigationem in Epheſum inſtituit, innumera item diſcrimina Cruci adſtans ſuperauit. Gaudio etiam ſenſibili exiliebat aliquando dimanante ex illo fonte; de quo Seneca epiſtola 23. *Volo lætitiam tibi domi naſci; naſcitur ſi modo intra te ipſum ſit: Cætera hilaritates non implent pectus, ſed frontem remittunt, leues ſunt: res vera eſt verum gaudium* Siue ergo hanc lætitiam voluptatem dixeris, ſiue gaudium, in B. Virgine ſedem habuit; quietem enim pacatam, ac tranquillam in animo innuunt ex præſenti bono ortam voluptas hæc & gaudium: inde hilaritas prodit, quæ vultum externum exhilarat, ſequitur alacritas, & lætitia: prima modum ponit voluptati, ſecunda cor dilatat ex præſentia alicuius boni; ex his naſcitur iucunditas, huius lætitiæ, & gaudij prodroma: ſubſequitur exultatio, qua corpus præ animi ingenti lætitia geſtit: demum delectatio his affectionibus finem imponit, & ſita eſt in fruitione quadam ex conſecutione boni amati ſubſecuta. Sic intuitu infantis IESV non poterat non gaudio ingenti, ac exultatione oblectari Virgo B. Sicut etiam & ad præſentiam alicuius iucundi ſaporis in guſtu voluptatem capiebat; ex ſuaueolenti odore in odoratu, ex harmonia ſuauiſſima Angelica in Natali IESV, in auditu; ex tactu frequēti in oſculis labellis infantis IESV impreſſis; & ſic de aliis. Inſuper ex gaudiis, quibus portio ſuperior in Maria afficiebatur, in appetitum ſenſitiuum gaudia, & fruitiones redundabant; ea enim eſt coniunctio, ac ſympathia animæ cum corpore, vt mutuam calamitatem, ac iucunditatem ſibi inuicem reciproco nexu participent: ſemper tamen Virgo Deipara cohibere potuit, ne gaudium in appetitum diffunderetur; loquor autem de gaudio animæ, quod ortum habet ex cognitione à ſenſibus non dependente; quia gaudium hoc nullam cum corpore, & appetitu communionem participat: diſpar eſt autem ratio de delectatione, ac gaudio animæ prodeunte ex cognitione intellectuali, quæ à ſenſibus, & phantaſia dependet, quia propter potentiarum ſympathiam forſan fieri non poterat, quin ſimul in appetitum corriuaretur. Hinc Pſalmographus pſal. 83. ait: *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* In B. Virginem rectè cadunt verba Irenæi lib. 5. contra hæreſes c. 8. *Omnia membra affluenter exultationis hymnum protulerint.* Iuxta ea quæ hic diximus emendanda ſunt, quæ Doctores aliqui pij meditātur circa Mariæ gaudia, & dolores iuxta Crucē; nunquam enim Deiparā ſui impotem reddiderūt, vel extra ſe rapere potuerunt, ſiue IESVM natū, ſiue patiētem, ſiue morientē, ſiue reſurgentem videret.

Seneca.

Irenæus.

Voluptati aduerſatur triſtitia, accepta ergo ſpecie alicuius mali, vel naturæ repugnantis obiecti, ſtatim triſtitia reſultat, & in Virgine Maria reperta fuit proueniens ab obiectis naturæ difformibus, ſeu à malo præſenti ſenſu aliquo interno percepto, ſicut etiam dolor inde enaſcens; dolor autem qui à Philoſophis definitur, læſio corporis à tactu percepta ex diuiſione continui, aut ſolutione temperamenti, à B. Virgine omnino relegandus. Nullum triſtitiæ actum inſtar motus primò primi, vel indeliberati hauſit ab his obiectis, quæ per ſolam apprehenſionem phantaſiæ, ſine læſione ſenſus externi mœrorem adſportant. Huius generis ſunt actus triſtitiæ proficiſcentes ex apprehenſione Chriſti in crucem acti, Eccleſiæ etiam ab Hebræis crudeliſſimè oppugnatæ: Verum rarò, & dum grauis ſucceſſus vrgeret, ipſius vultus triſtitiam, aut mœrorem præſeferebat, iuxta S. Ambroſ. monitum orat. 2. in Satyrum. *Depone, inquit, mærorem ſi potes, include ſi non potes: aut abſoluendus omnis, aut premendus eſt dolor. Cur enim mæſtitiam tuam, non ratio potiùs, quàm dies leniat? nam quod obliteratura eſt temporis ſeries, melius prouidentia mitigabit.* Cùm ergo Virgo Deipara triſtitiæ affectui omninò dominaretur, pro arbitratu triſtitiam vel minuebat, vel intēdebat, vel penitus abigebat: quódque temporum ſeries temperatura erat, ipſa rationis prouidentia, ac præſcripto matura præuentione præſtabat; vt meritò de illa dicat Ambroſ. lib. 2. de Virginibus. *Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax; nihil in actu inuerecundum; non geſtus fractior, non inceſſus ſolutior; non vox petulantior; vt ipſa corporis ſpecies ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* 763.

Ambr.

Ambr.

764. Odium ſenſibile admittit Suar. tom. 1. in 3. p. diſp. 54. ſect. 3. in appetitu ſenſibili Chriſti D. quare nos in appetitu Deiparæ admittendum eſſe exiſtimamus, nempe quia oderat omne malum, quod bono ſenſibili aduerſabatur iuxta rectæ rationis modum: abominabatur item in hominibus abſentiam gratiæ, ac peccata, inimicitias aduerſus damnatorum animas ſuſtentabat: hæc autem omnia ad nutum voluntatis rationalis B Virginis contingebant; quin vnquam nec tranſuerſum vnguem rationem anteuerterent. Præterea iræ affectio dupliciter euenire ſolet; vel enim eſt libido cum dolore ſperati ſupplicij, ac vindictæ, teſte Ariſtotele 2. Rhetor. & D. Baſilio. Sed hæc in Deipara, vt opinor locum non habuit; quia rectæ rationi ſecundum ſe diſſentanea eſt, Mariana ergo mititas, ac manſuetudo hunc iræ motum ſemper cohibuit, antequam in lucem prodiret, ne aduerſùs nefanda, ac ſacrilega Iudæorum flagitia in Chriſtum D. vltionem, ac vindictam appeteret: dedecebat etiam ſacrum illud Deiparæ corpus iræ tumultuariis affectionibus cōcuti: ſemper igitur hunc iræ motum tanquam indecentem diſpulit, vt patet ex ſignis externis, nempe vultus pallore, ſanguinis contractione, cordis agitatione, ſermonis interruptione, oculorum ardenti ſcintillatione, & aliis. Magni autem animi proprium eſt pacatum tranquillúmque ſe cuſtodire in quacunque aduerſa fortuna: ſic immanes feræ ad quoſcumque canum latratus non irritantur: ſic ingentes ſcopuli repetitis fluctibus quaſſi non aſſultant, ſed patienter ferunt ictus: Decebat ergo magnanimam hanc Viraginem iram compeſcere, ipſiúſque motus manſuetudine cohibere. 765.

Suar.

Vlteriùs timorem omnem mundanum, ac ſeruilem procul à Virgine Deipara repellimus, quia imperfectionem ſonat actus enim timoris terminatur ſecundum ſe ad malum futurum, vel imminens,

Timor mundanus, & ſeruilis procul à B. Virgine abfuit.

vt

vt docet S.T.1.2.quæst.25.art.4. Alij timorem vt diuersum ab odio, & fuga mali aiunt situm esse in eo, quod quis timeat malum solum possibile, licèt nunquam futurum arbitretur. Hinc nō pauci Theologi timorem filialem admittunt in Beatis, cùm tamen solùm timeant ea mala, quæ solum sibi possibilia sunt de potentia Dei absoluta, nunquam tamen futura cognoscant. Quare hæc ratio timoris B.Virgini deferenda est. Et quidem cùm B.Virgo ex speciali Dei reuelatione certò sciret nullo vnquam tempore gratia priuandam iri; vix ei concedere possumus timorem illum filialē, quo anxiè sibi de præcauendo peccato metueret, notitia gratiæ æternùm duraturæ, ac nunquam obliterandæ hunc metum quamlongissimè dispulerat; quod luculentiorem habet intellectum in nostra sententia, quæ asserit nunquam B. Virginem, prauam Dæmonis suggestionem passam fuisse. Verùm sibi, ac Filio malum pœnæ imminens metuebat, reliquis hominibus malum etiam culpæ, ac offensæ Dei; hæc enim omnia mala, non rarò vt futura, ac imminentia sibi obiiciebantur: attamen aliqua metus accidentia, quæ constantem, ac fortissimam fœminam minus decerent, sciens, & prudens à se repulit; vnde nec stuporem, nec pauorem, aut horrorem sæpius passa fuit: iure tamen grauissima, maximè coram patiente Filio pauebat, tædebat, & in agonia perdurabat Christi æmulatrix.

766. Quod attinet ad pudorem, & verecundiam, aliquando eâ suffusam fuisse aliqui ex Patribus arbitrantur; ita sunt explicandi, tenerrimam Deiparæ faciem verecundiâ, non ex passione, pudoris rubore tinctam fuisse, sed quod sua sponte, & voluntatis iussu verecundari selegerit; vel quia ex optima temperie semper verecundum vultum, & adspectū præseferret. Imò, ait Aristoteles lib.4. Ethic. cap.vlt. verecundiam esse ex suppositione vitiosi: at Virgo Deipara nihil turpe committere potuit, nec in ea alicuius rei vitiosæ suppositio reperiri; quare eiusmodi verecundiæ expers animo fuit: cui sensui adstipulatur Damascenus lib.2. de fide cap.15. docens verecundiam esse timorem alicuius rei turpis, quæ exprobrari possit; sed Deipara mente non concipiebat turpe aliquid, vt sibi proximè possibile, vel vt difficile vitandum, neque quidquam turpe, de quo exprobrari posset, ergo hæc verecundia ablegenda est à Deipara. De bono autem erubescere non oportebat, quia vt benè ait S.Gregorius hom.10. in Ezechiel. *Verecundia reprehensibilis est in bono.* Quando verò verecundia velut quædam dos naturæ commendatur ab Ambrosio, loquitur de reliquis fœminis, in quibus amplissima virtutum supellex desideratur: cùm autem Deipara aliis bonorum, & gratiarum priuilegiis dites fuerit, hanc inopum, & imbecillium fœminarum dotem despexit: reliquum mulierum vulgus, quarum virtus per teneris, verecundia omnium virtutum custode indiget; virtus Mariæ fortior, ac robusta, vt castrorum acies ordinata se sola in campum prosilit, manus cum hostibus conserit, nullo egens alieno præsidio semper sibi triumphos parat, & ouat. Quæ autem verecundiæ signa dilaudat Ambrosius lib. 1. offic. cap.17. & deinceps, non inficior in Maria, sed arbitror aliquando genas purissimo sanguine, quasi naturali fuco non infectam, sed perfectam, & decoratam fuisse, ipsa Virgine id ita volente, & imperante in ea mensura, & modo, qui fœminam omnium virorum constantissimam conduceret. Hæc autem verecundia verbis illis subindicatur: *Quæ cum audisset, turbata est.* Deo adeò arrisit, vt illa quasi proximè disposita maternitatis Dei gratiam sibi promeruerit. Huc verto verba Eccl.32. *Ante tonitruum antebit coruscatio, & ante verecundiam ibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia.* Ante verecundiam B.Virginis præcurrit gratia, & verecundia huius gratiæ pulcherrima proles, ita Virginei vultus venustatem adauxit, vt ea sibi gratiam maternitatis Dei compararit. Cordatè Nazianzenus fatur in oratione quadam aduersus fœminas ambitiosius se ornantes: *Bonorum genas rubore tinxit suffuso natura; at verò malis sanguinem condensauit.* quemadmodum ergo generoso sanguine sati prosiliunt aduersus hostiles phalanges pugnaturi pro rege, ac patria; non ita rustici, ac plebeij: sic sanguis proborum exilit à corde in faciem quasi bellum initurus aduersus peccatum; improborum verò sanguis tanquam rusticanus mauult domi manere, ac ruri incumbere, boum arationi, & occationi inuigilare, ac inseruire, quam pro patria, ac rege belli discriminibus se obiicere: Adeoque Deo gratus exstitit sanguis per verecundiam genas ornans, vt possit cum martyrio componi: quippe sanguis, qui ne delinquat in Deum ex corde ad faciem prosilit, quasi testimonium fert, se cùm ceruicem transilit, si opus esset, ne in Deum aliquo modo peccaret, libenter foras proditurum, & ad carnificis ictum sponte diffundendum iri in Dei obsequium. Hinc verba illa Psal.49. *Sacrificium laudis honorificabit me*, plures capiunt de holocausto, quo Martyr suum sanguinem fundens seipsum Deo litat. S.Remigius ad Christi sanguinem vertit, *pro nobis in ara Crucis fusum.* Lyranus cum Glossa ordinaria ad Eucharistiæ sacramentum referunt. Versio Hebræa originalis ea intelligit de suffusione sanguinis genas tingente media verecundia; vnde verba illa ita transfert. *Sacrificium quod est super faciem honorificabit me:* in qua sanguinis effusione ita sibi Deus complacet, vt cum sanguine Martyrum pro Deo fuso, cum incruento corporis, & sanguinis Christi sacrificio in Eucharistia; cumque sanguine eiusdem Christi in cruce pro hominum salute oblato componi posse videatur. Demum vt omnino huius Marianæ verecundiæ valor nobis innotesceret, noluit Deus vt sanguis Virgineus ad tantum dignitatis, videlicet Maternitatis Dei fastigium conscenderet, quin prius per vultum Mariæ diffunderetur, vt sic edisceret pro hominum salute Deo vnitus in cruce totus effundi: ideoque turbata est in sermone Archangeli, ac rubore suffusa verecundia genas non maculante, sed adornante.

Arist.

Damasc.

Greg.

Ambros.

Eccl.32.

Sanguis Virgineus per genas suffusus per verecundiam pariendus cum sanguine in cruce à Christo suffuso, & cum sanguine Martyrū.

Nazianz.

Psal.49.

Remig.

Lyran.

Vers.Hebr.

Sanguis B. Virg. prius per genas diffunditur, vt ediscat vā Deo vnitus in cruce pro hominibus effundi.

CERTAMEN V.

Amplius eadem quæstio exagitatur, & fundamenta opposita conuelluntur.

Vidimus B.Virginem eiusmodi motibus rationem præcurrentibus caruisse, adeòque & passionibus, ita vt turbari, verecundari, tristari, irasci, aut timere non potuerit, vel inaduertenter, vel renitente voluntate. Præclarè Leo Imperator apud Salazar de Concep.c.19. dixit, infinitum affectuum, & passionum, & animi perturbationum cumulum, quē aliis Eua distribuit, Mariam non attigisse. Certè in Christo, dolor, tristitia, & timor passiones nuncupantur à Patribus, vt videre est in Cyrillo lib.10. Thesau.c.3. Damasc.lib.3.c.2. Ambros lib.2. de fide c.3. Fulg.lib.2. ad Trasim.c.21. quia tamen ordinario loquendi modo passionū nomine solum veniunt illi motus, qui rationem præueniunt, ac libertatem antecurrunt: ideò modò non admittuntur in Christo passiones, sed propassiones; motus scilicet illi, qui libertatem non antecurrunt, nec prodeunt in lucem, nec crescunt, siue decrescunt, nec 767.

Leo Imper.

Cyril.

Damasc.

Ambros.

Fulg.

perseue

perseuerant, vel abeunt, quin ratio, & liberum arbitrium imperet, modumque præscribat. Ideò bene Sophron. Sophronius in 6. Synodo ait de Christo D. act. 11. *erat ipse sibi Tamias, idest Thesauri præfectus, & reconditor passionum humanarum, & actionum, & non solum reconditor, sed arbiter*: quæ omnia cum proportione in B. Virginem rectè quadrant.

Tria igitur inquiri possunt in præsenti de Deipara, vt luculentiùs thesis nostra elucescat. Primum an oblato obiecto, ac præsenti visui suo, posset non apprehendere. Secundum an facta semel apprehensione illius, posset non moueri motibus primò primis. Tertium, an posita motione, quæ propriè passio nuncupatur, posset non vlterius in opus progredi. Et quidem in protoparentibus, iuxta rectè opinantes, antequam præceptum transgrederentur, ratio sensum, & appetitum instar pædagogi regebat, ne scilicet aliquid reluctante ratione apprehenderent; neque visis, ac præsentibus obiectis mouerentur inordinatè: ac demum facta apprehensione, & commotione, ne ab obiecto in opus prosilirent, aut in incœpto opere, prohibente ratione progrederentur: quæ omnia post peccatum inuersa sunt, ac voluntas rationalis sensuum & potentiarum inferiorum rebellionem passa est. Quæ autem in Adamo ante peccatum admittuntur, potiori ratione Mariæ concedenda, cùm in iustitia originali quoad hos effectus condita fuerit; & simul asserendum puto, Deiparam Viatricem multa passam fuisse contra naturalem inclinationem; videlicet temporum iniurias, viarum lassitudines, elementorum dissidia, famem, ac sitim, noctis vigilias, quippe brumali hyemis rigore frigore angebatur, æstiuo tempore calore æstuabat: de hoc igitur passionum genere nulla esse potest controuersia. Rursus plura obiecta visui Deiparæ, & auditui obiiciebantur, quæ ipsa præcauere non posset; quod enim hæc, vel illa obiecta oculis, & ipsius auribus exhiberentur, hic vel ille homo, aut fœmina occurreret in via, non vtique erat in eius libertate. Solùm ergo euentilanda est quæstio illa, an in obiectis non necessariis, sed quæ vel ab appetitu, vel à voluntate dependent, ita Deipara fuerit præmunita, vt his motibus timoris scilicet, iræ, & aliorum nunquam impeteretur, quin priùs voluntas rationalis consensum præberet, ac proinde nulla motio, aut commotio insurgeret in appetitu, aut diutiùs perduraret in Deipara, quàm rationis imperiũ præscriberet, aut etiam inchoaret, aut consentiret. Nostrã sententiam superiori certamine protulimus, & abũdè roborauimus.

768. Nunc autem in Virgine Deipara admittendos esse motus primò primos, qui propriè passiones nuncupantur, hæc fundamenta videntur euincere. *Plures Doctores attribuunt B. Virgini motus primò primos, qui passiones nuncupantur.* Plures enim Patres id non subobscurè defendunt. Ambros. S. Ambros. lib. 2. in Luc. *Trepidare, Virginum est; Maria autem salutationem Angeli verebatur.* Trepidare autem, motum inuoluntarium innuit. Et S. Bonau. Bonau. ait, turbatam fuisse Deiparam ex verecundia. Idipsum sonant Patrum verba quæ pauidam Mariam constituunt. Glossa citata ab Albert. Mag. super *Missus est*. cap. 233. *ex verecundia*, inquit, *pauet*. Athan. S. Athanas. ser. de sanctissima Deipara: *Vt ignara de euentu Mysterij conturbata est super verbis Angeli*. Beda. Beda ex Amb. in 1. Luc. *Ideò Maria cum verecundia, quia pauebat.* Qui pauor & verecundia Theoph. quia non erant in Mariæ potestate, ait Theophyl. ab Angelo fuisse sublatum timorem. *A corde ipsius*, ait, *timorem repellit, vt in quiete constituta, diuinum responsum accipiat.* His, & aliis similibus locutionibus Patres subitam fuisse B. Virginis turbationem satis ostendunt, adeóque motum primum indeliberatum, qui passio propriè dicitur: quòd si hæc turbatio deliberata fuisset, non erat opus, vt Mariam Angelus præmoneret, vt animum sedaret, cùm ipsa facilè, nemine suadente, potuisset liberè illum timorem auertere. Pro hac sententia militat Abulensis in 2. Matt. quæst. 44. vbi ait: *An primo adspectu tremuerit in Magorum aduentu, non est mirandum; quia insolita, & maximè incognita terrorem gignunt: Credendum est autem, vt saltem verecundiam pateretur Virgo in conspectu Regum; erat enim puella tenera vix annorum quindecim aut sexdecim, vt asseritur, quæ à quorumlibet virorum adspectibus aufugeret, & erubesceret, maximè autem in conspectu trium Regum, & tanti apparatus; potissimè cùm ipsa paupercula esset.* Quibus verbis contendit nobis suadere his passionibus concitam Deiparam, sicut nos turbari consueuimus; ac subinde motus eiusmodi ipsius voluntati non omnino fuisse subiectos.

Verùmenimverò quòd Maria ad præsentiam Gabrielis timuerit, & turbata fuerit, certum est ex Luc. 1. cap. Censeo tamen turbationem illam, & timorem inuoluntarium non fuisse, aut indeliberatum; potuit ergo non timere, aut turbari: Elegit autem potiùs tunc timere, vt virtutem omnem in vnũ contraheret, & vniret: timor enim iuxta Damasc. lib. 3. de fide cap. 5. virtus est secundum contractionem. Oportebat ergo vt B. Virgo viam maternitati Dei præmuniret, ac in feruentissimum actum resiliret præcurrente timore, qui omnes corporis, & animi vires in vnum adunat: virtus autem vnita fortior semper existere solet. Deinde tremor, & palpitatio hæc à timore proficiscens iam B. Virginis cum Deo coniunctionem diuinabat. Est apud Philosophos, & Astrologos solemnis disceptatio, quare stellæ Firmamenti tremant, ac scintillent, cùm tamen astra errantia, siue planetæ neque tremant, neque scintillent? Varij in varias abiêre sententias, vt fusius docui ad libros de cœlo; & varia discrimina exhibent, quæ mentem non implent, nec plenè satisfaciunt: Nunc placet discrimen illud huius tremulæ agitationis in stellis superioribus, nempe quia illarum Conditor in prima sui origine hanc eis naturam, & indolem indidit, vt fluctuare, tremere, & scintillare non desinant; forsan quia propinquiora cœlo Empyreo, vbi Dei solium, sanctorumque sedes est constituta; vt quò Deo coniunctiora, eò magis tremore, ac metu concutiantur; vt hac mystica ratione disceremus, quò quis Deo sanctitate vicinior est, eò magis tremulum, ac pauidum Dei maiestatem timari, ac suspicere oportere. *Stellæ quia viciniores Empyreo cœlo tremunt, & scintillant: sic quò quis Deo sanctitate vicinior magis tremit & pauescit.* Fatur Deus Isai. 66. Isai. 66. *Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.* Quæ verba S. Augustinus ita transfert: Aug. *super quem requiescet Spiritus meus? super humilem, & quietum, & trementem verba mea*, & ad rem nostram explicat his verbis: *Audi quomodò describat ipsam sedem: fortè auditurus eras marmoratam domum, amplam, spatiosam atriorum magnitudine, & fulgore tectorum. Audi quid sibi paret Deus, non times trementem domum, quia ipse illam firmat.* In oppositum homines; qui renuunt domos incolere tremulas, ne corruant. Deipara ergo, quò se Deo in Incarnatione viciniorem videt, turbari, timore concuti, ac tremere mauult, quò Deum subornet, ac magis Dei propinquitatem hoc tremore suspiciat, ac reuereatur: nec erraticis planetarum luminibus eius caput redimitur apud Ioannem, sed duodecim stellis Firmamenti trementibus, ac scintillantibus, quæ trementem splendorem eiaculantur.

Secundò

769\. Secundò, probant alij hos motus primò primos in Maria ex his, quæ amisso IESV duodenni contigêre; tunc enim Deiparam turbatam fuisse, adeoque passionibus agitatam, agnoscunt plures non infimi subsellij Scriptores. Timotheus Presbyter Hierosolym. orat. de prophetia Simeonis, hæc parum digna de Virgine Matre promulit: *Quando Mater visa esset eum perdidisse quærens tribus diebus clamabat dicens. ô calamitatem! quando expectabam felicitatẽ, tunc damnum sensi. Hei mihi! quis thesaurum sumpsit? quis pretiosas opes mihi abstulit? quis mea spe me est frustratus? Hei mihi! non dicar amplius Benedicta in mulieribus; non amplius dicent: Beatus venter, qui te portauit. Extabui, non autem Beata euasi.* Hucusque hic author, sed immeritò hæc Dei Genitrice indigna effutiit. S. Bonau. in cap. 2. Lucæ defert Mariæ turbationem, quæ non à voluntate deliberata prodierit: adeoque à motu primo, qui non est in potestate nostra, ortum habuerit: sed pluribus ostendimus nullum motum inuoluntarium penes B. Virginem admittendum esse. Quòd autem quidam Græci Patres diffidentiam aliquam, & cogitatus animam excruciantes ipsi adscribant, hic non recensemus; quia vel eorum dicta minus ab Ecclesia, & communi Doctorum sensu probantur, vel furtim ab Hæreticis in ipsorum operibus supposita sunt.

Timoth.

Bonau.

Spasmum, & mentis deliquium attribuunt Doctores aliqui B. Virgini.

Tertiò, alij ex nimio dolore coram patiente Filio, contendunt inuehere in B. Virginem hos motus, qui passiones in nobis dicontur: aiunt enim, animo fuisse cõsternatam, & deliquia passam, adeoque tristitiæ passionem indeliberatam, & inuoluntariam omnino sensus, & animam B. Virginis inuasisse. Hi sunt S. Bern. opusc. de lament. Virginis. S. Ansel. Dialog. de passione D. S. Bonau. lib. inedit. vitæ Christi c. 77. & 79. S. Laur. Iustin. de triumphali agone c. 12. Dion. Carth. in c. 19. Ioan. Lanspergius lib. elucid. in passionem Christi, Ludolphus in vita Christi p. 2. c. 64. & 70 Cui opinationi succurrunt extructa altaria, ac depictæ imagines, quæ B. Virginem spasmate affectam, ac præ nimio dolore collapsam in terram ostendunt. Præterea Hierosolymis Templum fuit olim extructum, ac celebre, *S. Maria de spasmo* nuncupatum, quia ibi Deiparam animo defecisse, communis traditio fuit. Iuuat etiam, quæ S. Brigitta lib. 1. reuelat. cap. 10. scripsit, dum Mariæ pauorem, animique consternationem describit in Filij passione; ait enim: *Ad primum ictum ego, quæ adstabam propinquiùs, cecidi quasi mortua; & resumpto spiritu, vidi corpus eius verberatum*: & post pauca subiicit: *Cum primus clauus infigeretur, conturbata cecidi quasi mortua, obscuratis oculis, manibus quasi trementibus, pedibus nutantibus, & non respexi præ amaritudine antequam ex toto affixus erat.* Nec mirum videatur, quod in acerbissimo Crucis theatro non ita compos sui Maria fuerit, vt si nollet nullo dolore ac metu concuteretur, & lachrymas, ac mœrorem in tantis Filij tormentis temperare, & omninò cohibere posset, licèt vellet. Solum enim de Christo ait Ioan. 12. & 13. *Turbauit se ipsum*; id est lachrymatus, & tristatus est, quia voluit. Maria autem angitur, lachrymatur, tristatur præ calamitatis magnitudine præoccupante sensus, mentem, ac voluntatem. Cæterùm his omnibus occurrimus Palæstra 6. certamine 9. num. 684. amplius dicturi.

Bern.
Anselm.
Bonau.
Laur. Iust.
Dionys.
Carthus.
Lansperg.
Ludolph.

Brigitta.

770\. Alij à Mariani amoris affectu, eiusmodi passiones rectè in Mariam quadrare contendunt. Aiunt ergo ex vi amoris obiisse, qui in ipsius libertate non erat, neque illius vim cohibere poterat: alioquin ipsa sibi mortem consciuisset, quia lethale amoris vulnus sciens, ac volens aduersus seipsam pateretur; quia propter amoris vehementiam exteriores, & inferiores partes à calore desertæ erant; ipso calore ad cerebrum ascendente, vbi Dilecti imago & idolum sedem fixerat, vbi animus totus distinebatur in Dilecti memoria, & ardore; ideo partes distantiores Virginei corporis destituebantur, dumque de Dilecto intimiùs, attentiùs, & ardentiùs cogitabat, respiratio aliquo modo arcebatur, ac comprimebatur, vnde suspiria, singultus crebri, lachrymarum affluentia, adeoque totius corporis languor, iuxta illud Cantic. *Stipate me malis, quia amore langueo*: totus sed enim Mariæ animus, ac vires, sensus omnes, & potentiæ in vnum Dilectum collimabant, ac si ipsa veluti nihili ducens, ac cætera omnia despiciens, dummodo Dilectum tota mente ebiberet, toto affectu, ac viribus amaret; hinc dies noctesque insomnes ducebat, atque adeò quid mirum si totum corpus languesceret. Sic Virginem Deiparam Sophronius depinxit ser. de Assump. *Amor*, inquit, *Christi Mariæ desiderium pariebat; desiderium verò gliscens quasi nouis reparabatur ardoribus in tantum vt credam, quod nonnunquam omnia, etiam & semetipsam transcenderet, quia omninò amor impatiens, quod amat, non potest non videre.* Et infra vocat illum amorem Mariæ, Ebrietatem perfecti amoris. Rupertus lib. 5. in Cant. hanc etiam mentem ebibit, dum Virginem Mariam sic alloquentem meditatur. *Flebam, & præ singultibus vehementer erumpentibus, non poteram verba nisi concussa; vel voces, nisi intercisas euoluere: nunquid enim poteram absque fletu de illo verba facere? Verùm fletus ipse consolatio mihi erat.* Quæ omnia si vera sunt, veris passionibus B. Virginem agitatam fuisse conuincunt.

Cant. 2. 5.

Sophr.

Rupert.

Persisto nihilominus in sententia adstruente, corpus, animumque B. Virginis nullis vnquam concussum motibus, qui rationis metas, ac præscriptum transilirent, nec vllis perturbationibus obnoxium fuisse: hæc enim omnia ex vitiosa temperamenti habitudine oriri solent; cùm autem corpus Virgineũ omni praua intemperie, ac immoderata primarum qualitatum, humorumque redundantia caruerit, sed omnia in eo pacata, ac tranquilla exstiterint, sedatique mores in animo semper floruerint; pronum est asserere, ab omni motu, ac seditione rationem præcurrente procul abfuisse: quod ex eius perfectissimis operationibus luculenter ostendi potest, siue inspiciamus mentis functiones, siue quæ ad animi affectiones, corporisque actiones spectant. Rectè ad præsens institutum ait Galenus lib. 1. de temper. c. 6. *optimè se habere aliquid pro sua natura ex ipsis functionibus intelligitur: quippe animal, ac stirpem quamlibet tunc optimè se habere dicimus, cùm optimè suam functionem obeunt.* Sicut ergo actiones in Virgine Deipara à gratia proficiscentes, perfectissimæ & absolutissimæ gratiæ indices existebant; ita operationes à natura prodeuntes, omniũ perfectissimæ naturæ, euidens argumentũ. *Multum iuuat*, inquit nostræ sententiæ patronus S. Antoninus 4. p. tit. 15. c. 10. §. 2. in principio: *ad bene operandum bona corporis complexio, & debita organorũ dispositio; & qui meliora naturalia habet, quod est ex dispositione corporis, ille instinctu gratiæ percepta perfectius exequitur. Et quia B. Virgo optima naturalia habuit, & perfectissimam corporis cõplexionem, & dispositionẽ, repleta gratia in sanctificatione perfectè operabatur.* 771.

Galen.

Anton.

Superest argumento suprà proposito occurrere, vt sententiæ nostræ expeditior sit via. Plures, vt alibi à me monitum est, aiunt, Mariam vi amoris 772.

B. Virgo nõ ab amore solo perempta, sed ad Dei præceptum è vita decessit.

languentem

languentem extinctam fuisse: diuersam ego ineo viam, asseróque nulla ratione amoris telo ad mortem sauciatam; sed ad Dei præceptum è vita decessisse: atque adeò lectulo non decubuisse amore sauciam, sed fors flexis genibus, ac sublatis in cælum manibus inter orandum Deo Spiritum reddidisse: quod si in lecto decubuit morti vicina, id solum factum, vt honestè se componeret ad mortem, non vi languoris adacta. Nec desunt patroni, qui huic opinarioni opitulentur; siquidem Molanus capit. 67. hæc habet. *Crediderim eam non decubuisse lecto, ægrotantium more, & qui morbo pressi claudunt hanc vitam, (cum venia pictorum, & sculptorum,) cùm neque infirmitate vexatam credi potius debeat, neque debilitate prostratam, sed flexis reuerenter genibus, & sublatis in cælum manibus, inter orandum acceptissimum Deo spiritum commendasse; quemadmodum Paulum primum Eremitam obiisse tradit Hieronymus.* Subiungit idem Author ferè eadem verba cum Clitouæo citando: *Nullum certè emigrationis è corpore genus, nulla honestior ratio, quàm in speciem orantis, positis genibus, & vtraque in cælum extenta manu, extremum vitæ diem claudere, vt ipso corporis habitu demonstretur occupatio mentis, & sublatio ad Deum, cum sui corporis relinquit ergastulum. Quare non incongruum visum fuerit, & nunc resolutionis modum Sacrosanctæ Virgini pro affectu adscribere, & vt eo ipso assimilata fuerit Filio suo cælos in Ascensione penetrante.* Subscribit Clitouæus libr. de Assumptione Mariæ capit. 6. his verbis: *Tam fuit à dolore carnis extranea, quam à corruptione fuerat aliena*, & post pauca: *Quanam ratione, ea, quæ corpore quidem in terris degeret, spiritu autem in cælis semper conuersata, nullum habens ad carnem affectum, sed liberis contemplationum alis cæli secreta penetrare assueta, in solutione naturalis compaginis animæ ad corpus, vllum persensisset doloris aculeum?* Quod si amoris vi ad mortem languisset, fieri non posset, vt sine dolore finiret vitam.

773. Quocirca censeo, B. Virginem, nec amoris cuspide ad mortem sauciam fuisse, nec vi doloris emortuam, sed ad Dei iussum, instar Moysis. Primò, quia amor appetitus sensitiui Marianí, non passio dicenda, sed propassio, quia non anteuertebat rationem, nec voluntatem, vt vidimus; ergo ad nutum, & imperium rationis eiusmodi amoris affectus contingebat; quis autem credat B. Virginem libentem, ac volentem in appetitu sensitiuo eum elegisse amoris actum, qui sui ipsius homicida esset? itane Deipara amoris actum, an gladium liberè ab appetitus vagina districtum vibraret, quo mortem sibi conscisceret? ergo à culpa vix immunis esset, cùm sibi appetitum omnino subiectum haberet, & pro suo arbitratu actum illum impedire posset, quem mortem sibi allaturum optimè nosset. Secundò, profectò amor ille adeò turbulentus, ac tumultuarius, qui vsque ad præcludendam inter animam, & corpus, vnionem confligeret, in Deipara non est admittendus, vt pote indecens; quemadmodum dolor omnis, qui Deiparam sauciaret, vel ipsi animi deliquium inferre posset, meritò denegatur. Vnde communis Interpretum, & Scholasticorum censio est B. Virginem coram Filio patienti ad Crucem stetisse, non animi deliquium passam, nec solo consternatam, sed grandem illum dolorem patienti; ac tranquillo animo deuorantem, ac constanti corpore sustinentem; ergo idem erit iudicium de amoris affectu. Nec adducor vt credam Deiparam, quæ totos septuaginta annos tot amoris flammas passa fuerat, demum sub vitæ finem adeo ab amore absorptam fuisse, vt sui omninò impos extiterit; non ergo Maria violento amoris affectu periit, neque ipsi nimius Dei amor violentiam inferre potuit. Tertiò, Virgo Deipara amore Dei supernaturali ferebatur pendente à scientia infusa, quæ à sensibus, & phantasmate non dependebat, quem amoris actum nunquam nec dormiens interrupit, & longè intensior erat, quàm amor ab appetitu sensitiuo proueniens: ergo qui fieri potuit, vt amor sensitiuus ad præsentiam ardentioris dilectionis in Deum vitæ filum abscinderet; nisi dixeris ab amore supernaturali mortem prouenisse, sed perperam, quia amor supernaturalis à scientia infusa dependebat independenter à sensibus, & ab omni corporeo instrumento, ac proinde nihil in corpus directè influere poterat.

Icones autem, quæ huic nostræ sententiæ refragari videntur corrigendæ omninò sunt, vtpote, quæ à rudibus hominibus, alioquin piis; vel à pictorum imperitia, ortum ducant: sic præcipiuntur à Sanctæ fidei Quæsitoribus, è medio tolli imagines, quæ præ doloris acerbitate Virginem Deiparam deliquium passam, ac solo consternatam ostendunt. Eundem errorem præseferunt imagines, quæ Deiparam in extremo iudicio flexis poplitibus, supplicem ad Filium pro hominum salute continent; & Origenistarum errorem de damnatorum saluatione subolere videntur, vt author est Molanus capite decimo sexto. Quod enim Sanctus Hieronymus protulit à Gratiano, decimaquinta, quæstione tertia, relatus verissimum est: *Cum, ait, ante tribunal Christi venerimus, nec Iob, nec Daniel, nec Noe rogare possunt pro quoquam.* Sanctus Antoninus tertia parte titulo octauo, capite 4. paragrapho 11. docet, emendandas esse imagines illas, quæ in partu Deiparæ obstetrices exhibent: Hæ, & aliæ è medio tollendæ, vel corrigendæ sunt, iuxta decretum Concil. Trid. sess. 25. — 774. *Icones B. Virginem deliquium passam repræsentantes è medio tollendæ.* — Molanus. Hieronym. Antonin.

Denique dicendum censeo in appetitu B. Virginis verè, & propriè admirationem repertam fuisse, ita Suar. tom. 2. in 3. p. d. 19. sect. 6. §. *Et ex his*, & probatur ex verbis illis Euangelistæ: *Et erat Pater eius, & Mater eius mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Quod ergo ait, admiratam fuisse Deiparam, sine admiratione nostra non dicitur, siquidem admiratio oritur ex ignorantia rei magnæ, & insolitæ; si ergo Virgo Deipara sciebat illum esse Deum, ac mundi Redemptorem, quid admiratur quod dicat Simeon de illo. Admiratur ergo non ignorans, sed vt quæ attentius inspiceret, & declararet ea esse maxima admiratione digna. Quid quod nihil obstat, vt quis in vniuersum scientiam habeat, in speciali tamen aliqua ignoret, vel quoad experientiam, vel quoad circumstantiam aliquam. Inter homines autem, illi magis admirari solent res omnes, quæ hoc cæli ambitu continentur, qui intelligentiores sunt, quia penitius penetrant summi Opificis sapientiam, quæ latet in eis operibus, quàm imperitorum vulgus. Confirmari potest assertum ex Sancto Thoma, prima, secunda — 775. *In B. Virgine verè, & propriè reperta fuit admiratio.* — Suarius. Luc. 2. 33. — D. Thom.

ſecundæ, quæſtione trigeſima ſecunda, articulo octauo, qui ſitam ait eſſe admirationem in deſiderio ſciendi otto ex effectus vitioſæ, & ignoratione cauſæ: atqui in Beata Virgine ſaltem ſecundum ſcientiam experimentalem, potuit dari aliquid nouum, & inſolitum, ex quo propriè admiratio naſci ſolet; ergo admiratio fuit in Deipara: imò in Chriſto Interpretes admirationem admittunt, ad illa verba Matthæi c.8. *Et miratus eſt Ieſus.* Videatur Suarius de Incarnat. quæſtione 15. articulo 8. in commentario. Hanc ergo admirationem ſenſibilem crediderim fuiſſe in Deipara ortam ex verbis Gabrielis: ait enim Euangeliſta; *Turbata eſt in ſermone eius, & cogitabat qualis eſſet iſta ſalutatio?* hæc enim turbatio fuit illius admirationis effectus. Admirata eſt etiam videns puerum IESVM in Templo diſputantem, licèt enim probè noſſet Maria illum eſſe Deum, & Filium Altiſſimi, ac de Spiritu Sancto conceptum, potuit tamen in admirationem adduci, non de ſcientia, quam depromeret, cùm ſciret eſſe Sapientiam Dei Patris, verùm quod eam oſtenderet eo tempore, & ea ætate: ſicut bene ait Salmeron, non ſtupemus quòd Sol luceat, ſed quòd ante horam conſuetam luceat, vt Reſurrectionis Chriſti tempore: admirabatur ergo Maria ignorans huius myſterij rationem, vidénſque eum in Doctorum conſeſſu omnibus eſſe admirationi.

Matth. 8.

Luc. 1.

Salmer.

776. Cordub.

In calce huius certaminis veſtigare poſſet aliquis cum Antonio Cordubenſi libr. 1. quæſtionarij quæſt. 45. Vtrùm Virgo Deipara ſi veſtibus nudaretur, verecundiam pateretur. Ratio dubitandi inde peti poteſt, quòd in ſtatu innocentiæ nullo rubore, ac verecundia ſuffunderentur homines, vt patet in primis parentibus ante lapſum: ſed B. Virgo dum viueret, ſtatus innocentiæ priuilegiis quoad intrinſeca gauiſa fuit, ergo quantumuis nudaretur nullam verecundiam pateretur. Secundò, quia in nobis hæc verecundia eſt motus primò primus, qui paſſio nuncupatur: at à B. Virgine eiuſmodi paſſiones longè propulſauimus. Cordubenſis citatus oppoſitam iniit viam, ait enim in eo euentu, rubore ſuffundendam iri; quia eiuſmodi verecundia eſt pœna, ſeu pœnalitas, vt ipſe ait, ſerpens poſt peccatum per omnes rationis vſum habentes, licèt omnino innocentes, ſicut fames, ſitis, frigus, & alia. Secundò quia Chriſtus D. veſtibus nudatus in Cruce, hanc verecundiam paſſus fuit.

777. Drexelius. *Chriſtus D. in cruce nudiſſimus pependit.* Ambroſ. Pſal. 43.

Drexelius tomus tertius, parte ſecunda de Chriſto moriente capite ſexta, paragrapho quarto Chriſtum Dominum in cruce nudiſſimum pependiſſe affirmat, his ductus rationibus: Primò, quia ita cenſet D. Ambroſius in capit. 23. Luc. *Refert conſiderare qualis aſcendit? Nudum video. Talis aſcendit in crucem, quales nos, authore Deo, natura formauit. Qualis in paradiſo primus homo habitauerat, talis ad paradiſum homo ſecundus intrauit.* Id etiam Solymæus Rex vaticinatus fuit pſalm. 43. *Tota die verecundia mea contra me eſt, & confuſio faciei meæ cooperuit me.* Noëmus etiam Chriſti vmbra, vino æſtuans in tabernaculo nudus, vti Chriſtus in cruce amore æſtuans obdormiuit. Et quidem ita moris fuit penitus nudos crucifigere, quem morem in Chriſto fuiſſe antiquatum, nihil nos cogit affirmare. Addit idem Author, hanc Chriſti nuditatem nullius hominis oculos offendiſſe, duplici enim velo contectus fuit Chriſtus, & nigro, & purpureo; primum tenebræ exhibuerunt, quia tenebræ factæ ſunt ſuper faciem terræ; purpureum verò è Pilati domo ſecum attulit: ſiquidem totum corpus ſanguine & quaſi vno vulnere obductum verecundiſſimè celauit diſcrimen membrorum; vnde Chriſtus ſine vllius offenſa oculorum nudiſſimus omnino in cruce pependit. Qua ſententia admiſſa, de cuius veritate nunc non diſputo, aſſerendum eſt de Chriſto, quod mox ſubiungo de Beata Virgine. Equidem arbitror ſi Beata Virgo veſtibus exueretur, ſi ſola exiſteret, nullam verecundiam paſſuram, ſicut neque Eua dum ſe nudam adſpiciebat, quia innocentiæ theriſtro operiebatur multò lucidiori, quàm Eua: hæc autem verecundia, quam nos nudi experimur ortum habuit ex tranſgreſſione parentum primorum, & propriè in nobis eſt paſſio, ſiquidem in nobis rationem præuenit, quod dedecere Beatam Virginem, pluribus monuimus. Addo ſi Deus Beatam Virginem veſtibus ſpoliari omninò permitteret coram aliis; tunc electuram ſponte ſuffundi rubore, ac verecundia, non quæ voluntatem, se rationem præcurreret, ſed quæ rationis ductui & voluntatis imperio obſequeretur: rectæ enim rationi conſentaneum foret, vt poſita illa veſtium nuditate cum illis circumſtantiis Deipara verecundari ſeligeret.

B. Virgo veſtibus nudata nullam verecundiam pateretur in ordine ad ſe, quia innocentia theriſtro gaudebat.

CERTAMEN VI.

Vtrum doloris ictu vitam finierit Virgo Deipara.

HOc erat vltimum fundamentum à nobis conuellendum, quod noſtram ſententiam aliquo modo labefactare poterat, tuentem Deiparæ ſolas propaſſiones, ſicut in Chriſto; animi verò paſſiones tanquam quid indecens, ac imperfectum ab ea procul arcentem. 778.

Salmeron. *B. Virginem doloris gladio fuiſſe peremptam aliqui affirmant.* Pet. Dam.

Aliqui ergo Doctores, quos ſuppreſſo nomine citat Salmeron tom. 3. tractatu 43. §. *Sunt qui etiam.* Probabiliter ſibi licere opinari arbitrabantur, Virginem Deiparam doloris gladio fuiſſe peremptam. Imò ipſe Salmeron citatus aliquando in eadem fuiſſe ſententia fatetur. Nec deſunt rationes ad id probandum. Pro qua videtur ſtare Sanctus Petrus Damianus opuſc. 55. capite 5. vbi hæc habet: *At fortaſſe dicitur, quia Beata Virgo, quæ ſine dolore vitæ Authorem edidit, dolorem moriendo non ſenſit. Sed qua authoritate eam quis diuinetur in corpore non doluiſſe morientem, cuius animam pertranſierit gladius, adhuc etiam in carne manentem, præſertim cum & ipſe Mediator Dei, & hominum moriturus dicat: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem.* Hinc ſubiicit peruigilium Aſſumptionis Deiparæ ieiunio recoli, ſicut etiam peruigilium Natiuitatis Ioannis, quia natus eſt in mundo cum dolore, & vagitibus. *Si rei dignitas*, ſubinfert Purpuratus Pater, *vigilanter inſpicitur, idcirco vtraque feſtiuitas dignis præmiſſis eſt excipienda ieiuniis; quia & Beata Virgo moleſtiam carnis moriens pertulit; & Beatus Ioannes per conditionem naſcendi ex maternis*

viſceribus

visceribus vagiendo, atque plorando processit. Duplici congruentia suam fulcit thesim sanctus Cardinalis. Prima, quoniam Beata Virgo aliquando doloris cuspide icta fuit, vt est fide sanctum, iuxta illud Simeonis, *Tuam ipsius animam gladius pertransibit.* Si ergo dum viueret, doloris gladius vsque ad animam penetrauit, quid mirum, si morientem doloris ictus vsque ad mortem transadegerit? Sed verba Simeonis infra explicabimus. Secunda congruentia, quia Christus Dominus mortis vicinus tristitia, ac dolore transuerberatus mortem subiit, vitam finiuit; ergo cum Beata Virgo Filio in vita, ac morte simillima euaserit, oportebat, vt doloris gladio interempta, occumberet. Sed valde latum discrimen est in Christo, ac Deipara: siquidem Christus violenta morte peremptus, ex qua natura ipsa dolor ingens resultat, præcipuè in crucem crudeliter actus: at Virgo B. nulla violentia, nullo ictu percussa interiit, ex quo dolor resultare posset, nec morbo aliquo lecto decubuit, vt alibi fusiùs explicabimus.

(Luc. 2. 35.)

Nullo igitur acutiori mucrone feriunt huius sententiæ Asseclæ, nullo districtiori ense digladiantur, quam illo ex vagina Simeonis educto: *Et tuam ipsius animā pertransibit gladius.* Ergo doloris cuspide feriendam, vel Martyrio coronandam ariolabatur Iustus Simeon; neque enim per Hyperbolen Prophetarum vaticinia capienda sunt. Si verò aliquis occurrat, quia de Iosepho cecinit Dauid, Psalm. 104. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* Quod explicat Aug. epist. 59. de tribulatione; nec tamen quisquam ex prædictis verbis Iosephi mortem elicuit. Aliter tamen transferunt LXX. & D. Hieronymus, nempe: *In ferrum venit anima eius.* Et Chaldæus Paraphrastes: *In catenam ferream intrauit anima eius.* Idest vinculis ferreis constrictus. Iuxta hæc communis fulciri potest responsio; nihil aliud prædicere Simeonem verbis illis, nisi acerbissimum dolorem, quo ferienda erat Virgo Deipara ex Filij patientis, ac in cruce morientis intuitu; insinuabat autem dolorem illum non futurum vulgarem, sed vehementissimum; non tamen qui animam abriperet.

(Luc. 2. — Ps. 104. — Aug. — Sept. Interpr. — Hieronym. — Ch. Parap.)

779\. Verùm alia est mens Simeonis, si Ambrosium adeas; sed antea opus est Paulum consulere ad Hebr. 4. vbi Verbum Dei *Gladium* vocat: *Viuus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionem animæ, atque spiritus, compagum quoque, ac medullarum, & discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Ecce habes Verbum apud Apostolum, esse Gladium, & quidem districtum, ferientem, vsque ad vltima viscera penetrantem, de quo loquutus Ioannes Apoc. 19. *Et de ore eius procedit gladius ex vtraque parte acutus.* Ex quibus erues Ambrosij mentem in Psal. 118. *Quid*, ait, *non penetret Verbum Dei, splendor æternus, qui etiam occulta mentis illuminat, quæ non potest ipse Sol penetrare. Verbum enim Dei, gladius spiritalis est vsque ad diuisiones animæ atque artuum, medullarúmque perueniens; de quo dicit Iustus ad Mariam. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur multorum cordium cogitationes. Penetrat ergo animam, & quasi candor æternæ lucis illustrat.* Hoc ergo ipso gladio Aduersarios iugulamus, quia non de doloris gladio locutus Simeon, sed de gladio Verbi Dei, qui omnes Deiparæ sinus pertransiit, totam penetrauit, quia impleuit mentem, incoluit vterum, voluntatem amore pupugit, aurem occupauit, sensus allexit, artus omnes, ac medullas repetitis ictibus, amicoque vulnere cruentauit: & quemadmodum Solis splendor cælos fulgore radiat, Maria collustrat; montes aureo splendore perfundit, orbémque totum luminosis auctibus circumuestit: sic Verbum diuinum, qui candor est lucis æternæ, totum orbem Marianum, sensus, potentias, animam, corpus suo lumine collustrauit: nihil in Virgine Deipara ab hac luce vacuum, nihil ab hoc districto gladio incruentum, nihil non saucium hoc sacro mucrone: rem finiat Ambrosius suoquemet gladio perimat Aduersarios libro tertio in Luc. *Nec litera, nec historia docet ex hac vita Mariam corporalis necis passione migrasse: Non enim anima, sed corpus materiali gladio transuerberatur, & ideò prudentiam Maria haud ignaram Mysterij cælestis ostendit. Viuum enim Verbum Dei, & validum, cogitationes cordis, & secreta scrutatur animorum, quia nuda, & aperta sunt omnia Dei Filio, quem conscientia secreta non fallunt.* O Dei sapientiam, qui eodem modo Dæmonis astum delusit, quo ille Adamum per Euam adoritur! diffuso quippe aconito per verbum, totum hominem peruasit, ac verbi sui gladio omnes corporis, animique recessus, vsque ad intima viscera penetrauit; nempe oculos fascino repleuit, vt in poma vetita ferrentur, auris verbum Satanicum ebibit, manus pomum carpunt, lingua delibat; ac noxius, & veneno mortifero repletus esus ab homine in propriam substantiam vertitur, sicque per omnes corporis partes toxicum serpsit, animamque peccato infecit. *Serpens*, inquit Ambrosius, *in auribus Euæ semitam fecit, fecit & in pedibus, quibus interdictum fuerat iter ad arborem; fecit & in manibus, quibus contacta sunt poma.* Ergo Deus per aliam fœminam versipellis astutiam eludat, Verbo Dei præoccupet Deus mentem Virgineam, ventrem incolat, aurem pertranseat, viscera peruadat, intimosque viscerum recessus penetret, nullaque sit pars Mariæ, quæ Dei Verbo sit vidua. *Vt non tantum*, ait sanctus Bernardinus ad nostrum gustum, tomo secundo serm. 48. articulo secundo, capite secondo, *potuerit Eua in pomi concupiscentia deformare, quantum Beata Virgo in diuina obedientia desiderio reformare. Fiat, inquit, mihi in corde, per Fidem; in ore, per Confessionem; in ventre, per Incarnationem; in manu, per contrectationem; in brachiis, per ablactationem.* Deus olim auara manu, & quasi guttatim se Prophetis ingerebat, vel aures solùm occupabat, vt habes apud Iob: *Auditu auris audiui te.* Et Abdias 1. *Auditum audiui à Domino*, vel oculos solùm lumine suo perstringebat: vnde Esai 1. *Visio Esaiæ*; vel Manus tantùm contingebat, vt apud Aggæum: *Verbum Domini factum est in Manu Aggæi.* Non totum hominem implebat, quousque venit Maria, in quam pleno alueo refunditur Verbum Dei, & corpus ipsius, & animum exundat, vt pulchrè expendit Albertus Magnus in capite primo Lucæ: *Sic diuersimodè, & pro diuersis factum est, sed non sibi Beata Virgini Maria; fit ad aurem quidem in oraculo Annunciationis, & elogio Salutationis: ad visum autem, quid viderunt oculi, sui? Salutare Dei sui: ad manum etiam fit contrectationis,*

(Hebr. 4. — Apocal. 19. — Ambr. — Gladium Verbi Dei totam B. Virginis animam pertransiit. — Ambr. — Verbum Diaboli totā Euā peruasit, & infecit. — Ambr. — Verbum Dei totā Mariam occupauit. — Bern. — Deus olim auara manu se Prophetis ingerebat: at in Mariā pleno alueo refunditur verbum Dei. — Iob. 42. 5. — Abdias. 1. — Isai. 1. 1. — Aggæ. 1. 1. — Alb. Magn.)

tionis , & ad brachium oblationis , & ad gremium sustentationis , & ad vbera lactationis, & ad viscera Incarnationis, & aliis modis infinitis sibi soli notis.

Deinde robustum desumunt argumentum prædicti Doctores , vt suam suffulciant sententiam , ex ingenti amore mutuo inter Mariam , & Filium ; erat enim caro Christi , caro Mariæ, ille optimus inter filios , ac dignus vt à Matre supremo amoris affectu prosequeretur : ergo & Filij mors summum dolorem potuit B. Virgini afferre ; nam vbi amor est sine mensura , & dolor immensus est ; vbi autem dolor est immensus , mors subsequitur , iuxta illud : *Fortis est vt mors , dilectio.* Respondeo tamen , non semper summum dolorem mortem ingerere: Christus enim summè dolebat, dum euoluebat animo Crucis tormenta , & tamen mors non est subsecuta , sed sudor sanguineus : & quamuis interdum aliquibus mortem intulit doloris acerbitas , id tribuendum animi imbecillitati parùm fidenti rerum aduersarum prouidentiæ : At Virgo Deipara omnia Christi tormenta , cùm in Dei gloriam , animarum salutem, mundi redemptionem , æterni Patris voluntatis expletionem cedere , alta mentis cogitatione cognosceret , nunquam dolori succubuit, sed semper constans , & inconcussa , permansit.

780. Vlteriùs instant Aduersarij , nullum fuisse donum , nullum priuilegium in aliis iustis , quod in Virgine Deipara non magis splendeat , alioquin ab alio quopiam in aliquo priuilegio superaretur, vt rectè monet S. Damascenus lib. 4. cap. 15. Sed inter omnia Dei beneficia , martyrium summum locum obtinet , nulla enim maior dilectio reperiri potest , quàm tradere animam pro Christo : at iuxta D. Th. 2. 2. quæst. 124 art. 4. ad martyrium opus est , vt reapse mors inferatur ; ergo B. Virgo doloris telo saucia ad mortem corruit , vt vera martyr existat ; si enim martyrij singulare priuilegium in Deipara non splenduit ; ergo Agnes, Cæcilia, Catharina , & aliæ quamplures , hoc priuilegio Virginem Deiparam antecelluerunt. Sed latè à nobis ostensum , peculiari lucubratione priuilegium martyrij tantæ Virgini non defuisse , & quidem eminentiori modo ; audiendus Hieronymus serm. de Assump. Virg. epistola ad Paulam, & Eustochium. *Rectè ergo , quoniam B. Dei Genitrix & martyr , & Virgo fuit , quamuis in pace vitam finierit : Hinc quoque , quòd verè passa sit , testatur Simeon Propheta : Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ex quo constat , quòd supra Martyrem fuit. Alij namque sancti etsi passi sunt pro Christo in carne , tamen in anima , quia immortalis, pati non potuerunt. B. verò Dei Genitrix , quia in ea parte passa est , quæ impassibilis habetur , ideò vt ita fatear , quia spiritualiter , & carne eius passa est gladio passionis Christi , plusquam martyr fuit , vnde constat , quia plus omnibus dilexit , propterea & plus doluit , in tantùm vt animam eius totam pertransiret , & possideret vis doloris , ad testimonium summæ dilectionis , quæ quia mente passa est , plus quàm Martyr fuit , nimirùm quòd eius dilectio amplius fortis , quam mors fuit , quia mortem Christi suam fecit:* cùm ergo Deipara plus Christum, quàm se diligeret , in illo flagellis cæsa , in Crucem acta ac mortua , intensiorique dolore afflicta fuit, quam si in seipsa flagellis cæderetur , Crucem , ac mortem subiret : vnde præmium essentiale , imò & aureolam Martyribus designatam consecuta est.

Damasc.

Hieron.

781. Vltimò arguunt pro se , quia nonnulli ex meditatione Christi Cruci suffixi , præ doloris magnitudine , animam exhalarunt : ita fertur de B. Catharina Senensi , vehementi dolore agitatam ex Christi patientis contemplatione , ad tempus emortuam , posteà verò reuixisse : ergo potiori iure id asserendum de B. Virgine ; imò in Christi morte saxa pertupta , terra hiatibus concussa æstuabat : quid ergo mirum , si cor Deiparæ mollissimum vsque ad intersectionem , præ doloris vi perstringeretur in ardentissima Christi in Cruce pendentis , animámque agentis , consideratione. Verum id prorsus denegandum B. Virgini contigisse , cùm asserat Sacra Pagina : *Stabat autem Maria iuxta crucem* : vnde immeritò quidam contemplaretur Christo commortuam fuisse B. Virginem , simúlque Christum æterno Patri vtriusque , & suum , & Matris Spiritum commendasse ; cùm autem vnus militum lanceâ latus eius aperuit , tunc Dei potentia suscitatam fuisse : quod à veritate procul aberrat. Bene enim D. Augustinus lib. 2. de Gen. ad literam capit. 1. ait , illam Scripturarum expositionem , quæ miracula denegat , præferri oportere alteri , quæ illa multiplicat. Itaque B. Virgo altius mentis oculos in Christum patientem defigens, & singula ipsius tormenta deuorans , vehementi dolore agitabatur , seclusa tamen morte , quæ tanto robori, ac constantiæ Dei gratia præmunitæ multùm aduersabatur.

782. Verissima ergo est sententia quæ affirmat Virginem Deiparam nullo modo doloris gladio fuisse peremptam. Opposita autem est valde singularis , nullo Patrum fulcro innixa , constanti Ecclesiæ traditioni aduersaria , sacris etiam voluminibus dissentanea , quæ Mariæ stationem constantem iuxta crucem deprædicant : ac proinde vt Scripturas sacras in concordiam adducat , noua miracula comminiscitur. Item quia tempore Passionis , ac necis Christi D. omninò decuit , ne alius præter Christum vitam funderet , ne forsan ab aliquo Deipara tanquam Redemptrix suspiceretur , aut Christus solus inefficax mundi Saluator diceretur , adeóque Christi sanguini aliquo modo præiudicium inferri posset ; quod subindicauit Ambrosius libr. de instit. Virg. capite 7. *Stabat , ait , non degener Mater spectaculo , quæ non metueret peremptorem. Pendebat in cruce Filius , Mater se persecutoribus offerebat. Si hoc solum esset , vt ante Filium prosterneretur , laudandus pietatis affectus , quod superstes Filio esse nolebat ; sin verò vt cum Filio moreretur , cum eodem gestiebat resurgere , non ignara fuit mysterij , quod genuisset resurrecturum , simul quæ publico vsui impendi mortem Filij nouerat , præstolabatur , si forte etiam sua morte publico muneri aliquid adderetur : sed Christi passio adiutore non eguit , sicut ipse Dominus longè ante prædixit ; Et respexi , & non erat adiutor , & attendi , & nemo suspiciebat , & liberabo eos brachio meo.*

B. Virgo nullo doloris gladio fuit perempta.

Ambros.

Deinde argumentor ad hominem , vt dici solet contra oppositam sententiam , quam assectatur etiam Amadæus raptu 8. & serm. Christi: Sciscitari oportet ab his Doctoribus, quando hæc B. Virginis mors obtigit , non quidem quando occurrit Christo crucem baiulanti , ait enim citatus Doctor eam exsuscitatam , quando lancea Christi latus confodit ; si ergo Deipara toto hoc tempore

Amad.

re emortua iacuit, ergo verum esse non poterit,
quod ait Ioannes, ipsam stetisse iuxta crucem,
& ad ipsam Christum fecisse verba illa: *mu-
lier ecce filius tuus.* Si verò hæc mors B. Vir-
gini contigit postquam Christus eam in cruce
fuit alloquutus, quod verò reuixerit cùm lan-
cea latus eius aperuit, ergo non fuit emortua
in occursu Christi crucem baiulantis. Suarius
tom. 1. in 3. part. disput. 4. sect. 3. §. *Nec*
Suarius. *desunt*, ait hanc sententiam sine vllo fun-
damento proferri. Censeo ergo omnino falsam
esse sententiam affirmantem doloris gladio fuis-
se peremptam Mariam: imò Sacrum Fidei
Quæsitorum Tribunal sententiam spasmum ad-
mittentem in Maria omninò aboleri iussit. Mul-
tò ergo potiori ratione hæc sententia censura
aliqua inurenda videtur, cùm neque Patres ha-
beat Patronos, & repugnet Ecclesiæ sensui.
Quòd si indecentia apparet, si admittatur spas-
mus in Deipara; Maior est indecentia, si admi-
serimus eam non solum viribus, & rationis vsu ad
tempus priuatam fuisse, sed etiam vita præ doloris
magnitudine.

CERTAMEN VII.

Vtrùm B. Virgo ecstases, seu raptus passa fuerit.

ECstasis, siue raptus nihil aliud est quàm om-
nium potentiarum feriatio, solo intellectu &
783. voluntate operante; Ad cuius rei pleniorem ex-
plicationem, illud statuendum discrimen inter
potentiarum ligationem, quæ in somno conti-
git, & eam quæ in ecstasi: in somno enim im-
pediuntur vires potentiarum cognoscentium: ni-
hil externi sensus operantur, interni autem, &
intellectus, aut omninò feriantur, aut valde
imperfectè operantur: cùm insomnia contingunt;
his ergo potentiis cognitricibus vacantibus, vi-
res naturales expeditiores manent ad munia sua
obeunda, aliis functionibus anima non distra-
cta: Ideò tunc sibi decoctio, & alimenti per
totum corpus distributio multo citius peragitur.
Ex aduerso, in ecstasi anima quæ in somno ve-
luti iacebat, oneri succumbens, & consternata
erigitur, & quæ in sopore ad inferiores po-
tentias demittebatur, in ecstasi altiora petit, &
inferioribus potentiis quasi in otio relictis à su-
blimi intelligendi vi rapitur, & ad tam excellen-
tem rerum supernarum contemplationem euehi-
tur, vt sensuum, & potentiarum inferiorum
functiones omnes inhibeat. Hinc viri ecstatici
diu sine cibo, & potu permanent, imò nec cor-
dis motio: nec vitalis calor in eis deprehendi-
tur, vt meritò adstantes de eorum morte ambi-
gant. Tametsi D. Thom. 2. 2. quæst. 175. art. 5.
doceat, non opus esse ad ecstasim, vt faculta-
D.Thom. tes vegetatrices ab omni functione vacent, quia
operantur per modum naturæ, non ex inten-
tione, vel imperio animæ, quemadmodum po-
tentiæ sensitiuæ, quarum proinde occupatio
minuit intentionem, & attentionem animæ cir-
ca functiones intellectiuas. Verùm quamuis fa-
cultates naturales, quia organo corporeo magis
addictæ sunt, ita etiam aliarum potentiarum fun-
ctionibus minus retardantur; tamen censeo vni-
uersim facultates omnes siue naturales, siue

cognoscitiuas operandi vim remittere; cùm
anima in alicuius potentiæ functionem incum-
bit vehementiùs: sic qui attentiùs scribunt,
vel de aliqua re attentiori consideratione medi-
tantur, minùs rectè decoctionis munus obeunt.
Vtrùm verò ab aliis potentiis ipsarumque fun-
ctionibus abstineat anima ecstasis tempore, præ-
terquam ab operationibus sensuum, & faculta-
tis locomotricis, incertum est; verosimilius
tamen arbitror, tum temporis facultates natura-
les aliquid operari, licèt exteriùs aliquando depre-
hendi nequeat.

Deinde præmitto nunquam in Virgine Dei- 784.
para, interceptum fuisse altissimæ contempla-
tionis actum: quod eisdem fundamentis con-
stabiliendum, quibus alibi ipsius feruentissi-
mum amoris actum nusquam interruptum fuis-
se ostendimus: actus siquidem amoris subse-
quitur actum cognitionis, quæ in Deipara fie-
bat per eleuationem mentis in Deum: nec
enim ita rebus externis fuit addicta, aut som-
no tradita, quin mentem in Deum defige-
re non posset; ad eum modum quo Beati
semper cogitationem in Deum dirigunt, semper
in eum mentis oculos collineant, vt bene Ri- Richard. à S. Laurent.
chardus de Sanct. Laurent. lib. 4. de laudibus B. Virgo nunquam altissimum contemplationis actũ interrupit.
Virgin. *Maria virtute contemplandi quodammo-
do Patriæ donata est: vnde de ea dictum Sa-
pient. 18. Cælum attingebat stans in terra.* Hinc
edisces discrimen Dauidem inter & Deiparam,
in euehendis Dei laudibus: ille inuitat animam
suam ad diuinas laudes prædicandas Psalm. 145.
Lauda anima mea Dominum; Deipara autem Psal. 145.
non ait; Magnifica anima mea Dominum; sed
Magnificat, *&c.* Ille ita animam sibi subie-
cerat, vt imperando diceret, *Benedic anima
mea Dominum*; sed longè maioris perfectionis
argumentum est, quod dixerit B. Virgo, *Mag-* Luc. 1.
nificat anima mea: quasi dilucidè ostenderet,
non opus fuisse animam eius, quæ iugi in
Deum eleuatione illum magnificabat, ad di-
uinas laudes excitari, & quasi stimulis agitari.
Dauid ergo pluribus distentus negotiis, & à di-
uinis quasi sequestratus, indigebat exstimula-
ri ad diuinorum contemplationem; dicat ergo
quasi animæ imperando, & à curis sæcularibus
eam auocando, *Lauda*, seu *Benedic anima* Psal. 103.
mea Dominum. Cùm ergo Virgo B. à primo
sui conceptus instanti nunquam actum contem-
plationis interruperit, opus non erat verbis ex-
citantibus ad diuinas laudes exstimulari; sed
semper de præsenti in diuinis laudibus decantan-
dis iugi meditatione incumbebat: Reliqui Iusti
tanquam citharæ quædam ad diuinas laudes
concinendas frequenter temperabantur, quan-
doque tamen, siue per vitæ tædium, ac tor-
porem, siue propter naturæ imbecillitatem,
siue per peccata venialia à recto concentu, &
harmonia recedebant; ac proinde opus erat ad
pristinum concentum iterum reuocari. At Vir-
go Deipara nunquam in re virtutis rectè ope-
randi harmoniam interrupit, nunquam à recto
rationis tramite nec latum vnguem discessit;
nunquam sonum aliquem edidit, quem in Dei
gloriam actu non referret, vnde meritò de
præsenti pangat: *Magnificat anima mea Do-
minum*: quia sine vlla interceptione, iugi con-
templatione in diuinas Dei laudes celebran-
das toto animi affectu, ac nisu contende-
bat.

785. His præmiſſis affirmant aliqui bonæ notæ Authores, Virginem Deiparam frequentiùs ecſtaſes, & raptus paſſam fuiſſe mortalis vitæ ſuperſtitem. Hi ſunt Albert. Magnus ſuper *Miſſus eſt* cap. 171. S. Brigitta lib. 7. Reuelat. cap. 21. agens enim de B. Virginis partu ait. *Stabat quaſi in ecſtaſi contemplationis ſuſpenſa.* Gerſon ſuper *Magnificat.* Caniſius lib. 5. de Deipara cap. 1. affirmat nonnullos Mariam prorſus ecſtaticam facere, cuius vita iugis; & continua quædam fuerit contemplatio, incredibili quodam ſpiritus feruore, ac diuinis reuelationibus mirabiliter illuſtrata, vt his, velut odoriferis floribus paradiſi, & vernantibus liliis languens ſponſa amore vtcunque fulciretur. Idem lib. 1. de Deipara cap. 13. §. itaque; hæc habet: *Certe quod ad viſiones diuinas, & cæleſtes reuelationes attinet, quales Paulo licèt antè Blaſphemo, & Eccleſiæ perſecutori, Deus mirabiliter patefecit, eas tam ſanctæ, tam ſapienti, tam dilectæ Matri haudquaquam denegauit, ſicut Rupert. lib. 3. in Cant. adnotauit. Quid ſi & ipſa ſiue in corpore, ſiue extra corpus in paradiſum abriperetur: ſic in Diuinitatis arcanis, & myſticis rebus inſtructa nullus vt aſſequi poſſet mortalium, quæ illi ſoli Beatiſſima Trinitas per ſeipſam manifeſtare voluit.* Et aduocant pro ſe tanquam ſuæ ſententiæ Patronum S. Dionyſ. Areop. cum de amore diuino verba faciens hæc habet: *Eſt autem mentis receſſum, & ecſtaſim faciens diuinus amor, amatores ſuos ſui iuris eſſe non ſinens: ſed in ea, quæ amant, penitus transferens.* Cùm ergo Deipara ardentiſſimo in Deum amore ferretur, quis in dubium meritò reuocare poterit, hunc amorem in Maria feruentiſſimum, eam ſui iuris eſſe ſiuiſſe? ſed in ecſtaſes, ac raptus frequentes ac diuinos rapuiſſe. His Doctoribus ſuffragatur Nouarinus in Vmbra Virginea excurſu 142. Ex Bernardino de Buſtis ſerm. 12. de deſponſatione Mariæ, vbi hæc habet: *Quid agebas, ô bone Ioſeph, quando videbas ſponſam tuam de nocte ſurgentem ad orationem, & in oratione a terra eleuatam, & innumera Angelorum multitudine circumdatam, & magno ſplendore renitentem.* Et Salmeron hos raptus non denegat Deiparæ tom. 3. tract. 43. §. *ſeptimo argumnt.* Vbi admittit ſub dubio ecſtaſim in B. Virgine, cum occurrit Chriſto crucem baiulanti; in quo raptu, de morte ipſius Chriſti tormentis, eiuſque fructibus, ac de hominum peccatis, & redemptione erudita fuit.

B. Virginis ecſtaſes, & raptus paſſam fuiſſe quidam affirmant.
Alb. Mag.
Brigitta.
Gerſon.
Caniſ.
S. Dionyſ.
Nouar.
Bern. de Buſt.
Salmer.

786. Et probari poſſet hæc pars affirmans primò, quia hi raptus, ſeu ecſtaſes haudquaquam proueniunt à virium imbecillitate, ſi quidem in viris robuſtis aliquando contingunt, & differunt à ſyncope, quia in hac ſenſuum functiones intermittuntur, langueſcunt vires, rationis vſus adimitur, à natura prouenit, & hominis debilitati tribuitur: in raptu verò, tametſi ad tempus ſenſuum operationes intercipiantur; efficaciùs tamen rationis vſus acuitur, virtutum actus intenduntur, vnde neque meritum interrumpitur, ſed augetur: & ſicut Syncopes eſt naturalis effectus ſubſecutus, vel ex nimia exinanitione, vel etiam repletione; ita raptus eſt effectus à Deo proueniens: nullum ergo apparet inconueniens quod nos cogat eiuſmodi raptus, ſeu ecſtaſes B. Virgini denegare. Deinde hoc priuilegium eleuandi ſe per ecſtaſes, eſt maximum, ac ſupernaturale, & ſolis Iuſtis ſanctitate conſpicuis collatum, de quo meminit ſacra Pagina tam veteris, quàm noui Teſtamenti, de Petro habes Act. 10. *Parantibus autem illis, cecidit ſuper eum mentis exceſſus, & vidit cælum apertum, & deſcendens vas quoddam.* Et in Apocal. & Prophetis paſſim horum raptuum fit mentio. Et de Paulo 2. Cor. 12. habes raptum vſque ad tertium cælum. Et act. 22. ait ipſe Paulus: *Factum eſt autem reuertenti mihi in Hieruſalem, & oranti in Templo fieri me in ſtupore mentis.* (Græca ſic habet,) *vt raperer extra me.* Cur ergo hoc priuilegium tantæ Virgini denegabimus.

Act. 10.
2. Cor. 12.
Act. 22.

Verùm ſententia negans hos raptus, & ecſtaſes in Maria vitæ mortalis ſuperſtite, mihi ſemper arriſit; eam ſuſtinet Caſtro de vita Deiparæ, Hiſpano idiomate, lib. 2. cap. 9. quia, ait ille, eiuſmodi mentis exceſſus contingunt ob potentiarum imbecillitatem, vel complexionis intemperiem; quod denegamus in Maria. Admittit tamen eam ſine vlla interceptione ſemper in Deum iugi contemplatione collineaſſe, & confirmat ex S. Laur. Iuſtin. lib. de caſto connubio Verbi, & animæ, cap. 14. Nos autem huius Aſſerti veritatem ſic oſtendimus: primò quia dedecebat tantam Deiparam eiuſmodi ſenſuum alienatio, quæ in omni ecſtaſi, & raptu reperitur, vt vidimus ſuprà, & denuò confirmo ex D. Aug. in qq. ad Simplicianum quæſt. 1 vbi ecſtaſim definit; *Eſt alienatio à corporis ſenſibus, vt ſpiritus hominis diuino Spiritu aſſumptus capiendis, atque intuendis imaginibus vacet.* Idem docet S. Bonau. tractatu de gradibus contemplationum: *Ecſtaſis eſt, deſerto exteriori homine ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſa quadam eleuatio ad superintellectualem diuini amoris fontem.* Raptus ergo ecſtaſes à Deo immiſſas tunc decimus contingere, quando facultatum rationalium vires augentur ex priuatione, ac ſuſpenſione omnium externarum ſenſationum cum aliquo corporis deliquio; quia nequit animus ſe totum inexhauſto illi bono Dei committere, ac dedere, quin prius à corporis functionibus ſe ſequeſtret, ſenſuumque operationes abrumpat. Hinc in Chriſto non admittuntur à Theologis hi raptus, ſeu ecſtaſes; & ſic definitum ab Eccleſia aduerſus Pauperes de Lugduno: ergo propter eandem rationem hi raptus in B. Virgine denegandi. Et quidem inficias ire non poſſumus, has ecſtaſes arguere imbecillitatem magnam, & anguſtam, non auguſtam (qualis fuit Mariæ) cordis capacitatem, quotieſcunque homo ſupernarum rerum cognitioni inuigilans, ita viribus conſternatur, vt quaſi valedicens ſenſibus, ac corpori, ſui impos ſit, totus ſummi boni cognitioni intentus; ergo dicendum eſt de Deipara, quantumuis diuinorum arcanorum receſſibi intentam, ac cæleſti voluptate potitam ſemper ſui compotem permanſiſſe: alioquin anguſti nimis animi, arctique cordis nota contra ipſius auguſtam Maieſtatem inureretur. Deinde quia veriſſima, pietati, ac rationi maximè conſentanea eſt illorum ſententia, quæ B. Virginem in acerbiſſimo Chriſti in Cruce patientis theatro conſtanti animo ſtantem, imperterritam, & inconcuſſam, licèt maximè dolentem adſtruit, ac repræſentat, quin exanimationi ſuccumberet, nec mortuo ſimilis appareret, imò male audit oppoſita Sanazari, & aliorum exiſtimatio. Stabat ergo conſtans Virgo fortiſſima prope Crucem, inſpiciebat ſacrum Chriſti caput aculeato rigentium ſpinarum diademate redimitum, venerandum corpus flagris crudelibus adapertum, manus pedeſque clauis bifidibus perforatos proſpectabat, lancea latus eius terebratum contemplabatur, ingentes cruciatuum, tormentorumque inſurgentes procellas aduerſus Filium demirabatur; quid

787. *Verior ſententia denegat hos raptus, & ecſtaſes in Virgine Deipara.*
Caſtro.
Aug.
Bonau.

quid mirum si coram tam cruento spectaculo, sensibus deficeret Virgo Deipara, animóque consternaretur, atque exanimis ibi procumberet, cum præsertim ob id in tanto amoris, ac doloris certamine, nihil Virgineæ constantiæ, ac fortitudinis minui videretur. Malunt tamen Doctores omnes, B. Virginem in hoc grauissimo conflictu, ac tormentorum vi animo constantem stetisse; nec deliquia sustinuisse, aut sensuum alienationem perpessam; ergo eadem ratione in deliciosa diuinarum rerum contemplatione, in cælestium arcanorum theatro, ac inexhausti boni cognitione, nunquam ecstasim passa est, aut sensibus destituta, sed sensationum, & animi functionum compos raptibus, aut deliquiis nunquam obnoxia. Et roboratur hæc sententia, quia Deipara eâ fuit prædita naturâ, eo excelso animo, eo omnium affectionum imperio, vt neque à rerum magnitudine extra se abduceretur, ac multo minus ex imaginationis fallacia, ac vehementia, sensus amittere posset. Apta ergo erat ingens animi Mariani celsitudo recipiendo inexhaustos Dei thesauros sine vlla sensuum hebetudine. Alioquin si tantus Mariæ amor sensitiuus dominio voluntatis ipsius non subderetur, ac perpetuo augeretur simul & delectaretur, profectò ab instanti Conceptionis, cùm semper amore illo feruentissimo in Deum raperetur; vel certè nunquam, vel semper ecstasim, & animi deliquia pateretur; cùm horum causa nunquam deesset à B. Virgine, nempe amor intensissimus in amatum ex perfectissima diuinorum attributorum contemplatione. Per quæ aduersariæ sententiæ rationes eneruantur, ac corruunt.

CERTAMEN VIII.

An B. Virgo dormiens insomnia passa fuerit.

788. Arist. PRælibanda sunt hic aliqua ex Philosophia ad insommia spectantia. Definit igitur Aristoteles somnium lib. de somniis c. 1. & 3. *Est apparitio exhibita per internum sensum, in his qui somno consopiti sunt.* Dicitur, *per internum sensum*, quia notiones intellectricis potentiæ, quas qui dormiunt efficiunt, aliquando non rectè somnia dicuntur, iuxta Aristotelem. Additur, *qui somno consopiti sunt*, ad remouendas sensationes internas, quæ eueniunt amentibus, & phreneticis, hæc enim somnia non sunt, cùm accidant in vigilia. Quo autem modo hæc fiat, ritè explicant Conimbricenses in lib. Aristotelis de somniis c. 1. Diuiduntur somnia in diuina, dæmoniaca, naturalia, & animalia. Somnium diuinum à Deo prouenit, siue immediatè à se, siue Angelorum interuentu, quorum plurima exhibebunt exempla sacræ Paginæ. Genes. 28. & c. 37. in Iacobo. & c. 37. in Iosepho. & c. 41. in Pharaone: & in nouo Testamento admonetur Iosephus diuinitus in somno Matt. 1. & 2. Consueuit igitur somnia immittere, vt futurarum rerum prænotionem impertiat, vel nouas imprimens species siue intelligibiles, siue sensibiles, vel etiam coordinans eas, quæ nobis iam inerant, nouum lumen conferens. Cùm verò id Angelorum interuentu accidit, cùm hi neque species, neque lumen per se in animam ingerere possint, (Conimb.)

cùm inter dormiendum aliquid edocent, id vtique exhibent coordinando appositè species spirituum ministerio, vt ait D. Thom. 1. p. q. 111. a. 3. tum mouendo corporis humores ad excitandam aliquam cognitionem, & affectum. Quod præstare possunt Dæmones, & tunc vocantur somnia Dæmoniaca. (D. Thom.)

Naturalia somnia vocantur, quæ ex corporum temperamento, humorum incursionibus, & aliis eiusmodi causis ortum habent: ideo melancholici somniant tristia, funera, mortes, noctis horrores: qui flaua bili infestantur, inimicitias, contentiones, iurgia: & sic de aliis. Si autem disquiras quo pacto hi affectus vel sui, vel cognatarum rerum insomnia excitent, aio cum Conimbricensibus citatis cap. 5. quia scilicet fieri potest, vt humor exuberans, vt pituita apprehensa tunc aliquo sensu externo, vt tactu, vel gustatu, non enim omnes sensus semper in somno ligantur; immittat sui speciem ad phantasiam, ex qua fiat apprehensio quarumdam rerum cognatarum, vt ex specie pituitæ, quæ aquea est excitatur cogitatio imbrium, fluminum, fontium, & sic in cæteris rebus. Fieri etiam potest vt absque noua immissione speciei facta; in somniis excitetur in phantasia aliqua earum rerum apprehensio ex specie prius iam ibi affixa, modificata tamen per humorem in corpore tunc prædominantem. Animalia somnia ea vocantur, quæ accidunt de his rebus, quæ interdiu tractamus: harum enim rerum imagines, & simulacra, quibus distinemur in vigilia, vtpote recentia, vniuersim potiùs mouent, & immutant phantasiam, vt eleganter pepigit Lucretius lib. 4. 789.

Lucret.

In somnis eadem plerosque videmus obire:
Causidicos causas agere, & componere leges:
Induperatores pugnare, & prælia obire:
Nautas contractum cum ventis degere bellum:
Et quo quisque fere studio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum sumus antè morati.

Et Hipocrates lib. de insomniis, ea somnia optima censet, quæ mens hominis in noctem offert per somnium, & quæ diurnis actionibus non aduersantur. *Quæcunque*, ait, *insomnia mens hominis in somnium per noctem offert de diurnis actionibus, & reddit quomodo facta sunt, ea quæ seria ac iusta in re per diem facta sunt, aut de quibus consilium iustum est; hæc homini bona sunt, sanitatem enim significant, propterea quod anima in diurnis consiliis perseuerat, neque repletione, neque euacuatione aliqua alia forinsecus allapsa. Cùm autem insomnia diurnis actionibus aduersantur, & de ipsis pugna oboritur, cum sanè hoc contigerit, turbationem in corpore significat.* (Hipp.)

Prætermissa nunc Gersonis sententia tanquam omnino falsa Alphabeto 15. lit. 5. asserentis B. Virginem potuisse falsa insomnia pati dum dormiret. Dicendum est nobis primò somnia naturalia omninò à B. Virgine dormiente abfuisse. Nec mirum, cùm id de aliquibus affirment Aristoteles libr. 4. de Histor. anim. cap. 10. & Plinius libr. 10. capit. 75. qui nunquam somniarunt. Et ratio specialis in Deipara locum habet, ne videlicet adhuc in somnis fallacia aliqua deciperetur 800. (*Somnia naturalia omnino à B. Virgine dormiente abfuerunt.* Arist. Plin.)

 ciperetur

ciperetur, vel monstrosa aliqua, & chimerica dormiens animo versaret; hæc enim contingere solent, quia vapores tumultuosè in cerebro diuagantur, quibus rerum species, & imagines confunduntur, ac permiscentur: dedecebat autem vt B. Virginis phantasia, etiam in somno hallucinationibus aditum aperiret, ac eiusmodi monstris commoneretur. Deinde hæc insomnia ex temperamento parum defæcato, ac iniquis vaporibus redundanti exoriri solent: exempli gratia, somnia quibus sese phantasiæ præsentant atræ quædam formæ, ac tetra rerum simulacra, tristesque funerum imagines, prouenit ex nimia humoris melancholici affluentia: cùm verò prælia, congressus, odia, inimicitiæ, ac vindictæ obiiciuntur, humorem cholericum exundantem denotant: aquarum, nubium, pluuiarum, & natium insomnia pituitæ copiam nimiam indicant, & sic de aliis affectibus iudicium ferendum est. Cùm ergo in Deipara nihil superflui, vel redundantis humoris reperiretur, nec deprauata complexio, qua eiusmodi somnia naturalia inniruntur omnino ab illa ableganda sunt. Solùm dicere aliquis posset eos, qui ingenio leni, placidaque temperie, ac miritate pollent, grata, ac dulcia insomnia pati consuescere, quæ cur Mariam dedecerent, non apparet: sed cùm hæc somnia ex specierum in phantasia sedem habentium coofusione contingant, & ex cerebri perturbatione, in Virgine Deipara admittenda non sunt. Quid quod cùm somnus in Deipara cum libertate couiunctus semper fuerit, vt vidimus, insomnia quæ situm, loca, accidentia variare consuescunt, ac rerum simulacra confundere, & obiectorum imagines peruetere nullo modo permitteret. Addiderim defectus, qui modo in somniis experiuntur; tanquam vnus ex effectibus primæuæ culpæ adnumeratur, per quem dum tradimus nos somno, interni sensus ita inter se confunduntur, vt nullum inter se ordinem seruent, adeoque libertati aditum intercludunt. Atque adeò cùm Virgo Deipara his naturæ lapsæ defectibus obnoxia non fuerit, somnia illa libertate animam priuantia, siue specierum internarum confusam admixtionem inducentia nunquam in se experta fuit.

801, *Somnia animalia B. Virgo sæpe experta fuit.* Media.

De somniis animalibus aliter nobis iudicandum est. Dicendum ergo 2. Somnia animalia B. Virginem non dedecuisse: imò Bartholomæus Medina eadem somnia admittit in Christo in 3. parte quæstione 15. articulo 3. quia B. Virgini dormienti per insomnia plura obiiciebantur simulacra earum rerum, quæ interdiu animo versabat: nimirum erat Deipara interdiu in iugi diuinarum rerum contemplatione, ac Dei amore feruentissimo, atque in omnium virtutum exercitatione assidua: noctu ergo rerum harum imagines, & species tanquam recentes phantasiæ præsentabantur in somno: ergo ea volutabat, quæ vigil contemplabatur. In cuius rei confirmationem proderunt, quæ adnotat Delrius libro secundo disquis. Mag. Diuus Thomas secunda secundæ quæstione 95. articulo 6. & quæstione 154. articulo 5. Itaque vigilans illa sollicitudo, qua Maria semper in Deum erat intenta, & in virtutum obsequia diligens, illius megtem pungebat; & vt dixit sanctus Cæsarius Dialogo tertio. *Remanent in anima reminiscentiis fede diuinorum exercitiorum, quasi sonitus relicti.* Probationes huius depromendæ

Delrius. D.Thom.

Cæsarius.

præcipuè ex Canticorum libro, qui integrè in Virginem Deiparam quadrat; alij sacræ paginæ libri per partes aliis iustis aptantur, imò & beatæ Virgini: at verò hic Canticorum liber ipsi maximi Interpretes, tum veteres tum nouiores adaptarunt: & meritò, quia in hoc carmine nihil lugubre auditur, quia nullum fecit quod deploraret, & lamentaretur delictum: non sic in aliis sacrorum voluminum codicibus, vbi mœsta ac tristia cum lætis texuntur, quia in Adæ posteris peccati veneno infectis gemitus sedem habent. Sola Deipara nullam habuit quam defleret culpam lugubribus Threnis, ergo venuste Canticum Canticorum lætitia plenum, amores solùm exhalans beatæ Virgini integrum attribuitur, vt ait Rupertus libro septimo de gloria Trinitatis, & processione Spiritus sancti capite 13. *De ista, ait, duntaxat hoc dicimus, Scriptura, quæ tota est cantabilis; nam in cæteris scripturis multa sonant lamentabilia pœnitentis Ecclesiæ, in plerisque peccauit, pro quorum parte cum fructibus pœnitentia lamentatur, & gemit: & hæc infra dignitatem sunt huius beatæ Virginis, cuius vita integerrima non habuit cur gemeret, nisi vulnus charitatis propter dilationem plena: atque perfecta beatitudinis in tempore huius peregrinationis.*

Canticū Cantic. totum lætitia plenum meritò B. Virgini præ aliis adaptatur.

802, Cant. 3.

Ergo Interpretes huius Cantici Canticorum quod totum in Mariam quadrat, disquirunt ad ea verba capitis 3. *In lectulo meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea; quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: num quem diligit anima mea vidistis? Paululum cùm pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum.* Quærunt, inquam, an hæc omnia reapse contigerint, vt horrida sub nocte, puella recens nupta ciuitatis compita peragrauerit? vel solùm licentiâ poëticâ, hæc commenta fuerint? vel solùm per insomnia euenerint. Basil. Legionensis prima parte quæstione secunda expos. capite tertio; primam affectatur viam, nempe sponsam reapse eos omnes perpessam fuisse labores. Sed multa ab hoc opinandi modo nos auocant, quæ videri poterunt apud Paulum Sherlogum tomo tertio in Cant. pagin. 33. numero decimoquarto: & quidem dedeceret valde pudicam ac honestam puellam extra domum sub caliginosam noctem per ciuitatis vicos & plateas oberrare. Deinde incomitatáne circumcursabat? quis hoc in animum inducat? ergo famulorum, ac sociatum turma euntem subsequuta fuit: quòd si numeroso famulantium stipata fuit comitatu, qui potuissent ciuitatis custodes ab illa pallium eripere, & adeò inurbanè, ac crudeliter cum illa agere, vt vsque ad vulnera ventum fuerit: ergo hæc non reipsa sponsæ cuenerunt.

Basil. Leg.

Sherlog.

Quare satius alij ducunt, ea omnia per somnium, & phantasiæ ope contigisse. Ita Ludouicus Legion. quem citat, & sequitur Sherlogus citatus: cui libens adhæreo; quia nulla afferri potest repugnantia, quominus asseratur, ea omnia in somno contigisse per phantasiæ repræsentationem. Quod ita contingere poterat, nempè

Lud. Leg. Sherlog.

nempè quid rerum ; quas interdiu versabat Deipara similitudines, in sopore phantasiæ obuersarentur, ac mediis spiritibus animalibus transportarentur, & potentiam mouerent, ac phantasmata eliceret ; siquidem ex diurnis studiis, ac feruentibus in Deum affectibus, quorum simulacra poterant phantasiam immutare, & excitare, rectè phantasmata elicere poterat, quæ nihil aliud esse con-
Arist. stat quàm insomnia teste Philosopho libro de insomniis, *Insomnium*, inquit, *est spectrum quoddam, & phantasma, nam visum ipsum quod in somno apparet, Insomnium dicimus.* Insomnium igitur ad sensitiuam partem pertinet quatenus imaginatiua est, vt bene
Greg. Niss. inter alios S. Gregorius Nissenus de hominis opificio capit. 1 . tradidit: *In phantasia imagines quædam eorum, quæ nobis vigilantibus occurrunt, & quasi ex longo interuallo, obscuriusculè delatæ rerum per sensus, & cogitationes actarum sonis, per vim animi reminiscentem impressi, temerè formantur, hæc veluti extrema resonantia ex memoria profecta, nutrientis animi parte quodammodo inhærescente; huiusmodi ergo in imaginationibus homo dormiens versatur.* Quare licèt mens B. Virginis, adhuc quoad sensus, & potentias reliquas dormientes vigilaret, ac sine interceptione aliqua contemplationi vacaret, nihil obstabat, quominus eiusmodi insomnia in phantasia pateretur, siue illa non excederent vires naturæ, siue supernaturalia fuerint, & à Deo immissa futuros euentus por-
D. Thom. tendentia. De primis ait S. Thom. supra datus: *Interior somniorum causa duplex est, vna quidem animalis, in quantum scilicet ea occurrunt hominis phantasia in dormiendo, circa quæ eius cogitatio, & affectio fuit immorata in vigilando, & talis causa somniorum non est causa futurorum euentuum, vnde eiusmodi somnia per accidens se habere ad futuros euentus.* Possumus ergo asserere in somnia B. Virginis nihil de futuris euentibus portendisse, sed solùm ea significasse, quæ voces, vel conceptus exprimebant.

803. Quòd autem Virgo Deipara aliquando som-
Amad. nia passa fuerit ; conceptis verbis sustinet Amadæus Episcopus Laudunensis hom. 4. de laudibus B. Virginis in illud: *Ego dormio, & cor meum vigilat. Carne quippe dormiens*, ait, *animo vigilabat, nocturna quiete somniabat, quæ per singulos dies cogitabat, & euigilans in eisdem se*
Greg. Nyss. *inueniebat.* In eadem verba Cantic. Gregorius Nissenus inducit sponsam hoc suo somnio rationem reddentem adolescentulis. *Dormiebam*, inquit, *amore sponsi, & exspectationе oppressa; mens tamen vinculis corporis soluta, atque iuris animus de sponsi absentia sollicitus solitas suas cogitationes voluere non desinebat.* Quòd autem B. Virgini per insomnia plura obiicerentur simulacra earum rerum, quæ interdiu animo
Cant. 2. versabat plures probant ex Canticorum cap. secundo ad illa verba. *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est Dilectus meus Capreæ, hinnuloque ceruorum: En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Siquidem eiusmodi clausulæ nullo inter se nexu coniungi posse videntur, sunt enim sententiæ interruptæ nulla rationis connexione continuatæ, quales à somniantibus comminisci solent: vel enim submissa voce sponsus mussitabat cum puellis, vel elatiori: hoc secundum, rationi difforme apparet; cùm sponsus paulò antè adiurauerit ancillas ne sopori deditam sponsam, vel voce submissa suscitarent: si primum, quî poterat sponsa sensibus altè somno traditis, voces ita exiles percipere. Secundò quisnam indicare potuit sponsæ dormienti reuertentem sponsum, ipso Euro velociorem aduentasse, præsertim cum nulla ex custodibus ancillis, interposita seuera sponsi comminatione, illam sopori traditam auderet excitare. Tertiò, reticulata cancella, adeo parua foramina exhibebant, vt difficulter valde agnosci posset, quis ex aduerso esset; nisi quis proximius ipsis cancellis adhæreret; at sponsa accumbebat lecto sopori dedita; ergo non poterat sponsum celantem se, visu vel auditu percipere: ac ideò consultius erit, has locutiones dormienti sponsæ, quàm vigilanti tribuere: per somnia itaque quæ dormiens passa fuit cogitatione interna solùm illos sermones euoluebat; cui sen-
tiendi modo adhærent Ludouicus Legionensis, Delrius in illum locum cum Apponio, & Placido Nigidio, Diuo item Ambrosio libro 2. de Virginibus, de Beata Virgine fatus: *Dormire, non prius cupiditas, quàm necessitas fuit; & tamen cùm quiesceret corpus, vigilare animum, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænuntiat.* Cùm ergo omnis Beatæ Virginis cogitatio in vnum sponsum collimaret, & quales affectus, & sermones in vigilia occurrunt, earumdem profectò rerum memoria dormientibus obuersatur; vt Ludou. Leg. Delrius. Appon. Plac Nig. Ambr.
bene tractat Delrius tomo secundo Adag. 32. Delrius.
versans illa Ecclesiastici verba capite quinto Eccles. 5.
Multas curas sequuntur somnia. Ideò iuxta horum Doctorum sententiam cum somniorum imagines repræsententur ex his, quæ interdiu curis mente agitantur, cúmque omne Deiparæ studium, iugisque memoria, dum vigilaret, circa sponsum versaretur; ideo, inquam, ipsi dormienti earum simulacra rerum obiiciuntur, quarum vigilans meminerat; igitur in præfatis Canticorum verbis est quædam somniorum narratio ad puellas, & ancillas, quo scilicet modo sibi in somniis visa fuerit alloquentem sponsum audire, citatissimo gradu instar hinnuli ceruorum adproperantem, ac iuxta cancellos prospectantem.

Fateor his omnibus occurri posse, admit- 804.
tendo locutiones illas ab sponsa prolatas omni carere nexu, & tamen ab ipsa vigilanti articulatas fuisse; cùm enim sponsa amore sponsi saucia depingatur, quid mirum si sermones interceptos sine vlla cohærentia proferat; vehemens enim amoris affectus plerumque extra se rapit amantes, nec iuris sinit esse sui; vnus igitur præfixus sponsæ scopus erat Dilectus. Quòd verò verba à cohærentia aberrent, nihil curat. Secundò probat Sherlogus tomo secundo folio 634. numero tertio, sponsam, verba hæc satis cohærentia protulisse; nam sponsus, relicta in lectulo sponsa, vt somno se dederet, secessit, regressus autem citò de Libano, in quem animi recreandi gratia se contulerat

tulerat ; ſponſæ ſomnum interrupit, famulas de ſponſa interrogatus , cuius vocibus exſuſcitata ſponſa ſponſi aduentum auditu percepit , vocem agnouit , citum regreſſum admiratur ; poterat autem ſponſus prope cancellos cubilis proſpectare ànne Sponſa ſomnum integrè depuliſſet , cùm autem aliquid rumoris , ac ſonitus facti obaudiret , rectè aſſerere potuit , ſiue ſecum alloquens , ſiue ad famulas ſermonem dirigens : *En ipſe ſtat poſt parietem proſpiciens per cancellos.*

Ideò alij Doctores aiunt primom Sponſæ ſomnium haberi verbis illis Cant. 3. vbi abeunte ſponſo , & à latere ſponſæ decedente, ipſa ſociis demonſtrat puellis , quid ipſi mente obuerſatum fuerit per ſomnia : in lectulo, ait , arbitrabar me ſponſum inquiſiuiſſe , ſed in caſſum ; quare è lectulo ſurgens circuiui Ciuitatem per vicos , & plateas , quærens quem diligit anima mea ; quæ licèt per ſomnia , & phantaſiæ ludificationes contigerint , tantum mœrorem , animique deliquium paſſa eſt , vt penè exanimata curruerit : ſubſequenti verò die , abeunte ſponſo, cùm ſola remanſiſſet , acceſsère ad eam puellæ , ac pediſſequæ ſalutatum , quibus ipſa reſpondit. *Ego dormio , & cor meum vigilat* ; quia nimirum ea formidoloſa phantaſmata per ſomnium terruerant de amiſſione ſponſi duodennis ; eoque magis dolebat, quòd verebatur , ne ipſa abeundi cauſam præbuiſſet ; ideò ſtratum linquens ſurrexi , quæſiui abſentem per tenebras pallij nuditatem perpeſſa ; plagis , ac vulneribus icta ; nec tamen inuenire potui. Quæ omnia rectè accommodari poſſunt Virgini Deiparæ in triduo illo amiſſionis pueri IESV , ac demum in Templo inuento cum Doctoribus diſputante : cùm enim in triduo illo frequentiùs amiſſum Filium cogitaret , redibat forſan nocturna imaginatio ad diurnos actus , vt moris eſt , atque huius amiſſionis crebræ imagines menti ipſius obuerſabantur , quæ per ſomnia , & phantaſmata illam aliquo modo deterrere poterant.

CERTAMEN IX.

Vtrum in ſenſibus Beatæ Virginis fuerit deceptio.

805. Victoria. MAgiſter Victoria relatus a Medina quæſtione decima quinta articulo tertio , nullum arbitrabatur abſurdum admittere deceptionem in Chriſti ſenſibus ; idem potiori iure cenſeret de ſenſibus Beatæ Virginis ; & ratio eſſe poſſet , quia interdum à longè potuit res apparere minor, quàm erat , vel videre colores iridis, tanquam veros ; cœlum item & mare tanquam cærulea , oculis Virginis obiiciebantur : ergo decipi potuerunt ſenſus Virginei ; ſiquidem illa viſualis repræſentatio rem exprimebat aliter , ac ſe habebat reipſa ; ergo in illis erat deceptio. Sed dicere aliquis poſſet , ſenſus impropriè dici poſſe decipi , ſcilicet quatenus apprehendunt obiectum aliter ac eſt , & occaſionem exhibent intellectui ad iudicandum illud obiectum aliter ac eſt , ita vt periculum ſubſit iudicium falſum in intellectu formandi. Cùm verò in intellectu Mariano non adeſſet eiuſmodi periculum , quia per ſcientiam infuſam per ſe , & per accidens , corrigere poterat ſenſus , verumque iudicium efformare ; illud periculum ſubire non poterat. Alius affirmabit in Beata Virgine deceptionem non fuiſſe , licèt enim turres , ac montes diſtantiores , minores apparerent , quàm reipſa eſſent ; & lux Solis in Iride , & in vitro triangulati verus color videretur , cum reapſe ibi color non eſſet : hic tamen modus cognoſcendi , ac percipiendi obiecta illa naturalis eſt , quia ſpecies diſtantioris obiecti , cùm ſint iam defeſſæ , petunt illo modo obiectum repræſentare ; Solis item radij repercuſſi ſpecies colorum illorum effigiant ; & ideò perperam dicitur deceptio , modus ille percipiendi obiecta : tunc enim ita poſtulant repræſentari. De quo videndus Vazquez tomo primo in Vazquez.
tertiam partem diſputatione ſexageſima ſecunda capite nono. Nonnemo cenſeret , ſenſus Virginis Deiparæ diuinitus fuiſſe roboratos, vt ſemper viderent obiecta , & perciperent res , ſicut in ſe erant , quocunque modo applicarentur ; ita vt nec Maiores , nec minores , nec alterius figuræ , vel coloris repræſentarentur , ac in ſe reipſa erant. Huic tamen dicendi modo non acquieſco , quia plura miracula ſine neceſſitate aſſeruntur , & contra naturalem modum apprehendendi obiecta per ſenſus. Quare arbitror oculos Beatæ Virginis è loco remoto repræſentare res minores , quàm reipſa forent , Iridem vt multicolorem , & ſic de aliis ; idemque cenſet Auguſtinus Bernal de Incarnatione diſpu- Bernal
tatione quadrageſima ſecunda numero 12. de Chriſto Domino : Itaque intellectus Deiparæ corrigebat ſenſus , nec permittebat in errorem labi.

Cenſeo igitur in ſenſibus Beatæ Virginis 806.
admittendum naturalem cognoſcendi modum abſque vlla deceptionis imperfectione. Pro cuius Aſſerti plena intelligentia ſtatuendum eſt ; in ſenſibus non eſſe deceptionem circa ſenſibile proprium per difformitatem eſſentialem ſpeciei cum obiecto. Et probari poteſt , quia nullum obiectum mouet viſum , niſi per propriam ſpeciem ; vnde licèt albedo multum diſtans videatur imperfectè , quia percipitur media ſpecie valde defatigata , ac remiſſa ; ſemper tamen albedo videtur : quòd ſi intellectus iudicium ferat , dicatque alium videre colorem ; malè quidem iudicat , & tunc non fallitur viſus , ſed potiùs intellectus , ſiquidem ex eo quod viſio ſit imperfecta , non ex parte potentiæ , ſed ex parte ſpeciei ab obiecto miſſæ : non eſt ideò difformis obiecto , imò ita exigit apprehendi , imperfectè videlicet , in tanta diſtantia. Quod à paritate ſic confirmare poſſumus , nempe in apprehenſione vnius prædicati eſſentialis alicuius naturæ habentis plures rationes formales , & prædicata eſſentialia ; nequit enim dici hanc ſimplicem apprehenſionem eſſe falſam, tametſi

tametsi non sit cognitio omnium prædicatorum essentialium : ergo similiter perperam dici poterit esse falsam cognitionem albedinis imperfectam propter distantiam ; quæ ideò solùm dicitur imperfecta , quia licèt tendat ad totum obiectum , tamen ex modo tendendi propter distantiam , ac remissionem specierum iam debilium , imperfectè obiectum apprehendit. Ex quo rectè elicies in visione sensibilis proprij nullam esse falsitatem propriè ; sed quasi causalem intellectus , qui ex illo imperfecto tendendi modo potentiæ visiuæ in obiectum distans sumit ansam , vt falsum iudicium efformet : Idem esto iudicium , cùm quis per conspicilium viride intuetur obiectum album ; tunc intellectus decipitur , quia falsò iudicat , quidquid ocul s obiicitur esse viride ; non verò sensus. Eademque ratio efformari potest de sensibili communi , quia ex natura sua hoc sen sibile producit sui similitudinem , nullum enim sensibile potens est ementitam sui similitudinem, aut speciem producere , ac sensui obiicere, vel alterius obiecti simulacrum mutuare, vel subrogare ; vt patet ex his , quæ à Philosophis de speciebus impressis latè disseruntur.

Aug.

Opportune in rem præsentem S. Augustinus libro de vera Religione capite trigesimotertio tomo primo ait : *Corporea species non mentitur , quia nullam habet voluntatem , si verè etiam non putetur esse , quod non est , nec fallis : sed ne ipsi quidem oculi fallunt , non enim possunt renunciare animo , nisi affectionem suam: quod si non tantùm ipsi , sed omnis corporis sensus ita renunciant , vt afficiuntur , quid ab eis amplius exigere debemus ignoro.* Et concludit remum fractum in aqua conspicientem , ac iudicantem non malum , aut falsum habere nuncium oculum , seu visionem ; sed ipsum intellectum malum esse iudicem ; quia oculus rectè videt. Cui sententiæ adhæret Anselmus dialogo de veritate, capite sexto.

Ansel.

Addiderim circa sensibile commune ex reflexione speciei ortum habere , vt quamuis repræsentetur eadem præsentia , tamen ex ratione speciei reflexæ appareat obiectum quasi in diuerso situ , vel ex aduerso , vt cùm quis in speculo faciem propriam contuetur, tunc enim non videtur facies per speciem directam , & immediatam à facie eiaculatam in speculum , sed per speciem refractam in speculo , quæ faciem ex opposito repræsentat. Hinc est quòd licèt species refracta in speculo non contueatur , sed ipsum obiectum , cuius est similitudo , & simulacrum , obiectum tamen proponitur , quasi ex aduersa facie ; quæ enim in me læua sunt , in speculo dextera repræsentantur. Ob eiusmodi etiam specierum refractionem apparet remus fractus in aqua, quia species remi refrangitur, ita vt ex illo simul , & ex specie remi extra aquam existentis secundum partem visio illa oritur : tum quando hæc speciei refractio contingit ex diuersa oculorum positione , vt si digito supposito oculum extrahimus à naturali situ, & positione , res visa apparet in duobus locis. Quare asserendum est non esse essentialem difformitatem sensibilis communis circa obiectum in specie , vel actu ; sed tantùm ratione differentiæ indiuidualis speciei ab obiecto missæ cum aliqua refractione ; vnde iuxta hæc dicta meritò protulit Aug. oculum non posse videre Virgam in aqua sicuti reapse est, & iuxta suam naturam.

His positis, nostrum probatur assertum ; quia 807.
in sensibus nulla est circa sensibile proprium deceptio per difformitatem essentialem speciei impressæ cum obiecto , cuius est species ; siquidem species impressa procedit natura sua ab obiecto sensibili , vnde erit naturalis expressio ipsius , seu similitudo ; ergo natura sua repræsentat obiectum tanquam ipsius simulacrum , & imago : verum tamen est in maiori distantia minus perfectum illud repræsentare , quàm in minori , vt pote quia est similitudo minus perfecta. Quod etiam intellige de quauis minùs perfecta repræsentatione ex quolibet alio accidenti contingat , siue ex parte medij, siue ex parte potentiæ:cùm ergo species expressa euadat similis impressæ ; hæc autem sit semper conformis obiecto à quo procedit:ergo actus sensationis non erit difformis obiecto.

In sensibus externis B. Virginis nunquam fuit deceptio nec formalis, nec causalis.

Vnde bene Vazquez prima parte dis. 75. docet cum aliis, in sensu non esse propriè veritatem , vel falsitatem , licet dici possit causa veri , vel falsi iudicij. imò Abulensis in capite trigesimotertio Genes. quæstion. 516. docet de Adamo in statu innocentiæ , licèt imperfectam haberet sensationem , quando exempli gratia obiectum distans conspiceret , non tamen illum deceptum iri. Nullum ergo arbitror inconueniens admittere in sensibus externis Beatæ Virginis actus sensationum, quæ ex natura rei fieri solent ab obiectis sensibilibus ; cùm eiusmodi sensationes non sint dissimiles essentialiter obiectis , nec dici possint falsæ formaliter ; & in Beata Virgine nec causæ fuerunt alicuius actus intellectus falsi , cùm multiplici floreret scientia , & intelligentia : quod autem interdum Deipara aliquos eliceret actus à sensibus externis minus perfectos , vel propter obiectorum distantiam , vel ex aliquo alio accidenti , nullum absurdum est ; dummodo nunquam in ea admittamus falsitatem , vel deceptionem. Idem asserit de Christo Domino, Bernal citatus. Addo cum Suario citato Beatæ Virginis sensus diuinitus fuisse suffultos , ne deciperentur , licèt ille solum de Christi sensibus id asserat. Quemadmodum ergo aures , & oculi Mariani diuina virtute fuerunt protecti , ne vnquam quidpiam inhonestum , vel illicitum audirent , vel conspicerent ; ita , ne deciperentur , eadem diuina vi roborabantur. Primum affirmat sanctus Damascenus , singulas sensuum ac membrorum omnium functiones, & munia referens ; singulari quadam protectione Beatam Virginem præuentam non obscurè demonstrat : ait enim oration. prima de Natiuitate Virginis, ipsam Beatam Virginem alloquens : *Sanctam omnem , & cum animi vtilitate coniunctam cogitationem habes ; contra superuacaneam omnem , & anima exitiosam , antequam gustes, eiicis. &c. Oculi eius semper ad Dominum perenne , & inaccessum lumen intuentes , aures diuinum sermonem hauriunt , ac Spiritus cithara oblectantur &c.* Luculentius id asserit

Vaz.

Abul.

Suarius.

Sensus externi B. Virginis diuinitus protecti, ne quid inhonestum aut falsum apprehenderent.

Damasc.

Galat. ſerit Galatinus libro ſeptimo capite quinto; ait enim: *Virginis oculi nihil inhoneſti, aut illiciti adſpexerunt: adeò inter cæteras perfectiones ſpiritu prophetiæ donata eſt, vt ſi fortè aliquid inconceſſum, ſeu illicitum viſura eſſet, illicò eius aures clauderentur, ita vt non niſi voluntati diuinæ deſeruire viderentur.* De quo Nouar. videndus Nouarinus in Vmbra Virginea excurſu vigeſimo & vigeſimoprimo Quæ autem Galatinus profert, neſcio quo ex fonte deprompſerit; tamen dubio procul veriſſima cenſeo eum Caniſio libro primo de Beata Virgine, capite decimotertio: Quis enim credat Canis. ſummas animi Dotes ſemper in Virgine Deipara latuiſſe, ita vt nec in inceſſu, ſermone, vultu, geſtu, oculis totóque corporis habitu proderentur. Quæ ergo hi Doctores de ſenſibus Marianis in ordine ad illicita proferunt, nos de eiſdem ſenſibus Beatæ Virginis in ordine ad falſa, proferimus; ſicut enim dedecebant illicita B. Virginem, ita etiam falſa, & deceptoria.

PALÆSTRA

PALÆSTRA VIII.

An Virgo Deipara gauderet in hac vita mortali priuilegijs status Innocentiæ.

808. Perer. SEPTEM status Innocentiæ excellentias recenset Pererius in Præfatione ad lib. 5. in Gen. de quibus ille dilucidè agit. Prima erat, plena scientia, ac sapientia. Secunda, gratia, & amicitia Dei. Tertia, iustitia originalis, quę nihil aliud erat, quam complexio omnium habituum, quibus ad integritatem, & rectitudinem hominis, omniumque facultatum eius complendam opus erat: Præterea complectebatur hæc Iustitia originalis alios habitus intellectus, & voluntatis, imo & appetitus in rectum propendentes. Quarta prærogatiua illius status erat, Immortalitas, & impassibilitas animæ, & corporis, non intrinseca, qualis inest Beatorum corporibus: sed extrinseca prouenienss partim ex Dei singulari protectione, partim ex prudentia & prouidentia hominis, qua à noxiis, & læsiuis sibi cauisset; atque hæc erant in ipso homine. Tria verò reliqua extra hominem: Videlicet Quinta, commoratio in paradiso, & esus arboris vitæ. Sexta, specialis Dei cura erga hominem. Septima, quod non posset homo concupiscere quidpiam contra rationem, nec venialiter peccare, nec errare, nec decipi; sed de rebus incertis, vel suspendisset iudicium, vel dubium formaret. Calamitates autem innumeras, quas Bellar. patimur in pœnam peccati originalis, doctè enumerat Bellar. tom. 3. lib. 3. de amiss. gratiæ cap. 11. & lib. 6. cap. 8. Hac igitur Palæstra exagitandum nobis est, quibus ex his pœnis subiacuerit B. Virgo, quibusque priuilegiis ex recensitis gauisa fuerit. *Septem status innocentiæ priuilegia recensentur.*

CERTAMEN I.

Vtrùm Beata Virgo concepta fuerit in Beatitudine naturali, & in natura integra perfectione.

809. HOc certamine via præmunitur ad dicenda tota hac Palæstra. Nunc autem omissis variis opinionibus circa Beatitudinem naturalem, censeo eam sitam esse in contemplatione Dei, vt est author naturæ, & simul in amore Dei naturali propter seipsum, & super omnia, & forsan in fruitione, seu delectatione consurgente ex amore rei possessæ.

Nunc pars negans videlicet B. Virginem non fuisse conceptam in Beatitudine naturali, suaderi posset. Primo, quia Beata Virgo non poterat diligere Deum super omnia dilectione naturali amicitiæ, seu beneuolentiæ, viribus naturæ, & solum ex vi doni creationis sine speciali gratiæ auxilio: Atqui beatitudo naturalis hoc amore dempto, nequit consistere integrè, & completè; Ergò: imò hoc amore seclusò, in Deo conquiescere non poterat, tanquam in vltimo fine; neque in eum, se suaque omnia referre, nisi illum super omnia diligeret, adeoque neque fruitio tepetiti poterat: Ergo neque beatitudo completa. Verùm supponitur falsum, nempe B. Virginem, viribus naturæ, solum ex vi doni creationis sine alio speciali gratiæ auxilio, non potuisse Deum super omnia diligere amore naturali. Quod vt Suar. Molin. Azor. penitius calleas, censeo cum Suario tom. 1. de gratia, Molin. in concord. disp 4. Azor. tom. 1. lib. 3. cap. 35. q. 1. 4. & 7. Ripalda tom. 2. de ente supern. d. 115. num. 4. qui omnes docent in natura integra potuisse hominem adimplere totam legem naturalem, Deum diligere super omnia dilectione naturali sine gratia, solum ex vi doni creationis: Quod vero B. Virgo condita fuerit in statu naturæ integræ mox ostendam, cuius rei optima exhibetur ratio, quia in natura integra non erat difficilis legis naturalis adimpletio, nec amor naturalis Dei super omnia, ex eo enim in natura lapsa opus est gratia, quia ratione imbecillitatis naturæ moraliter impossibilis censetur talis amor super omnia, tum & adimpletio legis naturalis: atqui in B. Virgine, quæ integram naturam obtinuit, nulla potentiarum imbecillitas fuit, neque discordia vlla, siue dissentio inter appetitum sentientem, & rationalem, nulla in obiecta delectabilia contra rationem propensio, dæmonis instigatio ad malum nulla: omnia denique impedimenta, siue ex parte corporis, siue ex parte sensuum, & potentiarum, ob quæ modò in natura lapsa, difficultas, & moralis impotentia ad obseruationem legis, & amorem Dei super omnia naturalem prouenit; facile vinci poterant. Rursus, nulla in sensibus deceptio, nullus in intellectu error aderat, iugis semper honesti apprehensio ab intellectu voluntati proponebatur. Appetitus deinde omnino subdebatur voluntati: Ergo nulla poterat adesse difficultas, seu moralis impossibilitas ad diuturnam totius legis naturalis obseruationem, & ad actuum amoris naturalem super omnia. Confirmatur ex eo in statu naturæ lapsæ vt iusti diu permaneant in obseruatione totius legis naturalis, & actus amoris naturalis Dei super omnia, indigent gratia, nempe propter frequentes dæmonum technas, alia- Ripal.

que impedimenta passun occorrentia, & impedientia talem actum amoris, & plenam legis nbseruatinnem; sed hæc nmnia prncul aberant à B. Virgine; ergo sine gratia poterat illum actum elicere, & legis nbseruatinnem adimplere communibus auxiliis sun statui debitis.

Nec nbstant Concilium Arausicanum 2. nec Gelasius Papa, & Patres à Suarin relati, qui omnes auxilium gratiæ pnstulabant vt Adamus in Dei obedientia permaneret. Respnnden enim illns solum lncutns de perseuerantia in gratia, ac meritn supernaturali: Nns ergo dicimus B. Virginem ad qnemcumque actnm supernaturalem, ac meritorium vitæ æternæ indiguisse gratia, nnn autem ad persistentiam in bnnn ordinis naturalis secluso meritn. Cum autem dncent Gelasius, & August. Adamum non pntuisse deuincere serpentis suggestinnem cnntra Dei præceptnm absque gratiæ auxilio, licet tale præceptum esset naturale, nempe de abstinentia cibi naturalis; lnquuntur de abstinentia cibi illins meritoria, & vt Deo taoquam supremn Regi, ac gubernatori supernaturali obtemperaret, qui hnminem in finem supernaturalem condidit, & direxit, & ad fidem supernaturalem, vt elicitur ex verbis, & commlnatione Dei.

Nec obstare pntest secundò humanam voluntatem mutabilitati, & inconstantiæ obnoxiam esse, nec pnsse per longum tempus in virtutum actibus persistere viribus relictam suis, præsertim in contrarium adigentibus dæmonum incursibus, aliornmqne hominum prauis exemplis, & suasionibus, carnis etiam titillationibus, quibus, quemlibet adhuc in natura iotegra constitotum possent à virtutis semita auncare, nisi gratia Dei suffultum. Quid qund congrua cogitatio semper inter specialia beneficia recensetur, satisfaceret autem author naturæ humano arbitrio per cngitationem sufficientem. Respondeo, tametsi in natora integra in tanta hominum multitudine, forsan essent plures, sicuti & in Angelis contigit, qui in officio virtutis non continetentur, sed ratione instabilitatis humanæ legem naturalem vinlarent: Alij tamen in perpetua legis obedientia persisterent, præcipuè autem id censendum de B. Virgine, quæ facillimo negotio in bonum, & honestum ferebatur, nec talis constantia in bnoo erat aliqun ex capite difficilis ipsi: Dæmonum autem insultus, & conatus, & prauorum hominum exempla in malum facilè superare pnsset, in aliam cogitationem mentem conuertendn: Item debebatur B. Virgini, io statu naturæ integræ constitutæ cogitatio congrua, quæ nnn excedit limites auxilij naturalis.

Nec obstare potest tertiò, talem dilectionem Dei super omnia in B. Virgine, licet daretur, fnre amissibilem per peccatum; Atqui nulla cnmpingi potest Beatitudo sine certitudine inamissibilitatis: Ergo, &c. Si verò dicat aliquis, B Virginem à puncto Couceptionis fuisse impeccabilem; atque amor ille Dei super omnia erat iam nmninò inamissibilis. Contra tamen est, quia licèt B. Virgo esset singulari Dei beneficio impeccabilis, nihilominns, cum non haberet hanc certitudinem inamissibilitatis boni possessi, & amati, neque Beata esse poterat beatitudine naturali; similibus ductus argumentis Vasq. 1.p. disput. 226. cap.2. num. 6. & 7. probat in Angelis in pura natura constitutis, dari non posse beatitudinem naturalem. Verum hnc argumentum ad summum solum prnbat B. Virginem non fuisse nmni ex parte beatam beatitudine illa naturali: nnn verò conuincit, illam beatitudinem non esse veram, & essentialem beatitudinem naturalem, cum habeat totam essentiam cnnstituentem formaliter in esse beatitudinis naturalis. Quemadmodum verè, & propriè dicitur fuisse in gloria concepta, & beatitudine supernaturali, iuxta sententiam npinantium B. Virginem in momentn suæ cnnceptinnis diuina essentia fuisse pntitam; licet illa nnn potiretur inamissibiliter, sed ad tempus: Quid qund alibi nstendn B. Virginem habuisse certitudinem per renelationem suæ impeccabilitatis, & in Dei amicitia confirmatinnis.

Vasq.

810. Quocirca dicendum arbitror Virginem Deiparam cnnceptam fuisse in beatitudine naturali, & suaderi potest; quia vt ex dictis cnnstat, habuit in instanti cnnceptionis perfectam Dei cognitionem naturalem, habuit etiam actualem amorem beneuolentiæ Dei super nmnia; cnncepta fuit etiam omnis culpæ expers, & cum pntentia morali, atque facilitate, nunquam peccandi, & per cnnsequens cum magna vitæ iucunditate, quæ ex his omnibus resultat; hæc autem nmnia necessaria sunt, & sufficiunt ad veram naturalem beatitudinem. Et quidem Virgo Deipara ad dignitatem matris Dei euecta deposcebat omnes illas perfectiones naturales, quæ naturæ rationali perfectæ, & integræ, in tantum munus assumptæ debebantur, quæque non superant virium naturalium capacitatem; imò sunt aduexæ perfectinni naturæ rationalis: Ergn non est cur id tantæ Virgini denegemus: prætertim cum id sit magis consentaneum Dei magnificentiæ, ac bonitati, & perfectioni B. Virginis conformius, quod scilicet creatura omnium oobilissima ad eam dignitatem euecta, ad quam nulla vnquam creatura assumpta est, omni naturali perfectione absolutissima iuxta naturalem suam capacitatem ab ipso Creatore prodiret. Secundò suadetur eadem Thesis, quia Angeli iuxta plures cum hac naturali beatitudine conditi sunt, de quo Suarius de Angelis lib. 3. cap. 11. num. 7. vbi plures pro hac sententia refert S. Thom. Scotum. D. August. D. Fulgent. imo ipsemet August. frequenter dncet de primo hnmine fuisse conditum in statu beatitudinis alicuius naturalis, vt patet ex lib. 4. de ciuit. Dei cap. 10. 19. & 26. videatur Suarius de opere 6. dierum lib. 3. vbi latè quæstinnem hanc exagitat: Qund verò de Angelis id doceat D. Thom. constat ex 1. p. q. 62. art. 1. Scnt. in 2. dist 3. q. 9. & S. August. lib. 11. Genes. ad lit. cap. 26. & lib. 11. de ciuit. cap. 11. vbi ait: *Angelos ita esse creatos, vt statim sapienter, beateque viuerent, licet non statim excellentiam sapientiæ, beataque acceperint vitæ, hoc est plenitudinem beatitudinis*, & D. Fulgentius de fide ad Petrum cap. 3. de malis Angelis verba faciens hæc habet: *Pars Angelorum, quæ à suo Creatore Deo, quo solo Beata fuit, voluntaria prorsus auersione discessit, initium suæ damnationis inuenit.* Vbi de Beatitudine solum naturali loquitur, non de supernaturali, cum illa nunquam mali Angeli donati fuerint. Si ergo id de Angelis, & de primo homine pluribus licuit affirmare; meliori quidem iure id nos priuilegium Angelorum Imperatrici, hnminumque Reginæ deferemus, quippe excellentiori modo, quam Adamus in paradiso, & quam ipsi Angeli, antequam ad visionem Dei euelierentur Deo cnniungebatur.

B. Virgo concepta fuit in beatitudine naturali.

Suarius.

August.
D. Thom.

Fulgent.

811. Dicendum secundo, B. Virginem in momento suæ conceptionis conditam fuisse in perfectione

naturæ

naturæ integræ. Huius asserti probationi præmitto; statum naturæ integræ includere ea omnia, quæ dicit status puræ naturæ, videlicet animam cum suis facultatibus, corpusque integrum cum omnibus viribus sensitiuis, & cum apta corporis dispositione, & organorum ad liberum illarum vsum; præter hæc autem, quæ propria sunt naturæ puræ, dicit etiam specialem quamdam integritatem, seu perfectionem, quæ sita est in carentia fomitis, omnisque effrænatæ concupiscentiæ, vel in subiectione appetitus sensitiui ad rationalem, ita vt nullus appetitus partis inferioris rationem præueniret, aut contra illam insurgeret. Hic ergo Status naturę vocatur à communi Theologorum, Status integræ naturæ, apud Suarium de grat. tom. 1. Prolog. 4. cap. 2. n. 3.

Suarius.
B. Virgo concepta fuit in statu naturæ integræ.
August.
Conc. Trid.
Eccl 5.
Hieron.

Modo probatur Assertum, quia Adamus conditus fuit in statu naturæ integræ, vt vniuersim docent Theologi, ac Patres cum S. August. lib. 14. de ciuit. cap. 10. Concilium Trident. sess. 5. & constat ex Eccles. 5. *Deus fecit hominem rectum*, & explicat D. Hieron. lib. 1. contra Iouinian. de rectitudine remouente omnem appetitus sensitiui rebellionem: Ergo id etiam admittendum est in B. Virgine, & de facto admittit Suar. cit. num. 1. Idem à fortiori dicent, qui B. Virginem in statu Innocentiæ fuisse conditam asserunt: de quo infra. De facto, itaque B. Virgo per carentiam fomitis gauisa est, dum vixit omnimoda perfectione debita statui naturæ integræ. Quod verò non fuerit condita in statu solum puræ naturæ, suadetur; quia pura natura, licet dicat integritatem corporis, & animæ, omniumque potentiarum, ac facultatum; non tamen dicit ordinem perfectum, ac potentiarum concordiam, & appetituum, cuius est capax, non tamen illi est debita, adeoque necessitate quadam naturali in natura pura difficultas in negotio virtutis oriretur, quæ ex appetitus inferioris rebellione, & ex ipsa corporis innata infirmitate ortum ducit. Est enim natura humana in puris naturalibus spectata veluti diuisa, habet enim naturales affectiones, quæ in diuersa tendunt. Hæc autem repugnantia inter appetitum sensitiuum, & rationalem tam intrinsecè consequitur ex naturalibus proprietatibus eorundem, non impediris, sicut corruptibilitas consequitur ex mixtione elementorum, vel sicut fames, ac sitis naturali consecutione consurgit ex corpore tali humorum mixtione coalito: Deinde appetitus sensitiuus tendit in obiecta commoditatem propriam, ipsiusque naturæ conseruationem spectantia: At appetitus rationalis ducitur rationibus superioribus, quæ sæpè commoditati naturæ, eiusque conseruationi aduersantur. Vnde bellum ciuile, & intestinum intra ipsum hominem exoritur, quod internam pacem, ac concordiam funditus euertit, quam perfectio, & integritas naturæ inuehit; qua perfectione natura pura, quasi integrari censetur; ac perfici. Hæc autem omnia multum dedecent B. Virginem, vt pluribus à nobis ostensum, non semel, quare dicendum est, Virginem Deiparam non fuisse conditam cum sola perfectione naturæ puræ, sed etiam in statu, & perfectione naturæ integræ.

CERTAMEN II.

Vtrum B. Virgo condita fuerit in perfectione statui Innocentiæ debita.

STatus hic præter plures perfectiones ordinis supernaturalis, videlicet gratiæ iustificantis, virtutum Theologalium, ac moralium, donorum insuper, ac scientiæ per se infusæ; ac præter scientias naturales per accidens inditas, ac demum præter perfectionem status naturæ integræ connotat alia quatuor priuilegia. Primum est, ab omni deceptione, & errore immunitas. ita D. Thom. 1. p. q 94. art. 4. S. August. l. 3. de libero arbitrio cap. 18. vbi hæc habet: *Illa est enim peccati pœna iustissima, vt qui rectè facere cum posset, noluit, amittat posse cum velit: nam sunt reuera omni peccanti animæ duo ista pœnalia, ignorantia, & difficultas*, & quidem omnino rationi congruum erat, vt homo omnis culpæ expers nihil etiam pœnale sustineret; error autem, eorumque ignorantia, quæ sciri opus est, malum pœnæ vocandum. Deinde gaudebat ille status innocentiæ immunitate ab omni culpa veniali, & incompossibilitate cum lethali; quia ille status per quodcumque peccatum lethale deperderetur: multo igitur probabilius reor statum Innocentiæ omnino fuisse liberum ab omni culpa veniali, quare homo constitutus in illo, venialiter delinquere non posset, quin prius per aliquod peccatum lethale à statu illo desciscerer; sic D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 3. Suar. Prolegom. 4. cap. 3. num. 4. Cuius rei ratio est quia homo per peccatum veniale alicuius pœnæ reus constitueretur, adeoque deperderet statum Innocentiæ, vel si hic status permaneret, aliquam aliam pœnam subire cogeretur, quod statui illi felicissimo aduersaretur. Tertium priuilegium esset à morte exemptio, dum enim homo in statu Innocentię permaneret, morti nunquam subcumberet; Paulo attestante Rom. 5. *per peccatum introducta est mors in orbem terrarum*: Tridentinum etiam definit mortem esse pœnam peccati iuxta Dei comminationem primo homini factâ Gen. 2. ergo ante peccatum primus homo immunis erat à morte; atque adeo hæc immunitas priuilegium fuit status innocentiæ. Hinc ducebat ortum quartum priuilegium, videlicet immunitas ab omni dolore, tristitia, cæterisq; passionibus, quę malum aliquod secum inuoluunt; his enim omnibus careret homo in innocentiæ statu, vt docet August. lib. 6. Gen. ad lit. c. 19 Bern. serm. 1. de Annunc. & serm. ad milit. templi c. 3. Et probatur, quia hęc omnia sunt mala pœnæ, quę ex peccato ortum habuerunt, & quidem culpam aliquam supponunt; affectiones item quacumque ratione animum torquentes merito inter humanas afflictiones, ac miserias annumerantur. 812.

D. Thom.
D. August.
D. Thom.
Suar.
Rom. 5.
August.
Bernard.

His positis facilè est propositam quæstionem definire Dicendum ergo primo, B. Virgo condita fuit in perfectione status innocentiæ quoad gratiam, & reliqua dona propria illius status, qualia erant virtutes infusæ, scientia per se infusa, & per accidens, tum & quoad integritatem naturæ, vt patet ex alibi fusè dictis: Nec enim congruum erat rectæ rationi, vt Dei Genitrix illis perfectionibus careret in prima sui formatione, quibus primi Parentes in prima sui productione conditi fuere, præsertim cum ipsi gratiam omnem B. Virginis meritis sibi comparauerint. 813.

B. Virgo condita fuit in perfectione status innocentiæ quoad priuilegia intrinseca.

Hic quærat aliquis, vtrum B. Virgo naturæ viribus, ſine auxilio gratiæ, actum elicere poſſet dilectionis Dei naturalem ſuper omnia, ſicut de facto id concedit Suarius tom. 1. de gratia, de Angelis in ſua pura natura, & de homine in ſuo ſtatu innocentiæ & integræ naturæ, & ratio eſt quia Deipara priuilegiis ſtatus innocentiæ potiebatur, ergo quidquid poſſet homo conſtitutus in illo fælicissimo ſtatu in ordine ad vires liberi arbitrij, poſſet B. Virgo: idemque dici poſſet de obſeruatione præceptorum omnium ordinis naturalis, quia dilectio Dei cohibet obſeruationem omnium præceptorum illius ordinis, & de victoria omnium peccatorum lethalium legi naturæ aduerſantium; ſi enim homo in ſtatu Innocentiæ ſine auxilio gratiæ poſſet illa omnia præſtare, idem de B. Virgine affirmarem; in ordine autem ad ſcientias, & collectionem veritatum naturalium, vtrum eas poſſet conſequi viribus naturæ Deipara? Eodem modo loquendum, ac loquitur Suarius de homine in ſtatu innocentiæ lib. 1. de gratia cap. 1. num. 14. & cap. 38. num. 2. docet idem tom. 1. de Gratia, Proleg. 4. cap. 3. num. 10. hominem in ſtatu innocentiæ & naturæ integræ, poſſe ita bene moraliter operari, vt caueret omnia peccata etiam venialia collectiuè ſumpta viribus naturę. Idem arbitror dicendum de B. Virgine quę eiſdem priuilegiis, & maioribus quoad intrinſeca prædita erat, quam Adamus ante tranſgreſſionem.

Suar.

Dico ſecundò. Primam, & ſecundam excellentiam ſtatus innocentiæ propriam nacta fuit B. Virgo, à ſui conceptus momento: de immunitate, ab omni deceptione, & errore, ac ignorantia praua ſupra iam oſtendimus; de immunitate ab omni culpa leui infra ex Trid. oſtendam; incompoſſibilitas autem cum peccato lethali, ex eius impeccabilitate, & in gratia confirmatione ſatis conſtabit.

814. Dico tertio: B. Virgo caruit tertio & quarto priuilegio ſtatus Innocentiæ. Hęc aſſertio alibi à nobis oſtenditur. Neque igitur immortalitate, neque impaſſibilitate gauiſa fuit, dum hac luce frueretur, cum re ipſa mortem experta fuerit, vti filius; pluribus etiam ærumnis, & calamitatibus, & corporis, & animi torquebatur, fame, ſiti, frigore, calore, defatigatione, dolore, triſtitia, & aliis; quod neceſſarium fuit in maius Deiparæ meritorum augmentum: Ex quo deduces hęc duo priuilegia, de quibus eſt ſermo in præſenti aſſertione, ſecerni poſſe à reliquis, & de facto fuiſſe ſecreta in Chriſto D. & B. Virgine: vterque enim integritate naturæ, & iuſtitia originali cum omnibus perfectionibus intrinſecis gauiſi ſunt; & tamen mortem vterque ſubiit, & aliis afflictionibus ſubiacuerunt ambo Imo arbitror in homine lapſo potuiſſe manere priuilegia omnia propria ſtatus innocentiæ, gratia per peccatum deperdita; quia læſio naturæ integræ omniumque priuilegiorum ſtatus Innocentiæ amiſſio, ex peccato lethali formaliter non ſequitur, nec effectiuè, & cauſaliter, vt perpendenti patebit; ſolum enim conſequitur tanquam pœna tali culpæ debita. Imò crediderim non ſine probabilitatę de facto in natura lapſa permanſiſſe ſimul integritatem naturæ, & iuſtitiam originalem, quoad dona reliqua, dempta gratia ſanctificante, ac virtutibus infuſis: nam Eua poſt patratum delictum, nõ ſtatim amiſit naturæ integritatem, neque ſtatũ innocentiæ, quoad omnia: quod ex eo patet, quia deliquit priuſquam Adamus, nec tamẽ tempore illo interlapſo ſuum inter, & Adami lapſum, ſenſit prauos concupiſcentiæ motus; non enim erubuit, quouſque Adamus deliquit, nec aduertit quod nuda eſſet: ſignum igitur eſt adhuc poſt ſuum peccatum integritatem naturæ perduraſſe: neque eſt vnde colligamus iam Euam ante Adæ peccatum frigus, vel calorem, vel famem, vel aliã corporis afflictionem ſubiiſſe: ergo adhuc permanſit in Innocentiæ ſtatu quoad reliqua priuilegia, dẽpta gratia, & amicitia Dei, ac virtutibus infuſis. Nec deſunt huius ſententiæ nobiles Patroni, Abulenſ. in c. 3. Gen. q. 6. & 7. Catharinus opuſc. de peccato originali, fauet Caiet. 1. p. q. 95. art. 1. vbi ait, Euã non ſtatim poſt ſuũ peccatum iuſtitia originali fuiſſe nudatam, ſed ſolum quoad aliquid. Contradicit tamen Suarius Prolog. 4 c. 7. n. 11. quia deperdita gratia deperditur ſtatus ille de lege ordinaria, ſed per Euę lapſum gratia eſt deperdita in ipſa: Ergo & ſtatus naturæ integrę, & iuſtitię originalis; gratia enim eſt veluti fundamentum iuſtitiæ originalis, quo diruto, reliqua ruere neceſſe eſt. Reſpondeo deſtructa gratia in capite nempe Adamo deſtrui iuſtitiam originalem cum integritate naturæ; in ipſo enim, & cum ipſo initum fuit pactum de transfundenda in poſteros gratia vna cum iuſtitia originali, vel dependenda per ipſius peccatum. At Eua cum non eſſet Caput, bene potuit amittere gratiã per proprium peccatum, non tamen deperdere integritatem naturæ, neq; iuſtitiam originalem quoad omnia priuilegia. Quod ſi dixeris Deum primis parentibus comminatum fuiſſe illis verbis: *in quocumque die comederis ex eo, morte morieris*: ſub hac autem pœna continetur priuatio iuſtitiæ originalis, quoad omnes immunitates eius, ac priuilegia, vt rei euentus confirmauit: Ergo dicendum eſt Euam amiſiſſe poſt peccatum ſuum ſtatum innocentiæ quoad omnia. Reſpondeo verba illa facta fuiſſe Adamo tanquam capiti, quo peccante ipſa Eua, ac reliqui poſteri eandem fortunam ſubierunt; non tamen ipſa Eua id experta fuit ante peccatum Adæ, quia ipſa non erat caput generis humani.

Abulenſ. Cathar. Caiet.

815. Quamuis ergo Deipara Innocentiæ ſtatus iuribus, quibus gauderẽt homines in paradiſo à primo ſuę Cõceptionis inſtãti gauderet, & Originalis ipſius innocentia id expoſceret, vt integræ naturæ priuilegiis, & innocentiæ ſtatus frueretur, ita vt, quę ab omni culpa immunis erat, pænas etiam, & labores ab illa proficiſcentes neſciret; tamen ſingulari Dei prouidentia diſpenſatum fuit, vt Deipara ſummam vitæ, atque naturæ integritatem, & Innocentiam cum naturæ lapſæ ærumnis, laboribus, ac morte ipſa coniungeret in meritorum cumulum. Vnde Richardus Victorinus libro 1. de Emanuële part. 1. cap. vlt. ait: *Hoc fuit in B. Virgine ſupra modum mirabile, & præ cæteris omnibus ſanctis ſingulare, quod in ea ſimul conuenire potuit tanta incorruptibilitas, cum tanta corruptibilitate, corruptibilitas in his quæ pertinent ad pœnam, incorruptibilitas in his quæ pertinent ad culpam, ſed ſibi ad futura gloria cumulum, nobis autem ad patientia documentum profuit.* S. Bernardin. de feſtiuitatibus B. Virgin. art. 6. rem aptius declarat, ait enim: *Degebat Maria in Paradiſo, & ſimul etiam laborabat in exilio, vtrumſque vitæ bona coniungens*: hoc eſt Deipara ex paradiſo hauſit naturæ integritatem, & innocentiam originalem, & plura illius priuilegia; à natura autem lapſa ad meriti augmentum, hauſit labores, triſtitiam, dolores, ac mortem.

Richard. de S. Victor.

Bernard.

Nec fuit B. Virgo ſolum immunis ab illis pœnis, quas Deus Euæ inflixit, à quibus libera fuit non ſecus, ac ſi in paradiſo degeret; ſed etiam aliqua nacta eſt priuilegia ex filij dono, ſupra ipſius naturæ

turæ

turæ integritatem, & innocentiæ ſtatum, vt Con-
ceptionem filij, ac partum, ſalua ſemper virgini-
tate; quod S. Ildephonſus declarat lib. de parturit.
& Virginit. Mariæ: *Propterea, ait, caro eius iam non
vera caro peccati fuit, in quam Deus totum infudit
Verbum, quod ſine peccato eſt ad nos venit, qui iure
non ſolum legem naturæ initiata naſcendo non tenuit,
nec legem primæ originis, quam haberent fœmina ſi
mandatum ſeruaſſet parens omnium Eua in paradiſo.*

Cordub. Auctores autem plures referuntur à Corduba
lib. 1. ſui Quæſt. q. 46. qui ſimpliciter aſſerunt B.
Spinel. Virginem præditam fuiſſe originali iuſtitia. Spi-
Canif. nellus etiam in ſuo throno cap. 7. num. 26. Caniſ.
Suar. lib. 1. de Deipara cap. 9. Suar. tom. 2. in 3. part.
Card. Cuſ. diſt. 4. ſect. 6. Cardinalis Cuſanus lib. 4. exercit.
quod veriſſimum arbitror præſertim in illorum
ſententia, qui adſtruunt donum iuſtitiæ origina-
lis, nihil aliud eſſe præter gratiam, & virtutes
omnes per ſe, & per accidens infuſas in gradu ex-
cellenti, cum ſpeciali quadam Dei prouidentia
extrinſeca, & auxiliis præuenientibus, quæ om-
nia collata fuiſſe B. Virgini ab inſtanti ſui conce-
ptus, multis hoc opere oſtendimus; caruit deinde
fomite ad malum, cur ergo iuſtitiam origina-
lem ei denegabimus, in ordine ad effectus intrin-
816. ſecos? Verumtamen neque immortalem, neque
impaſſibilem extitiſſe prononciamus. Hanc ean-
dem iuſtitiã originalem attribuunt Christo plures
ex Scholaſticis. Huc reſpiciebat Gabriel aiens:
Ne timeas Maria, inueniſti gratiam apud Deum.
Luc. 1. Luc. 1. & quidem certum eſt nihil inueniri, niſi
quod prius fuerit deperditum: quod animaduertit
B. Virgo titulo iuſtitiæ tenetur gratiã à nobis deperditam, & ab ipſa inuentam reſtituere. Tertul. lib. 4. in Marc. cap. 32. igitur natura hu-
mana gratiam, & iuſtitiam originalem in primis
Parentibus deperdidit, quam veluti amiſſam apud
ſe Deus aſſeruauit, hanc ſolam adinuenit Maria,
& quidem non quamuis gratiam, ſed originalem
ab Adamo, & Eua olim deperditam: ſic Antipa-
Antipater. ter in verba Gabriëlis fatur: *Inueniſti gratiam
quam perdidit quæ primum fuit creata fœmina, illa
ſola ſuſcepit deceptionem, tu autem ſola attuliſti ſolu-
tionem deceptionis.* Hinc autem legitimè arguit
Ludolph. Ludolphus Carthuſ. part. 1. cap. 3. B. Virginem ex
titulo iuſtitiæ non ſolum ex mera liberalitate,
teneri nobis omnibus gratiam reſtituere, nam
gratiam deperditam à primis parentibus, quorum
ſumus in hæreditatem acciti, tanquam filij, adin-
uenit Maria: rem aſſerat præfatus Doctor, *Plena
ergo iam gratia, gratiam inuenit, ſed aliis, & ad
diſpenſandum: Vnde notanter dicitur, inueniſti, non
dicit, habuiſti, vel acquiſiuiſti; quia res habita, vel
iuſtè adquiſita, vt propria cuſtoditur; ſed inuenta, his
qui perdiderũt, reſtituitur. Sic Maria inuenit gratiam
non ſibi ſoli retinendam, ſed tanquam aliis reſtituen-
dam; qui enim inuenit perditum, reſtituere tenetur:
gratiam vero, quam Eua perdidit, Maria inuenit non
ſolum pro ſe, ſed etiam pro nobis.*

Itaque donum iuſtitiæ originalis collatum fuit
B. Virgini quoad intrinſeca priuilegia excellen-
tiori quodam modo, quam Angelis in puncto
creationis, & primis parentibus in prima ſui for-
Galat. matione. Ita Galat. lib. 7. de arcanis cap. 8. Mag.
ſent. in 2. diſt. 29. & 30. Sanchez de Lucero, in
defenſ. Immaculatæ Concept. diſcurſu 1. quod vt
planius percipiatur, aduertere oportet hanc iuſti-
tiam originalem in probabiliori opinione nihil
eſſe aliud, quam ipſam gratiam ſanctificantem
cum omnium Virtutum in gradu excellentiſſimo
ſatellitio, & ſimul ſingularem quandam extrinſe-
cam, ac diuinam protectionem. Hæc autem iuſti-
tia originalis duo præſtabat, primum carnem
ſubiiciebat, ac appetitum ſenſitiuum rectæ ratio-
ni, ita vt nihil inordinatè appeteret. Secundum
voluntatem ipſam Deo, tanquam fini naturali ac
ſupernaturali ſubdebat, ita vt inter appetitum
ſenſitiuum, & rationalem & inter Deum, quidam
velut concentus armonicus reperiretur, quæ qui-
dem duo in B. Virgine ab inſtanti Conceptionis
ſedem fixiſſe diximus: *in cæteris ſanctis*, ait Hugo
Victorin. libr. 2. de Emanuële capit. 3. *magnificum
fuit quod à vitiis non ſint expugnati; in Virgine
autem, quod neque impugnata fuerit.* Hinc elicies
ſicut in aquarum cataclyſmo paradiſus terre-
ſtris non fuit vndis immerſa, ita Maria melior
paradiſus peccati originalis vndis non immergi-
tur, ſed nec pœnis debitis ſubiicitur, cum totus
orbis aquis diluuij obruitur, tanto enim baptiſ-
mate indiguit, vt à tanta ſceleris fæce expiaretur
ſola paradiſus terreſtris vndis non obruta, vt af-
firmat Abulenſis quæſt. 15. in cap. 7. Geneſ. *Locus*, Abul.
ait, *paradiſi non debuit lædi, quia eſſet habitatio
Sanctorum; ideò non debuit illuc intrare diluuium,
licet aſcenderit ad maiorem altitudinem, maneret ta-
men aqua circumfuſa in modum muri.* Idem docet 817.
quæſt. 9. in cap. 2. Geneſ. ſingulari profecto priui-
legio, cœleſtique prodigio coërcentur aquæ, & in
modum muri efformantur, ne paradiſum obruant,
quia ſanctorum ſedes futura, quin potius para-
diſum Mariæ imaginem reuerenti cultu ſuſpexe-
runt aquæ, quæ à primæuæ fæcis colluuione ſem-
per extitit immunis. Imò vlterius paradiſus pri-
ma maledictionis legibus non ſubiacuit, neque
enim arbuſta, aut frondes, nec tellus ipſa com-
muni execrationi totius terreni orbis fuere ob-
noxia, vt expendit Moyſes Barcephal Epiſcopus Moyſ. Barc.
Syrius lib. 1. de paradiſo cap. 17. vbi ex Philoxeno
Marburgę Epiſcopo hęc refert de cæleſti paradiſo,
eiuſque plantis: *Nequaquam ſubiecta ſunt execra-
tioni, atque damnationi, hæc enim in eam modo ter-
ram pronunciata ſunt, quæ extra paradiſum eſt, poſt
violatam ab Adamo legem, ita vt paradiſus ab ipſis
maneret immunis, ſicut in hanc vſque diem quoque
immunis, ac liber eſt.* Quid mirum, ſi de Mariana
paradiſo proferamus, nulli execrationi fuiſſe ob-
noxiam, nec ſupplicio addictam, ſed ſingulari
priuilegio donatam, quia diræ imprecationes in
eam modo terram pronunciatæ ſunt quæ extra
paradiſum eſt; at terra cæleſtis, quæ paradi-
ſus Dei eſt, regiſque æterni hortus concluſus,
delicioſumque topiatium; communis iniurias ma-
ledictionis non erat ſubitura. Addo ex Theodoro Theodor. Abucara.
Abucara, iuxta editionem Pariſienſem 1624.
colum. 397. aërem circunſtantem corpus Ieſu ad
nutum ipſius deſeruiſſe, vt famem inferret, vel
non inferret. Simile eſt, quod ex cæleſti oraculo
accepit ſancta Gertrudes, à conceptu Mariæ. An- S. Gertrud.
gelos in obſequium ipſius aërem circumſtantem
continuè ſubtiliſſimum, & ſaluberrimum reddi- Mayor.
diſſe; quod de paradiſo admittit Mayor in 2.
diſtinct. 59. *Aerem habuit paradiſus amæniſſimum,
& per conſequens, non Adæ corruptiuum.* Potuit
ergo Angelorum beneficio à Gertrude nume-
rato, & Mariæ, & Ieſu conuenire præfatum
priuilegium.

Paradiſus neque aquis diluuij obruta, nec maledictionis legibus ſubiacuit, quia Marianum paradiſum adumbrabat.

Aer circumambiens Mariam ab Angelis ſubtilis, & ſaluberrimus reddebatur.

Ex quo etiam infero, ſi Adamus naturam hu- 818.
manam ſuo crimine non infeciſſet, originalis iu-
ſtitia duplici ex capite B. Virgini obueniret. Pri-
mò Iure hæreditario videlicet ex naturali origi-
ne, & etiam ex priuata lege ſiue decreto diuino,
quo Deus iuſtitiam originalem, quaſi ex origine,

ex Matris vtero traduxit, & humanam naturam in vniuersa illius integritate assumpsisse constat; ita in Deipara ipsam humanam naturam integerrimam, ac iustitia originali florentem esse decreuit, vt hæc in filio luculentius clarescerct, vt aptè meditatur S. Anselm. lib. de Concept. Virg. cap. 10. *Quamobrem ait, quoniam de iusto Patre secundum diuinam, & de iusta matre, secundum humanam naturam iustus ab ipsa origine natus est; non incongruè pro originali iniustitia, quam omnes filij Adæ habent à suo origine, iustitiam originalem habere dicendus est.* Vbi S. Doctor in matrem etiam originalem iustitiam acceptam refert, si enim B. Virgo iustitia originali præfulsit, naturali quadam illatione fit, ipsam in filium, non solum diuino munere, sed naturali quoque origine transfudisse, & merito Deipara hac iustitia originali illustris prædicatur ipsius filij beneficio, quidquid enim gratiarum, ac priuilegiorum Christo defertur in humana natura, id totum ipsius genitrici iuxta creaturæ conditionem, & capacitatem collatum fuisse credendum est. De hac iustitia originali, vt opinor, fatur Idiota de contemplat. Virg. cap. 6. *Inuenisti, ait, gratiam corporalem, quia fuisti vas innocentia purissima sine macula, & labe.* Id enim sonant verba illa, *gratia corporalis, ac purissima Innocentia.* Ignea raptus quadriga Helias flammantes ignitosque equos non expauit, vt quid ergo pallium deponit, an ne timet igni pabulum subministrare? haudquaquam, imo vestem exuit, quasi contestans; se in pristinum statum innocentiæ redigi, & ad immortalitatem, & incorruptionis regionem euchi ob vitæ integritatem, & ab omni scelere sequestrationem, nam corpus, quod ob primum delictum vestium sarcina oneratum fuit, vt ab elementorum molestiis immunis seruaretur, tum in amissæ verecundiæ testimonium; iam ob vitæ integritatem in primam Innocentiam restitutum, ouat triumphali curru, deposito vestium grauamine. Si ergo Helias ob Virginitatem integrè custoditam, siue ob innocentiam vitæ deperditum innocentiæ statum nanciscitur; quid ergo mirum, quæ nunquam per primæuæ culpæ contractionem ab innocentiæ sede prolapsa est; illius fælicissimi status prærogatiuis potiri: & sicut caro Heliæ in flammanti rhedæ fornace quasi in quodam examinatore igne liquescens, infectam carnem primigenij delicti macula, ac fæce dereliquit, ac spiritus dotes edocta spirituales ebibit functiones, ac proinde ardentibus illis flammis aduri non poterat. Indeque factum vt duplex in Elia spiritus viseretur, ac deposceretur ab Helisæo discipulo, quia in magistro duplex iam candicabat spiritus, nempe animus, qui omnino spiritualis erat, tum etiam, & ipsius corpus, quod ob Virginitatem, & vitæ integritatem, iam in spiritus indolem transierat, nesciens corrumpi, neque ab igne torreri, necdum comburi. Aptius id de Maria dici posset, quæ ob vitæ innocentiam, ac corporis integritatem tota in spiritus naturam ierat, & innocentiæ status iuribus gauisa, corporis incorruptionem, cæteraque fortunati illius status innocentiæ priuilegia nacta fuit, ita vt merito dicat Damascenus Orat. 1. de dormition. *Non enim vt Helias ascendisti, quia meliori lectica, ardentiorique amoris globo arsit.* Cui rationi nouum robur adauget Iosephi triumphus ab inhonesta Ægyptia reportatus, dum pallium in manu fœminæ linquit, ac si nouus incola paradisi Virginitatis, & incorruptionis munere gauderet; vbi protoparentes ante præcepti transgressionem nudi incedebant: rem ingeniosè meditatus fuerat S. Nilus Abbas in Asletico. *Quare si nudus fuisset Ioseph, non reperisset Ægyptia quo illum apprehenderet, ergo pudicus Athleta cum animaduertisset, ex his etiam, quæ corporis vsui necessaria sunt, se per vim ad voluptatis amplexus trahi, relicto pallio, aufugit, & egressus est foras, tanquam in virtutis paradiso nudus ambulans, primum illum parentem nostrum imitatus, qui præclarum nuditatis munus à Deo concessum obtinuit: Quandiu enim restitit aduersarius suadentibus, vt Dei mandatum violaret, nudus vt luctator in stadio stetit: victus verò, & seruus effectus, deposita simul cum certandi habitu nuditate, indutus est.* Potuit Iosephus per castimoniæ vim innocentiæ status prærogatiua vti: quidni B. Virgo, quæ nunquam à primo innocentiæ statu desciuit, plenius illis priuilegiis frueretur. 819.

Anselm.

Elias ob vitæ integritatem, quasi in statum innocentiæ restituitur.

Corpus ob virginitatem, & vitæ innocentiam spiritus indolem ebibit in Elia.

Damasc.

Nilus.

Iosephus per corporis nuditatem ad felicem innocentiæ statum euectus.

Sed insurges aduersus dicta. Deipara morti, ac reliquis corporis calamitatibus obnoxia fuit, vt cæteri homines, quæ omnia minimè passuros certum est, si Adamus in iustitia originali perdurasset. Cæterum respondere possumus ex constanti Theologorum sententia, S. Thom. 1. p. q. 97. Bonauent. in 2. dist. 19. q. 1. art. 2. Scoti in 2. dist. 19. quæst. vnica: Hominum immortalitatem, ac doloris, aliarumque pœnarum exemptionem, qua in Innocentiæ statu homines gauderent, non à sola originali iustitia, sed ab aliis causis deriuandam, videlicet ab optima corporis constitutione, ab alimento congruenti, ab speciali diuinæ prouidentiæ protectione, qua omnia nociua, ne ipsis detrimentum afferrent, amouerentur. Proprium ergo iustitiæ originalis munus, in eo situm erat, quod summam in animo tranquillitatem efficeret, qui rectè omnes facultates iuxta rectam rationem moderaretur, & superiores maxima delectatione in Deum, tanquam vltimum finem ferrentur, ipsiusque nutui obtemperarent ea animi alacritate, vt ægrè ac difficulter ab eo auelli possent. *Tota ordinatio Iustitia Originalis,* ait S. Thom. in 2. q. 85. art. 5. & q. 82. art. 3. *ex hoc est, quod voluntas hominis erat Deo subiecta, quæ quidem subiectio primo & principaliter erat per voluntatem, cuius est mouere omnes alias partes in finem. Per Originalem iustitiam perfectè ratio continebat inferiores animæ vires, & ipsa ratio à Deo perficiebatur ei subiecta.* Verum instabis quia corporis immortalitatem in iustitiam originalem videtur reuocare S. Thom. ait enim 1. p. q. 7. art. 1. *Non enim corpus eius, nempe Adami innocentis erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed inerat animæ vis quædam supernaturalis diuinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare, quandiu ipsa Deo subiecta mansisset.* & S. Bonauent. immortalitatem, & à communibus pœnis exemptionem in iustitiam Originalem reuocat. Sed hæc nobis non obstant ex eo enim solum iustitia originalis immortalitatis causa dicitur, quia Deus ita decreuerat, vt quandiu homo in illa persisteret immortalis esset, non quod illa immortalitatem exhiberet, sed quia ipse iustitiæ Originalis merito, omnia ad immortalitatem conducentia largiretur: & quidem ipse S. Bonauent. de illa prima hominis immortalitate verba faciens, non solum ab originali iustitia promanaturam affirmat, sed etiam à ligno vitæ, ab hominis sapientia, qua mala cuncta sibi nocitura à se longè dispulisset, & ab speciali Dei prouidentia, qua externa omnia homini detrimentum allatura procul remouisset.

S. Thom.
Bonauent.
Scot.

Immortalitas non à sola iustitia originali, sed ab aliis causis prouenit.

D. Thom.

D. Bonau.

uisset. Qoibus consonant verba S. Thom. 1. p. q. 97. art. 2. *Corpus hominis in statu innocentia poterat preseruari, ne pateretur læsionem ab aliquo; partim quidem per propriam rationem, per quam poterat nociua vitare, partim etiam per diuinam prouidentiam, qua sic ipsum tuebatur, vt nihil ei occurreret ex improuiso, a quo læderetur.* Ex quibus constat Sanctum Doctorem immortalitatem non soli iustitiæ originali adscripsisse, sed præcipuè etiam extrinsecæ prouidentiæ, & esui ligni vitæ, cuius rei signum euidens est, quod cum sola iustitia originali, dempta extrinseca Dei prouidentia, ablata Angelorum custodia, ac esu ligni vitæ semoto, homo mortalis sine dubio remaneret, sublata autem iustitia originali, solum cum speciali illa extrinseca Dei prouidentia, Angelorum custodia, ac ligni vitæ esu adhuc homo immortalis permaneret: Quod non subobscure indicant verba illa Genes. 3. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vita, & comedat, & viuat in æternum.* Nam deficiente in Adamo iustitia originali, adhuc esus ligni vitæ tuendæ, ac prorogandæ virtutem suppeditare poterat.

D. Thom.

Gen. 3.

820. Nihilominus iustitia originalis immortalitatis radix, ac principium dici potest: primo quia ipsi ex consequenti debebatur illa extrinseca Dei prouidentia, Angelorum custodia vigilantior, esusque arboris vitæ; ex quibus immortalitas homini contingebat. Secundò, quoniam per illam iustitiam primæuam pacata tranquillitas succedebat in animo, ac mira facultatum consensio; hinc omnis ab animo, & corpore procul exulabat molestia, anxiaque solicitudo, bellumque ciuile inter appetitum sensitiuum, & appetitum rationalem, quæ omnia ad sanitatem tuendam, vitamque conseruandam valde conducunt; scitum est enim, & tritum illud Platonis in Timæo Zamolxidis sententiam affectati, nempe vniuersam, siue bonam, siue malam valetudinem, ab animi affectionibus in corpus corriuari qood suo suffragio confirmant Physici cum Galeno in arte medica, cap. 85. *Constat*, inquit, *eos oportere ab omnibus immoderatis animi passionibus abesse, nam ex gaudio*, ait lib. 2. de sympto. cap. 5. *ingenti nonnulli pusillanimes perierunt æquè, atque ex timore, non enim vna cum rubore, & feruore, velut in ira mouetur extrorsum animalis facultas. Sed contra, si quid prius habuit roboris id nunc remittit, & resoluit, ergo cum plurimum relaxata, resolutaque extrorsum fertur, digeritur. Dolor autem cum animum contra cogat moueri; similia maximo timori affert symptomata: quippe sub eo, & calor abyt, & perfrigerantur, & rigent, tremuntque, ac pulsu sunt paruo, atque eodem priuantur, demum moriuntur. Similiter his, qui perterrentur, refugit enim in his quoque ad principium innatus calor, resoluiturque pariter, & extinguitur.* Causam autem subdit Hieronymus Mercurialis tom. 2. consult. Medic. consult. 47. cur ea animi affectionibus inordinatis corporis morbi succedant. *Puto*, inquit, *illos motus animi non alia ratione morborum causas esse, nisi quia calorem naturalem hebetant, & frangunt, hoc enim fracto cum actionum omnium, qua in corpore fiunt, author sit, & opifex, actiones violantur, his autem violatis, excrementorum copiam produci, consentaneum est: Vnde postmodum distillationibus occasio præstatur; modus vero, quo calor ob animi motus hebetatur, est, quia motus animi omnes, aut diffundunt, aut intro cogunt spiritus: hi autem siue cogantur, siue diffundantur, certum est calorem, qui in ipsis potius est, hebetari: scimus enim ex Galeno calorem duos motus habere; alterum scilicet, quo foras, alterum quo intro sese confert: quorum alterutro si priuetur, ipsius actiones hebetari necesse est, & consequēter actiones deprauari, tum cerebri, tum ventriculi, multaque excrementa produci, qua in hanc, & in illam partem præcipitata distillationes inducūt.* Cum ergo originalis iustitia omnes animi prauas affectiones, ac motus procul dispelleret, nullisque corpus effrænatis motibus quateretur, nec quidquam esset, quod pacatam illam vitæ tranquillitatem disturbaret; ideo status ille hominem in iugi sanitate consistentem seruare dicebatur.

Plato.

Vniuersa siue bona, siue mala valetudo, ab animi affectionibus in corpus corriuatur.

Gal.

Mercuria.

Cum ergo omnis originalis iustitiæ effectus, 821.
qnoad hanc partem in Virgine Deipara reperitetur, videlicet absolutissima animi tranquillitas, ac perfectissima inferiorum facultatum cum superioribus subordinatio, ac consensio, ac vtrarumque cum vltimo fine maxima coniunctio, & adhæsio; infertur, iustitiam originalem in B. Virgine resedisse, horum omnium effectuum causam, & originem. Nec obiecta, quæ de morte, ac reliquis huius vitæ calamitatibus, quibus B. Virgo obnoxia fuit, obstant, hæc enim non necessario ex ipsius iustitiæ originalis natura, sed ex diuina liberalitate, ac beneficentia ipsi iustitiæ originali aduectebantur: Ergo, neque obstabit, quin Deus Virgini Deiparæ originalem iustitiam contulerit, licet morti, aliisque huius vitæ ærumnis eam obnoxiā ob fines altissimos esse maluerit: vt patet in Christo Domino, qui iustitia originali iuxta communem Doctorum sententiam præfulsit; quod opus fuit, vt inde veritas humanæ naturæ à B. Virgine in Filium deriuatæ, contra Manichæum, & alios huius furfuris homines, ostenderetur. Hinc etiam maior gloria Deiparæ accresceret, dum ex his molestiarum perpessionibus in dies ipsius locupletissimus meritorum thesaurus augebatur: ne igitur his ingentibus meritorum cumulis priuaretur, opus fuit, ne subtraheretur occasio promerendi, quæ ingens est in huius vitæ molestiis æquo animo perferendis. Quæ mire Augustini doctrinæ consonant, dum lib 2. de peccat. merit. enodat disceptationem illam, cur mors post peccati condonationem, adhuc per omnes homines serpat, cum in peccati vindictam inflicta fuerit? *Qui autem*, inquit August. *asserunt: si in peccato mors ista corporis accidisset, non vtique post remissionem peccatorum, quam Redemptor nobis tribuit, moreremur; non intelligunt, quo modo res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus soluit, tamen eas ad certamen fidei sinit manere, vt per illas erudiantur, & exerceantur proficientes in agone iustitia, posset enim, & alius hoc non intelligens dicere si propter peccatum dixit Deus homini: In sudore vultus tui edes panem tuum, & spinas, & tribulos pariet tibi terra: quare & post remissionem peccatorum labor hic permanet, & hæc dura, & aspera parit etiam terra fidelium? Item si propter peccatum dictum est mulieri, in gemitu paries; cur etiam post peccatorum remissionem fœminæ fideles eos dolores parturiendo patiuntur? Et tamen constat propter peccatum quod admiserant, illos a Deo primos homines hæc audisse, atque meruisse:* & respondet. c. 34. *Respondemus ante remissionem esse illa supplicia peccatorum; post remissionem autem, certamina, exercitationesque iustorum. Nequaquam igitur in morte pro iustitia subeunda laudaretur præcipua patientia, si mortis non esset magna, multumque dura molestia,*

Aug.

ficut erga illi primi homines, postea iustè viuendo non meruerunt in paradisum reuocari, sic & caro peccati, etiam si remissis peccatis homo in ea iustè vixerit, non continuo meretur eam mortem non perpeti, quam traxit de propagine peccati. Hæc & alia S.August.ibidem pulchre versans, quæstionem elucidat, ac propositæ difficultati satisfacit. Potuit ergo Virgo Deipara origiuaria innocentia condecorari, licet morti subderetur, ac aliis ærumnis subiaceret, in maiorem virtutum cumulum, ac exercitamentum.

Vasquez.

Vasquez tom.2. in 3.part. dist.119. c.2. fatetur in B. Virgine resedisse omnes habitus, quibus iustitia originalis in Adamo florebat: Præterea munitam fuisse peculiari diuinæ prouidentiæ protectione: Insuper nullo ad peccandum fomite ad malum allectam, quia tamen eam iustitiam originalem in ordine ad aliquos effectus non habuerit, ideò simpliciter denegat iu B Virgine iustitiam originalem; habuit enim sensum iustitiæ, famis, frigoris, lassitudinis, & aliarum eiusmodi calamitatum, à quibus omnibus Adamus quandio in amicitia cum Deo permansisset, liber omninò, & immunis esset. Ex quibus elicit Vasquez absolutè, & simpliciter dicendum B.Virginem iustitia origioali caruisse, verum cum de Christo Domino communis Doctorum censio asserat, simpliciter originali iustitia præditum fuisse, tametsi omnibus illis ærumnis subiacuerit: Idem de B.Virgine dicendum puto.

822. Pono igitur vt certum, Christi corpus in sua constitutione intrinseca nihil pænale contraxisse, sed solum ea pertulisse, quæ sunt de necessitate naturæ præstantissimæ in originali iustitia conditæ. Verum sine duobus extrinsecis adhærentibus, nempe sine cibo arboris vitæ, & absque extrinseca Angelorum prouidentia remouentium omnes causas, dolores, & molestias inferentes. Ex aliis autē effectibus radicalibus, & intrinsecis iustitiæ originalis, nullus defuit mortali Christi corpori, ita vt si transferretur in paradisum, sine vllo addito intrinseco polleret Christi corpus omnibus, ac singulis iustitiæ originalis effectibus, quod ex pluribus Patribus erui potest. Ambros. in art. 8. epistol. ad Rom. *expiata*, ait, *est Spiritu sancto caro Domini, vt in tali corpore nasceretur, quale fuit Adæ ante peccatum.* Damasc. orat.1. de dormit. Virg. ait. *totum illum primum Adamum, à peccato purum, ac liberum ob viscera misericordiæ tuæ domine suscepisti, corpus videlicet animam, mentem.* Gerson serm. de Annunc. *corpus Christi conditum fuit cum perfectione status innocentiæ.* Albert. Magn in 3. dist.16. *complexio Christi nobilior, quam Adæ ante peccatum.* & 6.Synod. act.12. *A diuinitate assumpta est nostra natura illa, qua ante peccatum creata est, non qua post preuaricationem vitiata.* Imò aliqui Doctores quos refert Vasq. in 3.part. d.57. cap.2. addunt humanitatem Christi existentem in Verbo, non eodem pacto operationes elicuisse, ac si in proprio supposito permaneret, sed habuisse modos quosdam physicos, ratione quorum omnes Christi operationes etiam nutritiuas, & sensitiuas supernaturales extitisse: ita Richardus in 3.distinct.14. art.1. & alij. Videndus Salmeron. tom.5. de miraculis tract.11. Suar. tom.1. in 3.p. disput.5. & 32. sect.2. & de opere 6. dierum lib.3. cap. 3. Itaque effectus, qui consequeretur ea innocentiæ statu ex intrinseca ipsius constitutione reperiebantur io Christo, qui autem non consequerentur statum illum quoad intrinseca, & formalia, satius duco esse deneganda in Christo; extrinsecæ item affectiones, vt aëris intemperies, fames, dolor, ex illatis vulneribus, eadem ratione reperta io Christo, qua in primis Parentibus reperiuntur, si cum solis intrinsecis priuilegiis in his regionibus commorarentur iustitia originali florentes: Christus ergo concludit Suarius tom. 1. in 3.part. disp.34. sect. 1. vtriusque status innocentiæ & gloriæ perfectionem assumpsit, excepta corporis impassibilitate.

Christus gaudebat iustitia originali quoad intrinseca, itavt si transferretur in paradisum, absque vllo addito polleret omnibus effectibus iustitia originalis.

Ambros. Damasc. Gerson. Alb.Magn. 6. Synod. Vasquez.

Richard. Salmeron. Suar.

823. Doctores autē eadem fere ratione loquuntur de perfectione corporis Mariani, & aliis effectibus, & priuilegiis, quæ ex statu innocentiæ deriuarentur; ac loquuntur de illis respectu corporis Christi D. Vndè Suar. tom.2. in 3. disput.2.sect.2. ait, decuisse Christum D. & B.Virginem esse inter se simillimos, non moribus solum, sed etiam corporis perfectione, & allegat S.Brig.lib.1.reuel. cap.50. & 51. quod etiam dilucide docet Venerabilis Amadæus raptu.4. cap.9. §.11. & 12. *Dico tibi plus, quod Deus voluit, vt corpus Matris gratiæ, & omnis consolationis fieret, & formaretur perfectum, & perfectius, quam corpus Euæ, & ipsius Adæ, & æqualis perfectionis cum corpore Christi, vbi non repugnabat conditio sexus.* Quibus suffragatur sexta Synodus act.8. *Natus est*, inquit, *de muliere ex prima formatione formam hominis sibi ipsi resuscitans in ostensione carnis, in imagine leuitatis.* S.Ildeph.to.9. Bibliothecæ Paris. anno. 1624. col. 140. statuit aliqua deferenda Mariaoo corpori, supra leges futuras in statu inooceotiæ. Albert. Magn. super *Missus est.* cap. 148. hæc habet verba. *Maria corpus habuit post corpus Christi simillimum, corpus resurrectionis, quæ sunt immunia à culpa, & à pœna.* Suarius citatus id sæpe inculcat, & quidem ita decebat, & Majestatem Verbi Dei, cuius illud erat corpus futurum, & omnipotentiam Spiritus sancti, cuius virtute illud fabricatum est, & excellentiam ipsius operis, quod est maximum omnium, quæ à Deo perfecta sunt, in fabrefacienda B.Virgine id operis magnitudo efflagitabat; nullum quippè opus ad extra, dempta Christi humanitate, tam diuinum, sublime, excelsum, ac Virgo Deipara. Ergo decebat vt illam cum pluribus perfectionibus Deus conderet, ac Adamum, & Euam. Granado iu 3.part. tract.10. disp.3. cap.26. attribuit Mariæ iustitiam originalem in ordine ad præcipuos effectus. Salmeron. tom. 11. tr.37. probat Mariam non habuisse pœnas peccati originalis consequentes intrinsecam constitutionem corporum, vt incinerationem, peccati fomitem, partus dolorem. Idem docet Vasq. tom.2. in 3.p. distinct.117. cap.7. Salaz. tom.de concep.cap.25. num 9. denegat Deiparæ priuoæui delicti effectus, nempe sordes, fæces, menstrua, secundinas, & c.28.idem stabilit multorum Doctorum suffragiis. Petrus Hispanus, tract. de concept. hæc habet verba. *Honestior disputatio est, excellentiam aliquam sacratæ Virginis Conceptioni, supra primorum Parentum creationem concedere, quam ipsam illis inferiorem appellare præsumere.*

Idemque est iudicium de B Virgine quoad hanc partem.

Suar. S. Brig. Amad. 6.Synod. Ildeph. Alb.Magn. Granad. Salmer. Vasq. Salaz. Petr.Hisp.

Et confirmari potest ex Extrauag. Sixti IV. Vbi conceptionem, & formationem Mariæ fuisse miraculosam testatur, quæ autem miraculosè producuntur communem superant perfectionem, vt benè Chrysost. hom.21. in cap.2. Ioan.

Et vt melius titulo huius elucubrationis satisfiat obseruandus est duplex originalis labis effectus; alius aut culpam includens, vel ad eam inclinans, vt fomes peccati, ardor concupiscentiæ;

aut

aut indecentiam secum adtrehens, qualis est error, deceptio, & similia. Alij sunt effectus mere pænales, absque indecentia vlla, de quibus ait ipsa Virgo Deipara Cant. 1. *Fily matris mea pugnauerunt contra me*, illius quippe primæ parentis, quæ vetitum pomum marito porrexit, ob cuius delictum mors grassata est in orbem terrarum, & satellites ipsius, scilicet lassitudo, labor, dolor, fames, sitis, aliaque cruciamenta, innumeræ calamitates: & quia aliqui effectus huius primi delicti in me sedem habere videbant, ideo, & prima etiam noxa maculatam me pariter opinabantur: sed obseruare debuissent, nullos primæ effectus culpæ, qui aut culpam dicunt, aut ad eam propendent, aut indecentiam claudunt, in me locum vnquam habuisse, benè vero alios effectus mere pænales, vt melius Gnato assimilarer, vt meritorum cumulum adaugerem: quare filij matris meæ pugnauerunt contra me, id est effectus antiqui delicti mere pænales; sed prorsus debile argumentum, & inerme.

Cant. 1.

CERTAMEN III.

In partu Mariano actiuo, siue paßiuo, nullus dolor, siue fastidium persentitur.

824. NOn nemo de vtroque partu his fultus fundamentis, affirmare posset, & Annam in partu B. Mariæ; & Deiparam in partu Iesu fastidia, ac dolores persensisse, vt nunc missos faciamus Sarcerium, & alios Hæreticos, qui vocant Hypocritas, Papistas, hoc nomine vocant Orthodoxos, quia agũt solemnes dies festus sacris natalitiis Iesu in externa consideratione mysteriorum Christi, dolorum Mariæ, vt refert Canisius lib. 4. de Deipara cap. 10. §. Alij cum Sarcerio. Churandus Pellicanus insignis Hæreticus incusat etiam Catholicos, quod dicant partum B. Virginis fuisse supernaturalem, vult enim illum esse naturalem, ac proinde Virginem Deiparam, sicut, & reliquas parturientes fastidia, & dolores passam. Idemque adstruunt Iouiniani, & Caluinistæ apud eundem citatum Canisium. His igitur prætermissis probari posset sententia affirmans, primo quia lex illa pœnalis, quam Deus inflixit Euæ *in dolore filios paries*, fuit vniuersalis: Ergo omnes fœminas comprehendit, adeoque B. Annam, ac Virginem Deiparam. Secundo, quia id videtur innuere Ecclesia cum Sedulio, pangens in hymno de Natiuitate. *Enixa est puerpera, Quem Gabriel prædixerat*: & in officio B Mariæ in Sabb. *Salue sancta Parens enixa puerpera Regem.* Accinit S. Damascenus hymno in Theogonia, dum ait. *Patru enixa ante sæcula Verbum.* Vbi participium illud, *enixa*, violentiam, & conatum innuit, qui nequit reperiri sine ingenti dolore. Confirmari potest ex communi Medicorum, & Philosophorum schola, teste Plinio lib. 7. cap. 6. & 7. & Arist. lib. 7. de Hist. anim. cap. 4. quæ docet prægnantes toto illo nouem mẽsium spatio plura pati molesta, vt crebra agitari suspiratione, tardo incessu moueri, insuaui, in vultu colore maculari, salubrium ciborum fastidia, frequenti denique corporis animique dolore, ac vexari cruciatu. Cur ergo ab his communibus prægnantium molestiis Annam, ac Deiparam eximemus?

Canis.

Ecclesia cum Sedul.

Damasc.

825. Asserendum est primo B. Virginem in partu suo, omni dolore, & molestia caruisse; hanc mentem ebibi ex sanctis Patribus. S. Cyprianus apud Delrium Polemica prima, ita scribit. *Vtero maturus ab arbore baiula fructus elapsus est; non oportuit vellicari, quod sponte prodibat, nihil in hac re petiit vltio, nec præcedens delectatio aliquam expetiit pœnarum vsuram.* Vbi S. Martyr pulchram proponit rationem ad propugnandam nostram Thesim, nempe dolor in reliquis fæminis parturientibus sequitur indiuiduus comes ex delectatione concipientium, tanquam ex matre filius: Virgo autem B. sicut concepit sine concupiscentiæ delectatione, ita, & peperit sine dolore. Et Proclus Cycizenus in Ephesino Concilio: *ita ex vtero est egressus, sicut per aurem ingressus: qui impassibiliter fuit illapsus, impassibiliter fuit elapsus.* Ergo sine vllo conamine, aut nisu, aut dolore parientis; & quidem nouum accipiet robur, hæc sententia ex Isaiæ vaticinio cap. 66. *Antequam parturiret peperit, & antequam veniret partus eius peperit masculum.* Quæ Verba de B. Virg. exponunt S Damasc. Nyssenus ille lib. 8. Fidei, cap. 15. hic sermon. 1. de resurrect. iuxta veteres Hebræos Ionathān Benuziel in paraphrasi, & Rabbi Adersan in Glossa apud Galatinum, & Delrium, qui probat ex translatione 70. Interpretum huic sensui mirificè suffragantem. Imò Sanhedritæ, vbi noster vulgatus habet *antequam veniret partus eius*; ipsi transferunt, *antequam sentiret aduenire dolorem parturiginum, effugit, siue elapsus est.* Priusquã puerpera more cæterarum experiretur aculeorum, & nisus vehementis dolores, quibus instar funis constrictæ parturientes premi solent: Hebræum enim, *chebel*, etiam significat funem. Interpres alius apud D. Gregor. Nyssenum ita vertit, *priusquam laboraret ex doloribus partus.* Vnde Procopius ex his variis translationibus hunc eruit sensum verborum Isaię sine præuio aliquo labore, aut dolore parituram B. Virginem repentè virum iam perfectum.

B. Virgo in partu suo omni dolore, ac molestia caruit.

Cyprian.

Proclus Cycizen.

Isaiæ 66.

Procop.

Hunc sentiendi modum confirmant locutiones Patrum. S. Bernardus super Signum magnum: *fuit Virgo sine dolore puerpera, &c. Sic & in partu nouam edidit prolem sola inter mulieres à communi maledicto, & dolore parturientium aliena.* Ildeph. lib. de Virg. & partutit. Mariæ. *Quapropter quæso, censent isti dicere sic eum esse natum, vt cæteri nascuntur, quia non genuit eum Virgo Dei genitrix ex origine primæ præuaricationis, vt renascatur, sed de Spiritu sancto, vt Deus credatur sine dolore, sine gemitu, sine molestia, & ærumna, sine tristitia, & afflictione.* Alia eiusdem coloris ibidem serit S. Doctor. Ambrosius & Beda in Luc. asserunt, Christum Dominum natum fuisse ex B. Virgine, sicut prosilit aqua de rupe, roris guttula ex aëre, lympha de marmore, fructus maturus ab arbore, & sicut solarius radius per pellucidam crystallum. Quæ omnia eleganter pepigit Aëtius Syncerus, breui hæc omnia complectens.

Bernard.

Ildeph.

Ambros. B.da.

Aëtius Sync.

Diuinum spectante Polo, spectantibus Astris
Edit onus; qualis rorem cum Vere tepenti
Per tacitum matutinus desudat Eous:
Et passim teretes lucent per gramina guttæ.
Mira fides: Puer æthereas iam liber in auras
Prodierat, fœnoque latus male fultus agresti
Implêrat primis resonum vagitibus antrum:
Alma parens nullos intra præcordia motus,
Aut incursantes deuexi ponderis ictus
Senserat: hærebant immotis viscera claustris.

Haud

Haud aliter, quam cùm purum specularia solem
Admittunt; lux ipsa quidem pertransit, & omnis
Irrumpens laxat tenebras, & discutit vmbras,
Illa manent illæsa.

826. Ratione suadetur Assertio, quia in statu Innocentiæ absque parturiginum dolore parerent fœminæ vt probat D.Thom.2.2.quæst.164.art.2.quæ ergo status innocentiæ priuilegiis gaudebat, opus erat, vt grandi hac pœna ex originaria culpa orta liberaretur: rectè Richard. de S. Vict. lib. 2. de Emanuel. cap. 23. ait: *Quæ causa est, quæve iustitia vt remaneat in Maria pœna, vbi nulla est culpa:* tanta autem est hæc pœna, vt dixerit illa experta; malle se decies sub armis de vita decernere, quam semel parere: hunc dolorem in statu innocentiæ Dei beneficio, & prouidentia effugissent fœminæ. Ecce quam parua voluptas, gutta solum mellis, quantum absynthium, ac fel in Euam, ac posteros inuexerit. S. August. lib. 4. de ciuit. Dei. cap. 26. de statu innocentiæ fatus hæc habet: *Cum fœtus in vtero iam partus fuisset maturus, tunc fore vt materna viscera laxarentur vt commodum fœtui sine matris dolore transitum præberent.* Rationi ergo rectè consentaneum fuit, vt quæ à primæua culpa immunis fuit, à pœna etiam inflicta fœminis per illa verba: *Multiplicabo ærumnas, in dolore paries filios tuos.* liberaretur. Hæ ærumnæ ante conceptum vtique sunt sordes, & fluxus menstrui; in ipso autem conceptu defloratio; pudor, & dolor post conceptum; immunditia, fœtor, retentio menstruorum, incontinens appetitus, pondus & grauamen prolis per 9. menses, fastidia, spasmi, & plurima pericula, quæ partim antecedunt, & subsequuntur; de quibus disserit Aristoteles lib. 7. de hist. anim. cap. 4. à quibus omnibus eximimus cum Bernard. serm. super Signum magnum, Virginem Deiparam; ait enim: *Sed in quo sydereum planè irradiat decus quod Virginitatis primiceria, quod sine corruptione fœcunda, quod sine grauamine grauida, quod sine dolore puerpera.* Addit S. Thom. 2. 2. quæst. 164. art. 2. non solum sine dolore peperisse, imo cum cordis exultatione, & corporis iucunditate: quod confirmat S. Brigitta lib. 1. reuelat. cap. 8. *Benedictus Deus, qui ad Virginem cum gaudio animæ eius, & omnium membrorum venisti, & cum gaudio omnium membrorum eius sine peccato processisti.*

D. Thom. — *Rich. de S. Vict.* — *Quædam fœmina mallebat se decies sub armis de vita decernere, quam semel parere.* — *Aug.* — *Bern.* — *D. Thom.* — *S. Brigit.*

827. Roboratur eadem thesis ratione philosophica, qua vtitur D.Thom. 1. p. q. 55. art. 6. Dolor enim parturientibus oritur ex diuisione, aut violenta partium compressione, sed Christus Dominus ex clauso B. Virginis vtero elabitur, nulla facta virginei claustri ruptione: Ergo partus ille omnis fuit expers doloris, nec mirum cum Verbum edat, quid ergo fastidia quæris in partu Virgineo? in cassum dolores inquiris, accipe pulchrum huius rei symbolum in sepulchri Christi marmore. Christum resurgentem edit sine marmoris vlla ruptione, aut diuisione, siue partium compressione, quia Christi partum ex vtero materno effigiebat: sic olim vndæ Verbo Dei factæ innumera viuentia pariunt sine vllo nixu, & conamine, absque vllo doloris, vel lassitudinis vestigio, nempe aquæ nominis Mariæ baiulæ Maria vocantur; & oportebat, vt symbola partus Christi ex Maria sine doloris vmbra præluderent, vt rectè obseruauit S. Gregor. Nyssenus homil. 13. in Cant. *Vel fortassis,* ait, *hanc ei vocem accommodauit sponsa, scilicet candidus, & rubicundus propter cæteras generationes ipsius species, quæ & ipsius parturiginis sunt expertes; Nec ignorare potes quoties sit genitus is, qui totius opificij primigenius est; primigenius inter multos fratres; primogenitus ex mortuis, qui primus mortis parturiginis soluit, ac per resurrectionem suam vniuersis viam aperuit ad partum ex mortuis, nam in his omnibus natus est, nec tamen per parturiginem editus. Nam natiuitas per aquam parturiginis dolorem non admisit, nec item ex mortuis regeneratio, nec diuini illius opificij primogenitura, sed in omnibus hisce partus expers doloris fuit.* Quod autem dolor omnis, & fastidia longe à partu Virgineo exulauerint, eiusque loco gaudium suffectum sit, docet Aug. serm. 21. de tempore: *Plaudat iterum organis Maria, & inter veloces articulos tympana concrepent, excludat cantus digitis; pariat Christum ludentibus psalmis, concinant lætantes chori, & alternantibus modulis dulcisona carmina misceantur. Musicum Maria inter iuuenculas melos exerceat, quia dulce Verbum plectris Sancti Spiritus modulantibus parturiuit.* & paulo post: *Reciprocato igitur die, quo criminosa Ægyptus ferretur tympanum Maria nostra pulsatum Verbum edidit, & sua lingua pulsabulo puerpera nostra lætos sui oris cantus effudit.* Cuius rei symbolum accipe in Sara, cui pœna inflicta doloris in partu mutatur in risum; ait enim illa Gen. 21. *Risum mihi fecit Deus.* Vnde ergo Saræ ærumnę, ac in partu dolores in risus, & gaudia vertuntur, vtique quia B. Virginem adumbrabat. Ausculta Ambrosium in præfatum Geneseos locum de institution. Virg. cap. 5. *Veni Eua iam Sara, quæ parias filios, non in tristitia, sed in exultatione, non in mœrore sed in risu. Veni ergo Eua iam Maria, quæ nobis non solum Virginitatis incentiuum attulit, sed Deum intulit.* Ac si Sara, quia Vmbram Mariæ præluserat iuribus, ac priuilegiis status innocentiæ gauisa fuerit quoad exemptionem ærumnarum, ac dolorum in partu, ideoque cum risu, & gaudio peperit Isaacum, ergo multo fortunatius Mariã eisdem iuribus potitam fuisse dicemus. Nec mirum, quia ex gratiã concepit, & ex amore Spiritus sancti virtute facta fructus autem gratiæ eiusque soboles, sicut & charitatis est gaudium, vt inquit Apostolus ad Galatas 5. eademque, quæ mater pulchræ dilectionis nuncupatur, mater etiam lætitiæ asseritur à S. Germano orat. de Natiuit. B. Mariæ. audiendus nunc Richardus à S. Laurentio lib. 1. de laudibus Virginis. Gabrielis *Aue gratia plena*, cum originali Euæ noxa, eiusque pœna conferens: *Ideò, ait, dixit ei Angelus. Aue gratia plena: & quomodo non sine Va, quæ gratia plena? Primum, va, corruptio in conceptu: secundum, grauitas post conceptum. Tertium, dolor in partu. E contrario Maria triplicem in hac salutatione recepit benedictionem, quia facta est sine corruptione fœcunda, sine grauamine grauida, sine dolore puerpera. Hoc est Aue, id est, sine Va triplici corruptionis, grauitatis, & doloris, quod incurrit Eua per peccatum, & quod ab Eua omnes mulieres præter Mariam, quasi iure hæreditario contraxerunt.*

D. Thom. — *Marmor sepulchrale sine vlla ruptione Christum edit, quia symbolum Virginis Christum parientis.* — *Vndæ nominis Mariæ baiulæ verbo Dei facta innumera pariunt viuentia sine vllo conamine.* — *Greg. Nyss.* — *Aug.* — *B. Virgo meliori iure dolores in partu, mutauit in risum, & gaudium, quam Sara. Gen. 21.* — *Rich. de S. Laur.*

828. Dicu igitur inter alia priuilegia Virginei partus extitere, scilicet exemptio ab omni debilitate, & dolore; quæ duo puerperas ad recumbendum cogunt, donec viribus reficiantur: quæ procul à B. Virgine arcenda sunt: ideo à Græcis vocatur Virgineus partus ἀλόχευτος. id est sine dolore, cuius rei signum euidens est ministerium impensum à B. Virgine ipsi infanti, cum pannis inuoluit, in præsepio reclinauit, reliquaque officia ab obstetricibus exhibita ipsa impendit, quocirca merito

Salmeron.

Salmeron. Salmeron tom. 3. tract. 5 t. censet abolendas omninò icones illas, in quibus per illos 40. dies
Icones illa abolenda, qua B. Virginem lecto accumbentem per 40. dies post partum ostendunt. B. Virginis in lecto accubitus depingi solet post filij partum, manifestus enim error est: quare Verba S. Cypriani serm. de Natiuit. Christi cautè accipienda sunt. *Nec locus ibi erat lauacris, qua solent puerperis praparari, quippe nec aliqua natura iniuria matrem Domini laserat, quoniam sine tormento peperit, qua in Conceptione caruit voluptate, & tamen consuetudinem sequens, vt legi satisfaceret, quasi*
Cyprian. *cum aliis mulieribus esset ei in hoc opere ratio similis, diebus designatis recubuit, & depositi oneris lassitudinem professa oblata quieti paruit.* Addit Salmeron, & merito reoa esse culpæ qui apud Flandros, & Gallos festiuo cultu celebrant curationem puerperij Deiparæ: Ideoqne per illos quadraginta dies, diebus Sabbati vescuntur carnibus: audien-
Synod. Constantinop. dus Canon sextæ Synodi Constantinopolitanæ per hæc verba; *Absque vllo dolore Virginis partum esse confitentes, (vt qui sine semine constitutus sit) eos, qui propter ignorantiam aliquid indecens faciunt, correctioni subiicimus. Vnde quando aliqui post diem natalis Christi Dei nostri reperiuntur coquentes similam, & sibi eam mutuo donantes, pratextu scilicet honoris foecundinarum impolluta Virginis matris, statuimus, vt deinceps nihil tale fiat à fidelibus. Nec enim hoc honor est Virginis, (qua supra mentem, & sermonem, quod comprehendi non potest Verbum peperit carne) ex communibus, & his, qua in nobis fiunt, inenarrabilem eius partum metiri, ac describere; si quis fecerit Clericus, deponatur; Laicus segregetur.*

829. Sed inquirat aliquis: cum B. Virgo ex immunitate labis originariæ, quasi ad innocentiæ statum redacta fuit, cur dolores, & cruciamenta experiretur, cur tot ærumnis, & afflictionibus agitaretur, quibus Adami posteri non tenerentur, si ille non peccasset? Idcircò enim nullo, in partu, dolore concussa, nullo fastidio præuenta, nulla lassitudine, seu onare prægrauata: cur ergo sanctus senex Symeõ tristia ominatur, acerba prędicit? nisi dicamus ex eo matrẽ his afflictionibus obnoxiam mansisse, quia gnatus ex amore in genus humanum, acerbis doloribus sponte subiacuit, licet priuilegiis status innocentiæ, ac multo maioribus potiretur quoad intrinseca: licet ergo mater innocens, & innocentiæ status quoad alia priuilegia gauderet, absque cruciatibus esse non decuit, vt meritum adaugeret, & filio assimilaretur: imò quod maius tormẽtum ipsi obuenire posset, quam si patienti filio ipsa non compateretur, si illo dolente non plangeret, id admirabantur Angeli in Maria, quod scilicet omnis peccati expers, peccati pœnas, & cruciamenta subiret, vt videre est apud
Guarr. Guarr. ser. 2. de Assumpt. cui admirationi it obuiã ipsa Deipara. *Languor enim quem locum in corpore tuo reperit, in quo salus mundi tamdiù habitauit? de corpore illius filij tui virtus exibat, & sanabat omnes; adeò vt etiam fimbria vestimenti Hæmorrhoissam sanauit: & tu, quæ tandiu in vtero, in sinu, in gremio ipsum continuisti, quomodo postea vlli infirmitati, aut languori, vel accessibilis esse potuisti. Non est, inquit, quod admiremini sed illud ipsum corpus filij, qualo aliquando fuerit recordemini ad extremum, non sine passione, mea ludibria, & supplicia passionis, & crucis adspexi, per singula discens, quam vero de eo noster Isaias dixerit: Vere languores nostros ipse tulit; cur ergo doleam, non id meo dedisse corpori, quod suo non dedit? Non sum tam delicata, vt quod ille dignatus est pati; Ego quantulacunque ex parte pati non possim, aut nolim.*

Superest nunc vt faciamus satis argumentis in principio pro opposita sententia adductis. Ad primum dicendum est, Deum dispensauisse in hac lege vniuersali cum Maria, quæ futura erat Parena Verbi diuini: sicut exemit illam à lege fomitis, & ab illa alia: *in puluerem reuerteris*, quod aptè ex-
penderat Greg. Nyssenus in illa Verba Cant. 1. ex Gregor. Nyssen.
vers. Græca: *Ecce tu pulchra es propinqua mea*, in quæ Verba ait Nyssenus: *Propterea dicit ei Verbum, pulchra facta es, qua mea Luci appropinquasti per appropinquationem trahens dispensationem pulchritudinis*; Expende nomen *dispensationis*, quæ aptari solet legibus communibus, quando quis authoritate regia dispensatur in lege aliqua. Promulgat Deus legem post præuaricationem Adæ, videlicet, vt omnes carerent pulchritudine originali, & vt fœminæ omnes doloribus cruciarentur in partubus; in qua tamen lege dispensationem obtinet Maria ex propinquitate Iesu. Ad secundum desumptum ex Ecclesia, & Sedulio; assero Ecclesiæ mentem, & Sedulij vnam esse, censet enim Deiparam enixam absque vllo fastidio, & dolore: licet enim participium enixa impulsum innuat, verum sine vllo dolore, vt ipsa Ecclesia attestatur, aiens: *Nesciens Virgo virum peperit sine dolore Sal-
uatorem.* Et ipsemet Sedulius libro 2. Pasch. Sedulius.
carm. ait.

——Stupet innuba tensos.
Virgo sinus, gaudetque suum paritura Parentem;

Et infrà:

—— Christus ab aluo
Processit splendore nouo, velut ipse decoro
Sponsus ouans thalamo, forma speciosus amana
Pra natis hominum, cuius radiante figura
Blandior in labiis diffusa est gratia pulchris.

Profecto parum gratiæ labia puerperæ instillarẽt, fastidia partus, cruciatúsque perpessa, quæ parturientium cum nisu, & conamine violento conditionem necessario consequuntur; illud ergo *enixa* solum ibi, & vbicumque Patres illud vsurpant pro partu Virgineo, significat actionem patiendi, non vero vim, ac dolorem in partu. Ad confirmationem ex Medicorũ & Philosophorum schola desumptam, dico illos esse locutos, de eo quod ordinariè in cæteris partubus contingere solet, inspectis causis naturalibus. Aliqnis obiiciat verba illa Dauidis in persona Christi fantis: *Tu es qui extraxisti de ventre:* vbi vnionem adstruit adstrictissimam Christi in vtero cum Matre Virgine. Verum respondeo extractionem illam siue auulsionem ab vtero nullum dolorẽ matri attulisse, sicut fructus iam maturus ab arbore sponte decidit, sic Christus nulla vi illata parenti, nec vlla obstetri-
cis manu sponte prodiuit, vt aiebat Cypr. orat. de Cyprian.
Natiu. Christi. *Vltro maturus ab arbore baiula fructus elapsus est, nec oportuit vellicari, quod sponte prodibat.* Per quæ tanquam apochrypha, imò, & falsa reii-
cienda sunt, quæ affert Suidas, & Iacobi proto- Suidas.
Euangelium, tum & sanctus Zenon. serm. 6. de Zenon.
Natiuitate, qui hæc habet: *Maria incorrupta concepit, post conceptum Virgo peperit, & post partum Virgo permansit, obstetricie incredula periclitantis enixa in testimonium reperta eiusdem esse virginitatis, incenditur manus, qua tacto infante statim edax illa flamma sopitur, sicque illa medica feliciter curiosa dum admirata mulierem Virginem admirata infantem Deum ingenti gaudio exultans, qua curatum venerat curata recessit.* Hæc meritò refelluntur à B. Hieronymo ex libro apochrypho decerpta de infantia Saluatoris.

Asserendum

830. *D. Anna neque in partu dolores, neq; in conceptu molestiam, lassitudinem, vel fastidiū experta est.*

Afferendum est secundò quæ dixi de partu Virgineo sine vllo fastidio,ac dolore,id ipsum de partu Annæ libens affirmo, nempe Virginem sine vllo parientis Annæ fastidio, ac dolore fuisse editam. Ducor primo, quia Parentes Mariæ genuerunt ipsam,ea puritate, qua coniuges in statu Innocentiæ prolem genuissent, id est sine vllo ardore libidinis,vt docet Augustinus lib. 9. de Gen.ad literam cap.3. *Essent*, inquit, *honorabiles nuptiæ,& thorus immaculatus, hoc præstante Deo, vt sine vllo inquieto ardore libidinis fætus gigneretur*, de Ioachimo autem,& Anna sic fatur S. Brigitta lib. 1.reuelat. *Magis voluissent mori, quam carnali amore conuenire, & voluptas in eis erat mortua. Conuenerunt carne contra voluntatem suam ex diuina dilectione, non ex concupiscentia.* Ergo sicut in statu innocentiæ nullus dolor, aut fastidium in partu persentiretur;ita neque in partu Annæ: congruum ergo fuit,vt quæ sine peccato concepta fuit, etiam sine peccati pœna nasceretur: huc reuoca verba August. supra data de partu sine dolore in statu Innocentię.In die ortus Mariani pangit Ecclesia,& merito,*Natiuitas tua,Dei genitrix Virgo, gaudium annunciauit vniuerso mundo*; quid ergo soli Genitrici Annæ acerbissimos dolores inferret. Arbitror ergo B. Annam, non solum in partu nullos dolores expertam,sed neque toto conceptus tempore molestiam aliquam, lassitudinem, fastidium, coloris remissionem, seu fractionem, frequentem anhelitum, motus tarditatem, grauedinem vteri, aborsus periculum,& alia similia, quæ aliæ fœminæ sobolis conceptæ gerulæ experiri solent. Secundo quia Iosephus lib.2.Antiq. refert Iochabelem Matrem Moysis sine vllo dolore infantem peperisse: & Thom. à Kempis de ortu Lyduuinæ p.1.vitæ ipsius cap.1.similia docet, quid ergo mirum si Virgini Matri priuilegium deferamus, Moysi iam ante collatum.

S.Brigit. August. Ioseph.

831. *B.Virgo nullos vagitus, aut lachrymas in infantia edidit ob communes reliquorum infantium causas.*

Afferendum tertiò,in infantia, & ortu nullum admittimus vagitum in B. Virgine: quod ex eo suaderi potest,quia in Innocentiæ statu nullas futuras esse lachrymas attestantur aliqui cum Pelbarto tom.2.aurei Rosarij Verbo, *homo*,§. 57. ex D.Thom.Richard.Bonau.quæ ergo priuilegiis status Innocentiæ à primo conceptu gauisa fuit, & maxima sapientia, & constantia prædita fuit,non est cur in teneros illos reliquorum infantium,insipientium vagitus irrumperet. Quod si de Christo canit Ecclesia; *vagit infans inter arcta conditus præsepia.* Æquum profecto fuit,vt infantem Iesum statim ab ortu illachrymantem exciperet mundus, vtpote, qui totius mundi peccatorum oneri succumbens fatisceret. Satis ad rem fatur Origenes homil.23.in Numeros: *Vereor,ne mala conuersatio nostra, non solum terris, sed & cælo lamentationes inducat, & luctus, & fortassis etiam ipsi Deo luctum inferant humana peccata.* Huius vagitos Christi pusionis aliam exhibet rationem. S. Basilius, homil.4.de gratiarum actione; *Ideo*,inquit, *Christus illachrymatus est, vt verè exprimeret; sortitum esse humana natura communionem.* Sponte igitur singultus edat Iesus, lachrymas effundat hominum peccata deplorans, vt his vagitibus contestetur, humana delicta Dei hominis luctus in mundum intulisse, dignaque esse vt Dei hominis lachrymis deplorarentur. Quæ omnia in B. Virgine nullum habent robur: Dixi autem Mariam in infantia nullos vagitus edidisse, quod ita intelligo, vt non fleuerit ob communes reliquorum infantium causas, nempe ob loci aprici mutationem in locum frigidiorem, vel ob lumen quo nouitus perstringuntur, vel vt ait August. lib.21. de Ciuit. cap. 14. quia infantia non à risu, sed à fletu orditur hunc mundum ingressa, malorum scaturiginem ob peccatum inuectam quodammodo prophetans. At Marianum corpusculum omnino perfectissimum, oculi vegetiores, membra solidiora, quantumuis infantilia; non ita à luce ambiente, neque ab aura ita lædi poterant, vt in fletus adigeretur, vel saltem illos patienti animo continere poterat. Viuax igitur,ac perspicax rerum omnium gnara in primo conceptionis instanti producitur; non ergo mirum si ob consuetas reliquorum pusionum causas, in teneros vagitus non iuisse fateamur. Quippe semper eius oculi grauitatem ac serenitatem iam præludebant,frons maiestatem præ se ferebat, vultus regium quid,ac imperio dignum supra naturam, & ætatem prænuntiabat. Nihilominus non ibo inficias, non rarò hominum miseratam labores, & ærumnas,ac peccata,lachrymas profudisse, vtpotè ad miserationem pronam, sceletumque in Deum auersatricem: quæ enim adhuc in vtero materno mundi calamitatem, hominum aduersam fortunam in æterno squalore iacentium, criminum alluuionem per totum terrarum Orbem grassantem mentis oculis videbat, non mirum si internum conciperet animi dolorem,qui in singultus, & lachrymas prosiliret; de quo videndus Franciscus Ximenez Hierosolymorum Patriarcha libro 2. *cap.* 24.

Eccles. Orig. Basil. August.

CERTAMEN IV.

Deipara neque grauedinem in gestatione prolis,neque subiectionem viri passa est.

EIsdem prorsus fundamentis, quibus stabiliuimus immunitatem Marianam ab omni dolore, ac fastidio in partu, nunc fulcire possumus eiusdem immunitatem ab omni grauedine, & molestia in gestatione prolis. Statuo igitur B. Virginem nullo grauamine affectam in gestatione prolis per nouem menses. Ita Suar. tom.2.in 3.p.disput.5. sect. 1. cum Bernardo in serm. super Signum magnum, vbi hæc habet: *Illud molestissimum tædium, quo omnes grauidæ laborare noscuntur, solam illam non sensisse, quæ sola sine voluptate concepit.* August. serm. 11. de Natiuit. *Plena sunt viscera,& nullum nouit onus Virginis conscientia, cum esset grauida salubri leuitate plaudebat, lumen enim quod intra se habebat pondus habere non poterat.* Quæ verba Fulgentius serm. de laudibus Deiparæ sua fecit. Ludolphus in vita Christi.§B.ait, *Virgo,licet grauida esset, etiam vicina partui, non tamen ex hoc grauabatur in corpore.* Ioannes Major apud Barradam tom.1.Euang.lib.8. *c.* 14. suffragatur huic asserto per hæc verba: *Parum aut nihil oneris Virgo inter ambulandum in fætu, vt puto sentiebat, agilitatis dote, grauiditatis pondus fuit ademptum,diminutumve.* Salmeron tom. 3. tract. 10. in illa verba: Abiit in Montana cum festinatione: *Volebat*, inquit,*ea festinatione ostendere, quod non grauaretur à Verbo, quin potius subleuaretur, gestareturque ab eo quem gestabat.* Sicut ergo intellectiua potentia verbo mentis fœta nullum grauamen sentit; sic nec Deipara Dei Verbo fœta nullo onere grauidatur, 832.

B.Virgo in gestatione prolis per nouem menses nullo onere aut grauamine afficiebatur.

Suar. Bernard. August. Fulgent. Ludolph. Maior. Salm.

daretur, quia fœtus erat lumen, ac splendor Patris, non poterat grauitatem inferre corpori Virgineo, nihil enim grauitati magis aduersatur, quam ignis, nihil luce leuius. Id iuxta aliquorum Interpretum mentem pepigit regius Propheta Psalm. 77. Psalm. 77. dum ait: *Ascendet Deus super nubem leuem*, vel vt transfert Hieronymus, nullo virili semine prægrauatam. Alij nulla sui partus grauitate oneratam. Ideo ergo nullum ventri onus Mariæ, quia Verbum Dei in vtero gestabat, à quo magis ipsa gestabatur. De illo enim ait Paulus ad Hæbreos 1. Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Nihil ergo mirum quod nullum onus præsentiret, quod Virgo grauida ita leuitaret, vt nec proprij corporis onere grauaretur: Ideo statim post conceptum abiit in montana cum festinatione, ita vt fœtus non solum suo pondere non retardaret, sed illam leuiorem redderet, ac si ab alio gestaretur.

833. *Nihil mirum leuitaret Maria, cum lumen conceperit.* Quod verò lumen conceperit Virgo B. contestantur Patres Hugo de S. Victore lib. 4. Alleg. in Magnificat. Hugo de S. Victore. *Dubium*, ait, *non est, quin cælestium gaudiorum, & æternæ dulcedinis miram suauitatem Virgo ipsa conceperit, quando illud æternum lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descendit.* Plus addit Franconius Abbas tract. 6. tom. 12. Franc. Abb. Bibliothecæ veterum PP. vbi Mariæ vterum vitrum vocat Virgineum, per quod radius Verbi diuini promicat, vt in nos lumen eiaculetur, corda calefaciat, ac comburat: *Quæsitum est*, ait præfatus Abbas, *vitrum mundissimum, atque solidissimum, per quod igneos radios transmitteret Sol iustitiæ ad effugandas tenebras gentium; Ex quibus puritas Vitri, & claritatis augmentum conciperet, & integritatis detrimentum non sustineret.* Fulgor ergo Verbi diuini pellucidam Virginei vteri laternam, & luminosam valde, ac leuem reddidit, ita vt caro Virginea solarium radiorum baiula, quasi tota in splendorem iuisse videretur, nec mirum cum totum Deitatis solem suo crystallino vtero intercludebat. Ad rem nostram in Concilio Toletan. 16. tom. 3. Concil. epist. 12. Gregor. Pontifex 2. ad Leonem Imperatorem ita fatur: Conc. Tol. Gregor. *Filium suum ante sæcula genitum misit, & de cælo descendens in ventrem Virginis Mariæ ingressus est, cum in eius vtero verum lumen eluxisset, & seminis loco, lumen factum est caro.* Quemadmodum ergo mens prius specie impressa, quasi fœta Verbum mentis concipit, quod lumen quoddam intellectuale est, quo mens noua luce suffunditur, dum illud in lucem edit; eadem ratione Marianus venter Dei Verbo fœcundus, & grauidus naturam, & indolem mentis Verbum concipientis ebibit, ac luminoso splendore fœtus lucem edidit; Quid ergo splendenti sole onustus ponderi succumbet, aut oneris grauamine, ac fastidio fatiscet? Quin potius lucis gerulus, ignisque baiulus instar lucis leuis in auras euolabit, instar ignis leuitabit, summaque petet, ac proinde dicat Euangelista de Maria hoc Verbo fœta: *Abiit in montana cum festinatione*: Quod concinne pepigit Venantius Luc. 1. 39. lib. 8. hym. 5.

Qualiter illa nouum tenuerunt viscera lumen,
Quod decus intus erat, quisve honor inde foras;
Gaudia quanta sinus hilaris tunc ille vehebat,
Cum tua membra premens, plus releuabat onus.
Tum Genitrix de face leuis, de prole salubris;
Rem splendoris habens, lux, neque pondus erat.

Pondere igitur deprimere non poterat adeò lucidus fœtus, nec onere prægrauare, quippe lux ignis soboles leuitare facit, remque cui coniungitur nullo grauamine deorsum deprimit, sed sua leuitate in altum euehit.

834. *Fœmina subiectio in virum primævi delicti pœna. Gen. 3. 16.* Altera pœna, quæ ob eius, & Adæ peccatum inflicta verbis illis continetur. *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*: Vbi duplex subiectio fœminæ ad virum distinguitur à Doctoribus: alia est ingenua, & liberalis, quæ non est seruitus, imò per illam fœmina libertatem, honores, ac titulos Viri sibi comparare dicitur: Alia est degener, ac turpis, quæ seruitutem redolet, qua vir sibi subiicit vxorem, quasi ancillam, & abutitur potestate; Itaque sub viri potestate eris, non vt priùs, sponte, libens, mira suauitate, & concordia; sed inuita, cum summa molestia, ac repugnantia. Recepit enim vir per hæc verba à Deo potestatem vxorem coërcendi, & puniendi, ait Molina citatus à Molina. Cornelio à Lapide in Gen. 3. Prima ante peccatum etiam foret, quoniam *Vir*, quasi iure naturali *caput est mulieris*, vt ait, Paul. ad Ephes. 5. ideoque monet, vt mulier subdita sit Viro ad Colossens. 3. & tanquam ius naturale in Innocentiæ statu, ait bene Suar. de opere 6. dierum lib. 3. cap. Suar. 16. seruatum fuit. Secunda subiectio est pœna August. peccati, de qua fatur S. August. lib. 11. Genes. ad liter. cap. 37. *Hac seruitus conditionis est potius, quam dilectionis, & Maritum habere Dominum meruit mulieris non natura, sed culpa.* Ac si diceret: si Innocentiæ status perdurasset, fœmina subderetur viro ex dilectione solum: at post peccatum, quasi ex conditione seruili submittitur. Et quidem negari nequit, etiam in natura integra, mulierem natura sua esse inferiorem Viro; verum autem est, subiectionem illam non fore aliqua ratione molestam; quæ autem est pœna peccati, multiplicis est iniuriæ, & molestiæ causa: Ideo Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 21. expendit non so- Rupert. lum dixisse Deum: *Sub viri potestate eris*, sed adiectum fuisse; *ipse dominabitur tui.* Quod aliquid aliud innuit, nempe necessitatem quandam in fœmina ad parendum Viro, quasi in statu Innocentiæ futura fuisset mulier sub potestate directiua Viri; propter peccatum verò factam esse sub potestate coërcitiua: vt opinor autem cum Suar. Deus verbis illis non modò legitimam viri potestatem in vxorem ostendit, sed etiam prædixit, quàm grauis, ac molesta frequentius futura erat mulieribus illa subiectio in natura lapsa; permissio enim huius mali pœna peccati esse potuit, & à simili rectè explicari potest ex 1. Reg. 8. vbi Samuel ius Regis ostendit, non tantùm potestatem legitimam, sed etiam abusus huius potestatis explicando.

835. *B. Virgo non fuit sub viri potestate, sicut aliæ vxoratæ.* Ab hac igitur pœna, & seruitute omninò fuisse immunem B. Virginem asserimus cum D. Thom. 3. part. quæst. 30. artic. 2. vbi hæc habet. *Videtur quod Virgini debuerit annunciari mysterium Incarnationis per Virum.* Et respondet: *Sicut August.* D. Thom. *dicit in sermone de Assumptione: Virgo Maria vera æstimatione à quibusdam generalibus excipitur, quia nec conceptus multiplicauit, nec sub viri potestate fuit: Et ideò non debuit mediante viro instrui de mysterio, sed mediante Angelo, propter quod ipsa est prius instructa, quam Ioseph; nam ipsa instructa est ante conceptum, Ioseph autem post conceptum.* Præcipuè cùm præcipiat Apostolus 1. Cor. 14. 2. Corinth. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant: si quid autem volunt addiscere domi viros suos interrogent.* Vult Apostolus, vt virum mulier consulat: Ergo opus erat, vt Iosephus prius ab Angelo instrueretur,

instrueretur, vt postea à Iosepho instrui posset; cur ergo Angelus cœlo celer delabitur informaturus de prole Virginem Mariam? nempe quia Maria sponsa erat Patris æterni, eamque per Angelum instruit ab ipsoque non à Iosepho de noua concipienda sobole edocetur, cui censioni applaudet Greg. Nyssenus de natali Domini, vbi sermonem instituens de anxia sacerdotum consultatione circa sponsalia, & matrimonium B. Virginis hæc fatur: *Etenim natura legi illam subiicere, vt cuipiam matrimonio collocata seruiret, absurdissimum videbatur: instar enim sacrilegij fuisset, si muneris Deo sacrati Dominus homo fuerit; legibus enim erat constitutum, vt maritus dominaretur vxori.*

Greg. Nyss.

836. Eua igitur ante peccatum consors imperij cum Adam fuit regni particeps; post culpam in miseram deuenit suo viro subiectionem, ac seruitutem: ab iis omninò immunis euasit Deipara; in cuius typum Sara, iuxta Hieronymum, penè mulier esse desiit: *Desierant enim muliebria Saræ*, ait sacer textus; adeoque in Sara, quasi abolita maledictio in fœminas; dixit enim Deus Abrahamo; *Omnia, quæ tibi dixerit Sara, audi vocem eius, quia in Isaac vocabitur tibi semen.* Genes. 21. Vnde ergo Saræ tanta felicitas obuenit, vt viro videatur imperare, non illi subiici; obliterata in fœminas maledictione, & seruitute? non ob aliam causam profectò, nisi quia B. Virginis vmbram gerebat. Auscultandus Ambros. libr. de instit. Virgin. cap. 5. *Veni Eua, iam Sara, de qua dicatur viro, Audi Saram vxorem tuam: sis tu viro subdita, quia esse te decet, cito tamen soluisti sententiam vt vir te audire iubeatur; si typum illa Christi pariendo à viro meretur audiri; quantum proficit sexus, quò Christum, salua tamen Virginitate liberauit: Veni ergo iam Maria, quæ nobis non solum Virginitatis incentiuum attulit, sed etiam Deum intulit*: Quasi Sara, quia vmbra Mariæ ad Innocentiæ status iura, & priuilegia vocata fuerit, quoad immunitatem subiectionis in virum. Quemadmodum ergo exempta fuit Virgo D. à reliquis pœnis peccati originalis per innocentiam, & immunitatem ab omni culpa, sic etiam per eandem immunis fuit ab hac reliquarum vxoratarum mulierum molesta, ac propudiosa subiectione ad virum; siquidem, quæ peccato originali caruit, non decebat subiacere pœnę debitę peccato. Nec rationi consonum erat, vt cæli, terræque Regina, ac Domina alicui viro ignominiosè, ac quasi seruiliter manciparetur.

Sara quia vmbra Mariæ, quasi innocentiæ statum priuilegio gauisa quoad subiectionem in Virum.

Genes. 21.

Ambros.

837. Imò aliquid amplius subiiciam in decus Marianum, nempe non solum ex dono iustitiæ originalis, nullam subiectionem seruilem ad virum passam, sed ex eodem dono B. Virginem sibi subiecta animantia habuisse, multo fælicius Adamo, de quo ait sacer textus, *qui præsit, & dominetur piscibus, volucribus, & omnibus iumentis.* Quod suaderi potest ex eo quòd Patres hoc dominium admittant in primis Parentibus, quia Dei similitudinem, & imaginem per iustitiam originalem ad viuum exprimebant. S. Athanasius quæst. 87. ait: *Cum præstantior & nobilior factura Dei sit homo, Regem enim ipsum super terram fecit, & secundum imaginem, similitudinemque suam creauit ipsum, cur omnium postremum creauit eum Deus? Quemadmodum Rex, quando in aliquam Vrbem aduenturus dicitur; primùm, omnem eius apparatum instruunt, parantes domina, quæ conferat, & totum satellitium, & hospitium; ac tunc demum venit Rex; ad eundem modum cum homine factum est.* Atqui B. Virgo eandem diuinam imaginem per excellentiorem iustitiam originalem expressiùs referebat. Ergo idem dominium, quod Adam sibi adquisiuerat in animalia rationis expertia, nacta fuit B. Virgo, siquidem deleta Dei imagine in Adamo per peccati lituram, deperditum fuit dominium, ita vt animantia post peccatum in primo homine Dei imaginem haudquaquam agnoscebant, adeoque ipsi ac posteris rebellionem pararunt. *Homo*, ait Propheta coronatus Psalm. 48. *cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Est autem honor, inquit Ambrosius in hæc verba, quia ad imaginem Dei factus est rationis capax. Ac si solum honor ille deperderetur per belluinam peccati resumptam similitudinem: solum in Maria illæsus permansit honor hic, & similitudo, adeoque & dominium erga animantia. Nec mirum videri debeat, quòd eiusmodi priuilegium B. Virgini præstiterimus, cùm id concedant aliqui Ioanni Baptistæ eremum incolenti, hinc est quòd syluestria animantia, venefici Dracones, qui in cæteros homines insilire consuescunt, in Ioannem mansuefiebant; vnde S. Anastasius Episcopus Nyssenus quæst. 65. ait: *Dracones, & Aspides, & Carastæ Ioannem in solitudine formidarunt.* Sicut enim animantia primum hominem ante lapsum reuerebantur, ita Ioannem Innocentiæ cyclade circumamictum suspiciebant: quòd autem hæc integritas naturæ in Ioanne, quam feræ tantoperè reueritæ formidabant, ipsi Ioanni obuenerit ex dono Mariæ, Author est Ambros. lib. de inst. Virg. cap. 7. *Tanta*, inquit, *erat gratia Mariæ, vt etiam his, quos viseret, integritatis insigne conferret. Inuisit Ioannem, & in vtero matris priusquam in lucem ederetur, exultauit.* Confer illam vocem scilicet, *integritatis insigne*, cum aliis verbis, quæ eodem capite idem Ambrosius post pauca subdidit: *Nec immeritò mansit integer corpori, quem tribus mensibus, oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis vnguento Domini Mater exercuit.* Vbi ad tres illos celebres status Theologorum in materia de Gratia, alludit Ambrosius; censet igitur Ioannem ex consortio Deiparæ ex statu naturæ lapsæ, in conditionem naturæ integræ assumptum, ac proinde fomite ad peccandum caruisse, ita vt venialia omnia facillimo negotio vitare potuisset; nihil enim aliud sonare videntur illa verba; *mansit integer corpore*, de Ioanne adhuc materno in vtero delitescente: Confirmatur, plures iusti vitæ sanctitate, & iustitia simile dominium in huiusmodi ferina monstra sibi compararunt, vt videre est in Daniele, Blasio, & aliis quamplurimis: Ergo meliori iure id dicendum de B. Virgine, quæ nunquam Dei Imaginem, peccati vel originalis, vel actualis litura obliterauit; præcipuè cùm nullum sit priuilegium creaturæ alicui collatum, quod potiori iure non sit B. Virgini deferendum.

B. Virgo ex dono iustitiæ originalis sibi subiecta animantia habebat.

Gen. 1. 26.

Athanas.

Psalm. 47.

Anastas.

Ambros.

Oppositum opinatus fuit S. Anastasius Synaita lib. 6. exam. apud Salaz. de Conceptione cap. 26. num. 6. pergit igitur S. Doctor in attribuendo Christo Domino in sensu mystico verba illa Genes. 1. & 2. *qui præsit, & dominetur piscibus, volucribus, & omnibus iumentis*, & addit: *Quod si ad literam progressi illic maneamus, quomodo poteris ostendere gloriosissimam illam Dei Matrem esse* 838.

Anast. Syn.

esse ad Dei imaginem, & similitudinem? Vbi enim imperauit illa, aut est dominata bestiis, sensibilibus, aut piscibus, aut volucribus, aut vniuersa terra, qua à facie Herodis migrauit in Ægyptum? & quis, mihi dic quæso, aut ex hominibus, aut ex Dæmonibus audebit dicere, quod ea, quæ est eiusdem simul cum Deo essentiæ quoad carnem attinet, non sit ad imaginem, & similitudinem eius, qui est ex ipsa natus? Quomodo est enim eiusmodi filij non ferens in se integram & illæsam fœtus sui imaginem. Concedit pius Doctor, si cui hominum Imperium in Animantia esset concedendum, id maximè tribuendum Mariæ, licèt de facto id non admittat. Hinc tamen vrgeo rationem: Imperium in animantia delatum fuit primis parentibus ob similitudinem, & imaginem cum Deo, ratione iustitiæ originalis: ergò deferendum B. Virgini ob similitudinem, & imaginem expressiorem Dei in se inhabitantem, & nunquam per peccatum aliquod deformatam: admittimus ergo cum sancto Synaïta de facto forsan nonquam exercitum hoc dominium in actu secundo, vt loquitur Schola: inficiamur autem illud in actu primo non habuisse. Quod etiam roborari potest ex Dominio, quod nacta est Virgo Deipara in omnia creata; de quo alibi longum atteximus sermonem.

839. Demum sciscitaberis, an verè dici possit Deipara subiisse pœnas illas, quas Deus Adamo inflixit per illa verba Genes. 3. *Quia comedisti de ligno, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ, spinas, & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ, in sudore vultus tui vescêris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuertêris.* Respondeo aliquas ex his pœnis passam fuisse B. Virginem, sicut etiam Christum. *Maledicta terra in opere tuo*, id est priuata benedictione fœcunditatis spontaneæ, quam haberet in paradiso; cui pœnæ obnoxia fuit B. Virgo, cùm non fuerit gauisa fructibus, ac feracitate, qua in statu Innocentiæ terra floreret. Quod vt meliùs dispiciatur, animaduertendum est, ex primæuo delicto, & corpus humanum, & reliqua sublunaria remansisse læsa, vulnerata, & multo deterioris conditionis, quam ante peccatum extiterunt, ita Basilius Chrysost. Aymo, apud Vincent. Burgundum lib. 28. Speculi naturalis cap. 80 & 85. Richardus de media-Villa docet in 2. distinct. 19. nullum Animal moriturum, si Adamus non peccasset, donec omnes electi in cœlum transferrentur. Alensis ait part. 3. quæst. 1. membr. 1. *Si homo non peccasset, bruta sine dolore dissoluerentur.* Vincent. Bellouac. libr. 31. speculi naturalis cap. 85. allegat hæc Aymonis verba; *In hominis lapsu omnia elementa detrimentum sustinuerunt; nam antè terra spinas non proferebat, Aër iste non tantæ crassitudinis, sed purus erat.* Citat etiam Hugon. Victorin. dicentem, animalia etiam bruta cur puniuntur? Quæ propter hominem facta sunt, propter hominem puniuntur: vt sciat homo quanti est apud Deum salus eius, pro quo omnia laborant. Et Chrysostomus super Matth. vbi hæc habet: *Causa sanctificandarum escarum hæc est, quia mundus totus in maligno positus est; Omnis ergo res corporalis, quia mundi pars est, in maligno posita est; ipsaque per Verbum Dei, & orationem sanctificari oportet, alioquin maculata est.* Idem Vincentius in speculo Moral. lib. 3. disputat. 11. part. 3. fusè refert effectus & pœnas primi delicti, inter quas, sterilitatem terræ enumerat, tum & prægnantium lassitudinem, bonitatis fructuum diminutionem, & alia. Ioannes etiam Siliceo Archiepiscopus Toleranus super *Magnificat*, ait: *Animas vegetatiuas, sensitiuam, & intellectiuam ob peccatum protoparentis in eius posteris læsas esse; item humanis corporibus ægritudines, ac mortem ingenerari propter peccatum.* Vnde perperam aliqui metiuntur priuilegia status Innocentiæ, per ea, quæ in hoc statu vulnerato euenire solent; illique sunt veluti connaturalia. Siquidem maius discrimen reperitur inter homines ante diluuium, & inter Adamum, & Euam, ante peccatum, quam inter nos, & homines ante diluuium: Sicut ergo perperam quis metiatur vires, & ætatem hominum ante diluuium per vires, & ætatem, quibus modo communiter fruuntur; sic absurdius quis iudicium ferret, de his, quæ acciderent in statu Innocentiæ, ab his quæ in hoc statu naturæ lapsæ communiter euenire solent: de quo bene Alexand. Alensis part. 2. quæst. 95. membr. 2. §. 3. *Quia sumus in statu caliginis, & perfectionem illam corporis assueti miseriis non penetramus, difficulter hac mente concipimus.* Huic igitur pœnæ sterilitatis terræ, aërisque intemperiei, dum apud nos degeret, subiacuit Maria. Deinde ait sacer textus: *In laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ*, id est cum labore, & molestia agriculturæ, quod propriè in Deiparam cadere non potest, vtpote quæ agriculturæ non incubuit: *Spinas & tribulos germinabit tibi*; non vt antea raras, & raris in locis, sed frequentes. Quod aliquo modo in Virginem Mariam quadrat, quæ à spinis, ac tribulis molestiam, iter pedibus agens, pati potuit: Tum præcipuè ex filij spinis capite redimito, cor eius aculeis terebratum fuit. *Et comedes herbam terræ*, id est viliores herbas; & quidem verum arbitror, Deiparam aliquando eiusmodi vili olerum pabulo vsam fuisse. De eius morte, & incineratione commodius sequens certamen instituemus.

Genes. 3.

B. Virgo aliquas ex pœnis incurrit Adamo inflictis per illa verba: spinas & tribulos, &c.

Vinc. Burg.

Richard de media-Vil.

Alens.

Vinc. Bel.

Chrysost.

Qua ratione per primum peccatum elementa, & omnes creaturæ detrimentum sustinuerunt.

Ioan. Silic.

Alens.

CERTAMEN V.

Vtrùm Mors Beatæ Virginis fuerit pœna peccati in Adamo incursi.

840. PRætermissa sententia asserentium, Deiparam morti obnoxiam non fuisse, cui suffragari visus est Epiphan. hæresi 78. verbis illis: *Quærant vestigia Scripturarum, & inuenerint vtique neque mortem Mariæ, neque an mortua sit, aut non mortua, neque an sepulta sit, aut non sepulta. Ego enim non audeo dicere, sed silentium mihi impero; forsassis enim alicubi etiam vestigia inuenerimus sanctæ illius, ac Beatæ; sic nec inuenire datur mortem ipsius. Non autem definio hoc, & non dico, quòd immortalis mansit, sed nec affirmo an mortua sit.* Nunc absque vlla dubitatione tenendum est B. Virginem mortem obiisse cum Vniuersalis Ecclesiæ traditione. Arnoldus Albertinus in Assertionibus Catholicis de B. Virgine Maria quæstione 18. contrariam sententiam, hæresim sapere multis probat;

Epiph.

afferteque pro ſe authoritatem Eccleſię in quadam Collecta pro Feſto Aſſumptionis olim in vſu habita, à D. Gregorio edita, quæ ſic ſe habet: *Venoranda nobis Domine huius diei feſtiuitas opem conferat ſalutarem, in qua Sancta Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem; nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, qua Filium tuum Dominum noſtrum de ſe genuit incarnatum.* In qua oratione apertè ſtat Eccleſia pro hac noſtra ſententia.

Auguſt. Viam autem nobis munit ad rationem dubitandi circa B. Virginis mortem S. Auguſt. lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 19. vbi hæc habet. *Fides Chriſtiana prædicat, & ita primos homines fuiſſe conditos, vt ſi non peccaſſent, nulla morte, à ſuis corporibus ſoluerentur, ſed pro meritis obedientia cuſtodita immortalitate donati, cum eis viuerent in æternum, & talia ſancti in reſurrectione habituros, ea ipſa in quibus hic laborauerunt, corpora, vt nec eorum carni, aliquid corruptionis, vel difficultatis, nec eorum beatitudini, aliquid infelicitatis, & doloris poſſit accidere.* In hanc ſententiam conſpirant Theologi omnes, retenturos, nempe primos Parentes pulcherrimum immortalitatis donum, ſi Dei præcepto paruiſſent, nec vllis mortis legibus fore obnoxios, tantum igitur immortalitatis priuilegium vni obedientiæ defert Auguſt. Hinc etiam colligi poteſt S. Auguſtinum probare mortem corporis non lege naturæ, ſed per peccatum fuiſſe inuectam. Deus enim nullam homini mortem parauit, quod apertè atteſtatur Paulus Rom. 5. *Rom. 5.* *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit.*

Ex quo planè fieri videbatur B. Virginem morti nulla ratione fuiſſe obnoxiam, quia maculam primorum parentum non contraxit, ſed mors fuit pœna illius primi peccati: ergo B. Virgo morti non videbatur obnoxia: præſertim cum iuſtitia originali fuerit exornata, & in ea ſemper permanſerit, cur ergo mortem deguſtaret? Siquidem aliis etiam priuilegiis ſtatui Innocentiæ debitis gauiſa fuit, vt tota hac Palæſtrâ monuimus; & hac præcipua, & ſpeciali immortalitatis excellentia illi felici ſtatui debita priuaretur? Verùm oportuit, Deiparam morti ſubiacuiſſe, ſeque hominem profiteri in animæ, à corpore ſeparatione, ne cum Manichæis aliqui impiè Deiparam, non indiuiduum naturæ humanæ, ſed Angelum eſſe conteſtarentur, vt monet D. Thom. in 3. diſt. 4. q. 2. imo & Valentiniani ſua deliria ſtabilirent, quibus Chriſto D. corpus phantaſticum, ac cœleſte tribuebant. Decuit etiam vt B. Virgo, gnato, vt in aliis, ita etiam in morte ſubeunda conformaretur. *Caniſ.* Imò aliqui arbitrantur apud Caniſ. lib. 5. de Deipara cap. 2. 5. *quo circa*, licèt Chriſtus D. violentam mortem non ſubiiſſet, poſt longam tandem ſenectutem illum morte extinctum iri ſenio confectum: quod ſi verum eſſet, potiori iure id de B. Virgine proferendum eſſet. Poſtremò diuina id factum eſt prouidentia, vt nobis ſolatium eſſet ſingulare, vt & Chriſti, & Deiparæ morientis exemplo in difficillima mortis pugna confirmaremur, roburque nouum aſſumeremus.

Quia tamen plures aſſerere videntur pœnam fuiſſe peccati in Adamo contracti, quod B. Virgo mortua fuerit, & quia conſortium habuerit cum Adamo, ſoluiſſe commune mortis debitum, *Chryſip.* quod docet Chryſippus in ſerm. de laudibus Virginis: *Surge*, ait, *Domine, tu, & Arca ſanctificationis tuæ, cùm enim inde tu ſurrexeris, ſigillabis Arcam ſanctificationis tuæ; Tuncque Arca cum omnibus exſurget à lapſu, in quo, vel illam conſtituit Euæ cognatio.* Cui cenſioni ſuffragari videntur S. Auguſt. ſerm. 3. de Aſſumptione, Andreas Hieroſolymit. homil. 1. de dormition. Deiparæ. Damaſcen. in orat. ſub eodem titulo, aſſerunt enim Deiparam communi hominum lege ex hac vita diſceſſiſſe: imò Vaſquez tom. 2. in 3. part. diſtinct. 116. cap. 3. in fine ait Galatinum deceptum fuiſſe exiſtimantem, mortem in B. Virgine non manſiſſe, vt pœnam, eo quod ab originali fuerit præſeruata; in quo diſplicet: placet autem in eo quod ſubiungit; ſi vera eſſet ſententia de præſeruatione B. Virginis à debito contrahendi peccatum originale, tunc mortem Deiparæ non futuram pœnam peccati. Nunc ergo declarandum nobis eſt, mortem Virginis Deiparæ non fuiſſe pœnam peccati.

Statuo igitur haudquaquam B. Virginem ideò emortuam, quia conſortium, & cognationem 841. *Mors B. Virginis non fuit pœna peccati in Adamo incurſi.*
habuerit cum peccato, vel cum Adamo, vel quia pœnas ſubierit peccato originali debitas: Sed ideò mortem paſſam fuiſſe, quia in quolibet ſtatu, eſt naturalis homini viatori. Quod ex eo ſuaderi poteſt, quia licèt Adamus non delinqueret, nec peccatum eius poſteros macularet; homines nihilo ſecius mortem naturalem ſubirent aliquando, præcipuè niſi vitæ arbor ad manus adeſſet, cuius fructibus vires in dies inſtaurarent. Si enim naturaliter homo ante lapſum non moreretur, ſed immortalis permaneret, fruſtra vitæ arbor in ſubſidium vitæ conſerretur; itaque veriſſimum eſt ex Dei ſententia hominem morti addictum propter peccatum, non tamen naturam mutauit, ſed vitæ ſeruandæ remedium abſtulit, hominem ex paradiſo expellens. Quocirca affirmandum eſt, Deiparam Virginem communi naturæ lege ex cognatione cum Adamo in natura eadem mortem ſubiiſſe, non quidem lege naturæ vitiatæ, ſed naturæ ipſius iure, quæ ex conditione, ac conſtitutione ſua morti obnoxia eſt. Quamobrem aliqui ex Patribus, qui B. Virginem mortis iuriſdictioni ſubiectam adſtruunt, id ex conditione naturæ non ex debito culpæ prouenire cenſent: ita Andr. Cretenſ. de dormition. Deiparæ. *Andr. Creten.* *In quo Dei genitrix nullo mutato ex his præſcriptis, quæ ſicut ſecundum naturam noſtra leges ſeruiit, & ſub iiſdem, quibus nos terminis, quæ in carne eras, vitam finis*, & S. Damaſcen. oration. 1. de dormit. Virg. *Damaſc.* *Quonam pacto, quæ in partu naturæ legis exceſſeras, nunc ipſius legibus ſubeſt atque immaculatum Corpus morti ſubiicitur; oportebat illud exuta mortalitate incorruptionem induere, præſertim cùm ne ipſe quidem natura Dominus mortis periculum facere recuſauit.* Diuus Auguſtin. ſerm. 3 de Virginis Aſſumptione. *Auguſt.* *Memores enim conditionis humanæ, mortem illam ſubiiſſe temporalem dicere non metuimus, quam idem certè eius filius, qui & Deus, & homo eſt, lege ſortis humanæ ſuſtinuit.* Vbi apertè ſtat pro nobis Sanctus Doctor, dum ſermonem inſtituit de morte Mariana iuxta humanæ naturæ conditionem, quæ ab intrinſeco in mortem propendet. Sed ibis obuiam, eundem Auguſt. in Pſalm. 34. manifeſtè ſe ipſum explicaſſe, cùm Virginem Deiparam legem, ac fortunam eandem cum Adamo ſubiiſſe ſeriò defendat; ait enim: *Etenim vt celerius dicam Maria ex Adam mortua eſt propter peccatum Adæ. Adam*

mortuus

mortuus est propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua est, propter delenda peccata. Respondeo ideò D.August. asserere Deiparam morti obnoxiam, non quidem propter peccatum, nempe quis peccati, vel ipsius debiti fuerit rea; sed quia cum culpa, è medio sustulerit arborem vitæ, qua vitam homines in sæcula protenderent; consequenter Deipara, tali etiam arbore priuata ex naturæ humanæ conditione morti subiiciebatur.

842. Vel si malueris occurres huic obiecto, si asseras vix mortem dici posse Deiparæ; quia postmodum immortalis vita erat resumenda: vnde somni potius quàm mortis nomine erit compellenda. Quod Lazari facto rectè confirmabis Ioan. 11. de quo iam moribundo ait Christus: *Infirmitas hæc non est ad mortem*; si ergo re ipsa finiuit vitam, mortémque expertus fuit, quo sensu vero affirmauit Christus, infirmitatem illam non esse ad mortem? Rectè rem dirimit Apollinarius in præfata verba Ioannis in Catena Corderij: *Non est*, inquit, *mirandum si Lazaro iam animam agenti dicat, non ad mortem esse infirmitatem; si quidem ipsi, qui eum paulò post suscitaturus erat, non erat censenda mors illa, quemadmodum mox palam declarauit, non tam mortem, sed somnum appellando.* Licet ergo Maria mortem passa fuerit, quia tamen mox erat suscitanda, ac meliori vita donanda, ipsius mors, non quidem mors, sed somnus est dicendus; & quidem meliori iure, quam Lazari, qui ad vitam iterum mortalem fuit euocatus.

Ioann. 11. *Mors B. Virginis, potius somnus, quàm mors dicenda est.* Apollin.

843. Obiiciat aliquis: Mors B. Virginis non fuit ad delenda hominum peccata, sicut mors Christi: vel ergo, ait D. Bonauent. in 3. distinct. 3. quæst. 1. artic. 2. si B. Virgo caruit Originali, iniustè mortua fuit, vel ex dispensatione etiam mortua fuit pro salute humani generis. Vtrumque falsum est, ait Bonauent. Ergo dicendum est B Virginem contraxisse peccatum, vt vult S. Doctor; vel non fuisse emortuam, vel denique mortuam fuisse pro salute generis humani, vt Christus D. Rursus immeritò Deipara passa est mortis pœnam, siquidem pœna suos solum authores insequi debet, vt docet Iustinianus. L. Sancimus. C. de pœnis, & cap. il ad, 11 quæst. 3. fauere etiam videtur S. Augustin. dum ait de suscitatione Lazari: *Flebat Christus, quòd eos, qui immortales esse potuerunt, Diabolus fecerit esse mortales.* Hæc omnia facilè dilui possunt ex doctrina S. Thom. 1. part. quæst. 9 . artic. 1. & ex Scoto in 2. distinct. 19. vbi docent hominem supernaturaliter in statu Innocentiæ morte eximendum, tametsi secundum se mortalis esset, ac corruptibilis, quia ex quatuor elementis coagulatus, sicut reliqua sublunaria, quæ sua natura corruptioni subiacent, ex Aristot. lib. 1. de generat. Imò S.August. lib. 2. de Baptism. paruulorum, ait, Christum D. quamuis violentam mortem non pateretur, senio tamen confectum defecturum, nisi supernaturali virtute præseruaretur. Idem docet Scotus in 3. distinct. 16. quæst. 1. ac proinde; si Deus nouum hominem conderet ex limo terræ, quamuis peccato originali careret, suæ naturæ relictus morti succumberet. Ergo quòd morti subiacuerit Deipara, non probat illam in Adamo deliquisse: Effectus igitur mortis duplicem habet quasi totalem causam, peccatum scilicet & ipsam corruptibilitatem & defectibilitatem rerum omnium sublunarium: in Virgine Deipara mors subsecuta fuit, non quasi pœna peccati originalis, sed ex ipsa innata defectibilitate naturæ humanæ, quam videtur Cicero in Oration. pro Milone: *Exilium*, inquit, *esse putat, vbi virtuti non est locus; mortem, naturæ finem esse, non pœnam.* In B Virgine mors naturæ meta, non pœna fuit. Falso deinde oritur fundamento obiectio, quòd scilicet pœna omnis iniusta sit, si non præcesserit aliqua culpa, quid enim frequentius, quàm varias à Deo infligi pœnas iustis, vel in sui cognitionem, vel ad stimulandum ad bonum, vel in instructionem ac virtutum exercitamentum, vel tandem ob maiorem Dei gloriam, vt habetur Ioan. 9. *Rabbi quis peccauit hic, aut parentes eius? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, nec parentes eius, sed vt manifestentur opera Dei in illo.*

Bonauent. Iustin. D.August. D. Thom. Scot. Aristot. August. Scot. *Homo ex sua natura corruptibilis, ac morti subiacens.* Cicero. Ioan. 9.

844. Mors ergo, vt communis habet Theologorum censio, ita est homini connaturalis, vt etiam in statu Innocentiæ serperet, nisi Arboris Vitæ fructu immortalis redderetur: Ideoque dicitur mors pœna peccati, nam per peccatum homo fructu arboris vitæ fuit interdictus: Igitur Deipara non iure naturæ vitiatæ, cui arbor Vitæ vetita fuit ob peccatum, mortem subiit; sed quia ipsa natura ex se fragilis, ac decidua ad mortem properabat, nec decuit B.Virginem, etsi in perfectione status Innocentiæ conditam, quoad alia priuilegia intrinseca, Arboris Vitæ fructu, vel alio modo simili à morte immunem custodiri, quo filio, sicut in vita, etiam in morte similis redderetur. Præterea iuxta plures Patres apud Suar. tom. 2 in 3. part. quod probabile etiam putat D. Thom. illi qui obuiam Christo rapientur in iudicio extremo per aera, licèt peccatum Originale contraxerint, mortem tamen iuxta hunc probabilem opinandi modum non gustabunt, Deo dispensante in communi illa moriendi lege. Insuper Christus Dominus à macula peccati originalis immunis, licèt hominum redemptionem mille aliis modis, absque propria morte posset perficere; obiit tamen, quia ipse voluit: itaque peccati Originalis reis ob aliquam congruentiæ rationem aliquando immortalitas confertur; Item à peccato Originali immuni mors obuenit; sic etiam de Virgine Deipara profitendum, mortem obiisse, tametsi ab omni peccati debito fuerit immunis. Satis ergo fuit Christum innocentem mortuum fuisse, vt nullus, neque seruus, neque mater à moriendi iure eximatur.

Suar.

Deinde quo aptiori argumento Christus probaretur verus homo passibilis, non vero phantasticus, quàm à matre passibili? Cùm ergo B. Virgo omnes hæreses esset debellatura, moritur, vt hæreticos insurgentes contra veritatem corporis Christi morte sua profligaret. Nec inde falsò deducas oportuisse eandem in corruptionem, ac cineres redigi: Sufficiebat enim morti subiici, vt veritas de veritate corporis Christi elucescet; decuit autem aliunde, ne Deus Sanctum suum daret videre corruptionem; caro enim B Virginis, eadem fuit cum carne Christi Mortem itaque, & alias corporis molestias sustinuit Virgo Deipara, non tanquam pœnam, aut effectum peccati originalis in ipsa existentis, nec peccati quod in Adamo incurrerit; sed tanquam conditionem naturæ, & effectum diuinæ prouidentiæ, quæ B. Virginem in redemptionis generis humani cooperatricem elegit: sicut ergo Christus D. eas corporis ærumnas, ac molestias subiit, non quod peccatum, aut debitum aliquod ipsius

contraxit; ſed quia voluit Adæ peccatum ſua carnis paſſibilitate ac morte abolere, ac penitus abradere; ſic B. Virgo ſuſtinuit mortem, dolores ſubiit, vt filium referret, ac ſuis meritis à Deo noſtrorum peccatorum veniam impetraret, adimpleretque ſic, quæ deerant paſſionis Chriſti, pœnarumque ſatisfactiones in Eccleſiæ theſauro reponeret cum meritis Chriſti, ex quibus noſtrorum ſcelerum ſatisfactio depromeretur.

Hinc noua exoritur quæſtio non inuenuſta, nempe vtrùm ſi Deipara moreretur ante Chriſtum, ſtatim bearetur? Suarius ait, data hac hypotheſi, probabilius videri in eo euentu deſcenſuram in ſinum Abrahæ, nec viſuram fuiſſe Deum, donec Chriſtus D. morte ſua cœlorum ianuas reſeraret. ita D. Thom. 3. p. q. 27. art. 1. Suar. tom. 2. in 3 p. diſt. 3. q. 5. Vaſquez tom. 2. in 3. part. diſt. 117. cap. 13. num. 139. Cordub. lib. 1. q. 47. Et ratio eſſe poteſt, quia per Adæ peccatum cœlorum ianuæ fuerunt occluſæ de lege ordinaria. Vnde quouſque ſatisfieret pro peccato, ac pro tota natura omninò aditus interdictus fuit. Veroſimile autem exiſtimat Suar. Deum in illo euentu diſpenſaturum cum B. Virgine, quia rationi conſonum videbatur, vt Dei Mater, quam à lege communi incurrendi peccatum exemerat, Deus etiam eam immunem faceret, ne detineretur in aliquo inferni loco, ſed ſtatim in cœlum euolaret: in hanc ſententiam propendent Scotus citatus à Suar. & Gerſon ſerm. quodam de Incarn. & communi conſenſu in Pariſienſi Academia receptus fuit hic ſentiendi modus.

D. Thom. Suar. Vaſq. Cordub.

845. *Si B. Virgo ante Chriſtū è viuis decederet, ſtatim ex diſpenſatione cœlos conſcenderet.*

Arbitror cum his Doctoribus Deum diſpenſaturum in illo euentu cum B. Virgine: ac proinde ſi ante Chriſtum è viuis deceſſiſſet, ſtatim cœlos conſcendiſſet, quia detentio illa Sanctorum PP. in illo tenebricoſo ergaſtulo, fuit tanquam pœna orta à primorum parentum delicto, quod Sancti Patres contraxerunt. B. autem Virgo illo maculata non fuit: Ergo non decebat, vt pœnam peccati nulla ratione in ſe contracti ſubiret; hæc enim omnia ſunt veluti effectus, & pœnæ quædam primi peccati. Deinde ſi Innocentiæ ſtatus perdurauiſſet, procul dubio inferior ille locus, ſiue carcer Sanctorum Patrum omnino vacuus reperiretur: ſed B. Virgo retinuit Innocentiæ ſtatum; ergo eadem ratione loquendum de illa, ſi ante Chriſtum è vita deceſſiſſet, ac de hominibus, qui morerentur in ſtatu Innocentiæ. Confirmatur, quemadmodum enim fuit à noxa originaria præſeruata; & iuſtitia originali, ac donis illam comitantibus donata, cur non fuiſſet diſpenſatum in illo decreto, ſicut in aliis: Si ergo Adamus non peccaſſet, ſed iuſtitiam originalem retinuiſſet, in cœlum euolaſſet, ita & B. Virgo: & ſicut Angeli ſtatim beatitudinem fuerunt aſſecuti ante Chriſtum, & iuxta aliquos per merita ipſius Chriſti; ita in illo euentu potuiſſet B. Virgo ante Chriſtum beari, præſertim cum admittatur à pluribus, B. Virginem aliquando vidiſſe diuinam eſſentiam ante Chriſtum: Ergo nihil incommodi apparet in eo quòd plenè fuiſſet tunc beanda ante Chriſtum, Deo in decreto ſuo diſpenſante. Quippe ex eo cœlum fuit occluſum, quia omnes poſteri Adæ primæua labe infecti naſcerentur, vt patet ex Gloſſa in cap. per Baptiſmum, diſt. 4. tum ex gloſſ. alia quæ Origeni tribui ſolet ſuper illud, ad Romanos 6. *Propter remiſſionem præcedentium delictorum*, in quæ verba ſubdit. *Illi iuſti, qui præceſſerunt Chriſti aduentum in inferno tenebantur vſque ad Chriſti paſſionem. Vbi nec pœnis opprimebantur, nec tamen Deum videbant, quod eis erat pœna: hoc autem erat eis pro peccato primi hominis, ſiue pro peccato originali, propter quod occluſus erat aditus regni cœlorum, qui Chriſti paſſione fuit reſeratus iuxta illud Zachariæ 9. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui eduxiſti vinctos de lacu in quo non erat aqua.* Verùm cùm B. Virgo peccatum primæuum non incurrerit, neque incurreret hanc pœnam. Salmeron tom. 13. tract. 50. §. *Obiectabis*, ſequitur ſententiam negantem B. Virginem in illo caſu beandam; quia in noſtra ſententia, ait ille, Chriſtus non fuiſſet Primogenitus mortuorum: Decretum enim diuinum erat, ne quis in gloriam ante primogenitum intraret, ſed dixi iam diſpenſaturum Deum in ſuo illo decreto, in illo euentu ob rationes aſſignatas. Ioannes Chartagena lib. 7. homil. 15. de Conceptione argum. 8. §. 17. reſpondet, tunc B. Virginem fruituram viſione beatifica, non tamen ingreſſuram cœlum Empyreum. Picus Carthuſianus lib. 1. in Cant. cap. 10. docet in Paradiſum terreſtrem animam B. Virginis deferendam: *Longè*, inquit, *amplius pietati cohærere arbitror hinc exeuntem in paradiſum voluptatis à principio naturæ humanæ integritati, & præcipuè Innocentiæ dedicatum demigraturam fuiſſe Virginem omni forma naturalis, & perſonalis integritatis decore florentem, atque in delicioſiſſima contemplationis ſuauitate obuerſaturam.* In quam ſententiam inclinat noſter Arcones in Iſaiam, cap. 2. verſu 2. diſcurſu 9. Abulenſis quæſtionem hanc ex profeſſo diſcutit Paradoxo 5. quæſt. 161. & deinceps. Vbi cum communi docet animam B. Virginis, tum in limbum deſcenſuram, quem ſequitur Ludouicus Tena Epiſcopus in epiſt. ad Hebr. cap. 10. diff. 5. ſect. 4. num. 30. Verum cum oſtenderimus ſubterraneum illud, ac tenebricoſum ergaſtulum, fuiſſe pœnam primi delicti, & B. Virgo immunis fuerit ab illo; à pietate, & ratione omnino abhorrere videtur, aſſerere, illuc Deiparam deferendam.

Gloſſ. Zach. 9. Salm. Carthag. Pic. Carth. Arcon.

CERTAMEN VI.

Incorruptionem Mariani Corporis propugnat.

846. *Corruptio, tabes, & redactio in cinerē eſt pœna peccati originalis.*

POſtrema ex pœnis peccati originalis, qua omnes poſteri infliguntur, eſt corruptio, tabes, & conuerſio corporis humani, ac redactio in puluerem: hæc pœna ſtatuitur à Deo per illa verba, *quia puluis es, & in puluerem reuerteris*. Vbi præter mortem, corruptio tabifica, ac in cineres redactio intermìnatur. Itaque minatus eſt Deus hominem mortis ſpiculo, ſi vetito pomo veſceretur. *In quocumque die comederis, morte morieris*, tranſgreſſus homo præceptum, pœnam hoc tenore aduerſus hominem inflixit. *In ſudore vultus tui veſcêris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua aſſumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Itaque mors differt à corruptione, & reſolutione in puluerem. Adæ igitur poſteri plectuntur in putredine, in pure, in corruptione, & puluere. Ter geminat puluerem in triplici differentia temporis, quòd fuit puluis, quòd actu ſit, quòd erit poſt mortem, vt hoc obiecto puluere

Gen. 3. 19.

pulnere perpetuam pulueris, ac corruptionis memoriam euoluat, quo superbiæ, ac arrogantiæ rotam, quam explicuerat, ad corruptionis, ac pulueris inspectiooem contraheret, fastum deponeret, tumorem demitteret. Plectit ergo Deus Adamum, æquans solo superbiæ turrim, quam extruxerat, vt in desolatione & corruptione, ac in pulueris resolutione præcipuum supplicium situm esse aoimaduertat, eodem fere stylo Deus in fœminam supplicium fert? *In dolore paries filios tuos*, in partu enim corruptio, vel ruptio dolorifera repetitur. Sicut ergo ab hac pœna immunis extitit Maria, quia à primo peccato immunis fuit, ita & à pœna in Adamum inflicta: Ideò Deus in executione pœnæ, mortis non meminit, sed corruptionis, & pulueris, & doloris in partu, quia Christus & Maria mortem erant subituri, non in puluerem, & corruptionem redigendi.

847. Communis igitur vniuersalis Ecclesię sensus est, Virginem Deiparam ab hac pœna exemptã fuisse. Rectè August. sermon. 4. de Assumpt. *Lex sicut honorem matris pracipit, ita inhonorationem damnat. Qui enim in vita pra cateris illam gratia sui conceptus honorauit, pium est credere singulari saluatione eam in morte, & speciali gratia honorasse; potuit enim eam à putredine & à puluere alienam facere, qui ex ea nascens potuit Virginem relinquere. Putredo namque & vermis humana est opprobrium conditionis, à quo opprobrio cum Iesus sit alienus, natura Maria excipitur, quam Iesus de illa sumpsisse probatur, caro enim Iesu, caro est Maria, & multo specialius, quam Ioseph Iuda, caterorumque Fratrum eius, quibus dicebat: Frater noster, & caro nostra est.* Vbi ex duplici capite ostendit haoc corporis Virginei incorruptionem: Primò quia honor & obsequium filij erga pareotem id deposcebat, vt cum posset, eam immunem faceret ab omni iniuria, & opprobrio; nemo autem eat inficias, tabem, & corroptionem corporis, magnum esse corporis opprobrium, ac dedecus. Secundò, probat ex vnitate, & identitate carnis Matris cum Filio; si enim Parens corruptioni, ac vermibus subiaceret, non omninò immunis Christus à corruptione diceretur. Quam rationem suo calculo comprobat Blesensis in instructione Fidei Catholicæ ab Alexandro III. summo Pontifice ad Soldanum missa, per hęc verba: *Concepit, nempe sine pudore, peperit sine dolore, & hinc migrauit sine corruptione, iuxta verbum Angeli, imo Dei per Angelum, vt plena, & non semiplena gratia esse probaretur, & Deus filius eius, antiquum, quod pridem docuit, mandatum fideliter adimpleret, videlicet Patrem, ac Matrem honore praeuenire, & ne caro Christi Virginea, qua de carne Matris sumpta erat, à tota discreparet.* Vbi Blesensis ex carne Filij, & Matris vnam carnem componi arbitratur: Et inde vnam partem carnis à tota carne nequaquam dissidere debuisse, alioquin non possemus asserere, integram Christi carnem illibatam, & incorruptam permansisse; sed libet alia ipsius Blesensis verba subiicere, sermon. 2. de Assumpt. Virg. quæ nostram thesiuo luculenter confirmant, & stabiliunt: *Vir*, inquit, *& vxor duo sunt in carne vna; expressius autem Mater, & Filius sunt vna caro: sanè Patres, qui Spiritu sancto dictante decreta promulgauerunt, ius hoc in coniugibus sanxerunt, vt si alter deserens saculum adhareat Deo, alter non remaneat in saculo, vnius enim carnis partes, tam violenter distrahi ius non esse, visum est eis: sic & indecens videri debet, si altera pars carnis Virginea sit in coelo, & pars altera reddatur solo; si parti alteri datum sit non videre corruptionem, & altera soluatur in cinerem: Maria ergo a communi viri, & mulieris maledictione facta est immunis, qua dictum est, in cinerem ibis; vnde ab Angelo benedicta esse dicitur quasi à primordiali maledicto liberata.* Alias rationes accumular S. August. citatus, & concludit id noo ita decuisse tantæ Matris dignitatem. *Si dicimus eam mortis vinculo teneri resolutam in communem putredinem, vermem, & cinerem; deliberandum est, si tanta sanctitati conueniat, tantaque Aula Dei prarogatiua.* Et post alia subiungit: *Illud sanctissimum Corpus de quo Verbum naturam diuinam humana vniuit, escam vermibus traditum sentire non valeo, dicere pertimesco.*

B. Virgo à corruptione, & incineratione fuit immunis.
August.
Blesensis.
August.

848. Itaque pœna illa inflicta à Deo primo parenti, ac proinde omnibus posteris de corruptione, ac resolutione in puluerem, vel quod idem est de incineratione, iuxta illud Genes. 3. *Donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Virginem Deiparam non tetigit; licèt secundum, separationem animæ à corpore in ipsam ceciderit, quia verè mortua fuit: Exemplo res clarior euadet, pœna sancita legibus, proditoribus patriæ, est vitæ priuatio, eorúmque domos æquare solo: Sic Adamus ob delictum inobedientiæ in paradiso perpetratum morti fuit traditus, corpusque in puluerem redactum, vermibus in escam exhibitum: at hæc pœnæ inflictio, nequaquam Augustam Reginam comprehendere potuit, quæ semper in Dei obedientia permansit, quæ instar Turris Dauid cum propugnaculis seruanda erat, nec solo ęquanda instar domus primi hominis in Deum proditoris: Quia priuilegia ab homine per transgressionem deperdita hausit, quod innuit Eccles. 24. *Ego ex ore Altissimi prodiui.* Ad quorum verborum pleniorem intellectum, in examen voca illud spiraculum vitæ a Deo in faciem primi hominis inditum: *Spirauit in faciem eius spiraculum vita,* per quæ verba Deum animam rationalem creasse, eamque corpori Adami viuisse, communis Doctorum censio est, iustitia originali decoratam: quidquid Gnostici, Marcionistæ, & Manichæi oblatrent; ideò haoc diuinam insufflationem in Adamum vocat Leontius *gratia plenitudinem*, quæ fuit in Adamo, quam etiam contulit in Apostolos post Anastasim sui corporis, nempe Spiritum sanctum, itaque idem halitus Apostolis per Spiritum sanctum exhibitus, vt in pristinum statum, à quo per peccatum primus homo deflexerat, ipsi Adamo infusus fuit, immaculatus, purus ab ore Dei procedens: vt ergo constaret B. Virginem eundem Dei halitum purum, & immaculatum hausisse, non vt in Adamo peccato infectum, sed ab ore Dei immediatè procedentem, asserit ipsa Deipara, *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita omnium creaturarum*, vt inclaresceret, B. Virginem nullis naturæ lapsæ defectibus subiacuisse, sed naturam integram defæcatam, impollutam, innocentem, qualis Adæ inerat ante peccatum, nactam fuisse.

Eccles. 24.
Genes. 2. 7.
B. Virgo non hausit halitū vita ab Adamo infectum, sed immediatè ab ore Dei.

849. Neque enim dicendum est, quamlibet mortem esse peccati pœnam, sed quæ ex peccato prouenit: Mors ergo, quæ corpus omninò corrumpit, & in cineres dissoluit, dicenda est pœna peccati, quod eleganter describit S. Petrus Chrysologus ser. 111. *Ecce fratres ianua, per hominem, peccatum, & per peccatum intrasse videtur in mortem. Peccatum crudelis fera, & non vno capite in hominem sauire contenta, quam videmus, trino ore tota humana stirpis germina tam pretiosa deuorantem? trino ore fratres,*

Mors solùm qua corpus corrumpit, & soluit in cineres, est pœna peccati.
Chrysolog.

peccatum capit, mors deuorat, deglutit infernus; tunc mors deuorare dicitur, quando corpus per mortem squalidum iacet, ſanie, ac tabe horridum, fœtorem exhalans, putredine vndique cinctum, quod adhuc elegantiori ſtylo depingit ſerm. 118. *Mors ſuos iacere ibi demonſtrat inuiolabiliter vinculatos, & vt hominis ſenſus, horrore, toto pauore conturbet, effundit putredinem, eructat ſaniem, ſpargit fœtores, atque ad vnum corpus hominis innumeros carnifices vermes dediſſe proclamat.* Vbi mortem, quæ in pœnam peccati inflicta fuit, luculenter deſcribit. A quibus omnibus Virgo Deipara longè ſemota fuit, quia non fuit mors peccati: vnde neque putredinem tabificam, neque corruptionem paſſa eſt. Quonam enim modo mors deuoraret Corpus illud, in quo vita ſuſcepta eſt. Maria ergo mortis imperium coërcuit, fines ſui dominij coarctauit, vt nec terræ palmum, vt dici ſolet, ipſi contulerit. Mors ditionis ſuæ terminos in dies propagabat, dominium protenderat; ſiquidem non contenta hominum internecione, ac ſtrage, in pulueres corpora diſſoluebat, ita vt quotidie pluribus hominibus in puluerem redactis, nouos terrarum tractus ſubiiciebat ſibi, nouas hominum myriades ſuo ſubigebat imperio, quo nouis auctibus ſuccreſcebat mortis regnum, ſubiugatis prouinciis, dilatabatur, ac tenebroſa lethi regio in immenſum porrigebatur. Vſque dum Virgo Deipara aduenit, quæ morte ſua mortis ambitioſam regnandi, fineſque ſuæ ditionis dilatandi cupidinem repreſſit, frænauit; nec enim, vel breuem puluerem ipſi morti conceſſit, licèt enim morti obnoxia fuit, nunquam tamen in puluerem reſoluta eſt; ſtatim enim rediuiua, ac de morte triumphans exſuſcitata fuit. Benè rem expendit Gregor. Nyſſenus orat. 13. de Virgin. *Neque enim fieri poterat, vt hominum genere à nuptiis procreato, mors vnquam ceſſaſſet, ſed ſuperiores omnes hominum ætates prætergreſſa, cum his etiam, qui hanc vitam ingrediuntur ſimul iam illa percurrens, virginitatem muneris ſui terminum inuenit, quem porrò tranſilire difficile eſt, tanquam Dei Matris Mariæ tempore ab Adamo, vſque ad eam, regnum mors obtinuerit, poſteàque ſola effecit, vt cùm tanquam ad lapidem aliquem virginitatis fructum mors offenderit, in ea contrita ſit.* Mortis vires repreſſæ dicuntur à Maria, quia nec leuis terræ portio ex ſuo Corpore mortis tyrannidi adaucta fuit.

Virgo Deipara morte ſua mortis regnandi cupidinem repreſſit.

Gregor. Nyſſen.

850. Huc reuoca verba illa Origenis homil. 5. in Hierem. *Si ad peccatores dicitur, terra eſtis, & in terram ibitis: Quare non dicatur ad Iuſtum, Cœlum es, & in Cœlum ibis?* Quod præcipuè in Mariam quadrat, quæ nunquam iuſtitiæ originalis cycladem exuit; ideoque eiuſdem prærogatiuis gauiſa fuit: Quod innuit Sponſus dum Virginem alloquens Mariam, ait, Canticor. 4. *Emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum.* Ex Hebræo rectè verteris: *Halitus tuus paradiſus*; quaſi velit Sponſus omnes Virginis emiſſiones, & halitus, & operationes cum halitu & operationibus paradiſi componere, ita vt ſtatus innocentiæ priuilegia redolere videantur: Et procul dubio ſit alluſio ad ſpiraculum vitæ primo Parenti inſufflatum Geneſ. 20. ſiquidem vice verborum illorum: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.* Ex Hebræo tranſtuleris, *halitum vitarum*, dictis opportunè applaudit ſanctus Athanaſ. apud Leonem [illegible] p.41. Iſaiæ, componens Deiparam cum lapide Amiantho: *Sicut, inquit, ex Amiantho lapide tela fiunt igni inuiolabiles: ita B. Virgo Agnum peperit, cuius glorioſo vellere facta eſt nobis veſtis immortalitatis.* Amianthus incorruptibilitatis ſymbolum, quia ab igne non læditur. Virgo igitur Deipara veluti Amianthus humanam imbecillitatem adeò munitam, & potentem aduerſus ignem reddidit, vt illæſa ſemper, & intemerata, nullique corruptioni obnoxia permanſerit. Tradit Lorinus in 1. Petr. 1. veteres illos Brachmannes ex Amiantho veſtes ſuas aſſuere ſolitos, vt Diuinitatem affectarent, quaſi Amianthus, quid eſſet Diuinum; & quidem aptum, vt ex hoc Virgineo Amiantho humanitatis veſtem incorruptibilem ſibi Verbum diuinum aſſumeret. His conſonant quæ affert Picus Carthuſianus illuſtri Cant. commentatio exponens illud Cant. 8. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam.* Quæ verba ad diſceſſum B. Virginis ex hac vita transfert: Cælites ergo mentis oblatum in Virgineam animam efflantem defigunt, & in præfata verba proſiliunt: dicunt ergo Mariam dum moritur habitare in hortis; voxque Hebræa, *Gan*, paradiſum innuit, adeoque dum ex hac vita migrat Deipara, in paradiſo dicitur habitare; quia Ipſa ſola mortem patitur ſine vllo dolore, ac mæſtitia, deliciis affluens, voluptatis torrente exundans, quia ſtatûs innocentiæ priuilegiis in vita, & in morte potitur; ſcilicet non mortem, quæ ſit primi piaculi pœna ſuſtinet, at naturæ debitum ſoluit. Sed præſtat auſcultare Picum, cum ait. *Quæ habitas in hortis: videtur ſenſum omnem doloris excludere, eſt enim locus voluptatis hortus, non doloris. Par erat, vt qui mortuos ſuſcitauit, infirmos ſanauit, languidos curauit, Matrem ſe vocante, ſe præſente, ſuo migraret imperio, ab omnique dolore immunem ſeruaret. Rectè ergo dictum eſt, Quæ habitas in hortis, nimirum, quæ ex hortorum deliciis citaretur ad hortum perpetuò vernantem.* Ex paradiſo in paradiſum euocatur Maria, nempe ex iucunda paradiſi ſtatione in ordine ad priuilegia innocentiæ ſtatus, ad delicias æternitatis. Rem concludit S. Damaſcenus orat. 1. de dormitione Deiparæ. *O miraculum ſanè natura præſtantius! ô res ſummæ admirationis plena! Mors, quæ odio, & execrationi prius erat, nunc commendatur, ac beata cenſetur, quæ olim luctum, & mœrorem lachrymaſque, & triſtitiam afferebat, nunc gaudij, ac lætæ celebritatis cauſa extitit.* Hinc ſingulari prouidentia effectum puto, quod Corpus Marianum in horto Gethſemani ſepultum ſit, quò in vita, & in morte, paradiſi, ſiue innocentiæ ſtatus priuilegiis potitum fuiſſe intelligeremus.

B. Virgo iuſtitiæ originalis prærogatiuis gauiſa fuit, ad hùc dum moritur.

Origen. Cant. 4.

Athanaſ.

Lorin.

Picus Carth.

Cant. 8.

Damaſc.

Quod verò innocentiæ ſtatus incorruptibilitate gauiſa fuerit Virgo B. in illis verbis Euangeliſtæ: *Stabat iuxta crucem Maria Mater Ieſu.* ſubodorari videor; ſtat enim inconcuſſa, etiam Sole deficiente, reliquiſque elementis quaſi fatiſcentibus. Stat fortis Virago, dum Sol, cæteraque ſydera temporum ſigna prælabuntur, & occaſui cedunt ſuo; Sola B. Virgo ſtat imperterrita, nulli dolori ſuccumbens, nulli temporum labentium volubilitati cedens, nullis Solis motibus ſubſeruiens, quia à tempore non dependet incorruptibilitatis Candidata, ac iuſtitiæ originalis priuilegiis gaudens; ſiquidem in fortunato Innocentiæ ſtatu ſtaret vtique Adamus, etiam decurſu temporum, ac labentibus annis, teſte Gregor. Magn. lib. 25. moral. cap. 2. *Primus homo conditus fuit ſic, vt manente illo, deciderent tempora, nec eum temporibus ipſe tranſiret. Stabat enim momentis decurrentibus, quia nequaquam ad vitæ terminum per diecum incrementa tendebat. Stabat tanto robuſtius, quanto* 851.

Stans Maria iuxta crucem reliquis creaturis fatiſcentibus, innocentia ſtatus immortalitatem præ ſe ferebat.

Ioan. 19. 24.

Greg.

ſemper ſtanti ardentius inhærebat. At vbi vetitum contigit, mox offenſo Creatore, capit ire cum tempore, ſtatu videlicet immortalitatis amiſſo, curſus immortalitatis abſorbuit, & dum à iuuentute ad ſenium, à ſenio traheretur ad mortem, tranſeundo didicit, ſtando quid fuit. Quòd ergo Maria, cæteris rebus occumbentibus, ſteterit, fælicißimam paradiſi innocentiam per tranſgreſſionem à protoparentibus deperditam, ab ipſa verò inſtauratam auſpicabatur, eiuſque incorruptionem præ ſe ferebat; nempe nunquam futurum, vt in ſaniem aut puluerem redigeretur, quæ fuit primogenij flagitij pœna. Demum ſtabat, quaſi ſitum illum iam in votis haberet in vita mortali, quem æternum in cœlis erat habitura. Siquidem Beatorum corporum ſitus in cœlo, non accubitus, non ſeſſio, nec quiſpiam alius, ſed ſtatio æterna eſt; Authore
Suar. Suario tomo ſecundo in tertiam partem diſputatione 51. Verba enim illa; *Sede à dextris meis*
Pſal. 109. 1. & illa: *Sedet ad dexteram Patris*, non de corporali ſeſſione, ſed de poteſtate pari cum Patre capienda ſunt.

852. *B. Maria incorruptionis priuilegium ſortitur.* Cant. 1. Dionyſ. Carthuſ.
Hanc ſui corporis incorruptionem declarat eadem Deipara Cantic. 1. dum ait: *Tigna domorum noſtrarum cedrina, laquearia noſtra cypreſſina.* Quæ verba adaptat Dionyſius Carthuſ. in Cant. Corporibus Chriſti Domini ac B. Virginis: *Per domos iſtas*, ait, *poſſunt intelligi corpus Virgineum Matris ſanctæ, & corpus ſaluiſ.um vnigeniti eius. Siquidem caro Chriſti non vidit corruptionem, nec ambigitur, quod Filius ille omnipotens, naturaliter bonus, ac pius, amantiſſimam, ac fideliſſimam Matrem ſuam cum*
Guillelm. *corpore, & anima aſſumpſerit in gloriam.* Et Guillelmus in eundem locum ſuo ſuffragio ſubſidiatur Dionyſio, ait enim: *Quia non tantum domus Ieſu, ſed & domus Mariæ hoc priuilegium commune fuit, eo quòd Ieſus os ex oſſibus, & caro de carne Mariæ fuit; Ideò Corpus Matris propter Corpus Filij cum corpore Filij à generali lege corruptionis exceptum perpetua imputribilitatis gratia conſeruatum fuit.*
Cant. 3. Quod roborari poteſt ex Cant. cap. 3. *ferculum fecit ſibi Rex Salomon de lignis Libani, quia Corpus immaculatiſſimæ Virginis conſtat ex membris ſanctis, & incorruptis, quibus Chriſtus communicauit, quod de ipſo fuit prædictum; Nec dabis ſanctum tuum videre corru-*
Dionyſ. *ptionem.* Hæc Dionyſius. Hæc autem B. Virginis incorruptio, ac velox in nouam vitam immortalem anaſtaſis, attribuitur etiam à Petro Damiano frequenti Euchariſtiæ ſumptioni Marianæ: Ideò forſan, nec Lazarus, nec alij à Chriſto exſuſcitati in vitam immortalem iuêre, quia non dum Viuifico Euchariſtiæ pane refecti fuerant, qui in vitam æternam alit. Accipe Petrum Dam. ſermon. 2. de
Petr. Dam. natiuit. Virginis: *Imparem illi humana lingua præconium, quæ de intemerata carnis ſuæ viſceribus cibum nobis protulit animarum, illum videlicet, qui de ſemetipſo perhibet dicens: Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi, ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: per cibum namque à paradiſi ſumus amanitate deiecti; per cibum quoque ad paradiſi gaudia reparati: cibum comedit Eua, per quem nos æterni ieiunij fame mulctauit; cibum Maria edidit, qui nobis cœleſtis conuiuij aditum patefecit.*

Corruptionem igitur paſſa non eſt Maria, nec 853. *Maria ab arbore vitæ Chriſto ſuam immortalitatem mutuauit.*
putredinem, aut puluerem, vt oſtenderet morte ſua non rigidæ, ac prædurę Adami tranſgreſſionis legi obtemperaſſe; ſed Filio ſuo obſequium præſtitiſſe: quippe nulla peccati lege comprehenſa, Arborem Vitæ Chriſtum ſibi cuſtodiuit, ex qua ſibi vitam pepetit immortalem: non igitur debito legis communis peccati obſecundauit Maria, nec vitiatæ naturæ ceſſit pœnæ; ſed Chriſto ſeruiuit; mortalium duras leges deſpexit, Filio ſolùm obſecuta, in cuius ſignum, Corpus ſuum iam emortuum Filio commendat. Au-
Damaſc. dite Damaſcenum, ſic ſantem Virginem Mariam ad Filium; deſcribentem: *In manus tuas, Fili, commendo Spiritum meum, ſuſcipe tibi charam animam, quam conſeruaſti alienam ab omni reprehenſione. Meum Corpus tibi trado, & non terræ; cuſtodi ſaluum, quod tibi placuit habitare.* Quaſi diceret, in me mortis lictores, ac ſatellites ius nullum habent, illorum legibus non teneor, nec pœnæ primigeniæ tranſgreſſionis pareo: ideò non terræ, vt in puluerem eat corpus meum; ſed tibi credo, qui à putredine immune prorſus ſeruabis. Verùm Filio mortuo tametſi à mortis naturæque infectæ dura tyrannide erat exempta Maria; hoc tamen obſequium in Filium præſtare oportebat, vt ipſi commoreretur; ſiquidem vniuerſæ creaturæ vt ſuo famulentur Authori, in morte ſua concutiuntur; mundi luminaria ſuo lumine cæſpitantia occumbunt; elementa item omnia defectionem ſuam, ac mortem arcere videntur, vt Conditori ſuo quoquo
S. Leo. modo poſſent, commorerentur; rem graui verborum pondere attigit ſanctus Leo ſermon. 6. de paſſion. *Debebat hoc teſtimonium ſuo mundus Authori, vt in occaſu Conditoris ſui vellent vniuerſa finiri:* Debebat Alma Parens vni Filio hoc teſtimonium, vt ipſa quoque vellet finiri, vt ſuo conformaretur Authori, ac Filio.

PALÆSTRA IX.

Oppositionem Deiparæ Virginis cum peccato, & cum his quæ agnationem aliquam habent cum illo declarat.

854. ERITO Deipara oppositionem maximam cum peccato habere prædicatur, vtpote quæ eandem cum Filio substantiam participat: in quam rem conducit valdè illud Psalm. 21. vbi Verbum diuinum carnem assumens Patrem alloquitur: *Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre; spes mea ab vberibus matris meæ.* Pende illud, *extraxisti*, cuius loco vertit Tertul. libr. de carne Christi capit. 20. *auulsisti*, quod verbum pergit commentans. *Auulsisti ex vtero, quid auellitur nisi quod inhæret, quod infixum, innexum est ei, à quo, vt auferatur, auellitur, &c. Etiam cum quid extraneum extraneo agglutinatur, ita concarnatur, & conuisceratur cum eo, cui agglutinatur, vt cum auellitur, rapiat secum aliquid ex corpore cui auellitur.* Conquiescebat Christus in visceribus Matris summa cum delectatione, ac voluptate, tanquam in centro optatissimo. Vnde non solum dicitur incarnatus in ventre Matris, sed concarnatus, & conuisceratus cum ipsa, ita vt ab illa egredi, fuerit Christo tanquam violentum, ac si à corde per vim auelleretur, vel aliquid à corpore discerperetur; ac si vnam, eandemque carnem, ac substantiam esse dixeris inter Filium, ac Matrem. Si ergo vna eadémque substantia est Mater, & Filius; Ergo procul à Matre labes omnis, sicut à Filio exulat, imò & omnis, maculæ vmbra: quod firmat Matthæus cap. 1. excludens à serie generationis Christi Her, in cuius locum subrogat Phares. cur ita? an quia Her filiis caruit, qui autem nullos liberos edit, nec mentis partus posteritati commendat, à generatione Iesu, eiusque societate procul amandatur, tanquam à nomine Iesu desciscens. Verùm obstat illud quod Zaram ratione filiorum ad Christi genealogiam non vtique spectat, cuius tamen meminit Matthæus. Forsitan excluditur Her, à serie generationis Christi, quia idem sonat, ac *pelliceus*, ac proinde primi parentes pellibus propter peccatum contecti typum gerebat, ideoque à generatione Christi ac Virginis Matris longè ablegandus: quia nec peccati nomen, nec vmbra tantam puritatem, & innocentiam decebat. *Iudas autem*, ait S. Paschasius lib. 1. in Matth. *genuit Phares, & Zaram: Her pelliceus appellatur, qualibus induti sunt tunicis primi homines ob pœnam damnationis suæ dimissi ex paradiso.*

Psalm. 21.
Tertull.
Christo violentum fuit ab vtero Matris egredi.
Matth. 1.
Her idem ac pelliceus, & ideò à generatione Christi procul ablegandus.
A B. Virgine & peccati nomen, & vmbra procul ablegantur.
Pasch.

CERTAMEN I.

B. Virgo immunitatem ab omni fomite peccati nanciscitur à primo Conceptionis instanti.

855. N hac re duplex est præcipuus sentiendi modus, relictis aliis minus præcipuis sententiis: alter est opinantium in B. Virgine per primam sanctificationem, non fuisse extinctum fomitem peccati, & omninò eradicatum, sed solùm ligatum; per secundam autem sanctificationem, quæ facta fuit in Incarnatione Verbi penitus extinctum fuisse. In hanc eunt sententiam S. Th. 3. part. quæst. 28. art. 3. Bonauent. in 3. d. 3. part. 1. dist. art. 2. quæst. 2. Richardus ibidem art. 2. quæst. 3. & alij apud Vasquez tom. 2. in 3. part. disput. 118. cap. 2. Tunc autem dicunt ligari fomitem, quando inclinatio ipsa natiua appetitus sensitiui ex sola Dei prouidentia, & externa protectione impeditur, ne re ipsa operetur, & appetat id, quod est contra rationem, & ne ipsam præueniat. Tunc autem extingui fomitem, & auferri dicunt, quando ex abundantia gratiæ talis inest habitudo, & dispositio virium animæ, & facultatum, vt inferiores nunquam moueri possent sine nutu rationis; quocirca per huiusmodi gratiæ abundantiam, censent extingui, & auferri potuisse fomitem in secunda sanctificatione B. Virginis. Sed omninò displicet hic opinandi modus; sicut enim rationi conformius fuit, vt sine noxa aliqua conciperetur, quia futura erat Mater Dei Virgo beatissima; sic etiam eidem rationi consonum fuit, vt à principio peccati fomite omninò careret: si enim ab omni peccato immunis erat futura, ab omni etiam peccati prurítu oportebat eximi. Porro per solos habitus infusos, & gratiæ abundantiam impediri non potest omninò inclinatio appetitus natiua: Siquidem infusi habitus, & gratia non præstant facilitatem potentiis, sed ad substantiam operis dantur, quare eorum propensio aduersari non videtur inclinationi appetitus ad concupiscendum id quod rationi aduersum est, præsertim cum illi habitus, & gratia sint in diuersa potentia, nempe in voluntate, quam appetitus sua innata vi præoccupare potest in re aliqua concupiscenda: licét autem ligari aliquo modo possit per extrinsecam Dei protectionem, extingui tamen nullo modo potest, cùm semper maneat

D. Thom.
Bonauent.
Richard.

eadem

eadem oatiua vis appetitus, in qua situm esse fomitem autumant plerique Doctorum, vt vidimus.

856. Antequam nostrum sensum producamus opua est præmittere, quid sit fomes ad peccatum: Censeo autem cum Vasquez citat. num.45. hunc fomitem nihil aliud esse, quam idem appetitus pro vt immoderatus, propendens, & alliciens voluntatem ad aliquod obiectum concupiscendum contra rationis rectè præscriptum. Dicitur autem fomes, quia tanquam sicca materia fouet ignem, & inflammat coocupiscentiam, & excitat, & accendit ad aliquid operandum. Quare dicitur fomes peccati, quòd excitet ad peccatum, illudque nutriat. Clarius rem explico; fomes peccati in actu primo, est ipsemet appetitus proximè aptus, & expeditus ad eliciendum actum rationi difformem. Fomes peccati io actu secundo est actus appetitus sensitiui rationi contrarius, eamque præueniens, & ad peccatum inuitans; qui actus, si voluntas eum impedire possit, nec impediat, imputabitur ipsi ad culpam. Cùm autem ipsa natiua propensio appetitus secundum se, noo alliciat ad peccatum, sed immoderata appetitio, & concupiscentia ipsius contra rationem, ideò merità censemus fomitem peccati non esse natiuam inclinationem, sed motum ipsius immoderatum. Ea igitur est proprietas inoata appetitus, vt io suum obiectum feratur, non quomodocumque; sed sub rationis imperio, cui ex prima naturæ iostitutione subiectus est, vt nihil prorsus appeteret quod rationi non esset omninò conforme. Ex quo deducitur, vt ia tantummodo sentientis appetitus motus, appellandus sit naturalis, qui secundum rationem fuerit elicitus, qui verò rationi aduersatur, non est dicendus naturalis, sed præternaturalis, ac eainde naturali inclinationi aduentitius: Cùm ergo peccati fomes, ea solùm sit propensio appetitus, quæ à ratione descilcit, illiusque ductum auersatur, nec innata, & naturæ insita, sed aduentitia, & peregrina; solum erit accidens, non proprietas appetitus, nec necessariò ipsum consequetur, sed solum sub tali statu, naturæ videlicet lapsæ. Peccati ergo fomes non est à natura appetitui affixus, sed ea primorum Parentum delicto proueniens, quæ conditio si amoueretur, peccati fomes omninò subtraheretur. Cùm ergo potissima causa huius fomitis sit culpa originalis, vbi hæc sedem non habuit, neque peccati fomiti aditus patere potuit.

Fomes peccati in actu primo est ipsemet appetitus aptus & expeditus ad actum rationi difformem.

In actu vero secundo est actus appetitus sensitiui rationi contrarius, eamque præueniens.

857. Alter igitur sentiendi modus est, nullum fomitem peccati in B. Virgine vnquam fuisse. Ita Thom. de Argent. in 3. dist. 3. quæst. vnica, art. 3. & 4. Marsil. in 3. quæst. 4. art. 1. 1. part. conc. 4. Corduba libr. quæst. 45. pnoct. 2. opin. 2. Vasquez tertia parte dist. 118. cap. 4. Suarez tom. 2. in 3. p. disput. 4. sect. 5. Valent. in 3. part. quæst. 17. art. 3. Salaz. de concept. cap. 28. §. 2. & alij Moderni communiter. Plura sunt fundamenta quæ hanc constabiliuot veritatem, fomitem videlicet hunc procol esse à B. Virgine amaodandum ab instanti sui Conceptus. Et primùm de fomite peccati in actu primo suaderi potest; quia hic fomes est propensio in malum rationi dissonum, quæ ea peccato originali relinquitur; sicut ergo fomes ignem facilè concipit, ita hæc propensio semper veluti in promptu est vt peccatum amplectatur, indecens autem omninò videtur, Deiparam semper fuisse dispositam, & promptam ad peccatum, sicut fomes est promptus ad coocipiendum ignem.

B. Virgo omni peccati fomite semper caruit.

Thom. de Argent.
Marsil.
Corduba
Vasquez.
Suar.
Valent.
Salaz.

Deinde S. Petrus vocat fomitem, ducem, sub cuius vexillo militant praui affectus; ait enim: *Fratres abstinete vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam.* Perperam autem dicemus in Virgine Deipara, hunc oequam ducem tentoria fixisse, quæ instar turris munitissimæ Dauid cum mille propugnaculis aduersus tartareas potestates fabricata fuit. Prætetea D. Paulus ad Rom. 7. vocat fomitem, legem peccati, *captiuantem hominem sub lege peccati.* At cum Virgo Deipara sit Angelorum Regina, vtriusque mundi Imperatrix; piaculum videretur, velle illam tam diræ seruitutis iugo subiicere. Quarto vocat Tyrannum hunc fomitem Basilius, innatum dæmonem, omnia praua suadentem. Chrysostomus Lernam serpentem multorum capitum. Quis autem credat beatissimam Virginem sub tam trucis Tyranni ditionem vnquam venisse, aut dæmonem innatum in ea resedisse, ex qua ipse Deus natus; vel caput sustulisse serpentem multiplicem in Maria, quæ ipsius caput contriuerat.

1. Pet. 2. 11.

Basil.

Chrysost.

858. Hanc Thesim nostram roborat S. Thom. à Villanoua conc. 3. de Natiu. Virginis, vbi hæc habet: *Atequam anima illa sanctissima infunderetur plenè fuit caro illa mundata ab omni fæce & labe, & anima cum infusa est, nullam habuit ex carne, neque contraxit labem peccati, sicut scriptum est: Factus est in pace locus eius; id est domus diuina Sapientia sine omni fomite peccati formata est.* Itaque iuxta hunc sanctum Doctorem, iam olim Psalmographus prophetauerat B. Virginem sine vllo peccati fomite concipiendam iri, præuidens enim Deus peccatum Adæ, dumum sibi in B. Virgine pacificam destinauerat, nulli effrænatarú appetitionum rebellioni obnoxiam, nulli pronarum in malum cupiditatum fomiti subiectam. Huc spectat illud Psalm. 45. *Venite, & videte opera Domini, qua posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terra.* In quæ verba Richardus Victor. lib. 2. de Emanuele parte 1. cap. 29. *Qua est, ait, ista obscere terra, de qua bella omnia fine tenus auferuntur, nisi illa de qua idem Propheta alibi protestatur: Veritas de terra orta est; de hac terra omnis pugna tollitur, in hac pax plena reparatur. (Posuit fines tuos pacem,) ita vt sublato fomite bellum nullum exsurgere potuerit, quippe sublato è medio aduersariò nullum bellum inferri queat.* Et cap. 31. subdit: *In reliquis sanctis magnificum habetur, quod à vitiis nequeant expugnari: in Virgine mirificum videtur, quod à vitiis non posset ipsa, vel in modico, impugnari.* Desæcauerat ergo Deus, mundissimamque reddiderat naturam, ex qua B. Virgo compaginanda erat. confractis igitur bellicis instrumentis, tumultibus bella intestina indicentibus explosis, ac omni hostili strepitu fugato, siue exterius à praua dæmonum suggestione proueniente, siue interius à vitiata in malum natura prodeunte in prima sui conceptione, in pace summa conditur; Sedes enim erat futura pacifici Salomonis. Concinat ergo Dauid verissimè, & sanctissimè. (*Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.*)

Thom. à Villan.

Psalm. 45.

Richard. Victor.

859. Quod vt melius iotrospici possit, censeo cum Galatino lib. 7. de Arcanis Cath. verit. cap. 8. in actu legitimi Matrimonij Parentum B. Virginis peccati fomitem penitus fuisse extinctum, Ita vt absque omni libidine, corporisque voluptate B. Virginem genuerint, ardentissimus enim Deï affectus ac altissima diuinarum rerum contemplatio omoem corporis voluptatem absorbuit, quod

Parentes B. Virginis sine omni fomite peccati, & absque libidine illam genuerunt.

Galat.

Ildeph.

quod sat luculenter ostendit S. Ildephonsus serm. in Natiuit. Deiparæ. *Maria Virgo non sic est nata sicut solent pueri, vel puella nasci, sed de Anna sterili, & Patre iam sene extra consuetudinem mulierum, post refrigescentem calorem, & sanguinem iam tepidum, & omnem amorum libidinis discessum, munde corde, & corpore ab omni pollutione carnali orta est.* Assentitur S. Damasc. orat. 1. in Natiu. Deip. vbi de B. Virginis parentibus ita fatur: *Castè enim ac sanctè munere vestro functi virginitatis thesaurum produxistis: Par enim erat vt virginitas ex pudicitia orta ei, qui solus est vnigenitum lumen corporeo modo offerret.* Quæ verba planè innuunt generationem illam non ex carnis pruritu, ac fomitis concupiscentia, sed ex feruentissimo in Deum amoris actu peractam. Consentit S. Vincent. Ferrer. serm. 2. in Natiuit. Deiparæ. *Lux dicitur illa generatio Virginis Mariæ, quia sine tenebra culpæ facta est; modò autem in generatione filiorum sunt multæ tenebræ propter intentionem carnalem & corruptam parentum: sed generatio Virginis Mariæ fuit vt lux, de ista luce habetur, 2. Reg. 23. Sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat, sic ista coniunctio Ioachimi, & Annæ luminosa fuit.* Sicut ergo concordi Theologorum suffragio cum Mag. sent. 2. disp. 20. quæst. 1. Primi Parentes si non deliquissent, absque vlla carnis rebellione, ac macula, fœdaque libidine liberorum procreationi vacarent: Ita Ioachimus, & Anna in generatione Mariæ, quasi in statu Innocentiæ se gesserunt sine vllo illecebroso carnis prurito, fomitisve concupiscentia. *Si non peccassent*, ait Magister, *primi Parentes, sine omni peccato, & macula in paradiso carnali copula conuenissent, & esset ibi thorus immaculatus, & commixtio sine concupiscentia, ac genitalibus membris, sicut cæteris imperarent, vt ibi nullum motum illicitum sentirent, & sicut alia membra corporis aliis admouemus, vt manum ori sine ardore libidinis, ita genitalibus vterentur membris sine aliquo pruritu carnis. Hæc enim lethalis ægritudo membris humanis ex peccato inhæsit.* Quem sentiendi modum hausit Magister ex D. Augustino de Gen. ad lit. lib. 9. cap. 10. vbi sic fatur: *Cur non credamus, illos homines ante peccatum ita genitalibus membris ad procreandos filios imperare potuisse, sicut cæteris, quæ in quolibet opere anima sine vlla molestia, & quasi pruritu voluptatis mouet. Cur incredibile videatur primis hominibus talia fuisse corpora, vt si non peccassent eo nutu imperarent membris, quibus fœtus exoritur, quo pedibus cum ambulatur, vt neque cum ardore seminaretur, neque cum dolore pareretur? Nunc verò transgrediendo præceptum, motum legis illius, quæ repugnat legi mentis in membris concepta mentis habere meruerunt, quem nuptiæ ordinant, continentia cohibet, & refrænat.* Sicut ergo in illa pura, & integra natura motus illi non nisi iuxta rectæ rationis præscriptum moderarentur, id ipsum parentibus B. Virginis singulari Deo beneficio, ac priuilegio obuenisse censent præfati Patres. Quod ipsa Virgo Deipara S. Brigittam alloquens perspicuè confirmat lib. 1. reuel. cap. 9. *Ipse*, inquit B. Virgo, *Deus coniugium parentum meorum tanta castitate coniunxit, vt tunc non inueniretur castius coniugium: Et cum sibi nunciatum esset ab Angelo, quod Virginem parerent, vnde salus Mundi procederet, magis voluissent mori, quam carnali amore conuenire; & voluptas in eis mortua erat, tamen pro certo dico tibi, quod ex charitate diuina, & ex verbo Angeli nunciantis conuenerunt carne, non ex concupiscentia aliqua voluptatis, sed contra voluntatem ex diuina dilectione; Et sic ex semine eorum per diuinam charitatem caro mea compaginata est.* Ex quibus luculenter apparet, quanta cum animi integritate, & innocentia ad generationem Mariæ conuenerint piissimi eiusdem Parentes, cum nullus inibi prauus motus adfuerit, nulla illecebrosa voluptas, sed omnia amor in Deum feruentissimus præoccupauerit. Solus D. Bernardus epist. 174. ad Canonicos Lugdun. nobis aduersari videtur, ait enim; *An fortè inter amplexus maritales sanctitas se ipsi conceptioni immiscuit, vt simul, & sanctificata fuerit, & concepta? Neque hoc quidem admittit ratio, quomodo namque sanctitas absque Spiritu sancto sanctificante, aut sancto Spiritui societas cum peccato fuit? Aut certè peccatum quomodo non fuit, vbi libido non defuit?* Cum tamen D. Bernardus iuxta aliquos in ea fuerit sententia vt arbitraretur B. Virginem originaria labe fuisse fœdatam, nihil mirum si censeat eiusdem Parentes cum libidine, carnisque voluptate conuenisse. Sed Bernardo testes supra citatos opponimus. Quocirca Deus materiam illam, ex qua corpus Marianum formandum erat, in pristinum innocentiæ statum redegerat, ab omni peccati fæce ex primigenij delicti noxa promanante defæcauerat, ac proinde proles ex illa compacta iam status innocentiæ priuilegiis potiebatur, adeoque appetitus sensitiuus, ac reliquæ facultates inferiores dominio voluntatis, rectæque rationi subdebantur; Ideoque nec vestigium fomitis peccati in actu primo in B. Virgine vnquam eluxit.

Damasc.

Vincent. Ferr.

Mag. sent. *In innocentia statu sine vllo carnis pruritu generatio peragetur.*

August.

S. Brigit.

Bernard.

Modò ostendendum nobis est, neque fomitem 860.
in actu secundo fuisse vnquam repertum in Virgine Deipara, quod facilè ostendi potest, quia fomes in actu secundo nihil aliud est, quam actus appetitus sensitiui rationi cōtrarius, eamque præoccupans, & ad peccatū inuitans: At Virgo Deip. eiusmodi motibus nunquam concussa fuit. Benè in nostram rem Hesychius homil. 2. de Deipara: *Nunquā Mariā concupiscentiæ fumus attigit, nec verbis voluptatis eam læsit.* Profectò hic cōcupiscentiæ fumus si Virgini adhæsisset aliquantisper, si non non semiustulasset, tamen atra fuligine sua nitorem, ac splendorem virgineum deuenustasset. S. Damasc. orat. 2. de Assumpt. ait de Maria, quæ omnis vitij impetum discussit, ac propulsauit. Itaque primi vitiorum assultus, peccatorumque conatus, ac titillationes coram Virgine Matre prorsus euanuerunt; & sanè quid mirum ante Mariam Solis amictu circumseptam omnis caligo, ac tenuis nebula dispareret, Mariana percussa fulgore. Huc spectat Dauid Psalm. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis circundata varietate, in fimbriis aureis;* Alij vertunt: *Ex vestibus auro ocellatis; circumamicta varietatibus*, vertit Hieronymus, *in scutulatis ducetur ad regem*; Ac si diceret in primo conceptus instanti iam fasciolis virtutum omnium inuolutam prodiisse; ocellis distinctæ erant fasciæ infantis Mariæ; quia in illam Deus, Angeli intenderent attentis oculis; erant etiam scutulatæ, quia erat circummunita scutis, vt peccatorum, ac prauorum motuum tela retunderet, ac prauæ cuicumque suggestioni impenetrabilis redderetur.

Hesych.

Damasc.

Psalm 44. *Ab instanti sui conceptus B. Virgo prodiit scutis obarmata aduersus prauorum assultum ita.*

Opponat non nemo ex D. Hieronymo epist. 10. 861.
ad Furiam. cap. 4. vbi hæc serit: *Has effectus, & perturbationes, quamdiu in tabernaculo corporis huius habitamus, & fragili carne circumdamur, moderari, & regere possumus, amputare non possumus.* Et Chrysostomus homil. 16. in Matth. *Impossibile est hominem passionibus liberari.* Ergo B. Virgo non fuit

Hieron.

Chrysost.

libera

libera fomite peccati. Respondeo eiusmodi actus appetitus dum rationem præueniunt, ac voluntatis imperiom detrectant, inter vitia adnumerari. Qua ratiooe à Virgine Deipata procul sunt amaudandi, quia illam maximè dedecent; sin autem rationis ductum sequantur, illiusque imperio pareant in virtutum album

Nyssen. recensentur, iuxta Diuum Nyssenum de hominis opificio capit. 18. *Perturbationes*, inquit, *animi vniuersa & singula à brutis orta praua mentis vsurpatione vitiorum origo extiterunt. E contrario si imperium in hos animi motus in se transferat ratio, singuli virtutis formam induunt. Nam fortitudo ex iracundia oritur; timiditas facit, vt certo præsidio nosmet muniamus, metus vt libenter pareamus; odium in auersationem vitiorum commutatur, charitas vera virtutis in nobis amorem excitat; elata ferocitas facit vt supra perturbationes omnes nos efferamus, & animi magnitudinem conseruat, quominus is à vitiis superatus seruitutem seruiat.* Iuxta hanc acceptionem io B. Virgine actus appetitus sensitiui libenter admittimus; in quo sensu loquitur Au-

August. gustinus libro 9. de Ciuitate Dei. cap. 5. *Non est*, inquit, *nunc necesse copiosè, ac diligenter ostendere, quid de istis passionibus doceat Scriptura diuina, qua Christiana eruditio continetur. Deo quippo illam ipsa mentem subiicit regendam, iuuandam, mentisque passiones ita moderandas, atque frænandas, vt in vsum iustitiæ conuertantur. Denique in disciplina nostra, non tam quæritur vtrùm pius animus irascatur, sed quare irascatur; noc vtrùm sit tristis, sed vnde sit tristis; neo vtrum timeat, sed quid timeat: irasci enim peccanti vt corrigatur, contristari pro afflicto vt liberetur, timere periclitanti, nè pereat; nescio vtrùm quisquam sana consideratione reprehendat.* Quos motus appetitus quatenus rectam rationem subsequontur Christo Domino defert, subdit enim libr. 14. de Ciuitat. cap. 9. *Quamobrem ipse Dominus nullum habens peccatum adhibuit eas scilicet affectiones appetitus, vt adhibendas esse indicauit; Neque enim in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergo eius in Euangelio ista referuntur quòd super duritia cordis Iudæorum cum ira contristatus sit; quòd dixerit gaudeo super vos vt credatis; quòd Lazarum suscitaturus etiam lachrymas fuderit; quòd concupiuerit cum discipulis suis manducare Pascha; quòd propinquante passione tristis fuerit: Non falsò vtique referuntur. Verum ille hos motus certa dispensationis gratia, ita cum voluit suscepit animo humano, vt cum voluit factus est homo.* Has ergo affectiones fuisse in beatissima Virgine nullus est ambigendi locus, siquidem etiam in Christo Domino sedem habuerunt. Hinc

Bernardin. sanctus Bernardinus tom. 2. sermon. 51. artic. 3. cap. 2. hæc habet: *Licet Deus perfecta dispositione disposuerit matrem suam, & absque omni culpa seruauerit eam: Nihilominus tamen cunctæ passiones illæ, quæ naturam sine peccato sequuntur, quæ scilicet sunt materia exercendæ virtutis, in ea plenius remanserunt, tam respectu sui, quam respectu filij: Vnde in ea fuit amor, timor, honor, admiratio, & huiusmodi secundum quod in aliquo sine peccato esse possunt.* Subscribit sanctus Ioannes Damascenus

Damasc. *Plures actus appetitus sensiui rationi conformes in B. Virgine numerantur.* oration. 1. in Natiuitate Deiparæ. *Mentem quidem diuinitus gubernatam habens, ac Deo soli operam danom, cupiditatem autem omnem ad id quod solum expetendum, atque amandum est, intentam; iram vero aduersus peccatum dumtaxat, ipsiusque parentem.* Quocitca affectus gaudij admittimus in Maria, quia prima Filium meruit intueri, manibus attrectare, suis amplexari brachiis, oscula infigere, & totum sibi vendicare, ac incredibili animi iubilo dicere. *Hoc nunc os, ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Corpus illud mollissimum attrectabat, brachiis stringebat, fasciis inuoluebat, sinu fouebat, nutriebat lacte, mamillis adhærebat. Quid Maria ditius, quæ tantum thesaurum intra se asseruabat? Quid Maria fortunatius? quæ materna munia erga cœli, terræque Imperatorem exercoit, eundem cum æterno Patre Filium nacta. Quod vberius gaudium in vllam puerperam vnquam cadere potuit? tot illam diuini amoris sagittis transfixam dixeris, quot virginei lactis radios è sacrorum vberum pharetra puerulo sugenti eiaculauit. Rumpantur licèt viscera Brentij audentis alicubi scri- Brentius.

bere, *Mariæ parum gaudij in hac vita contigisse, imò verò inferni doloribus illam dum vixit obrutam*, horrendum dictu. Hos ergo, & similes affectus sæpissimè in Maria possumus contemplari tota vitæ periodo, & sanè septenario numero beatissimi Virginis gaudia Rythmus quidam perantiquus complectitur apud Canisium lib. 4. de Deipara cap. 13. Præterea qoamdiu mortalem hanc Canis. vitam ducebat, dum Dei aspectu perfectissimo potiri non poterat, quo in futura beatitudine se certo gauisuram sperabat, spe ipsius desideria accendebantur. Summa deinde tristitia animique dolore perculsa fuit, dum præsentem Filium crucem agentem, cruciatibus tortum, punctum, crucique suffixum prospectabat, imò antequam hæc contingerent, quæ tamen certo futura præsentiebat, metu maximo ad eorum expectationem, siue recordationem agitabatur. Ex magno etiam charitatis in Deum ardore, cum videret Deum Optim. Maxim. ab hominibus honore, ac cultu priuatum, ingentique scelerum mole fatiscentes præcipites ire in tartareas, æternumque duraturas flammas, dolore maximo pulsabatur.

Vestigabis an eiusmodi actus appetitus in bea- 862.
tissima Virgine orti fuerint semper ex imperio voluntatis, aut aliquando solum fuerint præuisi, ac solùm permissi. Respondeo sæpiùs Virginem Deiparam elicuisse has affectiones appetitus ex imperio voluntatis, sæpè solum ex permissione. Primum probatur, quia ille modus operandi molto perfectior est, & tribuunt Christo Chrysostomus, Cyrillus, Augustinus apud Suarium tom. 1. in 3. part. disputat. 34. section. 1. adeoque & beatissimæ Virgini attribui debet. Secundum etiam probatur, quia hic modus operandi necessarius noo est, vt illi affectus, & motus voluntarij dicantur, & à ratione profecti, vt si præeunte rationis aduertentia portio superior permitteret inferiori operari, quæ illi propria sunt; Sic quando Filius patiebatur, naturaliter dolebat; Ideò etiam forsan ait Euangelista de beatissima Virgine, quod turbata fuerit in sermone Gabrielis, non verò quod semetipsam turbauerit, vt inquit Ioanoes, de Christo, *turbauit semetipsum*; quia non ex imperio voluntatis, sed ex naturali ductu secuta fuit torbatio, licet præeunte aduertentia rationis in Maria. Quare naturales beatissimæ Virginis facultates, ac potentiæ, dum non impedirentur, & haberent applicata obiecta, naturaliter operabaotur; adeoque dum Christus Cruci affigebatur, naturaliter dolebat. Imò

Valent. addit Valentia tom. 4. disput. 2. quæst. 1. puncto 3. nullum esse absurdum admittere in Deipara motus primo primos circa obiecta sensibilia, quæ non repugnarent rectæ rationi, quod etiam admittit D. Th. apud eundem Valentiam: vnde iuxta hos Doctores dici posset turbatio illa ad legationem Angeli insolitam, fuisse motum primo primum, qui nullo modo rectæ rationi repugnabat.

863. *Fomes peccati in Maria fuit impeditus per altissimam rerum diuinarum contemplationem.* Vasquez.

Superest nunc demonstrare causam, virtute cuius impeditus fuerit in B. Virgine hic fomes peccati, tam in actu primo proximo, quàm in actu secundo. In qua re censeo cum Vasq. tom. 2. in 3. part. distinct. 118. cap. 4. id factum fuisse, virtute perfectissimæ contemplationis diuinarum rerum, & ratione externæ protectionis diuinæ. Hæc autem perfectissima contemplatio cum iugis, & indeficiens esset, & coniuncta cum feruentissimo actu amoris in Deum, nullo vnquam tempore interrupti, nec propter vllum euentum intercepti, hunc fomitem semper impediuit, nè vnquam in Virgine Deipara locum posset habere, adiuncta simul speciali Dei extrinseca protectione. Sed ais in Virg. B. remanserat appetitus sensitiuus ex se propensus in obiecta omnia sensibilia, etiam rectæ rationi aduersantia: Ergo in ea mansit fomes peccati. Sed negandum est in Beatissima Virgine mansisse appetitum sensitiuum proximè potentem tendere in obiecta sensibilia, quæ rectæ rationi aduersarentur, quia obstabat altissima B. Virginis contemplatio, ac feruentissimus ipsius in Deum amor, & specialissima extrinseca Dei protectio. Quod autem contendunt aliqui in B. Virgine extinctum fomitem in Incarnatione Verbi diuini, acquiescere non possum, nam tunc collata fuit Virgini Deiparæ gratia eiusdem speciei, licèt multo intensior, quàm in prima sanctificatione, ergo vtraque gratia eosdem effectus producit, gradus enim eiusdem qualitatis intensiores intendunt magis, non vero diuersum effectum totalem edunt, ergo gratia intensior cum prouidentia etiam maiori extrinseca ex parte Dei ligatum iam appetitum amplius, ac fortius vincirent, non tamen penitus extinguerent: ergo vel in conceptione iam omninò fuit impeditus, vel si ibi solum ligatus, etiam post Incarnationem.

864. *Fomes peccati in B. Virgine nunquam fuit ligatus, & extinctus, quia nunquā in ipsa sedem habuit.*

Dicerem ergo in B. Virgine nunquam fuisse fomitem ligatum, nec propriè extinctum; quia quod vinculis constringitur, supponitur existere: nunquam autem fuit fomes hic in B. Virgine: adeoque neque constringi potuit. Similiter id solum quod aliquando vixit, mori, & extingui dici solet, sed in B. Virgine nunquam vixit fomes peccati, ergo perperam dicitur ligatus, & extinctus fomes in Virgine Deipara. At opponunt nobis contrariæ sententiæ asseclæ: Quamuis quid excellentius esset Deiparæ, si in prima sanctificatione fomitem omninò extinctum haberet, & non solum ligatum; at si hoc ita contigisset, multum detraheretur dignitati Christi Domini, si caro aliqua ante Christi carnem sine fomite conderetur. Hoc tamen nihil obstat, cum caro B. Virginis sit eadem cum carne Christi, deinde ante Christi sanctificationem plures animæ fuerunt sanctificatæ, quin animæ Christi eiusve dignitati derogaretur, ergo nihil detrahitur Christi honori, quamuis admittamus carnem B. Virginis sine vllo fomite peccati fuisse editam ante Christum, præcipuè cum id totum in Christi honorem cedat, cuius meritis ea omnia priuilegia Deiparæ deferantur. Instat Caietanus citatus à Vasquez. *Consentaneum est rationi, vt sicut salus spiritus per spiritualem modum fit, nempe per fidem; ita salus carnis, carnaliter quoque fiat, ideoque à carne sancta sua ipsa natura, qualis est sine dubio iuxta omnes sola Christi caro.* Nihil tamen contra nos euincit: sicut enim ab anima Christi futura iuxta omnes refunditur in animas reliquorum salus, omnisque sanctificatio per fidem charitate formatam; ita carne Christi futura, caro Deiparæ, & aliorum potuit veluti corporea sanctificatione decorari. Replicabis ex D. Thom. nullus ante Christi resurgentis gloriam corpore fuit immortalis: Ergo similiter ante Christi carnem fomitis immunem oportuit, vt nemo carnem à fomite peccati exemptam sortiretur. Inficiamur tamen consequentiam, quia non magis caro Christi est principium sanctitatis carnis, vel corporis, quàm anima ipsius sit principium spiritualis sanctitatis. Prima ergo fuit caro Christi ordine intentionis, & dignitatis, non tamen ordine executionis: sicut sanctitas, & beatitudo animæ Christi fuit prior in intentione, & tamen reipsa Angeli prius fuerunt sancti, ac beati, & alij plures sanctitatem ante Christum consecuti sunt, non tamen sine meritis ipsius. Caietan. D. Thom.

CERTAMEN II.

Virtutum fomite Virgo Deipara ad bonum propendebat.

Parum visum fuit calamo tincto feruenti in Deiparam affectione, omnem ab illa peccati fomitem propulsasse, ardentior in eandem amor vlterius calamum subornat, vt nouum ipsi Deiparæ deferat priuilegium, nec scilicet contentus sit ab appetitu virgineo omnem ad malum pronitatem dispulisse, sed altiora petens in ipso Mariano appetitu Virtutum vniuersarum allectamentum ponat. Vestigamus ergo vtrùm in appetitu sensitiuo Beatissimæ Virginis resideret fomes virtutum, quo medio in bonum rectæ rationi conforme semper propenderet. Ita opinantur plures nouiores Theologi, nempe Deiparam à primo sui Conceptus instanti, habuisse appetitum sensitiuum instructum, ac præmunitum ad omne opus bonum; ac proinde fomite virtutum vniuersarum fuisse præditum; ita vt cum B. Virgo aliquod obiectum honestum mente reuolueret, statim appetitus sensitiuus, siue antecedenter, siue consequenter, siue concomitanter appeteret obiectum honestum ab intellectu propositum: quod fieri potuit, vel quia Deus indidit appetitui virgineo habitus honestos per accidens ita intensos, qui perpetuò inuitarent, & allicerent ad obiecta Deo grata. Plures enim Philosophi admittunt habitus in appetitu sensitiuo; potuit ergo Deus habitibus ad bonum stimulantibus præmunire appetitum Marianum ab instanti suæ Conceptionis, quibus semper virtutum operibus inhiaret; quemadmodum reipsa plures admittunt intellectum virgineum à Deo fuisse instructum habitibus scientiarum, earumdemque intelligibilibus speciebus; voluntatem similiter habitibus omnium moralium virtutum decorasse, 865.

Quod

Quod si dixeris, Appetitum Marianum his habitibus ad bonum propendentibus instructum non posse effiecre, vt id totum à natura consequeretur, quod alij longa consuetudine per frequentem bonorũ actuum repetitionem acquisiuerunt. Nihil tamen id officit, cum ostenderimus, Virginem Deiparam fuisse conditam cum omni supellectili status naturæ integræ, & innocentiæ, sine vlla carnis rebellione, aut inferiorum facultatum seditione aduersus rationem; & rursus cum omnimoda potentiarum indiuidualium perfectione, & cum habitibus ad bonum inclinantibus, ipsique inhærentibus; ac demum cum protectione quadam specialissima, ac prouidentia extrinseca Dei auertente à B. Virgine omnia obiecta, quæ ipsam aliquo modo ad malum allicere possent. Hincque facilè inferri posset hunc appetitum continere in se fomitem virtutis, nec enim minus potens haberi debet Deus in conditione appetitus, in quo sit incitamentum Virtutum, quam in productione appetitus continentis in se fomitem, & allectamentum ad malum.

Potuit etiam hoc alio modo contingere iuxta aliorum Doctorum sensum, si Deiparæ inditæ fuissent species sensibilis insensatæ in gradu intenso cum proportione quadam, & consonantia delectabili circa singula obiecta honesta, ita vt appetitui sensitiuo tanquam delectabilia proponerentur; quis enim in dubium reuocet ex cogitatione castitatis, ipsiusque honestate, potuisse appetitum B. Virginis multo vehementius accendi, quam homo luxuriei addictus ex turpium obiectorum memoria inflammetur, ac delectetur. Vel etiam potuit singulari Dei prouidentia, phantasiæ, aut potentiæ imaginatiuæ B. Virginis proponi obiectum honestum, quantumuis arduum per speciem sensibilem, quæ illud vt pulchrum, ac delectabile ad suique amorem alliciens appetitui repræsentaret. Quolibet ex his modis B. Virgo præuenta, nulla interna ad malum suggestione concuti potuit, neque ab extrinseco ex peculiari Dei protectione, & prouidentia prouenire potuit. Quid quod in obiectis peccaminosis, aut nullum, aut ita tenue, & inane bonum delectabile inspiciebat, vt nequaquam sui amoris dignum reputaret, adeoque moralem habebat impotentiam ad peccandum, vt alibi fusiùs ostendemus.

866. *In quo situs sit fomes virtutum.* Hic autem fomes virtutis in eo situs est, quòd scilicet, quemadmodum fomes peccati ad malum allicit animum quantumuis virtutibus inhiet; bonoque inuigilet, bella ciens in Spiritum, in eumque seditiones excitans; solum bonum sensibile, ac delectabile sibi quærens, tametsi rationi aduersetur, ac diuinæ regulæ opponatur; sic ex aduerso fomes virtutis erit ille, quo appetitus sensitiuus animum rationalem ad omnem virtutis operationem induceit, virtutis, inquam, naturalis, & quæ non excedat humanæ naturæ confinium; ita vt si fieri posset, vt spiritus, ac pars animæ superior in malum tendere vellet, tunc appetitus sensitiuus virtutis fomite instructus constanti pugna aduersus spiritum, pro tutanda virtutum pulchritudine, ac splendore decertaret, illumque in vitiorum odium impelleret, ac sine vllo tædio, unà cum voluptate per virtutum iter blanda, forti tamen vi, alliceret. Recentior quidam obiicit nobis hunc virtutis fomitem nouitus excogitatum, à nullo patrum vel Doctorum Christo attriboi; Si autem possibilis esset attribueretur. Verùm dici posset hunc fomitem virtutis, tanquam certum ab omnibus supponi in Christo multo eminentiori modo, quia caro Christi erat gratia vnionis superfusa, atque adeò ita sanctificata, vt semper obiecta virtutum appeteret, vitiorum verò auersaretur.

Pintus Ramirez de Conceptione.

867. *B. Virgo à in instanti sui cōceptus virtutum fomite prædita fuit.* Arbitror ergo in appetitu sensitiuo B. Virginis à primo conceptus instanti fuisse virtutum vniuersarum fomitem, atque in sanctitatem allectamentum, quod innuunt aliqui ex Patribus sanctus Damascenus oration. 1. de natiuitate Mariæ hæc habet: *Mentem diuinitus habens gubernatam, ac solummodo Deo attendentem, affectumque omnem concupiscibilem dispositum in id, quod solum appeti, & amari debet. Affectum vero irascibilem aduersus culpam, tantummodo, culpave parentem.* Ibidemque thesim nostram luculentius tradit: *Appetitus*, inquit, *tuus in hoc situs est, vt diuinis sermonibus nutriaris, hisque saginaris Deo cupiditate fragrans.* Hunc fomitem ad rem virtutis à natura Deiparæ insitum agnoscit Petrus Damianus sermon. 44. ait enim alloquens Mariam: *Moueat te natura, potentia moueat, quia quanto potentior, tanto misericordior esse debebis.* Nec mirum si cum Maria Misericordia nascatur, cùm iam adoleuerit cum Iobo dicente. *Mecum crewit miseratio*; Hinc sanctus Maximus hom. 6. vocat Euam *Iniquitatis fomitem.* Sanctus Bonauentura vocat Mariam *fomitem Misericordia*, quasi tota ex misericordia, & ex reliquis virtutibus natura Mariæ compacta fuisset.

Damasc.

Petr. Dam.

Maxim.

Bonauent.

Aliqui probant hunc ad virtutem fomitem in Maria; quia potuit Virgo B. à natura sua indiuiduali in obiecta virtutum propendere, & simul habere appetitum eiusdem speciei cum nostro, quod confirmant ex sensu gustus, & oduratus, ac visus: Alij enim appetunt dulcia, delectantur viridantibus rebus, alliciuntur odore simplici, mixtomque auersantur: illi vero fastidiunt dulcia, acetosis inhiant, amant candorem; itaque licèt sensus gustus, sit eiusdem speciei in indiuiduis vniuersis humanæ naturæ, imò vt opinantur aliqui, in aliis animantibus, & tamen, quis recensere posset huius sensus ingenia, indolem, & affectiones omninò oppositas in variis indiuiduis? Huic dulcia, ac sacchatea arrident; alius ad acria natiua propensione fertur; hunc robusta, ac fortia alimenta iuuant, illum fructus exiles, ac cibus facilis delectat; alius appetit lacticinia, alter ad illa perhorrescit: Ergo, inquiunt illi, dari potuit in beatissima Virgine talis natura appetitus sensitiui, quæ natiua indole ea solum bona sensibilia appeteret, quæ solum rectæ rationi conformarentur: sic addunt, quamuis alij castis rebus inhæreant, lasciuas à natura abhorreant; alij res ludicras ament, illi grauibus, ac seriis insistant: hi res bellicas martiales natura ducti sectentur, è contra illi pacem exambiant, seditiones, ac tumultus plusquam Vatiniano odio prosequantur; hi tamen omnes appetitus eiusdem sunt inter se speciei: Nihil ergo mirum si B. Virgini appetitum à natura bono semper rationi rectæ consentaneo adhærentem deferamus, licèt eiusdem speciei cum nostro. Hæc tamen non vrgent; nullus enim sensus ita vni obiecto addicitur, vt alia obiecta non respiciat, si sint intra sphæram suæ sensationis, nullius enim visus ita candori inhæret, vt non possit etiam percipere, ac passim percipiat viorem ac nigredinem; neque alicuius gustus ita acribus,

ac pungentibus delectatur, vt dulcia, vel dulcibus mixta, quandoque non prægustet, imò in ea sum sententia, vt docui ad libros de Anima, sensum nempe visus virori solum addictum, ita vt non posset candorem, & alios colores percipere: idemque dicendum de reliquis sensibus solum ad vnum specie obiectum determinatis, specie inter se dissidere à nostris: siquidem album specie differt à viridi: Ergo potentias poterunt efficere specie distinctas: Ergo similiter dicendum esset de appetitu sensitiuo B. Virginis, si solum à natura sua determinaretur in bonum honestum rectæque rationi conforme, esse scilicet specie discretum à nostro, quod nemo cordatus admittet; nisi dixeris attribui posse eiusdem speciei indiuiduis aliquas proprietates, quæ sint specie diuersæ; sed id non solida philosophia nixus asseres, tametsi de accidentibus id verum sit.

Alij aiunt hunc appetitum sensitiuum, qui à natura tenderet in obiecta Virtutum esse possibilem, sicut enim post primigenium peccatum, appetitus noster, ita est malo adglutinatus, vt carnis delectationes, quantumuis rectæ rationi, ac virtuti repugnantes, tanquam obiecta sibi conducentia affectet, & affectetur; ita etiam poterat Deus appetitum sensitiuum in Virgine Deipara ita compaginare, vt semper in bonum rectæ rationi conforme natiuo pondere ferretur, atque in obiecta virtuti inimica reluctaretur. Verum rectè instabunt aduersarij, eiusmodi appetitum ita ad bonum virtutis addictum implicantiam dicere, si sit eiusdem speciei cum nostro propter rationem proximè factam. Dici tamen posset non ideo appetitum sensitiuum B. Virginis includere fomitem virtutis, quia repugnet à natura in oppositos virtutis actus prosilire, sed quia in virtutum obiecta ita semper feratur, vt nunquam ad malum actu prorumpat, nec proximè propendeat: ad eum modum, quo de facto in nobis admittitur fomes peccati in appetitu sensitiuo, non quia repugnat aliquando ferri in obiectum bonum rationi conforme, sed quia ferè semper in obiecta virtuti, ac rationi aduersantia natiua indole feratur.

868. *Adamus conditus sine fomite peccati.* His igitur, & aliis probationibus explosis, probari potest nostrum placitum. Primò, quia Deipara condita fuit in iustitia originali, vt supra ostendimus, quoad præcipuos effectus; sed in primo parente, quia in originali iustitia conditus, ipsius appetitus in nullum prauum insultum assurgeret sine rationis imperio, sed natiua indole in obiecta sensibilia rectæ rationi conformia duceretur: Ergo idem potiori iure de B. Virgine asserendum est. Roboratur hæc ratio, quia propter primorum parentum transgressionem inuectus fuit fomes peccati: Ergo cum Deipara nec peccatum Adæ contraxerit, neque in ipso peccatum incurrerit; imò illum sanctitate, ac originaria iustitia longè superauerit; rationi, & æquitati consentaneum fuit, vt in eius appetitu sensitiuo radia quædam excitandarum virtutum insigeretur, ex qua omnis sanctitas pullularet, virtutumque stolones progerminarentur; adduci enim non possum, vt credam, permisisse Deum propter primorum parentum delictum fomentum ad malum in appetitu omnium posterorum insidere, & noluisse in appetitu Mariano quasi coagmentari carnem sanctitate radicali, ita vt ferretur ad bonum rectæ rationi consentaneum; cui sententiæ succurrere

Basil. videtur S. Basilius, hom. de humana Christi generatione: *In sanctitate*, inquit, *caro conglutinata digna quidem virgineis diuinitati coniungi fuit.*

Secundò probatur à posteriori, nam Virgo Deipara ab omni, vel leuissima culpa exempta fuit, vt hac palæstra monemus, ne igitur plura, ac quotidiana miracula confingamus, opus fuit, vt in appetitu sensitiuo B. Virginis ea virtutum adiumenta, ac ad sanctitatem allectamenta reponerentur, quæ illam ab omni obiecto rectæ rationi aduersanti amouerent, & ad obiecta sensibilia rationi conformia allectarent; sin minus iugem, ac extraordinariam prouidentiam extrinsecam, ac inusitata auxilia à malo præcautoria, & ad bonum impellentia in B. Virgine admittere cogeremur.

Tertiò: plures Theologi, ac Philosophi statuunt in appetitu sensitiuo, tanquam in subiecto apto habitus siue bonos, siue malos, quibus facilior, ac pronior efficitur ad bene, vel malè operandum. Ita Almainus in suis moralibus tract. 306. Henricus quodlib. 4. q. 22. Ocamus in 3. q. 10. & 11. D. Bonau. in 3. d. 33. art. 1. q. 3. Scotus cum sua schola; & quidem hæc sententia experientia ipsa verior apparet; quippe vsu, & exercitio appetitus sensitiuus propensior fit ad obiecta, quæ voluntas amat, vel odio prosequitur: Ergo nihil mirum si statuamus in appetitu sensitiuo B. Virginis hos habitus, quos reliqui homines vsu, & exercitatione comparauerunt in materia virtutum, in quibus habitibus, simul cum speciali Dei prouidentia extrinseca dici posset virtutum incitamentum, ac fomitem consistere. 869. *Appetitus sensitiuus suos habet habitus quibus pronior efficitur ad bene, vel male operandum.* Almain. Henric. Ocam. Bonauent. Scotus.

Quartò: suaderi idem potest, quia experimur multiplicem appetitum, ac valde diuersum in pluribus indiuiduis. Alij enim propendent ad laborum tolerantiam: Alij quasi à natura ad castitatem, & temperantiam nati: Alij hominum miseriis, ac calamitatibus subleuandis ipsius naturæ indole incumbunt; plures prudentiæ, & consilio naturæ doctu, quasi nati: plurimi denique quasi ab vbere solum ad id efformati videntur, vt æquitatem, integritatemque sectentur: Ergo longè potiori iure de Deiparæ appetitu dicere possumus, singulari Dei beneficio adiutum plus obiecta mala rationi, ac virtuti aduersantia odisse, quam quiuis alius appetitu ab optima indole ductus auersatur, & odit; siquidem Marianus appetitus reliquorum omnium priuilegia à natura collata in se vno eminentiori quodammodo cohibuit. Ex quo facilè deduces nunquam Virginem Deiparam ab intrinseco prauam aliquam suggestionem passam fuisse, quia hæc ab intrinseco ad malum titillatio, siue suggestio praua ab appetitu in malum prono ortum ducit.

Sciscitabitur quispiam, in quo formaliter situs sit hic virtutum fomes, & ad bonum calcar in appetitu Virgineo? Res definienda est iuxta varios opinandi modos de fomite peccati; si enim arbitreris cum Magistro in 2. distinct. 30. §. 6. & 7. & distinct. 31. §. 1. & . Bonau. ibidem, Gregorio in 2. disp. 30. Holcot, & Adamo ibidem, fomitem peccati esse qualitatem prauam, seu morbidam inclinantem ad malum; tunc similiter dicendum erit virtutum fomitem in appetitu Mariano esse qualitatem quandam stimulantem ad ea obiecta, quæ rectæ rationi conformia sunt. Angestus in suis Moralibus cap. 15. notabili 2. fomitem ad peccandum constituebat in ipsa hominis complexione iustitia originali destituta, adeoque prona in obiecta sensibilia sine rationis fræno: iuxta hunc opinandi modum asserendum esset virtutum allectamentum in Deipara situm esse in tempera- 870.

menta

mento optimo iustitia originali munito, ac protectione speciali Dei, & sic de aliis dicendi modis relatis à Vasquez supra cit.

Demum censeo, appetitum sensitiuum Deiparæ per modum naturæ, & cum sancto illo virtutum fermento instigante, ita ad propria commoda ferri, vt nullo modo propenderet ad obiecta illa sensibilia, quæ aliquo modo virtutem labefactare possent in materia legis naturalis; haberet autem quandam sympathiam cum his, quæ virtutem saperent, quamtumuis arduitatem secum ptæ se ferrent, qualia sunt ieiunia, peregrinationes, corporis cruciamenta, humicubationes, vigiliæ, & alia eiusmodi, quia etsi appetitus natura sua ægrè ferret ieiuniorum leges, ac corporis afflictiones, cùm tamen singulari modo cũ appetitu rationali adhæreret, quæ semper præiret, ac præmoueret, ideò appetitus sensitiuus eiusdem Deiparæ ad ea obiecta, quibus inhiabat voluntas naturali sympathia ferebatur: imò addunt aliqui, & id verum arbitror, B. Virginem per appetitum sensitiuum, non solum ad ardua quæque, ac difficilia propendere, sed etiam cum voluptate quadam; si enim portio inferior propter motiua, & rationes inferiores, & propter naturæ commodum, aspera quæque adoritur; multo magis in re virtutis, si ipsi non modo spirituali, sed corporeo commodum aliquod proponatur. Hinc voces illæ Dauid: *cor, & caro exultauerunt in Deum viuum*, nempe ex redundantia motiuum, ex propositionis portionis superioris: Ergo propter eadem motiua poterit appetitus sensitiuus appetere ardua, ac corpori incommoda: Ideò quando homo ardua, ac difficilia ex virtute magnanimitatis aggreditur, quando vitæ discrimina suscipit, vel etiam ex pœnitentiæ intuitu corporis doloribus torquetur, non modo voluntatis ductu, sed etiam appetitus impulsu cietur, vt corporis cruciatibus se se obiiciat. De quo Suarius tom. 1. in 3 part. quæst 18. art. 5. Suar.

Phantasia ergo benè potest apprehendere iuxta hunc opinandi modum, bonum spirituale, modo tamen corporeo, tunc autem admittenda videtur phantasia agens, quæ spiritualia obiecta sensibilibus, ac corporeis transmutet, quæ non sunt vera de appetitu sensitiuo, sed solum mouente, sed solum vt mouetur imperatus à voluntate, ac proinde iuxta hunc opinandi modum in solo appetitu sensitiuo non est ponendus fomes, ac fermentum virtutis, sed ex parte voluntatis aliquid admittendum, quod rationem huius sancti fomitis adimpleat.

Occurres, hæc omnia violenta esse appetitui sensitiuo, etiam Mariano: Vnde & immeritò à nobis naturalia sympathia vocatur. Respondeo hoc verum habere in nostra corrupta natura: At appetitus B. Virginis speciali connexione rationali appetitui adhærens, & consentiens præcurrenti, ac permouenti ad ea quæ virtutis sunt obsequebatur cum voluptate, quia proponebantur motiua, & rationes superiores, quæ ad obiecta quælibet ardua, ac difficillima amplectenda cum voluptate permouere possent: quemadmodum ergo manus, siue pes proposita obiecti conuenientia, ac potentia loco motiua cum gustu mouetur, quia id à ratione, & voluntate imperatur; ita corporeus appetitus B. Virginis imperatus à voluntate tecta cum ratione coniuncta, veluti instrumento manuducebatur ad illa obiecta amplectenda, ad quæ voluntas dirigeret: cui opinationi subsidiatur S. Bernardus. *Virginis*, inquit, *appetitus nihil* Bernard.

præter Deum poscebat, nihil expetebat terrenum, Dei mensa, Dei dulcissimis epulis satiabatur, quid insatiata Virgo viueret. Sic sancti Martyres sæpius aduersis rebus gaudentes describuntur. Videndus Tertul. hac de re.

871. Ex dictis elicies, quàm sit verum quod superiori coogressu monuimus, Virginem Deiparam nec solutum, nec ligatum habuisse fomitem ad malum, neque extinctum ab ipso conceptionis momento, quia nunquam ortum habuit in ipsa: Si enim appetitus sensitiuus Deiparæ ex natura sua propendebat, siue ex inditis habitibus in bonum stimulantibus, ad patientiam videlicet, longanimitatem, temperantiam, religionem, &c. Ergo nullus fomes ad malum vnquam in B. Virgine sedem fixit: Si ergo nunquam infuit, ergo neque solutus, neque ligatus, neque accensus, neque extinctus. Cessant ergo plures disceptatiunculæ obortæ ex diuersis aliorum sententiis, si asseramus allectamentum vitiorum in appetitu sensitiuo B. Virginis à primo suæ conceptionis instanti sedem habuisse. Neque enim obstat, vt monui, quod remanserit in B. Virgine ipsa naturalis potentia appetitus sensitiui, quæ ex se quidem est propensa in obiecta sensibilia, etiam in illa, quæ rectæ rationi aduersantur. Siquidem naturalis facultas appetitus sensitiui, non quomodocumque est, & dicitur fomes peccati, sed pensatis omnibus, quæ in eodem subiecto reperiuntur: quocirca licèt in Christo fuerit etiã hæc naturalis potentia appetitus sensitiui ad omnia obiecta sensibilia, quia tamen aderat in Christo singularissima gratia Vnionis, non fuit in illo facultas proxima tendendi in obiecta sensibilia rationi aduersantia. Constat enim inter omnes, vt benè Valentia tom. 4. disp 2. quæst. 1. part. 4. nunquam in Christo Domino fuisse peccati fomitem; eadem igitur proferimus de B. Virgine, seruatâ tamen debita proportione, quod adumbrari video cum Valentia apud Ezechiel. 43. in verbis illis: *Ecce gloria Dei Israël*, id est Christus, *ingrediebatur per viam orientalem*, id est per B. Virginem, *& terra*, id est caro ipsius Virginis adeoque eius appetitus; *splendebat*, id est penitus à fomite peccati immunis, *à maiestate eius*, id est Christi.

Appetitus sensitiuus Mariæ ex natura sua ad bonum propendebat.

Valent.

Ezech. 43. num. 3.

CERTAMEN III.

Vindicatur Mariana immunitas ab omni peccato actuali.

872. Plures ex Hæreticis insultant B. Virgini, & plures Nouatores criminis insimulant eam. Magdeburgenses aiunt grauiter deliquisse filium amittendo. Audaciùs oblatrant Caluinus in Harmonia circa caput 1. Lucæ, & in Antidoto Concilij Tridentini. Kemnitius in examine eiusdem Concilij sess 5. Brentius in cap. 1 2. Matth. & alij apud Canisium lib. 1. de Deipara cap. 10. qui omnes immaculatam B. Virginis vitam proscindunt verbis blasphemis, & superfluam vocant illorum disceptationem, qui eam ab omni noxa actuali immunem fuisse ostendere conantur. Canis.

Constans tamen Ecclesiæ vniuersalis traditio & sententia est, quæ Mariam ab omni peccato actuali immunem facit; satisque tradita in Concilio Trident. sess. 6. Can. 23. illis verbis: *Si quis hominem semel iustificatum dixerit amplius peccare* Conc. Trid.

non posse; aut contrà, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei priuilegio, quemadmodum de B.Virgine tenet Ecclesia; anathema sit: Quo loqnendi modo satis luculenter tradiderunt illi Patres hanc sententiam ratam, firmamque esse Ecclesiæ traditionem. Quam veritatem esse iam sancitam in Concilio Claromontano sub Vrbano II. cui ipse Vrbanus præfuit, docet Vasquez tom.1. in 3.part. dist. 120. cap.1. & And. de Vega lib.14. in Concil. Trident. cap. 18. videlicet Virginem Deiparam singulari diuinæ prouidentiæ priuilegio fuisse semper immunem ab omni peccato actuali, etiam veniali. Quod suaderi potest eis sacræ paginæ testimoniis, quibus ostendi solet eandem B. Virginem ab omni macula primigenij delicti fuisse prorsus exemptam. Deinde eadem veritas sanctorum Patrum testimoniis innititur. Præeat Theologorum Sol August. lib. de natura, & gratia cap. 36. *Excepta itaque sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem; si omnes sanctos ac sanctas cum hic viuerent congregare possemus, & interrogare, vtrùm essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Vtrùm hoc quod iste dicit, scilicet Pelagius, illos etiam fuisse sine peccato? An quod Ioannes Apostolus? Rogo vos quantalibet fuerint in hoc corpore excellentia sanctitatis, si hoc interrogari potuissent: vna voce clamassent: Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Vbi perspicuis verbis Augustinus B.Virginem excipit à lege ordinaria, iuxta quam alij homines, quantalibet sanctitate præditi, dum hanc mortalem vitam degunt, interdum in aliquod peccatum saltem veniale prolabuntur: Idem censet S.Cyprianus ser. de natiu. Christi verbis illis: *A cæteris plurimum differebat, quibus natura communicabat, non culpa.* S.Bernardus illustri testimonio suffragium fert epist.174. *Copiosior*, inquit, *sanctificationis benedictio in eam descendit, quæ ipsius non solum sanctificaret ortum, sed & vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem: quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum; Reginam Virginum singulari priuilegio sanctitatis absque omni peccato ducere vitam; quæ dum peccati, mortisque pareret Redemptorem, munus vitæ, & iustitiæ obtineret omnibus.* & ser. 2. de Assumpt. B.Mariæ. *Absit*, ait, *vt proprij quidquam inquinamenti domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur.* Quæ nulla est alia nisi pœnitentia; hac autem opus non habuit, quia nihil inquinamenti contraxit: & S.Anselmus lib. de excellentia B.Virg. cap.3. hæc habet: *Nulli dubium, castissimum corpus, & sanctissimam animam eius funditus ab omni fuisse macula peccati iugi Angelorum custodia protectam, vtpote aulam, quam suus, & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex qua hominem in sua persona vnitate ineffabili fuerat operatione suscepturus.* Variis etiam rationibus à D.Thoma suadetur hæc veritas 3. part. quæst.27. art.4. primo, quia decuit omninò vt B.Virgo eximeretur ab omni peccato, etiam veniali, alioquin non esset idonea Mater Dei, si aliquando, vel leui noxa commacularetur: cùm enim Deus ad aliquod dignitatis fastigium euehit aliquos, omni donorum supellectili ad tale munus conducenti, illos adornat, iuxta Paulum 2.Corinth. 3. *Idoneos nos fecit ministros noui Testamenti.* Ergo etiam Deus fecit idoneam Virginem Mariam per gratiam, vt dignum Verbi diuini habitaculum effici mereretur: Quod luculenter ostendit Gabriel, dum ait: *Inuenisti gratiam apud Deum, Ecce concipies.* Deinde sicut Parentum decus, ac nobilitas redundat in prolem, iuxta illud Prouerb.17. *Gloria filiorum Patres eorum*, ita etiam ea aduerso infamia, & ignominia Virginis Matris, ac ignobilitas per peccatum contracta corriuaretur in filium, illumque aliquo modo commaculasset. Præterea Virgo Deipara maximam cum Christo cognationem contraxit, qualis intercedit inter filium, & parentes; quî ergo affinitatem, & coniunctionem nancisci poterat cum peccato, cùm dicat Paulus: *Quæ coniunctio Christi ad Belial?* 2. Corinth.6. alioquin aliqualis etiam intercederet agnatio, & affinitas inter Christum, & peccatum: Siquidem coniunctio Mariæ cum peccato, aliquo modo refunderetur in Filium. Demum quia Deus singularissimo, quodammodo, non solum animam, sed & vterum B.Virginis possedit, & incoluit, qui est Dei sapientia: hæc autem ait; *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis*: Ergo B. Virgo nulli vnquam peccato actuali subiacuit. Quia ergo B. Virgo de Spiritu sancto conceptura erat, oportuit vt vniuersos defectus ignoraret: quod in aquarum natura præluserat Deus, quæ instar Mariæ de Spiritu sancto conceperunt, ait enim Christus, Ioan.3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*: O grande aquarum priuilegium, quia nominis Mariæ baiulæ à Spiritu sancto fæcundari meruerunt; indeque nullum defectum, nullam deformitatem, inanitatem nullam pati potuerunt, & ab ortu suo Spiritus sancti lectica splendeos effectæ, munditiem, ac splendorem pellucidum præ se ferebant, dum terra deformis, & inculta apparebat, cœlum informe, & absque syderum cælatura visebatur: ait enim sacer Scriptor Genes.1. *In principio creauit Deus cælum, & terram, terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, & Spiritus Domini ferebatur super aquas.* Quod profunde expenderat Tertullian. lib. de Baptismo. *Habes inprimis ætatem venerari aquarum, quod antiqua substantia. Deinde dignationem quod diuini Spiritus sedes, gratior scilicet cæteris tunc elementis. Nam & tenebræ tota adhuc sine syderum cultu informes, & tristis abyssus, & terra imparata, & cælum rude: solus liquor semper materia perfecta, læta, simplex, de suo puro dignum vehiculum Deo subiiciebat.* Meritò Maria quòd MARIAM adumbrarent nullum ab ortu suo defectum, nullam deformitatem experiuntur, quando terra vacuitatem patitur, cœlum ipsum lumine viduum defectus sustinet, ac vniuersus Orbis tenebrarum horrido tumulo consepelitur; vt hoc symbolo ediscas, solam Mariam à primo Conceptionis exortu, quia de Spiritu sancto fæcundandam, sine deformi noxæ originalis macula, ac sine defectu, & inanitate vlla peccati actualis vel leuissimi, semper perfectam, pellucidam, multiplici gratiarum, donorumque decoramento permansisse conspicuam, vt de hoc suo splendore dignum Deo vectaculum subiiceret. Quare aptius Mariæ aptabis, quod de Angelis expenderat D.Fulgentius lib. 2. ad Trasimundum Regem c.3 vbi discriminat redemptionem hominis, & Angeli in eo, quod homini fuerit medicina quæ morbum præsupponit; Angelo quasi esca, quæ robur addat, ait ergo: *Vna est in vtroque gratia operata: in homine, vt surgeret; in Angelo, ne caderet: ab illo infirmitatem depulit, hunc infirmari non sinit; istius esca,*

Veritas est ab Ecclesia definita, B. Virginem ab omni peccato actuali etiam veniali fuisse immunem.
Conc.Clar.
Vasq.
Andr.Vega.
August.
Cyprian.
Bernard.
Anselm.
D. Thom.
2.Cor.3.
Prou.17.
Ioan.3.
Genes.1.
Tertull.
Maria quia vmbra Maria nullum ab ortu suo defectum, vel deformitatem experiuntur.
Fulgent.

esca, illius medicina: Redemptio igitur Christi tanquam esca Mariam solidauit, roborauit, in bono confirmauit, ne caderet, ac prolaberetur, vel in minutula peccata, venialesque defectus: non verò exstitit pharmacum, quod peccati morbos depellat, quod sanam reddat. Hinc sponsus Mariam alloqueos Canticor. 7. fatur: *Venter tuus sicut aceruus tritici:* Quasi Christus Matri sit, tanquam panis ex farinæ flore subactus, qui Matrem nutriat, roboret, viresque confirmet in virtutis, non medicina peccatorum ægritudinem depellens; non enim eam siuit peccati alicuius morbo infirmari; quare Mariæ fuit esca; reliquis hominibus peccatorum multiplici morbo detentis, medicina. Et vt meote percipias, quantum vel leuem noxam exhorruerit, quamque oppositionem diceret Deipara cum quouis, vel leuissimo peccato; si ipsi daretur optio lachrymanti iuxta Crucem ob tormenta, ac Filij cruciatus, ac mortem; an vellet Gnatum à morte crudelissima eximere, eumque cum Patre in cœlis regnantem, mox conspicere, ac vnà millenos mundos saluos facere, aut vel vnum leue peccatum perpetrare; potius, vt erat recti, bonique seruatrix honesti, nollet illud committere, ac mallet filium, iterum cruci, ac morti addicere; ac si opus fuisset, ipsa manibus suis clauos refigeret, ac illum litaret; non igitur tam paruum, ac leue malum est quod ita B.Virgo exhorret, & Christus.

Cantic. 7.

Ingens malum peccati venialis.

873. Sed ingruunt sectarij agmine facto; conanturque propositam veritatem quibusdam Scripturæ locis sinistrè detortis, funditus euertere. Aiunt ergo Virginem Deiparam multipliciter deliquisse, nempe per curiositatem, & infidelitatem, cum ex Angelo sciscitata fuit: *Quomodo fiet istud?* Luc.1. Per incuriam; quando filium amisit, Luc.2. per quandam desperationis speciem præ nimio dolore; quando illum dolenter quærebat; & quasi expostulans filium allocuta ait: *Fili quid fecisti nobis sic?* Luc.2. Per ignorantiam etiam deliquisse probant, quia Christo responsuo eis reddente, ait sacer Euangelista: *Ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos.* Per vanam, & inanem gloriam, cum ad filium ait in nuptiis: *Vinum non habent.* Ioan. 2. ac demum per importunitatem Matth. 12. cum Christo ad turbas concionanti; *stabat ipsa, & alij foris quærentes loqui ei;* sed in his, & aliis similibus euentibus constanter affirmamus, B. Virginem in nullo vel leuissimo peccato deliquisse. Quòd enim à Gabriele petierit, *Quomodo fiet istud?* haudquaquam incredulitati vertendum, sed piæ cuidam admirationi. Quòd verò filium amiserit, non negligentiæ alicuius coarguenda est, cùm ducta probabilibus rationibus existimare potuit esse in comitatu virorum: sacrilego autem, ac blasphemo ore ingentem Virginis Matris dolorem in quærendo filium, desperationi vertont; cùm potiùs maternæ affectui naturali, & quidem iustissimo adscribi oporteret. Nec ignorantiæ culpabilis insimulanda B.Virgo, quòd non penitùs assequeretur arcanas diuini Consilij rationes cum Filius substraxit se Matri, & remansit in Templo, de diuinis rebus, cum legis Doctoribus congressurus. Deinde temerario ausu piam B.Virginis compassionem ac fidei plenam, nempe quòd deficiente vino in nuptiali conuiuio, illius defectum filio patefecerit, illorum necessitati occursura, auræ populari vanæ gloriæ attribuunt. Vnde nec verba Filij respondentis: *Quid mihi, & tibi est, mulier? nondum ve-*

Hæretici scripturæ locis contendunt B.Virginem venialis culpæ ream fuisse.

Luc.1.

Luc.2.

Ioan.2.

Matth. 12.

nit hora mea: reprehensionem continent, sed mysterium, quo innuit Christus se non purum hominem tantùm è sola matre pendentem, sed esse sublimioris cuiusdam naturæ, nempe Deum simul. Denique verba illa Matth. 12. *Adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius, & fratres stabant foris quærentes loqui ei.* non denotant Matrem Virginem importunè illum interpellare voluisse concionantem; imò oppositum constat, cùm dicat textus: *stabant foris*, nimirum expectantes temporis opportunitatem. Videndus Canisius lib. 4. de Deipara per plura capita.

874. Nunc explicanda aliqua Patrum testimonia, quæ nonnihil Hæreticis fauere videntur. Addunt ergo pro se primò Chrysost. hom. 49. in Genes. & Authorem quæstionum noui Testamenti apud August. in 4. tom. q. 51. & Athanasium in sermone de sanctissima Deipara pag. 5. qui omnes docent B.Virginem cum illa verba protulit: *Quomodo fiet istud?* dubitasse; dubitare autem in rebus fidei, & incredulum esse, aliquod peccatum est. Sed non loquuntur hi Patres de dubitatione in fide, nec de hæsitatione incredulitatis, sed admirationis: ita S.Thom. 3. p. q. 30. art. 4. ad 2. Sixtus Senen. lib. 5. Biblioth. sacræ annot. 104. nullum autem verbum protulerunt dicti Patres, ex quo colligere liceat, Virginem Deiparam, aliquo modo contra fidem deliquisse; rectè in rem præsentem dixit Ambros. lib. 2. de Abrah. cap. 8. *Qui quærit quomodo sciat, non dubitat, manifestantè Deo cognoscere se posse, sed formam vult acquirendæ cognitionis aduertere, nam & in Euangelio, Maria, cum audisset ab Angelo quòd Virgo paritura esset filium, respondit, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & lib. 1. in Lucam pro Mariana innocentia sic dimicat: *Etenim cum dixit, Quomodo fiet istud? non de effectu dubitauit, sed qualitatem ipsius quæsiuit effectus.* Videatur August lib. 16. de Ciuit. cap. 24. qui pro nostra sententia stat, & S.Bernard. hom. 4. super *Missus est*, sic fatur de B. Virgine: *Non dubitat de facto, sed modum requirit, & ordinem, neque enim quærit an fiet istud, sed quomodo?* Dilucidius autem B. Virginis mentem dum dubitat, exponit Bernard. cit. hæc subiungens: *Cum sciat Dominus meus testis conscientiæ meæ, votum esse Ancillæ suæ non cognoscere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat istud? Si oportuerit me frangere votum, & pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de proposito, fiat tamen voluntas eius; si verò Virgo concipiam, Virgo & pariam, quod vtique si placuerit ei, impossibile non erit, tunc scio verè quia respexit humilitatem Ancillæ suæ: Quomodo ergo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quid clarius, & aptius dici potuit, pro tutanda Mariana innocentia aduersus Nouatores.

Aliqua Patrum testimonia exhibentur, quæ nonnihil hæreticis fauere videntur. Chrysost. Athanas.

D.Thom. Sixt. Sen.

Ambros.

August. Bernard.

875. Alia vrgentiora testimonia afferri solent ex D. Chrysostomo deprompta, quæ maius negotium facessunt; hom. 45. in Matth. tom. 2. in illa verba: *Mater eius, & fratres eius foris stant quærentes te:* hæc subiungit: *Manifestum est quod solum ex vana gloria hoc faciebant*, & in illud Ioan. *Vinum non habent.* Ait idem hom. 20. in Ioan. *Voluisse B. Virginem se ipsam clariorem facere per filium;* & subdit: *Fortassis quid humanum patiebatur, quemadmodum & fratres eius dicentes: Manifesta te ipsum mundo.* Respondendum cum D. Thom. 3. p. q. 27. artic. 4. D.Chrysostomum illis verbis excessisse, cùm omnes Interpretes, & Patres potiùs B. Virginem ob obsequium illud in sponsos præstitum laudibus euehant, eamque ab omni, vel leuis peccati macula

Chrysostomus clarius in prolatam sententiam propendet: in quo quidem excessit iuxta S. Thomam. Chrysost.

D.Thom.

cula immunem faciant · Præferenda est autem communis aliorum Patrum conclusio opinationi vnius, vel alterius, præsertim vbi de honore, & indemnitate tantæ Matris agitur. Aliqua etiam producuntur testimonia ex eodem Chrysost. hom. de occursu Domini, & in Psalm. 13. vbi non obscurè videtur consentire cum Origene hom. 17. in Luc. vbi verba illa Simeonis Luc. 2. *Et tuam ipsius animam pertransiuit gladius*, de Infidelitatis gladio interpretatur, & in Psalm. 118. ait, B. Virginem in seueritatem diuini iudicij venturam, ratione alicuius peccati. Cui consentit Author quæstionum ex nouo Testamento q. 73. & S. Basilius in Epistol. ad Optimum, Authore D. Thom. cit. Verùm hæc interpretatio præterquam quòd falsam, & absurdam contineat sententiam, nequit in verba Simeonis quadrare. Gladius enim hoc loco sumitur pro vehementi dolore Animam Mariæ transadigente ex inspectione Christi in cruce patientis: ita Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. August. epist. 59. Beda & Euthym. in c. 2. Lucæ, Sophron. de Assumpt. apud Hieron. tom. 9. Bernard. super *Signum magnum*. Rupert. lib. 13. in Ioan. in cap. 19. Solus Ambros. in Luc. lib. 2. expendens quisnam fuerit ille gladius ait: *Et ideò prudentiam Mariæ haud ignaram Mysterij cælestis ostendit (nempe Simeon.) Viuum enim Verbum Dei, & validum, & acutius omni gladio acutissimo penetrans vsque ad diuisionem animæ, & spiritus.* Vbi per gladium, Verbum Dei capit. Alij etiam aiunt gladium eò loci accipi pro Amore, ita vt Simeon prædiceret futurum, vt amor erga filium Deiparam transuerberaret, iuxta illud Cant. 4. *Vulnerasti cor meum*: ex quo patet immeritò per gladium, incredulitatem intelligendam: à qua distorta interpretatione nititur excusare Chrysostomum Sixtus Senens. lib. 5. Biblioth sacræ annorat. 104. vt solum locutus fuerit de stupore, & admiratione, non verò de dubitatione quæ incredulitatem contineat.

Basil.

Damasc. Beda. Euthym. Sophron. Bernard. Rupert. Ambros.

Cant. 4.

Supersunt adhuc alia testimonia explicanda quibus aduersarij muniti instare possunt Virginem Deiparam aliquam venialem culpam incurrisse. Nam Concilium Mileuitanum Cau. 6. & 8. sanxit, neminem sine peccato reperiri, ita vt non solum ex animi demissione, sed etiam verè dicere quemlibet posse, peccatis attaminatum esse, nec solùm pro aliis, sed pro se ipso rogare, ac veniam à Deo extorquere, dum illud Orationis Dominicæ profert: *Et dimitte nobis debita nostra.* In cuius rei probationem affert Concilium præfatum illud Ioannis epist. 1. cap. 1. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus.* & illud Iacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Hæc autem omnia per verba Concilij Tridentini à nobis alibi producta, non cadunt in Virginem Deiparam: ait enim hoc peculiare priuilegium ipsi fuisse collatum, vt neque peccato aliquo veniali commacularetur. Quod autem spectat ad illud Orationis Dominicæ, *Et dimitte nobis debita nostra*; eodem modo ab vniuersali Concilij definitione eximenda est; ita vt, non pro se, sed nomine Ecclesiæ verba illa protulerit. Hallucinantur autem, qui adstruunt B. Virginem dubiam, & ancipitem fuisse de sua impeccantia, & innocentia, rectè enim nouerat se ex specialissimo Dei priuilegio carere proxima potentia ad peccandum, vt docet Vasq. tom. 2. in 3. p. disp. 120. c. 4. n. 54.

Conc. Mile.

Ioan. 1.

Iacob. 3.

Vasq.

876. Arguunt præterea Centuriatores Centur. 1. in vita Virginis teste Canis. lib. 1. de Deipar. cap. 10. affectu aliquo inanis gloriolæ perculsam Deiparam miraculum à filio extorsisse; cum dixit, *Vinum non habent.* Quod innuunt verba Christi aliquantulum duriuscula, ac speciem reprehensionis præ se ferentia: Cui censioni adstipulari videntur aliqui Patres; nam S. Irenæus lib. 3. aduersus hæreses cap. 18. num. 7. hæc habet: *Propter hoc properante Maria ad admirabile vini signum, & ante tempus volente participare de poculo, Dominus repellens eius intempestiuam festinationem dixit: Quid mihi, & tibi est, mulier?* Negauerat autem paulò ante S. Doctor nihil esse apud Deum intempestinum, nihil incomptum, & subdit verba præfata. Et Athanasius serm. 4. contra Arianos ait, Christum, Matrem increpasse, dum dixit, *nondum venit hora mea.* Subscribunt Chrysost. hom. 20. in Ioan. Theophylact. Euthym. qui ait, B. Virginem voluisse per filij potentiam suam gloriam demonstrare, ac proinde à Filio fuisse correptam tanquam intempestiuè petentem. Constanter tamen tenendum est, nullum opus exhibuisse B. Virginem aliqua reprehensione dignum, quidquid sit de horum Patrum sensu: non solum enim prorsus indecens arbitramur B. Virgini aliquod vel minimū peccatum tribuere, verum etiam aliquid minus prudenter, & intempestiuè prolatum, quod increpationem, vel asperum aliquod verbum mereretur: & quamuis aliqui verba prædictorum Patrum in bonum sensum trahere conentur; vix tamen excusarij possunt: satius est dicere cum D. Thom. eos excessisse: Quòd autem B. Virgo non intempestiuè postulauerit miraculum; inde bene elicitur, quod scilicet facile à filio illud obtinuerit. Maldonatus in cap. 2. Ioan. ad verba præfata, in ea est sententia, vt asserat ea Christi verba continere reprehensionem; Ea tamen à Christo fuisse vsurpata simulatè, non verè, vt videretur increpare Matrem illud exposcentem, eo fine, vt innueret se non ex affectu humani sanguinis, sed ex charitate, & vt Diuinitatem ostenderet, miraculum patrasse; sicut Iudex quem vult absoluere verbis asperis coarguere solet, ne ipsum ex gratia absoluisse videatur. Ideoque putat idem Author Christum B. Virginem, non Matrem, sed Mulierem nuncupasse, vt omnis carnalis affectus suspicionem à se procul arceret.

Canis.

Irea.

Athanas. Chrysost. Theoph. Euthym.

Maldon.

Hæc autem expositio displicet Patri Vasq. cit. num. 6. quia vt ipse confirmat in 1. 2. disput. 182. cap. 4. hoc interest discrimen inter significationem verborum, & rerum, ex D. Thom. 2. 2. q. 111. art. 1. quod res desumi potest pro arbitrio vtentis ad varias res significandas; at verba solum assumi possunt ad significandum eam rem, ad quam instituta sunt. Vnde rebus vti possumus simulatè, non verbis sine mendacio: quare Christus non potuit simulare, aut fingere reprehensionem verbis illis: *Quid mihi, & tibi est, mulier.* non enim potuit vllo modo mendacium proferre.

Vasq.

Ideo alij ita verba præfata interpretantur, vt voluerit Christus verbis illis, suam Diuinitatem patefacere, ac virtutem miracula patrandi, quæ sibi non ab humanitate, quam hauserat à Matre, sed à Diuinitate merat · ita Origen. in catena Græcâ August. lib. 1. ad Catechumenos de symbolo c. 5. Gregorius lib. 8. Registri epistola 42. Beda in eum locum Ioannis. Quocirca Christi responsum non eo animo fuit, vt Matrem argueret, quod intempestiuè aliquid exposceret, sed vt circunstantes ea de re instrueret. Mihi autem arridet, vt sensus illorum verborum: *Quid mihi, & tibi est, mulier?* sit, vt voluerit Christus Matri suæ innuere, 877.

Sacra Scripturæ loca in bonum sensum accipiuntur, quæ ab hæreticis proferebantur.

Orig. August. Gregor. Beda.

ue

ne sollicita esset de re, quia nondum vinum omnino defecerat; ac proinde nondum venit mihi hora statuta ad patiandum miraculum in Dei gloriam, eo magis eximium, quo maior defectus vini, & notior omnibus ostendebatur: quæ interpretatio placuit Vasq. cit. Cùm autem Christus

Vasq.

protulit illa verba speciem reprehensionis præ se fereotia, *Quid est quod me quærebatis, nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.* Luc. 2. & alia Matth 12. *Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei?* Respondeo priora verba neque veram, neque simulatam reprehensionem continere, imo ita blandè, eaq; comitate quæ potuerunt à Christo proferri; vt potius essent solatio B. Virgini, quibus parentum dolorem leniter, aperirétque dolorem, quem de parentum labore animo conceperat. Posteriora verò verba, licèt admitteremus non sine acri reprehensione fuisse prolata, ea tamen non ad Virginem Deiparam, sed ad circunstantes, qui de aduentu Mariæ, & Ioseph, intempestiuè coocionem interrupetant, ipsúmque admonuerant, referebantur.

Luc. 2. Matth. 12.

878\. Dirutis ergo Hæreticorum fundamentis, & Patrum testimoniis in verum sensum explicatis; constans, ac firma manet Catholica sententia, nempe B. Virginem ab omni vel leuissimo peccato immunem fuisse; quam vnanimi Scholasticorum consensione Ecclesia docet, ac defendit: solus Gregorius in 2. dist. 30. q. 2. art. 1. ausus est dicere, Virginem Deiparam interdum venialiter deliquisse, ne illam diceret ab originali culpa exemptam fuisse, iuxta August. regulam, *Nullus est in peccato originali conceptus, qui non interdum venialiter saltem deliquerit.* Hæc tamen sententia ab Ecclesia damnata est: & vt refert Barthol. Medina 3. p. q. 27. art. 4. prope initium, Quidam Concionator, qui sententiam Gregorij præfatam pro rostris tradidet Romæ, sinistrè explicans verba S. August. coactus publicè palinodiam recantare. Imo existimo hanc immunitatem ab omni culpa, etiam veniali Virginis Deiparæ, nunc à nobis haberi de fide, non propter reuelationem nouiter factam, qua Deus post Apostolorum tempora id suæ Ecclesiæ patefecerit, & antea non reuelauerit, cuius rei optima est ratio Cardinalis Lugo tom. de fide disp. 3. q. 5. num. 73. nempe quia vt Ecclesia tempore Concilij Trident. hanc veritatem, tanquam fidei dogma proponeret, nullam aliam reuelationem de nouo factam alicui expendit, solum sacra volumina consuluit, ac traditiones Apostolicas æqua mentis trutina ponderauit; quemadmodum de more habet in quacumque alia fidei veritate: vnanimem item sanctorum Patrum sensum, ac dicta circa huiusmodi placitum trutinauit, non ita tamen quasi ipsis aliquid de nouo diuinitus reuelatum fuerit, vel quia eorumdem testimonia reuelationem diuinam præstarent, sed vt constaret, quo sensu ipsa sacrarum Scripturarum loca referarent, ac interpretarentur, ac doctrinam ab Apostolis haustam, ac traditam, quonam modo explanarent, circa sublimem, ac præcellentem maternitatis Dei dignitatem, quibus præmissis, ac iusta mentis indagine perpensis, Ecclesia sibi certo persuasit, immunitatem B. Virginis ab omni culpa leui, in excellentissima maternitatis Dei dignitate fuisse contentam, & tanquam firmissimam fidei veritatem credidit, ac credendam vniuersis Christi fidelibus proposuit; ac proinde ab Apostolorum tempore eadem veritas ex Dei reuelatione credita fuit; ipsi enim Matris Dei dignitatem sublimem penitus introspiciebant, eiusdemque singularissima priuilegia altiùs penetrabant.

Statuitur vera, & Catholica sententia, quæ B. Virginem ab omni leui culpa immunem facit.

Gregor.

August.

Barth. Med.

Card. Lugo.

879\. Vrget tamen aduersus hic dicta communis difficultas: Siquidem aliqua fidei dogmata nunc nobis credenda proponuntur, quæ tamen Apostoli explicitè non crediderunt V. G. hunc numero, hominem Innocentium X. esse verum summum Pontificem, Concilium Tridentinum esse verum Concilium; idemque dicendum de hoc Mariano priuilegio, nempe nullum, vel leue peccatum commisisse B. Virginem toto vitæ tempore, cum enim hæ veritates nondum tempore Apostolorum euenerant quoad effectum non opus fuit, vt Apostoli illas explicitè crederent, sed tantùm pro vt continebantur in aliqua vniuersali propositione de fide; non enim necessarium fuit omnia futura illis reuelari: Ita Suar. de fide disp. 2. sect. 6. num. 18. Nihilominus arbitror veritates omnes, quæ ad fidem Catholicam pertinent, quæ ab Ecclesia in Concilio, vel à summo Pontifice definiuntur, ita pertinere de nouo ad fidem, vt antea Apostolorum tempore iam pertinuerint: ita Cardinalis Lugo de fide disp. 3. sect. 5. & probari potest ex Ioan. 14. 26. *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Ideò S. Epiphan. Hæresi 66. docet: *Apostolos accepisse donum, quo omnia ipsis clare Spiritus Sanctus exposuit.* Videndus Suarius cit. num. 18. Turrianus de fide disp. 13. dub. 3 in vniuersum igitur docent Theologi nihil ab Ecclesia definiri, tanquam fidei dogma, quod primis Apostolorum temporibus à Deo reuelatum non fuerit, vel in sacris codicibus, vel per traditiones Apostolicas. Hinc natum fuit, vt Ecclesia, & Pontifex quotiescumque ad alicuius veritatis definitionem accedit, diligenti indagine Scripturarum sensum inuestigat, Maiorum traditiones perpendit, doctrinam SS. Patrum euoluit, vt clariùs constet quid Ecclesia primitiua de illa re à Deo, vel ab Apostolis Ecclesiæ primoribus hauserit; siquidem fides Catholica Apostolis fuit tradita, & ab ipsis hæreditaria successione ad nos fuit deuoluta. Quando igitur Pontifex proponit hanc veritatem credendam, nihil aliud præstat, quàm declarare illam contineri in his quæ vel per Scripturam, vel per traditionem ipsis Apostolis reuelata sunt: nunc enim Deus nullas veritates de nouo Ecclesiæ reuelat ad fidem pertinentes, quæ ipsis Apostolis non fuerint iam detectæ in ipsis Ecclesię nascentis exordiis, ita Lugo citatus num. 70. cum Vualdensi, Cano, & Suario.

Nihil ab Ecclesia definitur tanquam fidei dogma, quod primis Apostolorum temporibus à Deo reuelatum non fuerit.

Suar.

Card. Lugo.

Ioan. 14. 26.

Nec obstat, eiusmodi immunitatem ab omni leui culpa in Deipara, tempore Apostolorum nondum quoad effectum euenisse, cum adhuc huius superstes vitæ fuerit, nam poterant illi eâdem omnino fide diuina tenere de veritate futura, quod nos eadem fide de præterita veritate tenemus; discrimen enim præteriti ac futuri in ordine ad assensum fidei, accidentarium omnino est. Præsertim cùm plures ex Apostolis, vel omnes, vel morti, vel funeri adfuerunt, adeoque veritatem hanc de præterito fide diuina credere potuerunt, & re ipsa crediderunt, ac credendam tradiderunt, vt patet in Liturgia à S. Iacobo Apostolo tradita, cuius meminit, eámque suspicit VI. Synodus Canon. 32. vbi illa verba habentur: *Commemorationem agamus sanctissimæ, immaculatæ, gloriosissimæ benedictæ Dominæ nostræ Matris Dei, & semper Virginis Mariæ*, & post consecrationis

VI. Synod.

verba.

verba, ait Sacerdos; *Præcipuè sanctissime, immaculatæ, super omnes benedictæ gloriosæ Dominæ Nostræ Deiparæ,&c.*& respondet Chorus: *Dignum est, vt te verè beatam dicamus Deiparam semper Beatam, & omnibus modis irreprehensam, & Matrem Dei nostri.*

CERTAMEN IV.

An licuerit B. Virgini consentire in Circumcisione Christi Domini.

880. POstremò aduersus immunitatem Marianam ab omni culpa actuali obiicere posset quispiam, non licuisse B. Virgini filium circumcidere, vel per se ipsam, vt cum aliis commonstrat Barradas, tom. 1. concor. Euang. lib. 9. cap. 1. vel per alium, vt malunt alij apud Christophorum de Castro in Hist. Deip. cap. 7. num. 25. & tamen ipsa consensit: ergo non sine aliqua culpa.

Barrad.

Castro.

Maior propositio, quæ difficultatem ingerere potest, suadetur primò: nam secluso Dei præcepto nefas erat filios circuncidere, quippe vulnus illud ex circuncisione ortum, infantem mortis discrimini obiiciebat; neque etiam alicuius membri abscissio licuit vnquam homini, dempto Dei præcepto, ac seclusa salutis, seu maioris boni necessitate: sed Christus D. nullo tenebatur Circuncisionis præcepto, vt omnes vnanimi consensu fatentur: Ergo neque Virgini Deiparæ, neque Iosepho licuit consensus in infantis Iesu circuncisionem. Nec fas est asserere cum Caiet. in 3. p. q. 37. art. 1. licere circumcisionem adhuc ablato Dei præcepto, non vt legalem cæremoniam, vel ob obseruantiam legis veteris iam antiquatæ, neque in remedium originalis peccati, sed solum vt homo Christo conformaretur; sublato igitur scandalo in eam sententiam inclinat, vt modo Circumcisio malum non sit per se, sed bonum, quia obiectum est indifferens, ex fine autem bonitatem haurit moralem. Sed falsa est opinatio Caietani; Christus enim solum assumpsit circumcisionem, vt cæremoniam legalem; quare velle conformari cum Christo in Circumcisione, nihil aliud est, quam velle conformari cum ipso in vsu eiusdem cæremoniæ legalis: sicut ergo non licet hæc conformatio cum Christo in aliis cæremoniis Mosaycis, quibus ipse Christus vsus est, ita neque in Circumcisione: Si verò vellet conformari Christo cum carnis afflictione, ac dolore; hoc neutiquam licitum est per abscissionem alicuius partis corporis.

Probari posset secundò hæc pars negans; non enim licebat B. Virgini consentire in circuncisione Christi, quatenus circumcisio erat instituta, tanquam signum fœderis inter Deum & Abrahamides, & quædam protestatio, & signaculum Christi venturi, & nasciturí ex semine Abraham, ac remedium peccati originalis; nato enim Christo euanuit signum, & cessauit finis: Deinde Christus concipitur absque vlla primigenij peccati labe: Ergo tale signum perperam applicari poterat Christo iam nato, & natura sua ab omni peccato prorsus exempto. Hæ tamen rationes proposita vera sententia facilè expedientur, nunc addenem, licèt ex alio capite non liceret eiusmodi circuncisio in Christo, tamen ad vitandum scandalum esset necessaria, cum enim Incarnationis miraculum omnibus occuleretur; partus è contra pateret omnibus, profectò graue scandalum ingereret Circumcisionis prætermissio.

881. Vera igitur sententia est sanctum, honestum, Deoque gratissimum fuisse Christum D. circumcidi; tum licitè, ac sanctè B. Virginem consensisse in Christi Circumcisionem. Vtraque assertionis pars est fide credenda. Ita Suar. tom. 2. in 3. p. dist. 15. sect. 1. Prima pars constat, quia certum est, & de fide tenendum Christum D. fuisse circumcisum, vt tenet Ecclesia, & vniuersus Patrum ac fidelium consensus, innixus Euangelistæ verbis Luc. 2. *Postquam consummati sunt dies octo vt circumcideretur puer.* Ergo sanctum, & honestum fuit Christum subiici Circumcisioni. Quòd autem B. Virgo sanctè, ac licitè consenserit in Christi Circumcisionem patet, quia Circumcisio, non solum vt passio erat, sed etiam, vt actio fuit Christo voluntaria, ac grata, ac directè volita, non solum permissa, imo ab æterno Patre ordinata; censeo enim B. Virginem non sine speciali Dei ductu, vel explicita reuelatione in Circumcisionem filij consensisse; ideò S. Epiphan. lib. 1. hæresi 30 docet Christum D. suæ Circuncisionis authorem fuisse. Præterea Circoncisio actio erat sacra, authoritate diuina ad Dei cultum inuenta, nondum abrogata, quia Baptismus nondum institutus, imò post Christi mortem licita fuit Circumcisio; Paulus enim circumcidit Timotheum: ergo licitè potuit Virgo Deipara consentire in Christi Circumcisionem. Quid quod Circumcisio primariò à Deo instituta fuit vt Dei populum diuino cultui manciparet, & ab aliis per illud signaculum segregaret. Vnde Gen. 17. ait Deus: *Statuam pactum meum inter me, & te, vt sim Deus tuus, & seminis tui post te. Circumcidetis carnem præputij, vt sit in signum fœderis inter me, & vos.* Hæc autem significatio optimè Christo adaptari poterat: reliquæ verò significationes seiungi poterant à Circuncisione cum non ita clarè exprimerentur, adeóque sine mendacio vsus Circuncisionis in Christum cadere potuit.

B. Virgo licitè, ac sanctè consensit in circumcisionem Christi infantis.

Suar.

Luc. 2.

Epiph.

Gen. 17.

Plures item afferuntur causæ à S. Epiphanio cit. quibus permotus Christus Circuncisionem seligeret: nempe primo vt ostenderet, *se ipsum in veritate carnem assumpsisse, propter Manichæum, & eos, qui dicunt eum in specie apparuisse*: Deinde ne Iudæi excusationem obtenderent se Christum non suscepisse, quia circuncisionis legem violasset; si Circuncisionem non subijsset: *Hæc est causa circuncidendi, non enim ferebant audire verbum ab incircunciso; Vnde opus fuit circuncidi, vt tollat Circuncisionem*, inquit Chrysost. homil. 34. in act. Apost. Oportuit etiam Christum circumcidi, ne à semine Abrahæ alienus existimaretur, & consequenter non crederetur à Iudæis esse ille, de quo vaticinatum fuerat ipsi Abrahæ, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*, vt bene ponderat August. lib qq. Noui Testamenti quæst. 882. 42. *Circumcisio, ait, vsque ad Christum ducta est; ideò debuit circuncidi vt ipse probaretur esse, qui promissus Abrahæ esset, ita vt de cætero circumcisio cessaret, impleta promissione.* Denique ex eo voluit Christus circuncidi, vt pro nobis maturè Deo Patri inciperet satisfacere, & redemptionis nostræ quasi procemium, quod non minoris valoris esset, quam totum pretium Patri offerret. Quod eleganter exprimit Eusebius Emis. hom. in octaua Natiuitatis Domini: *Nobis enim, inquit, circumciditur Dominus; sicut enim pro nobis*

Epiph.

Chrysost.

August.

Euseb. Emis.

Christus Dominus maluit ex semine Abraham carnē assumere, quam ex gentibus, vt citius per circuncisionem sanguinem pro nobis effunderet?

nobis est baptizatus, & passus, ita & pro nobis est circuncisus: Quamobrem Christus ex semine Abrahæ maluit carnem assumere, quam ex gentibus, vt sanguinem citius pro nobis effunderet. Quod in nobis inuidebat Iulianus à Christiana Religione refugus, iniquè ferens Christum selegisse ex Hebræorum populo carnem sibi assumere potius, quàm ex gentilico: *Quare*, aiebat ille, *non magis Gentibus misit eum Saluatorem, ac Redemptorem, concessit autem Israeli secundùm carnem*: cui Paulus occurrit ad Rom. 15. *Dico enim Christum Ministrum fuisse Circuncisionis.* Notanter ait Christum non ab Hebræis ortum duxisse, sed à populo circunciso, quasi sola Circuncisio fuisset tota ratio, cur ab Israële ortum duceret, vt iam octauo die à natiuitate maturaret pro homine sanguinis effusionem, quod acumine magno expenderat S. Cyril. Alexand. apud Barz. valentissimus in Iulianum Apostatam athleta. *Quasi botrum ait Propheta inueni Israel, & quasi in ficu fructum præcocem vidi Patres eorum; in ficubus autem dulcissimum, quod præ aliis maturescit, hoc est præcox, & præcurrens: Vnde quasi præcox fructus diuinus Abraham decerpebatur.* Adiungit Beda aliquam causam cur Christus circuncidi voluerit apud Toler. in Ioan. 2. Annot. 30. *Huiusmodi*, inquit Beda, *remediis egent, qui de peccati traduce propagati in iniquitatibus concepti, & in delictis sunt nati: Redemptor autem noster qui vt peccata mundi tolleret sine peccato venit in mundum: sicut suo baptismate nobis remedia procurauit, id est nostris abluendis sceleribus aquarum, quæ subiit, lauacra consecrauit; ita etiam circuncisione, quam suscepit non sua, quæ nulla erant admissa purgauit, sed nostra in se naturæ vetustatem docent innouandam, & nunc videlicet eam per se à vitiorum labe purgandam, & in nouissima die significans ab multifaria mortalitatis, ac mortis peste penitus esse restaurandam.* Ideò igitur Christus circumcisus, vt eius nobis significationem commendaret: *Iudæi*, inquit Eusebius citat. *in vno membro circunciduntur, quare autem circuncidantur non intelligunt; Christiani vero, quid circuncisio significet intelligentes, non vnum tantum, sed omnia membra circuncidunt, non pellis*

Rom. 15.

Cyril. Alex.

Beda.

Euseb. cit.

883. *incisione, sed totius superfluitatis abiectione*: Christus itaque vt sibi animas adscisceret in sponsas, quas deperibat, circuncisionem subiit, & ad sponsas suas annulum præputij dono mittit cum inscriptione nominis IESV, siue loco pretiosissimi lapilli sui ardentissimi amoris indice. Quod quidem præputium sibi Virgo Deipara asseruauit religioso cultu, ac veneratione, quem annulum siue præputium antequam in cœlum conscenderet B. Mariæ Magdalenæ custodiendum reliquit eadem B. Virgo, de quo Salmer. tom. 3. tract. 36. §. *quarum nonnulli*. Postea temporum decursu ad primariam sponsam suam, nempe Romanam Ecclesiam deuenit, vt fusè, & eruditè admodum refert Cardinal. Toletus citat. anotat. 31. Innocent. etiam III. lib. 4. de mysteriis Missæ, ait in Lateranensi Basilica reseruari, vbi locus sacer est, qui propter reliquiarum excellentiam, quæ sibi assetuantur, dicitur *Sancta Sanctorum*; inter quæ Christi præputium custodiri vsque in hodiernum diem tenet Romana Traditio. Sed hinc inferri dices Christi Corpus in cœlo existens carere hac parte carnea; quod communiter ab schola reiicitur, quia particula illa pertinet ad integritatem humani corporis: cur autem in omnibus Beatis reperietur huiusmodi corporis integritas, non verò in Christo? Supplementum Gabrielis in 4. dist. 44. quæst. 1. vt vtrique parti satisfaciat respondet forsan simul in terra manere præputium, & in corpore etiam Christi in cœlis existenti; in cœlis anima rationali informatum, hîc inanime. Sed hoc falsum puto, nulla enim sufficiens causa apparet tanti miraculi. Placet mihi cum Suario tom. 2. in 3. part. distinct. 47. sect. 1. in fine præputium siue particulam illam carneam esse de integritate corporis Christi, non verò illa indiuidua pars materiæ præputij abscissi à Christo infante, quia vt rectè docet idem Suar. ex August. & Thoma, ad veram resurrectionem opus non est, vt omnes partes materiales corporis, ex eisdem numero partibus materiæ componantur, ex quibus priùs constabant; sed sufficere vt totum compositum componatur ex eadem materia tota, si præcipuæ Compositi partes, & organicæ eædem omninò sint; licèt minima aliqua materiæ portio aliunde subrogetur, ex his, quæ aliquando fuerunt partes eiusmodi compositi; id inquam non obstabit veritati resurrectionis huiusmet Compositi. Quocirca si asseramus corpus Christi resurgentis assumpsisse præputium ex aliqua parte, quæ aliquando fuit pars ipsius corporis Christi, & per nutritionem soluta fuit, ac portio præputij abscissi in circuncisione mansisse apud nos ad augendum cultum, ac religionem in Christum, ac fidelium deuotionem; quo modo occurritur integritati corporis Christi in cœlo existentis sine alicuius miraculi continuatione, & nihil derogatur traditioni fidei humanæ quæ sustinet præputium Christi apud nos mansisse. Præsertim cum in omnium sententia asserendum sit; subrogandum esse aliquid materiæ præputio Christi abscisso tempore infantiæ, adeoque non constanti ex materia necessaria, vt restitueretur in ea granditate, quam corpus perfectæ magnitudinis desiderabat: id ergo opus fuit supplere, quod in vitæ decursu adquireretur per nutritionem: imò forsan ipsamet portiuncula præputij abscissi in infantia, si tunc non abscinderetur, per augem caloris naturalis nutritionē absumeretur, sicut de aliarum partium materia à Philosophis, & Theologis disceptari solet: Vnde non opus fuit assumere Christum resurgentem præputium, quod abscissum fuit in infantia, sed subrogare potuit loco illius alias partes per nutrimentalem calorem iam absumptas in ipso Christo.

In circuncisione Christus Dominus animas sibi desponsat.

Salmeron.

Tolet.

Innoc. 3.

Supp. Gabr.

Ioan.

Præputium Christi Domini in circuncisione abscissum Romæ manet, & tamen corpus Christi integrum manet in cœlo.

CERTAMEN V.

Vtrùm Virgo Deipara in die iudicij ad examen vocanda sit, sicut & reliqui.

EX discussis hucusque in superioribus certami- 884.
nibus, huius quæstionis decisio planè depromi poterat: quæ enim nullius culpæ rea extitit, imò adeò remota ab omni noxa originali, & actuali; nullum iudicium subitura est. Verùm cùm aliqui Doctores eam ream alicuius culpæ constituant, consequenter in examen vocandam in futuro supremo iudicio contendunt: opus est ergo noua discussione, vt Virginem Deiparam, à iudicio discussionis vindicemus. Præmittimus illud fidei dogma contentum in symbolo: *Sedet ad dexteram Patris; & inde venturus est iudicare viuos,*

2. Cor. 5.

viuos, & mortuos. Et idem habetur 2 Corinth. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit, siue bonum, siue malum.* Et Apoc. 20. *Vidi mortuos, magnos, & pusillos, stantes in conspectu Throni, & iudicati sunt mortui.* Constans est igitur Scholasticorum sententia his authoritatibus innixa, & aliis, omnes homines aliquod subituros iudicium in die postrema; solet autem distingui hoc iudicium in iudicium discussionis, vel condemnationis, & remunerationis. Hic autem solùm est sermo de iudicio discussionis, quo expenduntur merita, vel demerita, iuxta quæ sententia promulgari oporteat.

Apoc. 20.

Quinam Patres censeant B. Virginem in die iudicij etiã ad examen vocandam.

Origen.

His ita prælibatis aliqui ex Patribus eunt in affirmantem sententiam, nempe B. Virginem subituram iudicium, adeoque in examen vocandam. Origenes hom. 17. in Luc. & in Psalm. 118. vbi ait, illam in seueritatem diuini iudicij venturam, videlicet ratione alicuius peccati, & in hunc sensum verba illa Luc. 2. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius*, interpretatur. Sentiunt cum Origene Author qq. ex nouo Testamento quæst. 73. Chrysost. & Amphylochius in homiliis de occursu Domini. Ambrosius item in comm. Psalterij consentire creditor Origeni asserenti omnes quotquot sunt, fuerunt, ac futuri sunt homines, vno Christo dempto, examinandos, probandos, & aliquo modo vrendos igne conflagrationis in die extremi iudicij. Hæc igitur habeat S. Pater transferens ex Origene in Psalm. 118. *Omnes*, inquit, *oportet probari per ignem, quicumque ad paradisum redire desiderant, non enim otiosè scriptum est; quod eiectis Adam, & Eua de paradisi sede, posuit Deus in exitu paradisi gladium igneum versatilem, omnes oportet transire per flammas, siue ille Ioannes Euangelista sit, quem ita dilexit Dominus, vt de eo diceret ad Petrum; Sic eum volo manere, &c. de morte eius aliqui dubitauerunt, de transitu per ignem dubitare non possumus, siue ille sit Petrus, qui claues regni Cœlorum accepit, oportet, dicat: Transiuimus per ignem: Sed Ioanni citò versabitur gladius igneus, quia non inuenitur in eo iniquitas, quem dilexit æquitas: Si quid in eo vitij fuit, charitas diuina decoxit: Ille examinabitur, vt argẽtum, ego examinabor vt plumbũ, donec plumbum tabescat ardebo; si nihil argenti in me inuẽtum fuerit, heu me! in vltima inferni detrudar, aut vt stipula totus exurar: Si quid in me inuentum fuerit auri, vel argenti, non per meos actus, sed per misericordiam, & gratiam Christi, per ministerium Sacerdotij, dicam fortasse ego: Etenim qui sperant in te non confundentur. Vnus ignem illum sentire non potuit, qui est iustitia Dei Christus, qui peccatum non fecit, nihil enim ignis in eo quod exurere posset inuenit. Ergo quia examinandi sumus, sic nos agamus, vt iudicio probari mereamur diuino, teneamus hic positi humilitatem, vt cum vnusquisque nostrum venerit ad iudicium Dei ad illos ignes, quos transituri sumus, dicat: Vide humilitatem meam, & eruę me.* Luculentius Hilar. vnà cum Ambr. suum secutus Origenem in comm. Psalm. 118. ad ea verba: *Concupiuit anima mea desiderare iudicia tua*, hæc habet verba: *Meminit Propheta arduum esse desiderare iudicium, quo nobis est ille indefessus ignis obeundus, in quo subeunda sunt grauia illa expiandæ à peccatis animæ supplicia? B. Maria animam gladius pertransibit, vt reuelentur multorum cordium cogitationes: Si ergo in iudicij seueritatem capax illa Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit à Deo iudicari?* Viden-

Author qq. ex nouo test. Chrysost. Amphil. Ambros.

Hilar.

dus Sixtus Senensis libro 5. Biblioth. sanctæ, Annot. 170. 171. & 202.

885. Subsidiari videtur his Patribus sanctus Petrus Chrysologus serm. 142. causam enim indagans, cur innocentissima, ac purissima Virgo ad vocem Angeli tremat, ac conturbetur; habes enim Luc. 2. *Turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.* Hanc inter alias adhibet causas: *Quid plura? Mox sentit in se supremum suscipi iudicem.* En qua ratione Maria strictam iudicij diuini discussionem pertimescit, neque à iudicij extremi examine se sensit immunem. Non sine timore iudicij, non sine tremore reddendæ rationis, etiam ipsa innocentissima Virgo spectatur; quod ipsa ingenuè confitetur Cant. 5. dum ait: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, venter meus intremuit.* Ac si diceret, inquit ibi Psellus: *Totum ostium meum aperui, vt Christum Verbum, & sponsum meum susciperem, tamen vix manus eius, eáque sola immissa est, & exemplo venter meus intremuit*: vel sola dilecti manu accepta tremit: quid faceret, cum totum Dei Verbum ventrem occuparet, ac mentem, omnesque corporis artus perualeret; Sed cur ita timet, totisque artubus contremiscit? rationem adhibent tres Patres, *Pariente me initium sapientia, timorem dilecti mei, tanquam iudicis.* Væ nobis cum nec ipsa sanctissima Virgo ab omni originaria labe immunis, ab omni actuali, vel leuissima culpa innocua, & tamen nec Dei manum solam sine terrore iudicis apprehendit, sine iudiciali discussione suscipit. Quis iam vel innocentissimus integrum Deum & hominem sibi sumat, qui non strictissimam reddendæ rationis discussionem formidet, ac iudicem integerrimum, & incorruptum tantum Patris depositum deposcentem, non horreat, & horripilet.

B. Virgo tremuit, & turbatur, quia Verbum diuinũ in suo visceribus est susceptura.

Luc. 2.

Chrysolog.

Cantic. 5.

Psellus.

886. Fortassis hinc eadem Virgo Deipara, quæ tota pulchra proclamatur repetitis vocibus in Canticis, ipsa tamen nigredine fuscam esse se confitetur. Verùm non fusca agnoscitur absolutè illa, quam omnis pulchritudo commendat, sed solum comparatione Solis, nempe Dei hominis, subdit enim ipsa: *quia decolorauit me Sol.* O vim maximam adspectus Dei hominis! ô Dei examinantis, ac iudicantis in die extremo potentiam, & magnitudinem! quæ enim omni pulchritudine conspicua ab omnibus spectabatur, ac sine vllo reprehensionis næuo, à cunctis omnium formosissima celebrabatur; Dei tamen, ac solaribus radiis adiuncta, quodammodo nigrescit; aptaque partium dispositione quasi viduata conspicitur, ita vt omnis pulchritudo quodammodo fatiscere videretur. *Decolorauit me Sol*, ait Bernard. sermon. 28. in Cantic. *sui nimirum comparatione splendoris, dum appropians illi, & ex ea obscuram me deprehendo, nigram inuenio, fœdam despicio. Cæterum alias quidem formosa sum; quid fuscam dicitis, solius Solis pulchritudini succumbentem.* Hæc sunt Patrum dicta, quæ huic sententiæ affirmanti suffragari videntur.

Sponsa Maria coram Sole Christo quasi fusca conspiciebatur.

Cant. 1. 5.

Bernard.

887. In extremam partem abierunt alij asserentes, non solùm beatissimam Virginem, sed neminem iustorum iudicandum esse iudicio discussionis, quasi conferendo peccata, & prauas actiones cum bonis: ita Magister in 4. distinctione 43. Viguerius capit. 21. §. 3. versiculo 8. Somnius tractat. de extremo iudicio capite 6. & alij, hoc nixi fundamento, quia iustorum errata non detegentur in iudicio, sed tantùm merita, vt patet ex

Quinam censeant iustorũ errata in iudicio extremo non esse diuulganda.

Magist.

Viguer.

Somn.

Ezech. 18. ex pluribus Scripturæ sacræ locis · Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius*: Esai. 63. *Obliuioni tradita sunt angustiæ priores, & absconditæ sunt ab oculis nostris: Ecce enim ego creo cælos nouos, & terram nouam, & non erunt in memoria priora.* quæ verba ita exponit Hieronymus: *In cælo nouo, & in terra noua, omnis conuersationis pristinæ memoria deleatur, ne hoc ipsum pars malorum sit, prioris angustia recordari.* In hanc rem acutè expendit Ambrosius Abelis sanguinem ad Deum in perfidum fratricidam

Isai. 63.

Hieron.

Gen. 4. 10. proclamare: *Sanguis Abel clamat ad me de terra*: at verò Vriæ sanguinem nullas effundere voces contra Dauid, mortis eius authorem; cùm satius foret Vriæ sanguinem in militari pugna decocti, adeoque inimicorum iniquè ferentis iniurias, eàsque acerrimè vindicantis, ad Deum repetitas voces emittere, ac pro effuso suo sanguine vindictam contra Dauidem exposcere, & extorquere, quam Abelis innocentis, ac instar agni mitissimi; & tamen huius sanguinis voces, ac clamores, cœlos vsque penetrant, ibique tinniunt, à Deoque vindictam aduersus Cainum extorquent; non verò Vriæ? Respondet Ambrosius: *Cain non confitebatur; Dauid autem confessus est: Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam*: Quia ergo Dauid lachrymis aboleuerat peccata, pœnitentia abraserat, ideo æternæ obliuioni tradita, ac consepulta manent, nullo vnquam tempore, nec in die postrema diuulganda erunt. At Caimus perpetratum scelus non expiauit, nec vnquam illum de illo pænituit; Ideo Abelis sanguis fratricidæ delictum euulget per totius orbis compita, noscant Angeli, supplicesque libellos coram Deo offerant, ac tanti sceleris vindictam expostulent. Hinc Chrysost. in Psalm. 50. hom. 2. *Si tu memor sis, Deus non erit memor, si tu eius oblitus fueris, Deus eius memorabitur; fecisti malum memor esto, vt Dominus tuus illud obliuiscatur, iuxta illud Ezech.* 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius.* Nec mirum, quia peccata iam deplorata, addunt aliqui, omnino obliterantur, ita vt nec ipse Deus illa videat; si quidem peccatum condonatum iam non est in rerum natura, neque in eo, qui illud patrauit: cùm ergo non sit, neque à Deo videri potest: in cuius rei confirmationem circumspice filium illum prodigum scelerum suorum pœnitentiam agentem, & coram Deo eadem ingenti dolore detestantem, oreque confitentem: Domine, aiebat, *Peccaui in cælum, & coram te.* Statimque occurrit Deus, prosilit in bracchia, ori oscula infigit. Bone Deus, itáne os spurcum osculatur Pater diuinus, os, inquam, delictorum specus, turpitudinum amphoram, libidinum officinam, amasiarum prolectamenta euomens, labiis attrectare suis dignatur Deus. *Nihil mirum*, ait aureum eloquentiæ os Chrysost. *Iam enim confessus fuerat peccatum. Domine peccaui in cælum, & coram te.* Cùm ergo nullum scelus in Prodigo spectaretur, non mirum, si neque à Deo ipso inspici posset. Notanter autem osculator os eius, non faciem, inquit idem S. Doctor, *per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat.* Ori potius oscula imprimit, quia Deus allectus oris peccata confitentis pulchritudine; licet alioqui fædissimum fuit, ac siliquis, & furfure pastum, veluti

Sanguis Abel clamat, non verò Vriæ cōtra Dauid, quia hic peccata confessus est, non verò Cain.

Ambros.

Chrysost.

Peccatum condonatum iam non est in rerum natura, ac proinde nec à Deo videri potest.

Luc. 15. 18. Deus os Prodigi osculatur, quia per illud peccata confessus fuerat.

Chrysost.

rem sanctam, ac diuinam religioso cultu suspicit. Hæ sunt huius extremæ partis momenta, quibus eius asseclæ hunc dicendi modum aliquo modo stabilire possunt; nec deest optima congruentia, nempe, quia sancti in extremo iudicio maximis sunt honoribus cohonestandi, ac præmiis donandi, hæc autem propriorum delictorum detectio, & coram Angelis, & hominibus euulgatio, nullo modo ad ipsorum honorem, aut remunerationē conducet; imo vix concipi potest id fieri posse sine aliquo rubore, ac ipsorum dedecore.

Neutram nos viuimus viam. Quare affirmandum primo cuncta hominum peccata, etiam venialia, non solum reproborum, sed etiam & iustorum, in extremo iudicio esse aperienda. Ita communis Scholasticorum cum D. Thom. in 4. d. 43. art. vlt. Bonau. & reliqui ibidem. Sotus apud Suar idem asserentem tom. 2. in 3. p. disput. 37. section. 7. §. *Nihilominus.* Est expressa sententia S. August. in lib. Meditat. cap. 4. vbi hæc habet: *Ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus Angelorum patebunt vniuersa scelera mea, non solum actuum, sed etiam cogitationum, simúlque locutionum.* Id ipsum attestatur Dominus Matth. 12. *Dico autem vobis quoniam omne Verbum otiosum, quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo in die iudicij.* Vbi omnes Interpretes hanc sententiam assectantur. Idem suo suffragio confirmat Paulus 1. Corinth. 4. *Nolite, inquit, ante tempus iudicare, quoadvsque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Deinde satis apta ratione id suaderi potest; oportebat enim, vt aliquando constaret de æquitate Christi iudicantis, & exhibentis iustis præmia, supplicia reprobis, ad quod opus erat, vt bonorum merita coram omnibus detegerentur, tùm eorumdem defectus per Christum remissi, & condignè per pœnitentiam purgati, ac vindicati Reproborum etiam peccata, siue quæ per pœnitentiam fuerunt abolita, & nunquam punienda sunt, siue alia, cum quibus ex hac vita decesserunt, in iudicium illud vniuersale deferrentur; vt amplius misericordiæ, ac iustitiæ diuinæ attributa coram omnibus propalentur. Demum opposita sententia nullo Scripturæ loco innititur, in adductis enim locis vera, ac propria peccatorum obliuio, nequaquam spondert potest; alioqui illorum, Deus iam non meminisset, quod dici non potest. Ibi ergo solum innuitur perfecta peccatorum remissio, & obliuioni à Deo tradita, quia illorum non meminit, vt puniat. Dicuntur etiam tegi, & occultari, quia nihil ruboris, aut dedecoris important, quare publica delictorum manifestatio in iudicio vniuersali Sanctis pudori, aut probro, aut tristitiæ non erit futura, quia horum affectuum prorsus sunt incapaces: nunc enim D. Petrus, D. Paulus, & Maria Magdalena cognoscunt ritè sua peccata publicè in Ecclesia euolgari, nec tamen vllo dolore, aut pudore afficiuntur; cùm in maiorem Dei gloriam cedat, imò ipsis m[axim]um gaudium accrescit de pœnitentia, quâ peccata illa eluerunt, deque condonatione obtenta, ac de admirabili Dei prouidentia, qua effectum est, vt errata sua in bonum suum cederent, cùm fuerint occasio maiorum meritorum, & vt Dei benignitas magis elucerет.

888. Omnium hominum peccata, etiam iustorum in die iudicij sunt aperienda.

D. Thom. D. Bonau. Suar. August.

Matth. 12.

1. Cor. 4.

Dictis nouum robur accedit, nempe ex illo Sophon. 1. *Et erit in die illa scrutator Hierusalem* 889. Sophon. 1.

in lucernis: vbi nomine *Hierusalem*, ait Bernardus, innuisse Prophetam eos, qui religiosam vitam profitentur, pro viribus Hierusalem cœlestis mores æmulantes. *Necesse igitur erit*, ait Bernard. serm. 55. in Cantic. *subtili ea inuestigari discussione, & quasi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi. Possumus afferre aliquid & de Psalmo ad confirmandum id quod dicitur de scrutanda Hierusalem, ait namque sub persona Domini: Cum accepero tempus ego iustitias iudicabo; vias iustorum, ni fallor, & actus eorum discussurum se, & examinaturum dicit.* Ea quibus verbis perspicuè constat Sanctos omnes iudicium discussionis subituros, scilicet examen, & collationem bonarum, & malarum actionum. In cuius rei symbolum, statim atque lux in lucem editur, à Deo supremo conditore in examen vocatur, *& vidit Deus lucem quòd esset bona.* Deus bone: lux Dei iudicium, & examen subit, quid fiet de tenebris? Iustorum hominum facta in iudicio Dei districtè examinantur admotis lucernis, vt loca occultiora, quæ solares radios effugiunt, penetrare possit: quod examen subibunt? quam discussionem expectant impiorum perpetrata delicta? nefanda sacrilegia? turpitudines, iniustitiæ? quando Sanctorum iustitiæ iuxta Dauidem strictiori Dei iudicio subiiciuntur.

Bernard.

Lux ipsa Dei iudicium, & examē subit.

Gen. 1.

Christus D. admotis lucernis hominum corda requiret, vt loca occultiora videat.

890. Affirmandum est secundò B. Virginem nullum discussionis iudicium subituram in die iudicij vniuersalis. Quia omnia ipsius dicta, facta, ac cogitata fuerunt optima, ac laude dignissima; nullum deinde peccatum actuale contraxit; & licèt ipsius bonorum operum publicatio facienda sit in iudicio illo; hæc tamen nullo modo discussio dicenda, vel examen, sed laudatio absolutissima, quippe discussio, vel examen quandam præ se fert collationem bonarum, & prauarum actionum, cum accusatione, vel excusatione; cum approbatione, vel reprobatione earum: vt docet Suar. cit. sect. 7. §. *Vt ergo.* Cùm igitur in Virgine Deipara nullus, vel leuissimus defectus, vnquam repertus fuerit, opus non fuit eiusmodi discussione, & examine, siue collatione. Cùm omnia eius opera ab excellentissimis virtutibus proficiscerentur; in alios verò Sanctos quantalibet virtute conspicuos, licèt plerumque eorum egregia facta à virtute aliqua elicerentur, quia tamen aliqua peccata, saltem leuia contraxerūt, rectè discussio, & disceptatio, ac collatio bonorum, ac prauorum operum cadere potest in eos. Testimoniis autem ex Patribus adductis, nempe Origene, Chrysostomo, Hilario, Ambrosio, superioribus congressibus abundè satisfecimus: statuimus enim esse fide tenendum, nulla, vel leuissima culpa Virginem Deiparam commaculatam fuisse; sed omnes eius actiones ab egregiis virtutibus dimanasse, ac proinde omni discussione, vel examine cariturami in iudicio. Mens verò Chrysologi turbationem B. Virginis in timorem iudicij referentis aliò deflectit, nempe vt velit Deiparam ex granditate accepti beneficij, scil. maternitatis Dei, ad præclariora virtutum facinora in dies iugi ipsius recordatione stimulante accendi, vt modis omnibus ingrati animi crimen à se procul arceret, & omnia gratitudinis specimina exhiberet, ac repetitis virtutum actibus, quomodo posset, gratias rependeret largitori. Quid quod ibi Chrysologus, tum & tres Patres in citatum Canticorum locum, sicut & Bernardus ibidem citatus pro opposita sententia, potius oratoris Christiani personam induunt, quàm Theologi partes agant, qui rem ad scholæ trutinam districtius discutit, & examinat.

B. Virgo nullum discussionis iudicii subitura est in extremo iudicio.

Suar.

Nullo igitur modo B. Virgo in examen iudicij vniuersalis vocanda, imò assessura Christo in subsellio ipsi propinquiori, vt vnà cum eo iudicet in die nouissimo. Ideò forsan sub nomine Sponsæ Cant. 2. ait Maria: *Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi*: non stat, sed sedet, & meritò B. Virgo; *sedendi* vox in sacris Literis iudiciariam potestatem adsignificat, vt patet in Ioële 3. *Consurgant, & ascendant gentes in vallem Iosaphat, quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu.* Iuxta quem sensum præfata Cant. verba sponsæ, quæ est B. Virgo, accommodat Cardinalis Aliaco: *Sub odore*, inquit, *vmbraculi lætabunda sedi; scilicet docendi authoritate prædita, regendi dignitate sublimata, & iudicandi potestate honorata.* Verum quos dices iudicatura sit sponsa Maria? Tribus omnes, ac populos. Nec mirum cùm de Apostolis idipsum attestetur Christus: *Sedebitis & vos super sedes duodecim iudicantes Tribus Israël.*

B. Virgo assessura Christo vt iudicet in extremo iudicio.

Cant. 2.

Ioël 3.

CERTAMEN VI.

Vtrùm de B. Virgine quidpiam sinistrum aliquis vnquam cogitauerit, præcipuè D. Iosephus.

VErissimè ait Seneca epist. 62. *Virtus habet suos numeros, plena est*: Ac si diceret virtutem instar harmoniæ cuiusdam, numeris constare. Ideo Plinius suum Traianum dilaudans, ait: *In Imperatore illo omnium laudum concentum harmonicum, ac suis numeris temperatum inueniri.* Quemadmodum ergo concentus harmonicus omnium vocum, siue chordarum consonantia constat ad musicæ numeros, & sonos temperata, ita vt quæuis dissonantia concentum interrumpat, ac dissonum reddat, aliasque voces quantumuis sonoras insuaues, & iniucundas efficiat; ita prorsus se habet laus, quæ ex omnium virtutum concentu assurgit, tum iucundissimum concentum, & harmoniam cæteris exhibet, quando omnibus numeris constent virtutes, suisque legibus attemperentur, mutuo, ac reciproco concentu iuuentur. Maria iucundissimam omnium virtutum harmoniam exhibebat, quin defectus vllus, vel leuissima culpæ alicuius dissonantia pulchrum illum concentum interrumperet, interturbaret, aut confunderet. Verius in Deiparam cadunt verba illa, quæ de Iudith protulit sacer textus cap. 8. *Neque erat, qui loqueretur de ea verbum malum.* O ter, quaterque Beata fœmina, quæ nullum Momum passa est, in quam nulla reprehensio cecidit: *Et macula non est in te*, alij transferunt: *Reprehensio non est in te*: quæ nullo deformi næuo infecta fuit quando lues illa primigenia, ac rabifica, quasi hæreditario iure in posteros deuoluta, omnes, quantumuis conspicuas pulchritudines maculauit, & infecit. Nemo itaque malum de Maria locutus, ac nec suspicatus quidem vnquam, nec per leuem suspicionem Malo arbori adhæsit, nunquam eius fructus, vel primoribus labiis degustauit, nec Mali poma decerpsit: sola Maria nunquam cum malo cognationem habuit. *Sub arbore Malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua; ibi violata est Genitrix tua*, aiebat Sponsus. 891.

Senec.

Plin.

Virtutis in Maria concentum harmonicum omnibus suis numeris absolutum reliquis exhibebant.

Iudith 8.

Nemo mali de Maria locutus, nunquam Mali poma decerpsit.

Cant. 8. 5.

Sponsus. Alij transferunt, *ibi segregata es, ac separata*: ac si diceret Sponsus ex communi illa alluuione, quæ omnes Adæ posteros submersit, te immunem, & incolumem seruaui: te vnam ab omni labe peccati, siue originali, siue actuali exemi, quod malorum omnium caput est, & origo, ne de te quispiam malum loqueretur.

892. Nihilo secius non desunt, qui asserant Virginem Deiparam habuisse sibi Iudæos infensos obtrectatores, vt ne Matri quidem parcerent, qui & virulentissimis linguis iam ante in Filium desæuiissent. His adhæret Artopæi sententia in Conc. de B. Virgin. asserentis ipsam post Christi ad cælos ascensum, indignas Hæreticorum, aliorumque impiorum hominum obtrectationes fuisse perpessam. Addunt alij ex eo Martyrem decantari posse, nempe ob detrahentium linguas. Et in hunc sensum detorquent illam Simeonis prædictionem ad B. Virginem: *Et ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel; & tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Difficilis est apud Interpretes disceptatio, quomodo hæc adimpleta fuerint in Maria; siquidem vt alibi à nobis monitum est, nusquam B. Virgo martyrium subiit gladio, vel vi perempta carnificis. Sed dirimit disputationem Beda in verba præfata. *Nulla*, inquit, *docet Historia B. Mariam ex hac vita gladij occisione migrasse, præsertim cum non anima, sed corpus soleat interfici: vnde restat intelligi gladium illum, de quo dicitur, Et gladius in labiis eorum.* Videlicet bicipiti linguarum gladio illi Mariam feriunt, ac sauciant, qui Virgineum honorem arrodere, ipsiusque laudes offuscare non verentur. Neç mirum, aiunt, si de B. Virgine aliquid sinistrum aliqui suspicarentur, cum Christus D. passus fuerit eiusmodi sinistras suspiciones apud Iudæos, sed Christum D. potius Matris honori consuluisse, quàm suo, constans est Ambros. sententia, Ildephonsi, Ruperti, & aliorum; ex eo enim aiunt, voluit Deus Deiparam legi Purificationis subiici, vt ipsius Virginis B. honori prouideat, quamuis suum Deus honorem discriminibus obiiciat: cùm enim homines viderent Mariam nuptui traditam Iosepho, naturali illatione inferre poterant, Christum filium verum esse Iosephi; ideoque ipsi illud obiiciebant Iudæi: *Nonne hic filius est fabri?* Cui sententiæ firmius adhærebant, dum vident eam post partum Purificationi obnoxiam: Quid ergo? Nonne satius foret Christo, vt ab hominibus filius Dei crederetur, cur huic honori cedit cum tanto diuinitatis dispendio? quem nodum soluit Ambrosius, nempe si Maria viro non nuberet, filiumque pareret, eam adulteram existimarent Iudæi; si verò Purificationis legi non obtemperaret, exlegem eam crederent, ac præceptis diuinis contumacem; ne igitur hac Matrem infamia, quantumuis falsa iuuerent homines, maluit Christus de suo ortu, quam de Matris honore dubitari, licèt diuinitatem suam discrimini dubitationis apud homines exponeret. *Maluit*, inquit Ambrosius, *de suo ortu, quam de Matris pudore dubitari.* Nunc ingeniosam Ildephonsi mentem in hanc eandem rem expendamus. Pendebat è cruce Christus Dominus ipsique animam agenti improperabant Hebræi: *Si filius Dei est, descendas nunc de cruce, & credimus ei.* At ipse in cruce immobilis perstitit, maluitque tunc filius agnosci Mariæ, quam filius Patris æterni. *Patibulo*, inquit Ildephons. *affixus, vt te veram Matrem ostenderet, se verum filium tuum patiendo tormenta monstrauit.* Si crucem linquam, inquiebat Christus intra se, me verum Deum suspicient homines, sed me verum hominem esse ac filium Mariæ denegabunt, malo ergo nunc verus haberi homo, ac filius Mariæ, quàm diuinitatem meam apud homines propalare, dummodo honori Mariæ consulam. 893. Imo vt Deus optimæ Matris existimationi prospiciat, mauult vniuersum orbem inuerti, ac veluti confundi, vt omnem, vel tenuem mali suspicionem de Maria arceat à cognatis & vicinis. Hac de causa voluit nasci Christus, quo tempore Cæsar Augustus totius orbis descriptionem indixit. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis.* Quod nihil aliud fuit quam vniuersum Orbem inuertere. Huius rei rationem reddit Rupertus satis aptam instituto nostro; *Ne occasio fieret vicinis loquendi, quod tam citò peperit, vix habens menses sex, & ab omni vicinorum quæstione liberaretur.* Vult igitur Dominus, omnem sinistram de B. Virgine suspicionem ab omnibus hominum animis amouere circa eiusdem B. Virginis partum, cum iuxta Ruperti opinionem solum per sex menses habitauerat cum Iosepho: Hinc occasionem nacti vicini obtrectare possent in B. Virginem quod tam cito pareret: inuertatur ergo mundus describatur vniuersus Orbis, sicque B. Virgo ab omni sinistra vicinorum suspicione eximatur, ipsiusque famæ prospiciatur. Graui sententiarum pondere Athanasius exhortat. ad Monachos admonebat; sanctissimarum etiam fœminarum frequentias deuitare: *Non quod mihi, ait, fas sit, de his, qui verè semel deuota Deo pectora dicauerunt, secus æstimare aliquid; sed vt ex abundanti, sic omne, quod fingi potest, tanquam posse credi caueamus, ne in vllo fama nostra vulnere serpat nata ab occasione suspicio. Non tamen fides nobis facti, sed possibilitas etiam releganda mendacij.* Adeo cauebat Deus Deiparæ famæ, vt sinistræ suspicionis tolleret possibilitatem. Hinc Christus Nazareth prælegit, cuius nomen flores sonat, vt Matrem sibi deligat, quia vt floridè meditatur Bernard. serm. 3. in Annunciat. *Amat florigeram patriam flos de radice Iesse, & libenter inter lilia pascitur flos campi, & lilium conuallium: Teque florem reputat Deus, & bene es compla et in te, si tibi, nec honestæ conuersationis decor, nec bonæ opinionis fragrantia desit.* Peropportunè D. Hieronymus in illa verba Isai. 11. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* ita fatur: *Maria Virga est, flos Christus, at nunquam flos ascendit de Virga foliis nuda; prius Virga foliis adumbratur, & honestatur, quàm flos ascendat; prius ergo Maria viro erat honestanda, quam Christus nasceretur.* Quibus ostendit Doctor Maximus, qua circumspectione fœminæ prospicere debeant honori suo, ac famæ, vt bonum nomen conseruent. Suffragium nobis fert S. Thom. 3. part. quæst. 28. art. 6. vbi explicat Chrysostomum dum verba illa Christi Domini ad Matrem: *Quid mihi, & tibi est mulier, &c.* reprehensionem alicuius defectus in Matre continere subindicat. Docet igitur S. Thomas piè explicari posse, vt intelligatur Dominus cohibuisse non inordinatum affectum, quo Virgo Deipara afficeretur, sed quem alij de ipsa suspicari possent; Equidem cum Vasq. tom. 2. in 3. p.

Marginal notes (left): Artopæus. — *B. Virgo Martyr dicitur ob bicipitem linguarum detrahentium gladium.* Luc. 2. 35. — Beda. — *Christus D. plus honori Matris suæ, quam suo consuluit.* Matth. 13. 55. — Ambros. — Matt. 27. 42.

Marginal notes (right): Ildeph. *Christus D. discrimini exponit apud homines suã diuinitatem, vt honori Matris prospiciat.* — Luc. 2. 1. — Rupert. *Mauult Deus orbem inuertere, quam honorem Mariæ possum ire.* — Athanas. *Possibilitas omnis mali suspicandi de nobis amouenda est.* — Bernard. — Hieron. Isai. 11. — D. Thom. Vasq.

dispnt. 120. cap. 4. n. 38. existimo B. Virginem, nec verbis, nec factis, vllam dedisse alijs ansam, & occasionem, vel tenuem sinistrè aliquid de ipsa suspicandi.

Quinā Patres putent D. Iosephum aliquid sinistrè suspicatum de B. Virg.

894. Refragantur ex Patribus, & Interpretibus plures hucusque dictis, quos dabit abunde Christophorus de Castro in Hist. Deiparæ cap. 4. num. 10. qui sustinent D. Iosephum vehementiori dolore excruciatum, ac tortum, quod existimaret sponsam B Virginem ex viro fuisse grauidatam, totque producunt rationes, vt suam sententiam roborent, vt ipsis expugnandis quisque nouus exsudet Alcides. Huius tamen sententiæ fundamenta commodius infra conuellentur, ac diruentur. Nunc aliquos huius sententiæ assertores proferam. Pro hoc opinandi modo clarè dimicat Aug. (August.) serm. 14 de natali Domini, vbi ex persona D. Iosephi ita secum alloquitur post inuentam B. Virginem prægnantem. *Quid agam? angor, gemo, doleo, consilium quæro, nec penitus inuenio. Prodo adulterium, aut taceo opprobrium? Si prodidero, non consentio, sed nunum crudelitatis incurro: Si tacuero mulam, consentio, & cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere, malum est, adulterium prodere, peius; ne per me fiat homicidium, dimittam eam coniugio.* Idem adstruit epist. 54. ad Macedonium. Eandem sententiam amplexus est S. Iustinus (Iustin.) M. in Dialogo cum Triphone. *Iosephus*, inquit, *Mariæ sponsus cum vellet sponsam suam principio eiicere, quod eam ex viro grauidatam esse existimaret, id est ex strupro, in somno præceptum est, ne vxorem suam repudiaret.* Eiusdem opinationis est Ambros. de instit. Virg. cap. 5. *Quid prauindicat,* ait, *Maria, si cælestis consilij mysterium Ioseph non intelligit, & putauit Virginem non esse, quia prægnantem viderat.* Idem sentiunt Hilarius, Theophylact. Chrysost. & alij apud Salmeronem tom. 3. tract. 30.

Ambros.
Hilar.
Theoph.
Chrysost.

895. Sed me hercle satius hoc loco Virgineæ puritati aptari posset, quod Seneca (Senec.) per stultum blandiloquium de Catone protulit lib. de tranquil. animi cap. 15. *Catoni ebrietas obiecta est; at facilius efficiet, quisquis obiecerit, hoc crimen honestum, quam turpem Catonem*: Profectò eam Iosephus laudem, ac sanctitatis existimationem de Maria conceperat, *vt magis crederet castitati eius*, verba sunt Authoris operis imperfecti in Matth. tom. 2. homil. 1. *quam vtero eius, & plus gratiæ quàm naturæ.* Conceptionem manifestè videbat, & fornicationem suspicari non poterat. *Possibiline esse credebat mulierem sine viro parere, ac posse concipere, quàm Mariam posse peccare.* Censeo igitur contrarium opinandi modum multo veriorem esse, ac rationi conformiorem, B. Virgini honorificentiorem, eiusdemque sponsi sanctitati congruentiorem, qui sustinet D. Iosephum nunquam quippiam mali, aut sinistri suspicatum fuisse de B. Virgine: ita plures ex Patribus. D. Hieronymus (Hieron.) in Matth. tom. 9. initio hæc habet: *Sed hoc testimonium Mariæ est quod Iosephus sciens illius castitatem, & admirans, quod viderat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat.* Subscribit Bernard. (Bernard.) hom. 2. in *Missus est. Quare Ioseph voluit illam dimittere, accipe & in hoc non meam, sed Patrum sententiam. Propter hoc voluit Ioseph dimittere Mariam propter quod & Petrus Dominum ab se repellebat dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Propter quod & Centurio à domo sua eum prohibebat, cum diceret: Domine non sum dignus, &c. Ita ergo, & Ioseph indignum, & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali, & à tanta non debere sibi vltra familiare præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem.* Origenes (Orig.) homil. 1. in diuersos hæc ait: *Iustus erat Ioseph, & illa immaculata; sed illam ideo dimittere volebat, quia eam virtutem mysterij, & Sacramentum quoddam magnificam in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat: Ergo humilians se ante tantam, & ineffabilem rem, quærebat se longè facere; ac si diceret, dimittam eam; maior est enim dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec mea congruit indignitati, cauebat, & timebat sibimetipsi tantæ sanctitatis coniunctionem adhibere.* Sequuntur hanc sententiam plures alij, D. Basil. Theophil. S. Remigius, Haymon in 1. Matth. Richard. de S. Victor. S. Brigitta lib. 7. reuelat. cap. 25. & lib. 6. cap. 59. Gerson, Ekius Catherinus, quos assectatur Salmeron citatus.

D. Iosephus nunquam quidpiam mali de B. V. suspicatus fuit.

Basil.
Remig.
Theoph.
Haym.
Richard. de S. Victor.
Brigitta.
Gerson.
Ekius.
Cathar.
Salmeron.

Nec desunt pro hac parte solidissima fundamenta, quibus innitatur nostra sententia. Primum est desumptum ex verbis Euangelistæ: *Inuenta est habens de Spiritu Sancto.* Quæ verba coniunctim legenda non separatim, inuentam scilicet de Spiritu Sancto, nempe à D. Iosepho; aliter vis literæ inferretur, vt bene ponderat Theophylactus, ait enim: *Vide quid dicas, quoniam inuenta est in vtero habeat; à quo inuenta est à viro, hoc est inuenit, quod ex Spiritu Sancto concepit: Vnde clam volens eam dimittere, audebat & non habere vxorem, quæ tantam habebat gratiam.* Et quidem hic reuerentialis timor D. Iosephi in B. Virgine nouis auctibus accrescebat, dum mente versabat præclara vitæ B. Virginis initia, admirabilem, ac cælestem virtutum fragrantiam in Templo degentis, desponsationem præterea miraculo confirmatam, dum arida Virga in manu Ioseph repentè flores ediderit, quo ostensum fuit, nullum alium virum inuentum tanta sponsa dignum: Item singulare virtutum specimen, præcipuè omnis pudicitiæ sponso præbitum à Maria, ex quo Matrimonium inieruut, ac conuixerunt.

896. Secundò sciscitor à Doctoribus contrariæ sententiæ, quando D. Iosephus ventris tumorem agnouit: an antequam Elisabetham Virgo B. inuiserit, an postea? Primum dici non potest, quia statim post legationem Angeli ad montana festina conscendit, vt patet ex Luc. 1. Secundum ergo verius apparet; at in profectione illa D. Iosephus illam comitatus fuit, vt tenet communis opinio cum D. Bonauent. in medit. cap. 5. Viguer. in instit. cap. 20. §. 8. Suar. tom. 2. in 3. part. disp. 33. Isidoro de Isulanis. Salmeron tom. 3. tract. 10. Orozco, declamat. 5. Hoc enim consilio B. Virginis cura Iosepho demandata est, vt eius in omni peregrinatione indiuiduus comes existeret, nec rationi conforme videretur B. Virginis curam alteri committere nisi sponso: modo sic sanctus Iosephus cum B. Virgine Zachariæ domum ingreditur; ergo audiuit Elisabethæ exclamationem illis verbis: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, & vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini ad me?* Ergo nihil sinistrum S. Ioseph poterat de B. Virgine suspicari, qui rectè callebat verba Elisabethæ, Zachariæ Canticum, & B. Virginis spiritu prophetico fuisse prolata; imo tametsi his omnibus non interfuisset Iosephus, saltem ab aliis accepisset, quæ per omnia Iudææ Montana sparsa referebantur, vel ipsamet B. Virgo planè rem omnem

Bonauent.
Viguer.
Suar.
Isid. de Isol.
Salm.
Orozco.

Luc. 1. 42.

Author operis imperf. omnem sponso amantissimo aperuisset. Per quæ ptocul amandandus author operis imperfecti in Matth. dum audacter air: B. Virginem Iosepho ea re anxio iureiurando adhibito dixisse, se eius rei nesciam; quod tantam Virginem valde dedecebat, & aduersatur Patribus asserentibus B. Virginem, nec verbum vllum, quo se excusaret protulisse, sed rem omnem Deo reliquisse. Præsertim cùm D. Iosephus probè nosset Mariam sponsam, virginitatem suam iamdiu Deo deuouisse; quid ergo tam leuiter votifragam, ac tanti sacrilegij ream fuisse, in mentem D. Iosephi mitissimi venire potuit? & eam Virginem, ex cuius ore nihil nisi summè sanctoio excideret; cuius gestu, nutu, & oculorum intuitu ad sanctitatem, ac pudicitiam omnes etiam effrænes inspectores alliciebat. Quid quod nihil tritius apud Hebræos, quàm vaticinium de Virgine Messiam paritura, quæ Prophetia breui complenda erat; Quid ergo solus Iosephus illam ignorasset, ait S. Remigius in Matth. Id ipsum roborant verba

Matth. 1. 10. Angeli ad Iosephum: *Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Si enim Iosephus animo concepisset adulterij suspicionem, profectò Angelus dixisset; Noli suspicari, non ergo adulterij suspicio, sed metus omni reuerentia plenus in causa fuit vxorem dimittendi. Quis enim credat Christum noluisse à Iudæis sinistrum aliquid cogitari de Matre, ob id enim, vt monuimus, voluit Deus Matrem viro sponsatam habere, maluitque haberi filius Iosephi, quàm vt quispiam sinistram de Matre sua suspicionem euolueret: quis ergo credat, permisisse Deum solum Iosephum virum iustum de tanta Virgine horrendum sacrilegi adulterij flagitium animo concepisse. Simon de Cassia lib. 2. de B. Maria cap. 16.

Simon de Cassia. hæc habet: *Argumento palmari factum est, quod nulla suspicione iniqua Ioseph mouebatur, quoniam ei per Angelum Domini in sua perplexitate desuper, & de cælo venit.* Quasi aduentus cælestis Angeli nihil Iosephum prauum de B. Virgine suspicatum fuisse manifestaret. Non enim, qui malè cogitabat, dignus apparitione Angelica inueniretur.

897. *Nec peccati nomen permisit Deus cadere in Mariam. Gerson.* Magna Deus, cura, ac diligentia à Deipara vel peccati vmbras dispulit, nec peccati nomen in eam cadere siuit: *Peccati*, ait Gerson. apud Salaz de concept. cap. 25. num. 20. *fomes in matria extinctus fuit, quod Paulus peccatum appellauit, (nam quod inhabitat in me peccatum vt vel peccati nomen ab ipsa procul esse crederemus, nedum peccatum ipsum.* Ex quo pronum est deducere, plus à Christo B. Virgini Matri fuisse delatum, quam sibi ipsi, cum Paulus peccati nomen Christo imponere non recuset 2. Corinth. 5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit*, id est hostiam pro peccato. Et Ioan. 9. nonne permisit à Iudæis dici; *Nos scimus quia hic homo peccator est.* At à B. Virgine ira vel lenis suspicio peccati depulsa est, vt Christus ex eo de desponsata nasci voluerit, vt alibi dedimus, ne si inoupta pareret, aliqua peccati suspicione, licèt falsa, eius Innocentia macularetur.

2. Cor. 5. Ioan. 9.

Tertiò, ex sacro textu sic argumentari libet, dum vocat Iosephum, Virum iustum; quænam igitur iustitiæ, & æquitatis lex potuit præscribere, vt ex coniectura solùm, sine integra probatione delicti, reum plectat? profectò, haudquaquam actus iustitiæ neque esse, nec dici posset, antequam constaret de crimine vxorem velle dimittere, imò crimini aliquo modo consentiret, & acquiesceret: Cùm ergo Lucas Iosephum iustum prædicauerit, & ex eo noluisse vxorem traducere, aut infamiæ nota inurere; satis denotat, illum ounquam de B. Virginis integritate sinistrè aliquid cogitauisse. Imò impietatis notam non subterfugeret Iosephus vxorem dimittens contra legem, quin prius libellus repudij traderetur; in quo libello, causa exposita iuxta legis præscriptum coram testibus, haudquaquam immunis euaderet S. Iosephus, nec enim testis aliquis produci poterat delicti; si verò causam taceret, & illam dimitteret, ne cogeretur illam traducere, vtique ipse potius traduceretur, & infamiæ nota inureretur, qui sine causa oculorum leuitate ductus, Virginem innocuam & castissimam de ipso grauidam, vt omnes existimarent, dimitteret, ac repudiaret. Roboratur hæc ratio quia eminentioris iustitiæ, & charitatis esset, nec æquitati aliquo modo refragaretur si D. Iosephus ad corrigendam vxorem adulteram cum illa commoraretur, neque enim vlla lex iu Leuitico 20. & Deuteronom. 22. præcipiebat, vt vir coniugis adulterium ante Iudicem deferret, vt bene ponderat D. August. sermon. 16. de verbis Domini & epistol. 54. ad Macedonium; & quidem ea est virorum iustorum benignitas, & humanitas, vt nec aliorum lapsus admirentur, nec sæuiùs in peccatores animaduertant, eorúmve scelera in vulgus propalent. Quod quidem exemplo suo Dominus ostendit, cum air ad mulierem in adulterio deprehensam; *Nemo te condemnauit, nec ego te condemnabo.* Hæc igitur sententia omnino amplectenda est, quia opposita aliquo modo cadit in B Virginis iniuriam, quod ab sponso adulterij rea suspicaretur; cedit etiam in D. Iosephi dedecus, parum enim prudentis vitium ad minus non effugeret, qui talem Sponsam, à qua tot virtutum exempla hausetat, pudicitiam didicerat, castimoniam ebiberat; repentè tanti sacrilegij macula in animo suo contaminasset; cedit postremò in ipsius Christi aliqualem notam; ipsius enim honos est, Matrem nancisci ab omni suspicionis prauæ noxa immunem, & Patrem existimatum omni prudentia, ac pietate conspicuum.

August.

Ioan. 8. 10.

Reliquum est, vt aduersariæ sententiæ fundamenta conuellamus, Et quidem primum fatemur, plures Patres 10 ea fuisse sententia: 898. tamen Patribus Patres obiicimus: Sanctis Sanctos opponimus; Doctoribus Doctores; rationibus rationes, quæ dubio procul sententiam nostram magis piam, probabilioremque reddunt. Primò ergo opponunt aliqui S. Iosephum in testem virginitatis Deiparæ fuisse prælectum; cùm enim simul cohabitare cum Sponsa detrectaret, dum suspicatus fuit sine vlla culpa illam adulterij crimen incurrere potuisse; robustum quidem fecisset eius testimonium, & cum eadem cohabitatio, ipsam illibata Virginitate concepisse, ac peperisse; nullusque fide dignior testis adesse potuit, siquidem maritus Zelotypia perculsus in suspicionem criminis facilè deueniret, quamtumuis vel leuibus signis duceretur, potiusque illam malam, & adulteram suspicaretur, quàm indemnem, & omni scelere liberam prædicaret, si illam aliquo infectam crimine deprehenderet. Ex quo quiuis eliciat causam dimittendi B. Virginem, & à se arcendi nullatenus extitisse reuerentiam, & animi submissionem in D. Iosepho

Ioſepho erga Mariam cognitam Dei Matrem, ſeſeque indignum haberi Virgineo conſpectu, & cohabitatione, quod ſanè ſincera rei veritas nequaquam admittit, & Angeli dictis refragatur dicentis: *Ioſeph fili David noli timere*: rationem proferens, Mariam prorſus innocuam eſſe, quod ipſe ignorabat: plus ergo pietas, ac reliquarum virtutum corona emicat in Ioſepho, ſi aſſeramus, eum abſque vlla culpa in errorem inductum fuiſſe plurimis, & euidentibus compulſus indiciis, ſcilicet ventris tumore, publica viciniæ fama, conſanguineorum congratulationibus de ſobole concepta: nec error moralis haberi poteſt, aſſenſum præbere de exiſtentia ignis vbi fumus aërem obnubilat, licèt Deus hunc miraculosè ſine igne produceret; ſic procul à iudicio imprudenti, & ab omni temeritate alienus aberat aſſenſus S. Ioſephi videntis ſponſam ventre grauidam abſque ipſius ope; auditis etiam, ac repetitis affinium congratulationibus futuri partus, quo ſuſpicatus fuit ſponſam in adulterium adactam vel vi, vel ſponte, cùm arcanum Virgineæ Maternitatis omnis humani intellectus cognitionem ſubterfugiebat; ac proinde ipſi, abſque reuelatione offerri non poterat.

899. His tamen, & aliis; ex probationibus noſtræ ſententiæ occurrendum eſt; tanti enim faciebat Ioſephus B.Virginem, vt ob inſignem illius virtutis gradum, contuberniom cum illa formidauerit. Voluit ergo dimittere eam: ſi enim more humano loquendom eſſet; potius B. Virgo Ioſephum, quam Ioſephus Mariam fugere debebat, vt bene meditatur Chriſtophorus à capite fontium Archiepiſcopus lib. de Virginitate Mariæ his verbis: *Qui aliquid clam ab altero facere meditatur, timet illum offendere, cui id occultatum cupit. Ioſeph coniugem grauidam videbat, quam nunquam cognouerat; Nonne potius Maria meditari fugam, & clam à marito fugere debuiſſet? Nonne illa magis maritum timere, quam maritus illam aquum erat? An non vbi deprehenſam ſe grauidam ſenſit à marito ſibi cauere, ne eam ex Zelotypia occideret, vel populo lapidandam exponeret, meritò debuiſſet? Quid eſt quod hic Maritus timet, qui nullam habet culpam, qui Mariam non offendit? Magnam profectò de ea æſtimationem habuiſſe, eum oportet, quam oſtendiſſe timuit; ſi de coniugibus his iudicare, vti de cæteris faceres, velis, quid ſtultius, vel incredibilius dicere Euangeliſta poterat, quam maritum vxorem grauidam, nunquam à ſe cognitam timuiſſe, ab eaque fugere occultè voluiſſe? Quaſi ipſe eam non illa eum offendiſſet; cum in hac cauſa vxor potius dicenda erat timuiſſe Maritum, ab eoque fugere occultè voluiſſe? Sed quid hoc argumento eſt, Mariam certò ſciuiſſe, virum ſuum nullam malam de ea habuiſſe opinionem, neque de illius dubitaſſe caſtitate, etiam ſi grauidam videret, ſed firmiter credidiſſe innocentem illam eſſe, & ideo Maria non fugiebat, non ſibi à viro timebat, ſed è contra vir timebat Mariam, & fugere meditabatur occultè; ſi credidiſſet adulteram, an timuiſſet offendere ingratiſſimam ſua opinione coniugem, ſibique infideliſſimam? An tantam patienter tuliſſet iniuriam? Certe iſtud, occultè velle dimittere eam, magna indicat myſteria; multum Ioſeph coniugis nimirum detuliſſe virtuti.* Euentilant Doctores, quare Angelus Ioſeph in ſomnis appareat, quorſum Ioſepho ſomno dedito Angelus illabitur: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis dicens: Ioſeph fili David, noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Nonne ſatius fuit, vt tantum negotium, nempe Incarnationis œconomia ac Virginei pudoris ſacramentum Ioſepho vigilanti ab Angelo reſeraretur, vt attentiori mentis indagine rem totam penetraret? Ni me mea fallit opinio, ſacer Euangeliſta rem verbis illis decidit: *Hæc autem eo cogitante.* Nimirum ſiniſtram Virginei pudoris cogitationem imaginatione euoluebat Ioſephus, & mediis phantaſiæ imaginibus verſabat, non vigilias agens, ſed ſopori deditus; tunc enim ait textus: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph*, dum ſcilicet ſuſpicionis non bonæ ſigna exagitaret: quod ſubindicare videtur Chryſoſt. hom. 4. *Apparuit*, inquit, *in ſomnis, quia nulli narrauit ſuam ſuſpicionem.* Ioſephus ergo vigil nunquam malè ſuſpicatus fuit de Mariæ integritate; ſed ſolùm ſomno correptus, nec totus Ioſephus ſiniſtrè cogitauit de Mariæ pudore, ſed ſola phantaſia, reliquis potentiis alto ſomno præpeditis, ideò Angelus in ſomnis apparet, vt ſolùm intermiſceat ſermonem cum imaginatione Ioſephi, & cæteri ſenſus, ac facultates conceptam Marianæ integritatis non ita bonam ſuſpicionem prorſus ignorent; adeóque per ſomnum Angelus ſatisfaciat imaginationi Ioſephi, ne in poſterum in ſuſpicionem minus bonam adigeretur, quæ Marianæ integritati, adhuc per ſomnum, vel leue præiudicium inferre poſſet.

Chriſtoph. Archiepiſ.

Matth. 1. 20.

Ioſephus vigil nunquam ſiniſtrè cogitauit de Maria, ſed ad ſummum dormiens, nec tunc totus Ioſephus, ſed eius ſolum phantaſia.

Chryſoſt.

Robuſtior Achilles oppoſitæ ſententiæ exſurgit ex verbis illis Matth. 1. *Cum eſſet vir iuſtus, & nollet eam traducere.* Vbi notanda vis Græci verbi *παραδειγματίσαι*; quod propriè, & ad litteram ſonat, *exemplum ponere, in vulgus efferre, in populi fabulam reddere*: vt contingit in damnatis capite, qui per vrbis vicos publicos, & compita cum infamia, ac dedecore perducuntur aliquo plectendi ſupplicio: ita Chryſoſt. hom. 4. in Matth. tom. 2. Auguſt. epiſt. 59. q. 7. ad Paulinum tom. 2. S. Hilarius ait, idem eſſe, ac *legum exemplar in aliquem edere.* Theophylact. *manifeſtare*, ſeu *punire crimen*; quæ omnes interpretationes eleganter ſub verbo, *Traducere*, cohibentur, quo vtitur Vulgatus Interpres. Verum tamen eſt aliquando verbum *traduco*, ſumi pro *ducere in domum vxorem*, vel *transferre, tranſportare*: ſic Callimachus in Epigrammate de vxore pari ducenda ait:

Atque parem paruas lætus traduxit in ædes.

Eneruantur tamen facilè huius Achillis vires, ac robur, ſi rem attentiori mente ſcruteris; ſiquidem Ioſephus potius ſponſam Mariam traduxiſſet, atque in vulgus conceptum flagitium euulgaſſet, & in totius populi fabulam egiſſet, ſi rem ante tempus detexiſſet, vt ritè expendunt D. Baſilius, & D. Athanaſ. ille hom. 25. de humana Chriſti generatione; hic libro de vnica Deitate Trinitatis, quod ad guſtum noſtrum enodat Leontius in 1. Matth. *Vir, ait, deſponſationem iuſtus, quia legem à Moyſe datam obſeruare videbatur, ſciuerat occulta in arcanis habere, voluit occultè Virginem dimittere, propterea quòd noluit eam palam ludibrio exponere, poſtquam cognouit de Spiritu ſancto Virginem concepiſſe; profectò quia ſe ipſum indignum eſſe cenſuit cum ea habitare cognoſcens de Spiritu ſancto conceptionem, decreuit eam clam à ſuo conſortio dimittere nolens eam detinere potius quam ſe periculo exponere, hoc eſt palam traducere, quippe δειγματίσαι, eſt à conſortio dimittere; παραδειγματίσαι, ſignificat propter malitiam patefacere.* Hæc Leontius, quæ apta ſunt noſtro intento. Addiderim, ſi Ioſephus cum ſponſa prægnante maneret, arbitrabatur illam ſic traducere, quia in omnium opinione

900.

Matth. 1.

Varia ſignificationes verbi, Traduco, afferuntur.

Chryſoſt.
Auguſt.
Hilar.
Theoph.

Callim.

Baſil.
Athanaſ.

ab

ab ipso grauida existimaretur, cum de Spiritu sancto concepisset; imò ipsummet Christum traducere iudicabat, qui cùm Filius Dei existeret, fabri Filius ab omnibus haberetur in ipsius Christi dedecus.

901. Pensiculantius alij Angeli ad Iosephum verba expendunt, & arguunt ea ab Angelo fuisse prolata, vt Iosephum ab omni adulterij suspicione liberum redderet. Deinde illa verba satis apertè demonstrant ignorantiam mysterij in Iosepho; vnde nostra sententia ooo bené cohærere videtur cum verbis Angeli: si enim B. Iosephus sponsam dimittere cogitabat, quia Spiritus sancti opera erat grauidata, vtiqoe non dixisset Angelus: *Noli timere accipere coniugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Responderet enim Iosephus, imò, idcirco in animis est eam derelinquere, quia indignus illius contubernio, quæ tantæ puritatis, ac sanctimoniæ est, vt Filium Dei Spiritus sancti obumbratione conceperit. His tamen omnibus occurres si Angelicis verbis præfatis expositionem paraphrasticam Theophylacti aptauerimus; ait ergo in cap. 1. Matth. Angelum verbis illis idem velle, ac si diceret. *Tu quidem times adiungi illi, quia ex Spiritu sancto concepit; sed ne timeas accipere, nempe, quia vxor tua, & à Domino dictum est; Propter hanc relinquet homo Patrem, ac Matrem, & adhærebit vxori suæ.* Deinde particula illa, *enim*, quam vertit Vulgatus in Græco aliquando idem est ac *sanè*, vt patet passim in Scriptura. Item codex quidam Hebraicus relatus à Salmerooe tom. 3. tract. 30. §. *obiiciunt*, ita habet: *Ne timeas, vt accipias Mariam coniugem tuam, quia id quod natum est intra eam, de Spiritu est*, ac si diceret; ne nimio timore, ac reuerentia ducaris, vt dimittas vxorem, quia de Spiritu sancto conceperit, imò illi adhære, opus enim est vt illi inseruias; si qoidem Virgo tenella opera tua, nunc maximè indiget, vt illi alimenta suppedites, prolique Patris officium exhibeas, quasi confirmaret Iosephum in sua sententia circa conceptam prolem Spiritus sancti ope, quod alta iam mente ebiberat Iosephus: Ergo certè de Spiritu sancto est, vt putasti; sed noli illam dimittere, quia vxor tua est: subditque causam; *pariet autem filium, & vocabis nomen eius* IESVM; ac si diceret: in omnibus Patris munere fungèris, quia per nominis impositionem adæquatum Patris munus adumbratur. Noli igitur timere, non loquitur Angelus ad Ioseph, quasi suspicio aliqua adulterij in mentem eius veniret, alioqui grauiter ab Angelo coargueretur; sed sermo est de Sancto, ac de reuerentiali metu, quo formidabat Deum offendere, si tantæ Virginis adhæreret, quæ de Spiritu sancto conceperat: vt ait Scriptura de Ioanne Baptista, ac de D. Petro cum inquit: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Et Oza quod arcam sustineret inclinantem in terram, morte punitus est. Meminerat etiam dictum è cœlo Moysi: *Ne appropies huc, solue calceamenta de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est*: & Baptista ad Christum: *Non sum dignus soluere corrigiam calceamenti.* Quam reuerentiam multum adaugebat splendor ille in vultu virgineo, præcipuè ex quo Filium Dei concepit, vt ex Patribus alibi tradidimus.

Théoph.

Salmeron.

Iosephus ob reuerentiam ingentis sanctitatis Mariæ, voluit illam relinquere, tanquam indignus illius contubernio.

Luc. 5. 8.

Exod. 3. 5.

Ioan. 1. 27.

902. Libet adhuc verba illa Angeli: *Noli timere accipere Mariam*; attentiori indagine perscrutari in oostrum sensum. Et quidem si Iosephus zelotypia perculsus in cooiugem accenderetur exæstuans, minimè Angelus timorem adimeret, animos inderet, dicens, *noli timere*, sed potius animum æstuantem sedaret, zelotypiæ flammas extingueret, æmulum cogitatum dispelleret, nec iustum compellaret, qui pro virginitate Mariana non decertaret, quod ponderat Christianus Druthmarus in Matth. ad illa verba, *Cùm esset iustus*, ita enim habet: *Testimonium Euangelista est de Ioseph quia iustus erat, & hoc etiam ex apparitione Angeli credere possumus ex verbis ipsius dicentis: Noli timere; si enim in eam, malam suspicionem habuisset, nec ipse iustus esset, nec Angelus dixisset Noli timere, sed, Noli despicere*: imò eisdem verbis, quibus Angelus Mariæ timorem pepulit, & Iosephi etiam metum dispulit; & sicut Maria turbata fuit, non conturbata; ita & Iosephus. Quod rectè adnotauit Gerson. de Natiuit. Mariæ consider. 3. *Nouit Maria mysterium Incarnationis à sæculis absconditum Angelo nunciante: Nouit & Iosephus admonitus super hac in somnis: turbata est Maria in Angelica salutatione, sed non conturbata, vel incredula; turbatus est & ipse Ioseph ad stupendum tantæ nouitatis miraculum, non tamen conturbatus. Quemadmodum enim in Annunciatione turbata est in sermone eius, & respondit ei Angelus timorem ab ea amouens: ne timeas Maria; sic etiam turbationi S. Iosephi Angelus eisdem fere verbis vtens respondit: Ioseph Fili Dauid, Noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Iterum Christianus Druthmarus ad præfata verba *Noli timere*, ait; *Noli trepidare, Noli te indignum iudicare Filio, & Matri eius inseruire, quia illa digna, & ordinata inuenta fuerat ad generandum eum, & tu ad enutriendum electus es.*

Christ. Druth.

Gerson.

Druthmar.

PALÆSTRA X.

Marianam Nobilitatem discutit.

903. *Vellus Gedeonicum stemma nobilitatis Marianæ, à quo dicti Equites del Tuson.*

ARIANA nobilitas iam olim fuit per Gedeonicum illud Vellus delineata, vt probat Delr. Polemica 5. cum pluribus Patribus. Vellus autem semper Nobilitatis insigne fuit. Vnde aurei Velleris Equites, vulgò *del Tuson*, nomen accepêre, qui Ordo in Deiparæ honorem institutus fuit, refertque Gedeonicum illud Vellus, vt quidam affirmant apud Freire in lib. Iudicum, siue Iasonium illud, ad quod profecti sunt Argonautæ Regio sati sanguine. Videndus Serarius in lib. Iudic. quæst. 26. Nihil verò nobilius Maria, quia vt ait Petr. Damianus, *ob præclarissimam sobolem, omnem humani stemmatis excedit nobilitatem; clara proauorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis.* Lunam tamen, quæ apud veteres, & Turcas nobilitatis est stemma, terere pedibus dicitur Apocalyps. 12. veluti nobilitatem omnem conculcans, pluris faciens animi generositatem, & submissionem, quæ Deum ipsum allexit, teste Blesensi epistol. 3. *Dei Filius*, inquit, *in B. Virgine, licèt ipsa de Sacerdotali, ac Regio stemmate traxisset originem, non nobilitatem, sed humilitatem quæsiuit.* Si vis ergo inter nobilissimos supputari, ad hoc Vellus conflue fælicior Argonauta, & aureo Vellere insignieris, Equesque aurei, & immaculati Agni, imò Princeps, ac Rex nuncupaberis. *Per me*, ait Virgo B. *reges regnant*: Per me principes imperant. *Inter illius*, inquit Anselmus, nempe Mariæ, *mancipia numerari, plusquam regium.*

Delrio. Freire. Serar. Petr. Dam. Apoc. 12. Blesensis. Anselm.

CERTAMEN I.

Verum ius in regnum Israël deuoluitur ad Mariam.

904. AGNOSCVNT plures hæreditarium ius in regnum Israël in Virginem Deiparam deuolutum fuisse ex temporali generatione, ac proinde B. Virginem, & B. Iosephum Israelitici regni hæredes fuisse legitimos, à quibus in habitu, vel in debito quodammodo habuit Christus regiam potestatem, & ius in idem regnum: sic Princeps, superstite adhuc vtroque parente, habere ius in regnum, dici solet; tum etiam, quia ab his parentibus, eadem regia potestas actu in Christum Dominum transferri potuit, siue per vtriusque cessionem, liberaléinque donationem, siue per mortem Iosephi, successioneinque Christi tanquam Filij adoptiui in parentis locum subrogati; potuit enim in eum omne suum ius transferre, præsertim cùm nullus alius necessarius hæres interueniret. Quod autem legitimi hæredes fuerint Israëlitici regni B. Virgo, ac D. Iosephus, tenent Armachanus lib. 4. de quæst. Armenorum cap. 16. Bachonius in 4. quæst. 1. Burgensis Addit. 2. in cap. 1. Matth. Bernardinus Senens. tom. 3. serm. 1. de S. Iosepho, Alphonsus Mendoza in select. Theolog. de vniuersali Christi regno. Azor. lib. 2. inst. moral. cap. 15. Abulens. quæst. 30. in cap. 21. Matth. ad illa verba: *Ecce venit rex tuus. Dixit, rex tuus, ait, quia de Messia loquebatur, qui rex erat, de semine enim regali Dauid erat.* P. Petrus Morales in Matth. lib. 2. tract. 9. conclus. 1. Non autem aliunde Hebræus principatus deuoluitur ad Iesum, nisi per Mariam; ergo aliquando ius regni Israëlitici mansit in Maria, & defuncto Iesu, iterum in Mariam rediit. Luculenter hanc nostram sententiam tradidit S. Athanasius serm. de Deipara: *Accepit*, inquit, *Iesus thronum Dauidis corporaliter, & ratione prosapiæ, qua Pater illi Dauid fuit.* S. Hieronymus in 22. cap. Ieremiæ docet, Christum eodem iure, quo Ieconias, & Salomon tenuisse sceptrum Dauid. Subsidiatur Epiphanius Hæresi 29.

In B. Virginem hæreditario iure deuoluitur regnum Israël. Armac. Bachon. Burg. Bernardin. Senens. Alphons. Mendoza. Azor. Abul. Moral. Athanas. Hieron.

Constabilitur hæc sententia primo ex Matth. dum docet capit. 1. Iesum Christum Filium esse Dauid, vtique secundum corpulentam substantiam; vnde & ipsius regni hæredem: ad cuius probationem Iosephi progenitores memorat, & in genealogia docet Mariam fuisse de Tribu Iuda, & de familia Dauid, non enim ignorabant Hebræi illius temporis, qui nouerant Ioachimum Virginis Mariæ parentem, esse de Dauidis familia; nouerant etiam Mariam eiusdem esse familiæ cum Iosepho, quam vt propinquiorem acceperat, vt moris erat, tum ob eandem causam, nempe quia de eadem essent familia, simul fuisse censitos in Bethlehem; Ideóque ait benè Hieronym. lib. 1. in Heluidium: *Si cui scrupulus commouetur, quare desponsata, & non potius sine sponso, siue vt Scriptura appellat, Marito, Virgo conceperit, sciat triplicem fuisse rationem. Primo vt per genealogiam Ioseph cui Maria cognata erat, origo quoque Mariæ monstraretur, &c.* Præterea tametsi illius temporis Hebræi rectè nossent Ioachim, & Ioseph, idest Patrem, & sponsum Mariæ, non tamen cognoscebant saltem plures seriem ascendentium vsque ad Dauid; vnde oportuit, vt hæc genealogia protenderetur vsque ad illum, vt nobis etiam constaret Christum ex semine Dauid fuisse progenitum, & consequenter Mariam, de qua sola venit Christus fuisse ex familia Dauid; vt benè August. contra Faustum lib. 23. cap. 9. tom. 6. *Nos ergo*

Matth. 1. Hieron. August.

credimus

credimus etiam Mariam fuisse in cognatione Dauid, quia Scripturis eis credimus, quæ vtrumque dicunt, & Christum ex semine Dauid secundum carnem, & eius Matrem Mariam non cum viro concumbendo, sed Virginem. Hinc non solùm Cananæa, sed in vniuersum populi, IESVM, Filium Dauid nuncupabant; quibus verbis regnum ipsius temporale innuebant, in quo nihil ipsis contradixit, nec eiusmodi plausus vnquam coërcuit, aut reprehendit, quod sine dubio, vtpote Veritas æterna, cohibuisset, si vel transuersum vnguem à vero deflecteret. Ideóque in cruce Regis Iudæorum inscriptionem affigi voluit, vt planè constaret illum, qui hæreditario iure Princeps, ac Rex constitutus erat, crucis dedecori subiacuisse; in cuius rei confirmationem Deus Pilato nouum robur indidit, ac constantiam, vt lingua Hebræa, Latina, ac Græca crucis titulum sustolleret, renuentibus, ac refragantibus Iudæis, vt hoc signo hæreditaria in regnum Israëliticum successio in Christum, adeóque in Matrem deuoluta vniuerso Orbi pateficret, vt benè expendit Abulensis quæst. 30. in Zachar. ad illa verba: *Ecce venit Rex tuus. Dixit, Rex tuus, quia de Messia loquebatur, quia Rex erat, de semine enim regali Dauid erat, & cui promissum erat, quòd regnaret.* Luc. 1. &c. *Christus vocatus est Rex Iudæorum in titulo passionis, qui titulus Deo placuit, tanquam conueniens; ideò licèt Iudæi voluerunt illum deleri, Deus non permisit, dans in mentem Pilato, quòd maneret titulus,* Ioan. 19. *Et cum Christus omnium Iudæorum esset specialiter Rex, adhuc specialius erat Rex Sion, & Hierusalem, quia ibi erat Metropolis regni.* Ex quibus verbis perspicuè deducitur non ex vnione personali ad Verbum, Christum dici Regem, sic enim non solùm Rex Iudæorum, sed totius Orbis Rex conclamaretur: aliquod ergo ius speciale in regnum Israël hæreditaria sanguinis Dauidis successione hausit.

Abul.

Innititur etiam hæc sententia Illustrissimo Christi testimonio Matt. 27. vbi sciscitanti Pilato, *Tu es Rex Iudæorum?* Annuit Christus respondens: *Tu dicis.* At Pilatus de temporali Israelis regno sermonem instituerat; hoc enim Christo vuptauerant Iudæi tanquam flagitium maximum; Christus autem ad mentem Iudicis respondit; ac si diceret, quale regnum de me inquiris, hoc haben; licèt autem Christus subdiderit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* Per hæc verba solùm negauit externum Ministrorum apparatum, vel regni vsum, & exercitium. His adstipulatur Lucas cap. 1. per illa verba: *Et dabit illi Dominus sedem Dauid Patris eius, & regnabit in domo Iacob.* Quæ verba sic commentatur Guilliel. in Cant. cap. 3. *Cùm dicit Filius Altissimi, indicat Diadema paternum, propter quod habeo in fœmore suo scriptum, Rex Regum. Cùm ait sedem Dauid, Patris eius, tunc indicat Diadema Maternum, cuius ratione titulus super Crucem positus est, Iesus Nazarenus Rex Iudæorum. Necessarium ergo fuit, non solum decens, vt Verbum æternitatis gloria coronatum, regio etiam sanguine per Mariam decoraretur, vt ex hac parte non videretur defectuosum, sine Materno Diademate, quo eum Mater coronauit, nempe regiam nobilitatem assumpta humanitatis, eo quod illum de sanguine suo regio secundum carnem concepit.* Hanc sententiam fulcies amplius ex his, quæ alibi de Christi temporali regno diximus.

Matth. 27.

Luc. 1.

Guillelm.

905. Nonnulli difficulter sibi persuadere possunt, hoc ius proximum ad regnum temporale Iuda, deuenisse ad Ioachimum. His tamen suaderi posset primò hoc ius regni penes Ioachimum deuolutum fuisse, quia constare nequit Ioachimum non descendere à Dauid per lineam Primogenitorum. Secundò etiam si supponatur, Ioachimum non descendere à Dauid per lineam Primogenitorum, potuit nihilominus hoc ius sibi nancisci iam ætatis grandæuæ prouectus, quia Herodes Antigonum, & quadraginta quinque alios viros ex familia Dauid iussit occidi, ac deinceps nouas quotidie strages, pro extinguendis illius posteris meditabatur. Quare assumpsit eos omnes, qui priores erant Ioachimo in iure regni: de Ioachimo, & aliis nihil curauit Herodes, vel quod in mediocri fortuna versarentur, adeóque procul à regnandi cupidine viderentur; vel singulari Dei prouidentia, qui Ioachimum & Iosephum in parentem, & sponsum tantæ Virginis selegerat. Idem autem fuit, Matthæum Iosephi Progenitores recensere, ac si Ioachimi, & Deiparæ proauos supputaret. Nam ex lege Numer. 27. & 36. tenebantur filiæ carentes fratre, nubere Filio habili propinquiori secundum lineam paternam; itaque Ioachim B. Virginis Parens, & Iacob pater sancti Iosephi, aut fratres erant ex linea paterna, aut fratrum Filij, ita P. Mariana in cap. 1. Matth. & Canisius lib. 1. de Deipara capit. 3. ait: Citra hæsitationem dicendum Mariam ex Regibus à Matthæo memoratis descendere. Marian. Canis.

Aduersus hanc sententiam insurgunt Vualdensis tom. 1. Doctrinalis Fidei lib. 2. cap. 76. & 77. Suar. tom. 1. in 3. part. distinct. 48. sect. 1. Vasquez ibidem dist. 87. cap. 1. & 2. Ludouicus Tena in epist. ad Hebræos cap. 1. difficul. 3. sect. 3. Primo ergo arguunt. Christus Dominus ex fœmina à Dauid ortum habuit; at in Hebræorum repub. fœminæ regni hæreditatem adire non poterant. Hinc enim Athalia, quæ regnum inuasit perimitur iussu Ioiadæ summi Sacerdotis, ne fœmina regnum capesseret. Verùm hoc argumentum in ipsos aduersarios retorqueri potest, ex eo enim B. Virgo ius habuit hæreditarium ad regnum Israël, quia per lineam rectam ortum ducebat ex familia Dauid, vt suprà monuimus, at viro deficiente; fæmina hæreditatem adibat, vt constat ex lib. Num. cap. 27. & 39. Neque enim est cur ab hac vniuersali lege excipi debeat regia hæreditas, cum nullibi sit cautum in lege, neque fœmina per se sit incapax regni: cùm ergo parentes B. Virginis ex stirpe Dauid directè descenderint, nec Filium aliũ habuerint, vtrique ad B. Virginem deuolutum est ius in regnum Israëliticum. Lex autem Numer. cap. 27. sic se habebat: *Homo cum mortuus fuerit absque Filio, ad Filiam eius transibit hæreditas; si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos; quod si & fratres non fuerint; dabitis hæreditatem fratribus Patris eius.* Itaque adire poterat hæreditatem cum onere nubendi cum consanguineo paternæ lineæ ne hæreditas in extraneos abiret. Athalia verò meritò viduata regno, priuatur etiam vita, quia præceps, & audax occisa regia prosapia per vim se in regnum intulerat, non verò quia fœmina, & ad ipsam ius regni non attinet. Instat Vasquez tempore Deiparæ plures viros superstites fuisse de familia Dauid, penes quos potius adesset ius regni: Ergo non penes Mariam. Verùm quamuis admittam plures extitisse viros per varias lineas paternas transuersales; imò forsan, & per lineas rectas; tamen ex his fea illa à qua ortum ducebat Ioachimus, legitimè

Vuald. Suar. Vasquez. Tena.

Fœmina hæreditatem adibat in lege veteri, deficiente viro.

Num. 27.

gitimè jus regni sortiebatur primarium ac directum; quippe Iacob Pater Iosephi erat Frater minor, nempe Ioachimi parentis Deiparæ.

Vasq. Secundò, Argumentatur Vasq. aduersus præfatam sententiam, Tametsi Deipara ortum duxerit ex semine Dauid, non tamen per Salomonem, ad cujus posteros solum deuoluebatur ius regni. Quod autem D. Iosephus, qui verè per Salomonem originem traxit à Dauid; esset Pater existimatus IESV, non sufficeret, vt vel Christus, vel Deipara iure regni Israëlitici potirentur, sed solus ipse Ioseph. Respondeo cum pluribus ex Interpretibus lineam paternam Mariæ Virginis, eandem omninò esse cum Ioseph. *Putabam*, ait P. Mariana in cap. 1. Matth. Mariana. *Ioachim Patrem Virginis, & Iacob Patrem Ioseph fuisse fratres. Virginis, & Ioseph idem genus; eosdem progenitores vsque ad Mathan auum Ioseph, & Patrem Ioachim, qui fuit natu maior, quàm Iacob Pater Iosephi: Vnde ad Ioachimum potiùs, tanquam ad Primogenitum attinebat ius regni.*

Ierem 22. Tertiò, Arguitur ex capit. 22. Ieremiæ; vbi sacer textus hæc habet contra Iechoniam regem vltimum, in genealogia Matthæi: *Hæc dicit Dominus, scribe virum istum sterilem, virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltrà in Iuda.* Quæ verba amissum fuisse ius ad regnum non obscurè ostendunt iuxta Vualdensem, Vasquez, Suarium citat, Sotum Sotus. Almayn. in 4. libro de iustitia & iure quæst. 4. Almaynum in tract. de potestate Ecclesiæ cap. 8. Vnde Sedecias patruus Iechoniæ, qui regni regimen assumpsit loco nepotis, iam diuersam lineam sortitus est, à qua nec Christus, nec Deipara ortum duxit. Respondeo tametsi Iechoniæ Filij priuati fuerint regno, nec posteri debitum sibi imperium recuperauerint; hinc tamen non fit, non habuisse, & retinuisse sibi ius ad regnum. Voluit ergo Deus pœnam infligere Iechoniæ propter ipsius flagitia; exhæredatio autem, siue iusta, siue iniusta non priuat iure ad regnum, vt patet per se.

Quartò Obiicitur: plurium annorum præscriptio priuare potuit posteros Iechoniæ & Dauidis Euseb. iure ad regnum; atqui iuxta Eusebium in Chronico à captiuitate Iechoniæ vsque ad Christi Na- Driedo. tiuitatem præteriêre anni 585. & iuxta Driedonem lib. 3. de dogmatibus cap. 5. effluxere an. 596. tot autem annorum supputatio constituit præscriptionem immemorabilem, quæ iustum titulum transferre potuit in posteros, & nudare iure ad regnum eos, qui ex Iechonia, & Dauide immediatè ortum ducebant: Ergo hæc præscriptio immemorabilis sustulit iam ius omne ad regnum à Progenitoribus Mariæ, & verum titulum aliis præbuit. Respondeo leges inuectas apud nos, quæ statuunt præscriptionem esse iustam, nouiores esse, neque apud Hebræos inualuisse, vt patet ex c. 11. Iudicum, ex communi Interpretum sententia, asserentium Hebræos iustissimis de causis aduersus Chananæos irruisse, quia filij Sem ante annos quingentos per vim fuerant deiecti à filiis Cham: Vnde meritò Hebræorum poster. à Chananæis legitimam vindictam desumebant. Qua de re vi- Epiph. dendus S. Epiphanius Hæresi 66. Cassianus col- Cassian. lat. 6. cap. 4. Quare in re dubia standum est pro Partibus Epiphan. Athanasio, Hieronymo, & scripturæ fauenti; præcipuè cùm hæc nostra sententia multum B. Virginis Nobilitati deferat.

907. Non prætermittam hic robustum argumentum aliquorum, quo probant hoc ius ad regnum Israëliticum fuisse penes Mariam, & per illam penes Christum; Arguunt ergo: Christus habuit dignitatem aliquam regiã, qua leges condere, & vectigalia exigere potuisset; sed quæuis alia possibilis non est, nisi illa, quę à iure hæreditario promanat: Ergo ea solum Christo est attribuenda. Primam propositionem nullus denegabit. Minor ostenditur, quia si Christus ex vnione personali ad Verbum Rex esset, ruit communis definitio à Philosophis, ac Theologis inuecta, qua Rex dicitur Princeps vnus, in quo regnum, seu Monarchia secernitur ab Aristocratia, & Democratia, quia hæc duo dominandi genera sunt plurium; at Monarchia vnius duntaxat: Atqui si Christus ab vnione personali regiam haberet, & politicam dignitatem, fieret vnitis tribus personis ad totidem naturas humanas, siue Angelicas admittendos esse tres reges, eodem iure, & actione in idem omninò regnum, qui iustè contrarias leges sancirent: Nam Angelus V. G. vnitus Patri statuta conderet Angelicæ naturæ fauentia; at homo in Filio leges naturæ humanæ fauorabiles. Deinde cùm plures sint rerum publicarum formæ, quarum singulæ absque Legislatoris culpa præponi possent; dissidium oriri posset, ac bellum ex vtraque parte iustum. Quæ omnia licèt componi possent; illud tamen difficile semper esset, nempe eiusdem temporis dari absolutè tres reges eiusdem dominij, quod nec Aristocratia, nec Democratia, nec Monarchia dici posset, sed monstrum quoddam principatus nunquam excogitatum ab aliquo: Ergo cùm Christus gaudere non potuerit hac regia dignitate desumpta ex vnione personali; statuendum est regem fuisse Christum, ac principatum obtinuisse, qui à Dauid, ac regum successione dimanauit, quique per Mariam in Filium transferretur. Hæc tamen ratio in omnium opinione vim suam exerit; & data illa Hypothesi noua, & inaudita, quid mirum si noua etiam, & inaudita regni, & dominij definitio adinueniretur. De quo aliquid cum de Christi in vniuersum dominio agemus, proferemus.

CERTAMEN II.

B. Virgo Regiam, & Sacerdotalem Nobilitatem cohonestauit, cum vtraque affinitatem contrahens.

EVicimus, nisi fallor, superiori congressu B. Virginem ex stirpe Dauid, ac Iudæ genere oriundam fuisse; quidquid Iulianus Apostata apud D. Cyrillum lib 8. contra Iulian. & Celsus Hæreticus apud Origenem lib. 2. contra Celsum, blaterent: *Ecce vicit Leo de Tribu Iuda, radix Dauid*; ait Ioan. Apocalyps. 5. & Paulus ad Hebræos 7. *Manifestum est enim quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster.* Quod autem ex regia Dauidis stirpe originem duceret, id & pueris notum erat, dum in Hierosolymitano triumpho conclamabant: *Osanna filio Dauid*: Matth. 21. in quo, & ipsi cæci id viderant, duo enim capti oculis Christum prætereuntem secuti in voces illas proruperunt: *Miserere nostri fili Dauid.* Matth. 9. S. Bernard. serm. de verbis Apoc. *Quid, ait, sydereum micat in generatione Mariæ? planè quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahæ, quod generosa ex stirpe Dauid.* Guerricus Abbas dictis concinit serm. 1. de Annunc. 908.

Apoc. 5. Hebr. 7. Matth. 21. Matth. 9. Bernard.

Regali

Regali siquidem ex progenie Virgo electa est, generositatis quidem regia nobilis proles, sed virtutis regia nobilior indole, vt aeterno regi Filio regis materna quoque Nobilitas regium honorem defenderet, & venientem à Regali sede Patris, Regalis etiam thronus in aula Virginali Regina susciperet Matris.

Epiph.

Supponimus modo ex lib. Numer. cap.36. ibi caueri, ne coniugium fieret apud Hebræos, nisi inter illos, qui essent eiusdem Tribus; de quo consulendi Expositores in illum locum. Vnde ansam sumpserunt antiqui Hæretici ad sugillandam Christi genealogiam iuxta Epiph. aduersus Antidicomarianitas Hæres.78.obiiciebant enim, quomodo ea, quæ ex Tribu Iudæ & Dauidis ortum duxerat, cognata esse posset Elisabeth, quæ ex Tribu Leui oriunda erat? Cui sugillationi, vt fiat satis asserendum est, hoc peculiare fuisse inter has duas Tribus Iudæ, & Leui, vt vtrinque coniugia copularentur, & inter vtrasque affinitas sæpè intercedebat. Ita S.Epiphan. citat. & Beda in cap.1. Lucæ: quod exemplis fit perspicuum: Aaron enim summus Sacerdos non fuit coniugio copulatus, cum aliqua fæmina suæ Tribus, sed Tribus Iudæ vt constat ex cap.6. Exodi. Ad hæc Ioiada Sacerdos vxorem accepit ex regali stirpe, nempe cum filia Regis Ioram, vt habes 2. Paralip. 22. Tribus ergo regia, salua lege, cum Sacerdotali sæpe permiscebatur. Imò addunt alij idem dicendum de aliis Tribubus, quod scilicet secum inuicem coniugio copularentur, dummodo hæreditates impermixtæ remanerent; bonáque hæreditaria integra cuique Tribui, ac iura in bona illæsa conseruarentur, quod solum inspectabat lex illa

Num.vlt.

Num. vltim. *Omnes viri vxores, omnes fæminæ viros de sua Tribu accipiant.* Hinc excusatur connubium Dauidis cum Michol, cum ipse esset de Tribu Iuda; Michol verò ex Tribu Benjamin; nempe quia nulla hæreditatis pars contingebat fæminam, quæ fratres haberet. Deinde cum Tribum Leui nulla hæreditatis portio contingeret, vt patet ex cap.3. Num. & cap.8. & Exod.30. tametsi aliarum Tribuum viri cum fæminis Tribus Leui matrimonium inirent: nulla inde bonorum alienatio, aut confusio oriretur: Cùm ergo finis legis illius, quæ in hunc scopum collimabat, cessaret, consequenter coniugia inter varias Tribus iuxta dicta iniri poterant.

909. Ex quibus facile euincere possumus B. Virginem, licèt ortam ex Tribu Iuda regia, cognationem, & consanguinitatem cum Tribu Leui contrahere potuisse: & de facto censemus vtramque Tribum suo sanguine, & cognatione cóndecorasse. Quod assertum censemus esse de fide. Et primùm, nempe Mariam ex regia stirpe Iuda ortum duxisse, præter ea, quæ supra produximus, adest Paulus eandem veritatem definiens ad Hebr. 7. *de alia Tribu est de qua nullus altari præsto fuit. Manifestum est enim quod ex Iuda ortus sit Dominus Noster, in qua Tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est:* Quòd etiam Sacerdotali Tribui sanguine fuerit coniuncta, definit Euangelista Luc.1. quia cognata erat Elisabethæ, quæ erat filia Aaronis Sacerdotis, & Zachariæ Sacerdotis vxor, teste eodem Euangelista; quæ duæ Tribus apud Iudæos maximè inter cæteras sanguinis nobilitate florebant. Imò Gregor. Nazianz. August. Eucher. addunt Mariæ prosapiam, non solùm ex Tribu Iuda, sed etiam ex Leui descendere, quia Anna Mariæ Virginis Mater ex Tribu Leui lineam ducebat. Affirmat enim S. Hyppolitus Martyr, Mathan Annæ parentem Sacerdotij fastigium attigisse; ideò Matthæus per Salomonem, Lucas verò per Matham Christi ac Mariæ Proauos recensuere: quia videlicet Matth. regiæ stirpis genealogias; Lucas verò Sacerdotalis prosapiæ lineam descripsit, vt benè docuit D. Hilarius can.1. in Matth. & Pomet. lib.3. contra Iudæos, quæ omnia rectè perstrinxit August. lib.2. de consensu Euangelistarum cap.2. *Cum euidenter,* ait, *dicat Apostolus* Rom. 1. *ex semine David secundum carnem Christum, ipsam quoque Mariam de stirpe David aliquam consanguinitatem duxisse; dubitare vtique non debemus, cuius fæmina, quoniam nec Sacerdotale genus tacetur insinuante Luca, quod cognata eius esset Elisabeth, quam dicit de filiabus Aaron, firmissimè tenendum est, carnem Christi ex vtroque genere propagatam, & Regum scilicet, & Sacerdotum.*

B. Virgo cum Tribu regia Iuda, & cum Tribu Leui Sacerdotali consanguinitatem contraxit.

Hebr.7.13.

Luc.1.

Hyppol.

Hilar.

Pomet.

August.

910. Claudant ergo sua ora Hæretici Nouatores qui B. Virginem puellam obscuro loco natam ignobilem, contemptibilem, abiectam, cunctorum ludibrio expositam ore blasphemo pronunciant, ducti sola stolida mente sua, Scripturæ, Historiæ, Patribus, rationi etiam pugnantia euomente. Quid enim nobilitatis desiderari potest in Maria, cuius in stemmate bis septem Reges, Duces etiam, ac Sacerdotes, plerosque Heroas claro Proauorum sanguine conspicuos quiuis recensere posset. Ad gustum nostrum faciunt verba S. Thom. à Villanoua concl. 1. de Natiuit. Virg. *Licèt,* ait, *pauperem, & humilem Matrem elegerit Deus, sed tamen genere illustrissimam, nobilissimam, generosissimamque multo amplius secundum carnem quàm sit modo, quæcunque illustris fæmina; nam ab antiquo multis sæculis longa progenie à Patriarchis, & Regibus & Sacerdotibus originem traxit. Recense nunc in toto orbe, quænam sit, quæ tot Regibus & Principibus polleat in origine. Nobilissima igitur fuit, Virgo Maria secundum progeniem, & Illustrissima qualem decuit esse Matrem Dei futuram; neque enim decuit rusticam esse, & vulgarem, ne aliqua obscuritatis, & ignobilitatis nota redundaret in Filium.* Deipara ergo ex Tribu Iuda, déque stirpe Dauid per viam paternam originem traduxit; per maternam autem lineam ex Tribu Sacerdotali Leui ortum habuit, vt communis fert Theologorum opinio, quibus accinit Ambr. lib.3. in Lucam. *Quod verò,* ait, *per Salomonem Matthæus generationem deriuandam putauit: Lucas verò per Nathan; alteram Regalem, alteram Sacerdotalem Christi familiam videtur ostendere. Fuit enim verè, & secundum carnem regalis, & Sacerdotalis familia; Rex ex Regibus, Sacerdos ex Sacerdotibus.* Et in lib. de Benedictionibus Patriarcharum cap. 3. *Ex ea Tribu Dominus Iesus videtur secundùm corporis susceptionem, genus ducere; ex qua Tribu sunt Sacerdotes Leui, & Nathan, quos S. Lucas in Euangelij libro, quem ipse scripsit inter Maiores Domini computauit: Sacerdos enim Patris, & Princeps omnium Sacerdotum; sicut scriptum est: Tu es Sacerdos in æternum; Sacerdotalis originis successionem debuit vindicare.* Quo autem pacto, hanc cognationem cum Tribu Leui contraxerit Deipara, disputant aliqui: arridet nobis sensus S. Hyppoliti Portuensis Episcopi, & martyris, relati à Nicephoro lib. 2. cap. 3. vbi in eam partem inclinat, quæ asserit Patrem Deiparæ Ioachimum duxisse Diuam Annam Elisabethæ cognatam: ait enim: *Tres fuere Sorores Bethleemiticæ filiæ Mathan Sacerdotis, & Mariæ coniugis eius sub Cleopatre & Casoparis Persa regno ante Herodis Antipatri Filij regnum: Prima, Maria; secunda, Ioba; tertia, Anna*

B. Virgo omnium fæminarum longè nobilissima secundum originem.

Thom. à Villan.

Hyppol.

nomen

nomen inditum fuit. Nupsit Prima in Bethleem Maria, & peperit Salomen obstetricem. Nupsit quoque secunda itidem in Bethleem Ioba, & genuit Elisabethā. Nupsit postremo & tertia Anna in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei genitricem, ex qua nobis exortus est Christus ipsa veritas ita vt Salome ista obstetrix, Elisabetha, & Dei Mater trium Sororum reperiantur filiæ, hucvsque S.Hyppolitus.

911. *Maria omnium nobilissima siue ab antiquitate, siue à religione, siue à sapientia, siue ab imperio, & rebus gestis splendorem depromas.* Bernardin. Senen.

Clara ergo Proauorum sanguine illustrisque natalibus, vtroque parente fuit Maria Virgo, vsque adeò, vt si sanguinis claritudo, maiorū splendor, Proauorum gloria in quopiam experi vsquequaque possit, id omne vna Deipara nacta fuerit, siue nobilitatis, & antiquitatis stemmata spectes, siue pietatem, ac religionem requiras, siue sapientiam, & disciplinarum cognitionem plenissimam exoptes, siue ab imperio, ac rebus gestis splendorem rimeris; Hæc omnia nobilitatis ornamenta & insignia in vna Virgine Deipara maximè affulgent. Quod expendens S.Bernardin.tom.1.ser.61. art.1. cap.1. ait: *Fuit B.Virgo nobilius indiuiduum, seu nobilior creatura omnibus indiuiduis, seu creaturis, quæ in humana natura fuerunt, aut possunt, aut poterunt generari, quia igitur omnes præclaritates, ingenuitates, præfecturas, dignitates, & nobilitates, quæ possunt esse in aliquo indiuiduo humano secundum originem sanguinis, describunt Euangelistæ in hac puella: Oportet nos eorum testimonio, eam præferre omnibus Principibus, Regibus, Imperatoribus, Reginis, Imperatricibus, omnibus Potestatibus, Tribubus, & linguis totius Vniuersi.* Quod assertum probatur ex eo quod si quæ nobilitatis gloriā, & splendor apud aliquam gentem effulsit, proculdubio apud Hebræorum populum, quem Deus, sicut & reliquis naturæ bonis, ita & nobilitate cumulauit: At diximus ex nobiliori Hebræorum familia Deiparam progeniem duxisse: Ergo fuit omnium indiuiduorum naturæ humanæ Nobilissima. Deinde euoluantur Annalium omnium gentium, & Nationum monumenta, & facilè quiuis depromet nullam vspiam gentium nobilem progeniem fuisse, quæ licèt per longam temporum seriem floruerit, finem tamen non fecerit, ac penitus extincta non fuerit; At Deiparæ nobilissima prosapia à conditi orbis initiis, vsque ad ipsam singulari Dei beneficio perdurauit. Quòd si aliquando populus ille ob ingentia flagitia, plerisque calamitatibus obnoxius delictorum pœnas luit, cladibus vndique agitatus; at Deus Deiparæ familiam saluam, & incolumem seruauit.

912. *Mariana nobilitas rectè per mulierem Sole amictā, pedibus terentem Lunam, ac Stellis redimitā adumbratur.* Apoc. 12.

His lucem dabit Meridianus Sol B. Virginem splendoribus amiciens prementem pedibus Lunam, ac Stellarum duodecim redimitam corona. Non potuit aptius, nec lucidius Marianæ Nobilitatis symbolum excogitari, ex vtroque sanguine propagatæ, & Regum, & Sacerdotum, qui omnes aptissimè per Solem, Lunam, & Stellas adumbrantur, vt eruditione multa sacra, ac prophana comprobari posset. Nostris igitur obtutibus obiicit D.Ioannes Solis, Lunæ, ac Stellarum stemmata, vt Marianæ Nobilitatis splendor per eosdem tractus, per quos Sol, & sydera suos eiaculantur radios, peruaderet, ac per vniuersum terrarum orbem propalaretur. Siquidem Hebræi, stellarum scintillatione nobilitatem adumbrabant, forsan quia Abrahamo Deus prod[...] instar stellarum Abrahamidum sobolem adau[...]ri. Apud Ægyptios pyramides eri[g]ebantur, quæ Solem referebant in sepulchris Nobilium, vt significarent illorum interitu, & occasu, Solis radios, quibus fulgebat Respublica, occidisse. Romani nobilitatem expressere per Lunam in sandaliis effigiatam, vel quia in benefaciendo velox promptitudo, pulchrum est signum animi ingenui: Hinc nata paræmia, *Tu in stragulis nobilitatem gestas*; de viro nobili nomine, non reipsa. Item a Plutarcho disces, viros nobiles, Lunulas in calceis gestasse, vt animaduerterent Nobiles, ac potentes rerum humanarum inconstantiam, adumbratam per Lunam: addit D.Thom. in verba illa Isai. *In die illa auferet Deus ornamenta calceamentorum, & Lunas, & torques. Lunulas, id est quasdam picturas factas in calceamentis de corio deaurato.* Quod forsan innuit sponsus Cantic.7. dum inquit: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis, Filia Principis.* Meritò ergo Virgo Deipara dicitur primatum tenere in omni populo, & in omni gente. Habet enim splendorem nobilitatis apud Hebræos, stellis; apud Græcos, & Ægyptios Sole; apud Romanos, & Turcas, Luna delineatum. Idcircò dicitur, *Amicta Sole; Luna sub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim.* Vt meritò dicat Ildeph. ser.3. in Assump. Deiparæ: *Quia*, inquit, *de progenie carnis, nulla nobilior Dei Matre refulsit, nulla splendidior processit, quàm splendor paternæ gloriæ ineffabiliter diuinitus illustrauit. Cuius caro, & sanguis origo fuit benignissimi Saluatoris.* Et S. Ambros. lib.2. de Virgine. *Quid nobilius Dei Matre, quid splendidius ea, quam Splendor elegit.* Mancat ergo, tanquam omninò compertum, Deiparæ indiuiduum omnium creatorum Nobilissimum extitisse: quod innuit Ioannes, cum ea Sole circumamictam, Stellis redimitam, ac Lunam ped[...] terentem prospecta it: Quæ omnia totius [...]doris, ac nobilitatis insig[ni]a, & stemmata a[...] varias Nationes comperiuntur; vt videre est apud Tiraquel. & Pierium Valerianum; benè ergo Deipara Lunam pedibus calcat, vt eius nobil[itat]is splendor magis eluceat, & meritò virgineis pe[d]ibus substratur omnis proauorum splendor, quia in Deipara omnium splendorum minimus est, qui à natalibus deducitur, vtpote quæ alia fulgentioris nobilitatis luce micet, videlicet à Sole quo circumamicitur, & candet, per Maternitatem enim Dei cum ipso primum cognationis gradum contraxit; Quid ergo nobilius fingi, excogitarive potuit?

Isa. 3. 18. D. Thom.

Cant. 7.

Ildeph.

Ambrof.

Tiraquel. Valerian.

CERTAMEN III.

Vlterius Mariana Nobilitas vindicatur.

913. Hic missos facimus Mariomastiges Caluinum, Brentium, & alios huius farinæ homines, qui Virginem Deiparam, ignobilem, & infimæ sortis puellam impudente[r] appellitant. Solùm hic proponam aliqua, quæ Deiparæ nobilitatem lucidissimam quodammodo interturbare, & offendere possent, siquidem aliqui ex Patribus omnem à Virgine Maria in[]genuitatem adimere videntur. Et primùm Chrysost. hom. 15. in Ioan. *Christus obscuro genere natus, quod sæpenumerò exprobrarunt; nonne hic est filius fabri? nonne Mater eius dicitur Maria? & Patria, vnde originem ducere putabatur, ignominia quadam notabatur, vt inquit Nathael, a Nazareth potest aliquid boni esse?* Honor. in cap. 1. Cant. inquit sub persona Mariæ: *Nolite me considerare quod fusca sim; id est nolite me contemnere propter humiles parentes.* Alia sunt huius coloris

Chrysost.

Honor.

Patrum

Patrum verba; in ſententia igitur horum Patrum omnis ingenuitatis, & nobilitatis ſpecies à Deipara amouenda videtur.

Nobilis idem eſt, ac notus; ignobilis idē ac ignotus. Deuter. 1. Caſſiod.

Deinde ſi Nobilis à *noſcendo* deriuari creditur, cum Deipara omninò fuerit ignota, ignobilis etiam reputanda eſt. Fauet Hebræa vox, *Irdubim*, id eſt cogniti, Deuter. 1. vbi Interpretes vertunt *Nobiles: Tuli de tribubus veſtris ſapientes, & nobiles.* & Caſſiodor. lib. 5. cap. 16. cognitum, & ignobile inter ſe tanquam contraria opponit. Hinc Nobiles, claro ſatos ſanguine, dicimus: ignobiles, ex aduerſo, obſcuros appellamus. Cùm ergo B. Virgo vix eſſet nota viciniæ, Patriis occluſa laribus, in Nazareth paruulo oppidulo; Parentes deinde, nunquam ad Scribarum, & Phariſæorum acciti contubernium, obſcuram, ac ruſticanam vitam in prædiis agebant. S. enim Damaſc. orat. 1. de dormit. Deiparæ, Ioachimum vocat pecudum Paſtorem. Forſan ex opulentia, ac diuitiis nobilitatem compones, ſed neque ex hoc capite B. Virgo nobilis dicenda eſt. S. Hieronym. ad Heluidium: *Nobilitas,* inquit, *mundi nihil aliud eſt, quàm inueterata diuitia.* Et Ariſtot. lib. 5. Polit. cap. 1. opulentiam, tanquam Nobilitatis partem reſpicit: ait enim: *Nobiles exiſtimantur, quibus poteſt Progenitorum virtus, & opulentia.* Et Theop. Alex lib. 8. Paſch. *diuitias,* inquit, *nouis hominibus antiquam donare familiam.* At Deip. Parentes, tametſi mediocrem nacti ſubſtantiã, non tamen aliorum opulentiam; non ergo ex hac parte nobiles habendi, & multo minus Virgo Deip. de cuius inopia, & paupertate alibi nos abundè egimus; colo, & acu ſibi, & Filio victum comparabat; ſicut & Sponſus operibus fabrilibus. Neque ex ſcientia, & doctrina S. Ioachimus nobilitatus fuit; ait enim S. Aug. ſerm. 30. de verbis D. eò nobiliorea fuiſſe Hebræos, & Phariſæos, quò peritiores, & doctiores. *Phariſai,* inquit, *Iudai erant, quaſi Iudaorum egregij, Nobiliores enim, atque doctiores Phariſai tunc vocabantur.* Et ſer. 15. de verbis Apoſtoli eadem habet, ait enim: *Primarij quidem erant, & quaſi ad nobilitatem Iudaïcã ſegregati, non contēptibili plebi commixti, qui dicebantur Phariſai.* Doctrina quippe ex obſcuro, & plebeio Nobilem, & Illuſtrem facit: At Ioachimus nulla doctrinæ laude à quopiam, commendatus fuit; neque aliqua eruditionis claritudine inſignis fuit, nulla in Palæſtinæ ſchola, ſeu Synagoga ludos literarios exercuit; nullam igitur potuit ex doctrina, aut ſapientia Nobilitatem ſibi comparare; neque in Mariã Virginem illam transfundere. Alia denique nobilitatis capita procul à Ioachimo abſuerunt, nempe militaris Artis dexteritas, bello partæ Victoriæ, ſiue præclara facinora, aut Sacerdotis ſacræ Infulæ, aut iuriſdictio, quæ omnia in S. Ioachimo deſiderabantur.

Damaſc. Hieron. Ariſt. *Diuitia, & opulentia tanquam pars nobilitatis computantur.* Theoph. Alexand. Auguſt. *Scientia, & doctrina ex plebeio nobilem, & illuſtrem facit.*

914. Quod ſi quiſpiam Ioachimi Progenitores, Abrahamum, Dauidem, Salomonem, Ezechiam, & alios Duces recenſeat, vt illius nobilitatem propugnet, Profectò poſt tot ſtrages, ac ruinas, hoc etiam nobilitatis fundamentum omninò conuulſum eſt: Omnis ſed enim Maiorum generoſus ſanguis abit in ignobilem, quando plures intermiſcentur, ac conſequuntur poſteri ignobiles, ac plebeij, fabri, textores, lignarij, ſutores, & alij eiuſmodi: ergo cùm Virgo Deipara plures habuerit progenitores ignobiles, ipſa etiam inter ignobiles annumeranda eſt: & quamuis nobilitatis ſtemmata egregia à Progenitoribus hauſerit, dum fabro deſpondetur, omnia ingenuitatis iura deperdidit. Quia iuxta Eccl. c. 38. omnes artifices, fabri, architecti, pigmētarij, fuſores, ignobiles reputãtur, & ab honoribus, ac publicis muneribus arcētur, ait enim: *Non inhabitabunt, nec inambulabunt, & in Eccleſiam non tranſilient; ſuper ſellam iudicij non ſedebunt, & teſtamentum iudicij non intelligent, neque palam facient diſciplinam & iudicium, & in parabolis non inuenientur.* Quod Eccleſ. ſtatutum omnes gentes complexæ ſunt, vt patet in Ariſt. lib. 3. Polit. c. 3. Inter ignobiles ergo cenſenda eſt B. Virgo poſtquam fabro nupſit, quia exiſtimabantur ignobiles, & obſcuro genere nati, vt Author eſt Plato in Aulularia, qui Arti mechanicæ operam nauabant; quales ſunt aurifices, ferrarij, ſedētarij, textores, lignarij, & alij: Si ergo Ioſephus, vel faber lignarius fuit, vt vult S. Thom. in cap. 13. Matth. cum Chryſoſt. Lira ibid. Sozomen. lib. 6. cap. 2. Iuſtin. Mat. in Dialog. cum Tryphone; vel exſtitit faber cæmentarius, vt vult Aug. ſer. 5. de Natin. vel aurifex, vt volunt alij; vel faber ferrarius, vt tradunt Hilarius, Ambroſ. & Beda; profectò omni fuit nobilitate deſtitutus, ac proinde ipſa Virgo Deipara: præſertim cum Artem textoriam, & lanariam, & induſiariam exercuerit, vt docent Anſelmus, Hieronym. Epiph. Beda, & Alb. Magn. quæ omnia proculdubio, aliqua ex parte Marianam Nobilitatem, vel extenuaſſe, vel labefactaſſe videntur.

Fabri omnes, ſiue artifices ignobiles reputabantur. Eccl. 38. 37. Ariſt. Plato. Chryſoſt. D. Thom. Lyra. Sozom. Iuſt. Auguſt. Hilar. Ambroſ. Beda.

915. Marianam tamen ingenuitatem hoc loco propugnandam ſuſcipio, vtpote quæ ipſi Chriſto in amore fuit; ideóque Nobilitas ſemper ſub patrocinio infantis IESV fuit: ideò primum Reges è Gentiliſmo adoraturos ad ſe aduocat, quia, vt ait Baſil. hom. de humana Chriſti generatione, prius Nobilitatem honorat: Ideò priùs MARIÆ, & IESV Nobilitas propalatur, & initium noui Teſtamenti à longa Nobiliſſimorum Proauorum ſerie exorditur, quia nihil Chriſto & Mariæ glorioſius, nihil potiori loco habendum, quàm peruetus, ac clara progenitorum proſapia: Maluit Euangeliſta Matthæus, diuino inſpirante Numine, à nobilitate Ieſu, & Mariæ exotdinm ducere, quàm à Maternitate Dei, Chriſti mirabilibus, Magiſterio, ac Doctrina, quaſi Nobilitas primas inter alia bona ferret. Quod olim Ethnici, vt plus ſuæ nobilitatis inſigne ſuſtollerent, poſt longum Progenitorum catalogum, Deum tandem vltimo loco ſupponebant, vt ſuam à Deo proſapiam ortum habuiſſe factitarent: quos meritò Seneca perſtringit, aiens lib. 3. de Benef. *Non eſt, quod te iſti decipiant, cum Maiores ſuos recenſent, vbicumque deficit nomen Illuſtre, illicò Deum fingunt.* Quod igitur illi ementitis catalogis ſibi falsò adſciſcebant, hoc iure quidem optimo ſibi arrogare poteſt Deipara; cuius nobilitas poſt longum recenſitum Proauorum ſyllabum, in Deo finem imponit: ait enim S. Lucas cap. 3. *qui fuit Adam, qui fuit Dei:* Tametſi Mariana Nobilitas illuſtrius ſtemma à concepto Ieſu Deo homine potius auſpicatur, eóque nobilior exiſtit, quò Deum ſibi in primo conſanguinitatis gradu cognatum nanciſcitur. Si ergo Nobilitas eò illuſtrior ſanguine ſata cenſetur, quò vetuſtiores, & antiquiores Proauos adnumerat; iuxta communem hominum ſenſum; quare Tertul. Carthaginenſes vocat vetuſtate Nobiles: Ex hoc ergo capite pro comperto habendum eſt, Marianam generis claritudinem omni alteri Nobilitati præponendam: Quid enim antiquius Adamo? Quid Deo vetuſtius, qui in Apoc. Antiquus dierum antonomaſticè nuncupatur. Mariæ igitur genealogiam attexens Lucas, ita concludit: *qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Quæ vnquam ſanguinis antiquitas exſtitit, aut exiſtere poterit,

Nobilitas à Chriſto ſemper magni habita fuit. Seneca. *Nobilitatem quam Ethnici ementitis catalogis ſibi adſciſcebant, hanc reipſa ſibi arrogat Maria.* Luc. 3. Tertul.

poterit, quæ sine interceptione aliqua auos, & atauos per spatium plusquam quatuor mille annorum recensere possit? Si verò plures Hebræorum tempore Mariæ Virginis eamdem Proauorum catalogum supputare possent, vtpote cognati Mariæ, verum id propter vnius Deiparæ Nobilitatem factum fuit; itaque vetusta eorum nobilitas per antiquitatem proauorum Mariæ lucem hausit. Deinde hæc longissima progenitorum series in Maria authentica omninò est, fidémque omnimodam à duplici Euangelista sortitur. Nemo ergo ab orbe condito reperitur, cuius prognatio tot, támque vetustas Imagines habeat Regum potentissimorum, strenuorum Ducum, Iudicum, Heroum deinque in vtroque sexu, tamque authentica testimonia producat. Rectè B. Virgini adapta-
Clem. Alex. bis verba Clem. Alexand. orat. adhortat. ad Gentes: si paululum ipsius immutes verba: *Sine ergo veteres Phryges doceant fabulosæ capræ, sine rursus Arcades, quos fuisse ante Lunam scribunt Poëtæ, siue etiam Ægyptios, qui hanc illis primam apparuisse terram, Deos, & homines produxisse somniant, sed nullus eorum fuit ante hunc mundum: nos autem sumus ante mundi constitutionem, qui, eo quod esse oporteret, in ipso Deo prius sumus geniti.* Præcipuè B. Virgo Dei Verbi Mater exstitit, eumque vt hominem figulauit, imago quidem ratione prædita, adeóque priscæ, & vetustæ nobilitatis stemma sibi meritò arrogare potest, contra Arcades, & Ægyptios; nam fuit Virgo Deipara Ioachimi, qui fuit Dauid, qui fuit Abraham, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.

916. Neque sat esset ad Marianam Nobilitatem generis vetustas, sed opus fuit, vt omnis Heros siue virtute, vel doctrina, siue bellorum dexteritate, siue diuitiarum opulentia, hanc seriem Marianam attexeret, vt videre est in subductis catalogis, ab vtroque Euangelista: vt ob id etiam meritò Mariam Cedrum nuncupaueris enodem, & odoriferam, quia nullo modo infamis fuit, nec cariem ex vetustate contraxit. Dicat ergo optimo iure
Ecclef. 24. Maria Ecclesiastici 24. *Et radicaui in populo honorificato.* Hoc est generis mei splendor altissimis nititur radicibus, vetustissimis nobilitatur progenitoribus, qui eo minus nobiles fuere Virgine Maria, quo minus antiqui. Quippe spontanea paupertas nihil Marianæ Nobilitati detrahit; nam vltronea bonorum abdicatio, ac diuitiarum cessio Regularium natales ingenuitate conspicuos non obscurat; erogauit in pauperes suum Virgo B. Patrimonium; larga manu in miseros, & inopes, thesauros à Magis oblatos effudit; sponte pauper fuit, non ex natura, aut fortunæ aduersæ calamitate, vt Filio similior euaderet:
Clem. Alex. *Agricultura non officit nobilitati: Deus Pater dicitur agricola.* de quo sapienter Clemens Alexand. exhortat. ad Gentes: *Omnem reuolute vitam Saluatoris ab vtero Virginis, vsque ad patibulum Crucis, non inuenietis in eo, nisi stigmata paupertatis.* Vlterius huic Virgineæ ingenuitati nihil aduersata est mediocris rei familiaris fortuna in parentibus, ipsorúmve agricultura; quia Ioachimus rem rusticam in propriis fundis, & armentis, non in alienis exercuit; in quo nihil sordidum, aut ignobile reperitur, sicut nihil extenuauit nobilitatem Noë, quod fuerit agricolonus Genes. 9. Imò æternus
Ioan. 15. Pater gaudere hoc voluit cognomine. Ioan. 15. Deiotarum Regem laudibus effert Tullius, quòd non solùm Rex magnificus, sed peritissimus agricola existeret. Xenophon Cyrum suum meminit gloriari solitum, se agrum possidere propriis manibus consitum, arboréſque suo ordine digestas, & in quincuncem appositas. Si quæ verò iura, ac Scripturæ testimonia producantur, quæ agricultores ab honoribus, & magistratibus arcent, solùm est sermo de hominibus, qui conductione, & mercede locantur, alienos fundos, & prædia exculturi. Ioachimus ergo, qui per famulos agros, & armenta curabat, nullam ignobilitatis notam subiuit, nec ingenuitatis splendorem diminuit, vel obscurauit: *Ioachimus*, inquit Nicephor. lib. 1. Niceph.
Histor. cap. 7. *& Anna vita præstantes, & clari; non non primis quibusque, & splendidissimis nobilissimisque genere connumerati.* Quin potius à paupertate spontanea nouam sibi nobilitatem venata fuit Virgo Deipara, siquidem iudiciariam potestatem sibi cum Filio comparauit. Rectè enim ait Greg. Gregor.
lib. 10. Moral. cap. 27. ad illa verba: *Iudicium pauperibus tribuit. Quisquis stimulo diuini amoris exercitatus hic possessa reliquerit; ille proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtinebit.* Et fauet sanctus August. illa ponderans verba Psalm. 71. *Et pauperes tuos in iudicio.* August.

Fabrilem Iosephi artem, vel Mariæ lanificium 917.
nulla ratione hanc Nobilitatem extenuasse, vt opposita sententia ex verbis Ecclesiastici probare contendebat; vel ex eo constare potest, quòd ibi non iudicantur infames, aut ignobiles carpentarij, Latomi, agricolæ, pictores, & fabri; sed non solere vocari ad ius dicendum, aut in regimen, vel præfecturas: cuius rei optimum signum illud est, quod Scribæ, & Pharisæi nunquam submouerint Christum Dominum à Doctoris munere, tametsi ipsis apertè constaret esse fabrum, ac putarêt filium fabri. Imò ars lignaria apud Hebræ.
ignobilis non fuit, vt elici potest ex 1. Paralip. 1. Paralip. 9.
cap. 9. vbi Baccharem carpentarium non sine honore nominat sacer textus. Et apud Ethnicos Vlysses Rex magnus iactat se thorum coniugalem manu propria fabricasse, vt refert Homer. lib. 23. odyss. & lib. 5. nauim sibi construxit, & gloriatur se peritum Artis fabrilis, vt Author est Ælianus lib. 7. variar. Histor. Quòd si fabrum ferrarium, aut aurificem fuisse Iosephum arbitreris, etiam Gentiles Vulcano Iouis, & Iunonis filio hanc Artem attribuêre. Inspiciendus est ergo mos apud Nationes varias; nam apud Cantabros, & Latomi modò, & Carbonarij nobilissimarum familiarum homines existunt, quin aliquid de sanguinis claritudine deperdant, quantumuis fuligine obsiti. Forsan tempore Mariæ, & Iosephi, Artes illæ seruiles nihil veræ nobilitati detrahebant. Paulus enim etiamsi ciuis Romani prærogatiua gauderet, Arti sellulariæ operam nauabat; & nobilis Pharisæus tabernacula ex pellibus consuebat. Quocirca verum censeo has fabriles Artes apud plerasque Nationes, viles interdum non extitisse: Perpendenda sunt tamen varia tempora, gentium ritus, & nationum consuetudines, antequam fabrilem artem ingloriam, & ignobilem existimemus. Quid nunc vilius, aut infamius Mimis, histrionibus, & comœdis, qui tamen Authore sancto Augustino libr. 2. de Ciuitate August.
cap. 12. apud Græcos maximo in honore habebantur. Inter Hebræos Scribæ cohonestabantur, tanquam regni Primores, ac Regis Consiliarij 2. Reg. 8. & Esdræ 1. c. 7. & Ier. 36. qui tamen inter Romanos viles, & infames reputabantur. Præterea nullum munus infamius erat Hebræis, quàm Publicanorum, & Mercatorum, vt habes Matthæ. 18. *Quòd si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus,* Matth. 18.

Non ars lignaria, nec qualibet alia mechanica erat ignobilis apud Hebræos, Ethnicos, & Cantabros.

Hom. Ælian.

Matth. 21. Psalm. 70. *Publicani & Mercatores apud Hebræos infames habebantur.* August. Zach. 14. Chrysost.

Ethnicus, & Publicanus. Et iterum Matth. 21. *Publicani; & meretrices præcedent vos.* Et Psalm. 70. *Quoniam non cognoui literaturam introibo in potentias Domini.* vbi sanctus Augustinus sic transfert: *Quoniam non cognoui negotiationem*, & Zachar. 14. *Non erit mercator vltra in domo Domini exercituum.* Hinc Chrysostomus homil. 21. in Matth. ausus est affirmare: *Nullus Christianus debet esse Mercator, aut si voluerit esse proiiciatur de Ecclesia, dicente Propheta, Quia non cognoui negotiationes introibo in potentias Dei.*

918. Demum Deipara colo, & acu victum sibi, filióque comparabat, vt se fortem illam, & illustrem fœminam ostenderet, de qua Prouerb. 31. *Quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Vt & hinc intelligas, aliquas esse artes, quæ in viris ignobilitatem præ se ferunt; in fœminis illustrem prosapiam non obscurant, nec diminuunt. Addiderim artem illam lignariam Iosephi, quæ in obsequium, & victum Filij Dei, ac Deiparæ tota destinabatur, nobilitatem potiùs auxisse, quam extenuasse. In cuius rei typum assumitur pro fabricando Tabernaculo illustris nobilitate vir è sanguine regio de Tribu Iuda nomine Beseleel, Exo. 31. *Vocaui ex nomine Beseleel Filium Vri filij Hur, de Tribu Iuda.* Ea igitur fuit Mariana Nobilitas, quam nec artes seruiles detriuerint, nec paupertas obscurauerit; imò tanquam arx munitissima, nec subrui, nec euerti poterit, quibuscumque admotis machinis eam labefectare satagant aduersarij; sic eam vocat S. Petr. Dam. in Hym. de B. Virg. *Arcem nobilitatis de prolis stirpe trahens, filia quidem Regũ, sed Mater Regis Regum.* Et ser. 3. de Nat. Virg. B. inquit, *Maria, licèt generosa sit Patrum stirpe progenita, ab illo tamen trahit excellentissima Nobilitatis genus, qui de illa est nouo nascendi genere procreatus, & per clarissimam sobolem, omnem humani stemmatis Nobilitatem excedit. Clara proauorum titulis, sed incomparabiliter clarior generatione prolis:* Cùm ergo Mariana Nobilitas ab infinito ingenuitatis fonte promanet, infinitatem quandam nanciscitur; ac proinde longè altioris ordinis est illis omnibus nobilitatis capitibus, quibus alij iactari solent.

Prouerb. 31.

Artes quædam mechanicæ viros ignobiles reddunt, in fœminis illustrem sanguinem non obscurant.

Exod. 31.

Petr. Dam.

919. Si verò quispiam obiiciat instanter fabrilem artem inter mechanicas, & viles artes computari ab Accurs. in Auth. de non alienandis, aut permutãdis rebus Ecclesiæ §. *quod autem.* His iam supra fecimus satis; nunc subiicio, meminisse Plutarchum in Pericle cuiusdam Artemonis loripedis fabri lignarij, qui tanquam ex primoribus Nobilitatis lectica vehebatur. Imò quamuis permitteremus hanc fabrilem artem, tanquam vilem haberi, non inde asserendum est Iosephum nobilitatem à Maioribus acceptam perdidisse. Nobilitas enim, quæ priuilegio Principis acquiritur, benè quidẽ amittitur alicuius artis mechanicæ ministerio; non tamen nobilitas, quæ à proauorũm sanguine perantiquo corriuatur. Quare Nobiles genere artibus Mechanicis incumbentes cogendi non sunt ad tributorum solutionem, vt reliqui ignobiles, & plebeij, vt forensi vsu, ac consuetudine in Cancellariis regiis apud Hispanos receptum esse cõtestantur Couarr. in Prax. q. 19. n. 7. Gutier. tom. 1. pract. qq. lib. 1. q. 137. n. 11. Azeuedo lib. 6. Recopilat. tit. 1. super l. 3. n. 10. 11 & 12. subiungitque Couarr. *Non semel vidimus fabros lignarios probata ipsorum nobilitate (quam Hidalguia dicimus) pronunciari à solutione, & contributione subsidiorum regalium immunes.* Atqui nobilitas Iosephi, & Mariæ ab eadem stirpe regia Dauidis, ab eademque Tribu per lineam rectam ortum habebat. Ergo Iosephus, & Maria per fabrilem artem, nobilitatem suam non extenuarunt. Minor propositio vlteriùs præter supradicta, hic confirmari potest ex c. 2. Lucæ. *Ascendit autem, & Ioseph a Galilæa de Ciuitate Nazareth in Iudæam Ciuitatem Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quod esset de domo, & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnante,* in quæ verba, hæc subiungit Cardinalis Tolet. in comment. *Ioseph de Tribu, & stirpe Dauid, cum B. Virgine sponsa sua erat, vtrumque autem necessarium erat; ad ascendendum in Bethleem, nam erant multa aliæ Ciuitates Iuda Tribus; At quia de Tribu, ac stirpe Dauid erant, idcirco ascendunt in Bethleem, quæ erat Ciuitas Dauid: domus ergo Dauid Tribum Iuda designat, de qua fuit Dauid; familia verò stirpem, & prosapiam Dauid ostendit.* Nec enim Matrimonio coniungerentur Iosephus, & Maria si ex eadẽ Tribu non fuissent; sic enim cautum fuit lege diuina Num. 36. *Omnes etenim Viri ducent vxores de tribu, & cognatione sua, & cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, & hæreditas permaneat in familiis, nec sibi misceantur Tribus, sed ita maneant, vt à Domino separatæ sunt.* Hinc Matthæus per lineam Iosephi B. Virg. genealogiam attexit, vt benè Isidor. de Isolanis expendit cum Damasc. *Hic autem quæritur,* inquit ille 1. p. c. 4. *cum de optima, ac nobilissima genealogia descendisset Virgo Maria, cur non per se, sed per Ioseph genealogizata est? Ad quod respondet Damascenus; oportet scire, quòd non fuerit consuetudo Hebræis, neque diuinæ Scripturæ genealogizare mulieres. Lex autem erat non desponsare Tribum ex alia Tribu, Ioseph autem descendens ex Dauidica stirpe, & iustus, non vtique Virginem ad desponsationem duxisset, nisi ex eius sceptro descenderet.* Luculentiùs Hilarius in Matth. can. 1. id expressit: *Quod Ioseph potius, quàm Maria Natiuitas recensetur, nihil refert; eadem enim est totius Tribus, atque vna cognatio.* Et D. Bernard. hom. 2 super *Missus est*, ait: *Certò statuit oportere non tantum Iosephum sed & Mariam de domo Dauid descendisse, alioquin non esset desponsata Viro de domo Dauid, si non esset ipsa de domo Dauid.* Ex quibus apertè deducimus, D. Iosephum, & B. Virginẽ, tametsi fabriles artes exercuerint, ac mechanicas, semper tamen pristinam, & originariam ingenuitatem retinuisse. Quotum sanè nobilitas, & excellentia, vel ex eo capite omnium maxima efferenda est, quod omnem nobilitatem naturalem Christus D. a B. Virgine receperit, & à D. Iosepho: De B. Virgine probat S. Ber. Senen. tom. 1. serm. 61. art. 1. cap. 1. vbi hæc tradit: *Fuit B. Virgo nobilior creatura omnibus creaturis, quæ in humana natura fuerint, aut possint, aut potuerint generari. Nam Matth. cap. 1. ponens ter quaterdenas generationes ab Abraham, vsque ad Christum inclusiuè, describit eam fuisse natam de quatuordecim Patriarchis, de quatuordecim Regibus & quatuordecim Ducibus: Vnde patet etiam quòd Dominus Iesus Christus, qui sine Matre fuit in cælo, & absque Patre in terris, totam à Virgine humanitatem recepit atque dignitates, quæ ad humanitatem sequuntur, scilicet cognationis, vt diceretur filius Dauid; & consanguinitatis, vt diceretur fratres habere de nobili parentela, totum hoc de B. Matre suscepit, Quòd etiam vltimus Dux, & vltimus Patriarcha totius populi Israel, non aliunde habuit, quam à Virgine B. vt ex hoc manifestè clarescat, quòd omnis nobilitas corporalis cõcessa humano generi in Adam, à Domino principaliter datum est, vt per multas generationes descenderet in Virginem Beatam, & per Virginem Matrem terminaretur in Christum Dei filium benedictum.* Et de S. Iosepho

Accurs.

Couarr.
Gutier.
Azeuedo.

Luc. 2.
Tolet.
Num. 36.
Isidor. Isol.
Hilar.
Bernard.
Bern. Senen.

idem adstruit S. Doctor tom. 3. serm. de S.Ioseph c.1.2.& 3. vbi docet: *Fuit S.Ioseph progenitus de stirpe Patriarchali, Regali, atque Ducali secundum lineam rectam. Nam Matth. c.1. lineam rectam omnium Prædictorum Patrum deduxit ab Abraham, vsque ad Virginis Sponsum. Ex quo patet quod dignitas Patriarchalis, Regalis, atque Ducalis in isto fuit terminata.*

920. Alb.Magn.

Hanc Marianam Nobilitatem extollunt, quæ ex Alb.M. in tr.de laud.Deip.carptim excerpsi. *Nobilitas*, inquit, *completa consistit in tribus, in conditionis libertate, in officij dignitate, & vitæ sanctitate: libertas conditionis in tribus consideratur, in causa, & in substantia, & in efficientia: secundum libertatem in causa, id est in origine, B.Virgo fuit nobilissima, vtpote Principis filia; illi enim dictum est, In Isaac vocabitur tibi semen; Isaac autem non est filius ancillæ, sed liberæ, & ideò ad filiam: quàm pulchri sunt gressus tui filia Principis. Fuit etiam Maria liberrima in substantia, quam fecit immunitas à peccato, & gratiæ plenitudo; nam vbi Spiritus Domini ibi libertas. Fuit etiam Virgo liberrima in efficientia passiua: seruus enim dicitur; si filius vos liberauit, liberi eritis: si ergo seruus, qui est seruus filij liberatur, multo fortius Mater, quæ est Mater filij, liberrima fuit: in efficientia actiua, liberrima fuit; ipsa enim est, per quam omnis creatura à seruitute corruptionis liberata est in libertatem Filiorum Dei. Hoc dicimus quia B.Virgo secundū omnem dignitatē, & nobilitatis modū fuit nobilissima & dignissima in summo.* Hucvsque Alb. ingeniosè Marianā nobilitatem ex pluribus capitibus attexuit. Quamobrem meritò omnes reges illi suas offerunt coronas. *Veni*, ait Sponsus Cant.4. *de Libano sponsa mea. veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum.* Circumspice amabò, quot de capitibus detrahātur diademata, vt Caput Marianum redimiatur: Illud prius obseruandum quod Amana, Sanir, & Hermon vniuersa orbis imperia innuant, quæ ob idololatriam cum Leonibus ac Pardis componuntur. Verùm ad Christianam Religionem per veram fidem conuersa, nihil prius præstant, nihil magis in votis habent, quam coronas suas Deip.Virg. submittere, quibus Caput suum redimiri possit. Quod in Persona filij venustè dixerat Rup.lib.3 in Cant. *Mundi regna, & Cubilia Leonum, & montes dico Pardorum, quia Reges regnorum, Reges Persarum, & Babyloniorum, atque Medorum, Reges Græcorum, Reges, & Consules Romanorum, quid nisi Leones, & Pardi sunt dicendi, qui tot bellis, tot cædibus orbem terrarum lacerauerunt? De talium Leonum cubilibus, taliumque Pardorum montibus, tu amica mea coronaberis, quomodo? Videlicet credent in me fructum ventris tui, & eorum credentium salus corona tua erit, ita coronaberis, vt in cælis Regina Sanctorum, & in terris Regina sis regnorum. Vbicumque prædicatum fuerit illud de Dilecto dictum: Gloria, & honore coronasti eum; prædicabitur & de te, quod sis Mater huius Coronati: atque hoc intuiti Reges, atque Imperatores coronis suis te coronabant.* Meritò orbis Reges, & Imperatores B.Virgini coronas submittunt, tanquam totius orbis Imperatrici; tanquam omnis splendoris, & Nobilitatis Primiceriæ, & Antesignanæ.

Reges omnes, & imperatores coronas suas Mariæ omnis nobilitatis primiceria submittunt.

Cant. 4.

Rupert.

CERTAMEN IV.

Virgo Deipara Vnigenita fuit suorum Parentum Filia.

921. OStendimus superioribus Certaminibus B.V. fuisse indiuiduum omnium humanæ naturæ nobilissimum, ex D.Ber. & aliis Hoc cōgressu probandum aggredimur, B.Virg. Vnigenitam fuisse, vt constet, nullum indiuiduum reperiri, quod in nobilitate à Maioribus hausta Virg Deip. æquari possit. Multum ergo olim vulgaris illa opinio percrebuit, D.Annā ter matrimonio fuisse coniunctam. & ex singulis maritis, singulas genuisse Filias nomine Marias Primam ex Ioachimo habuisse Mariā Deip. quo defuncto, ad secundas iuit nuptias cum Cleopha, ex quo genuit Mariā Cleophes. Demum transiit ad nuptias cum Salome, ex quo Maria Salome concepta est. Adsunt plures, nec ignobiles huius sententiæ Patroni, Glossa Ordin. in Paul. ad Galat.2. in illa verba: *Alium autem Apostolorū vidi neminē, nisi Iacobū Fratrē Dñi.* Vbi ex D.Ambr. hæc habet Glossa: *Sciendum est Mariam Matrem Domini, Ioachimi, & Annæ filiam Iosepho nupsisse: mortuo autem Ioachimo; Cleophas frater Ioseph eandem Annā accepit vxorem, & genuit ex ea filiam, quam vocauit Mariam, quæ nupsit Alphæo, qui genuit ex ea Iacobū, Ioseph, Simonem, & Iudam: mortuo autem Cleopha; quidam Salome eandem Annam duxit, & generauit ex ea Mariam Salome, quæ nupsit Thadæo, & habuit ex ea Iacobum, qui dictus est Maior, & Ioannem Euang. Tres ergo viros Anna habuit, & tres filias.* Huic sensui adstipulantur Hieron. in c.27. Matth. & lib. de Scriptoribus Ecclesiast. & lib. contra Heloidium S.Isidor. lib. de vita, & morte sanctorum, Beda super c.1. Act. subsidiantur Hugo de S.Vict. q.5. in epist. ad Galat. D.Antonin. 1.p. histor. Strabus in c.1. ad Galat. Haymo, lib. 2. de Christianarum rerum memoria c.3. Ludolph. p.1. c.3. Francisc. Ximenes Patriarcha Hierosoly. lib.2. c.14. Lansperg. serm. de B.Anna, vbi hæc habet: *Anna absque omni controuersia nondum 44 annum egit, quando post Ioachimi fata, atque obitum germani illius Cleophæ à quibus masculam prolem non suscepisset, voluit ad tertias transire nuptias.* Pater Azor. lib. 2. institut. Moral. cap. 15. vocat hunc sentiendi modum apud veteres Patres, & Doctores communiorem.

Percrebuit olim opinio D. Annam ter nupsisse, & tres habuisse filias.

Galat.2. Glos.Ord. Ambros.

Hier. Isidor. Beda. Hug.Vict. Antonin. Strabus. Haymo. Ludolph. Ximen. Lansp.

Hic tamen sentiendi modus in maximum Matris, ac Filiæ dedecus redundat. Docet enim S.Brigitta lib 6. reuel. cap. 104. Beatam Annam dominarum in vxoratas omnes protendere, adeóque dominium, ac præeminentiam super illas omnes attollere: ex quo rectè elicere possumus semel solùm nupsisse. Si enim aliis matrimonio coniuncta fuisset, ipsi meritò anteferretur altera Anna Phanuelis Filia, quæ à D.Luca semel nupta describitur, cùm tamen in sancta viduitate octoginta quatuor annos transegerit: Ipsi etiam primas ferret Heroina Iudith, quæ in iuuentutis flore orba marito pulcherrima valde semper nouas nuptias despexit, vt magis Dei se manciparet cultui, ac secessui se dederet. Quocirca nunc opposita sententia verissima censetur, quæ ait B Annam vniuiram fuisse, adeóque vnum tantum agnouisse matrimonium, ex quo Virgo Deipara Primogenita, & Vnigenita orta fuit. *Te*, inquit Damasc. orat. 1. de Natiuit. Virginis, *Vnigenitam, ac Primogenitam hodierno die ex sterili Patre produxit.* Adfauent S.Nyssenus serm. de Christi Natiu. Damasc. item serm. 2. & 3. de Natiu. Virginis, Andreas Cret. encomio 1. de dormit. Deip. S.German. ser. de oblat. Mariæ in templo, Epiph. orat. de laudibus Mariæ S.Thom. in cap.1. ad Galat. lect. 5. Euthym. in cap.19. Ioan. Metaphrast. de vita Virginis. Nicephor. lib. 1. Hist. cap.7. Cedr. in compil. Histor. S Ildephon. ser. de Natiu. qui omnes fatentur Ioachimum, & Annam ætate iam prouectiori genuisse Deiparam, adeo- 922.

Brigit.

D. Anna dominium ac præeminentiam super omnes vxoratas attollit.

Damasc. Nyssen. And.Cret. Germ. Epiph. D. Thom. Euthym. Metaph. Niceph. Cedr. Ildeph.

que

que Anna inepta prorsus ad secundas, & tertias nuptias. Recentiores autem Theologi rebus accuratiùs inspectis, ac discussis pro hac sententia agmine facto decertant, Clythobeus, Iacobus Faber, Melchior Canus, Petr. Canisius, & ferè omnes Interpretes 10 cap. 1. Matth. qui tanquam compertum supponunt B. Virginem fuisse Vnigenitam, & hæredem vnicam, & vniuersalem suorum Parentum; vt optimè probant Suarius tom. 2. in 3. part. disp 5. sect. 4. Medina in 3 part. quæst. 38. artic. 3. Pet. Morales in Matth. lib. 1. tr. 7. Et quidem hoc multiplex Annæ coniugium vulgi opinione magis increbuit, quam veterum authoritate, aut solida aliqua ratione nitatur; ac recentiores aliquos habet suffragatores, qui Deiparæ Matrem, nescio, quam piè, quam cordate, quam solidè, tam malè castam nobis proponunt, & ætatis iam grandæuæ, ita leuem, & incontinentem exstitisse, vt secundas, & tertias nuptias ambierit: idcircò Iansenius Episcopus Gandauensis in concordia Euangelica cap. 143. acriter propugnat nostram sententiam, atque contrariam non esse verosimilem. Cardin. Baronius tom. 1. Annal. pag. 15. lit. A. & B. qui subiungit nostram sententiam tam veteres, quàm Recentiores orthodoxos fuisse professos.

Verissima est sententia qua D. Annam vniviram adstruit. Suar. Med. Moral.

Iansf.

Baron.

923. Cedr. Primò ergo probatur veritas huius sententiæ ex Cedreno, in compendio Histor. vbi ait B. Ioachimum post B. Virginis ortum per 12. annos cum D. Anna commoratum fuisse, qui octogenarius è vita discessit. Anna verò vnde octoginta annos nata vitam finiuit: nullam igitur probabilitatis speciem præ se fert, vt patet, Annam ferè iam decrepitam, ad secundas, & tertias nuptias transiisse. Præsertim cùm nata iam Virgine, Legis veteris opprobria, & maledictionem procul repulisset; secluso ergo Dei præcepto, quis adduci possit, vt credat Annam ætate ingrauescenti alias nuptias exambiisse; dedecebat id vtique tàtam Matronam post diuturnam sterilitatem, ex Dei singularissimo dono sublatam, postquam B. Virginem pepererat, profectò, alicuius incontinentiæ meritò coargueretur, præcipuè cùm Christus Dominus virginitatis amantissimus in Matre, in auia etiam continentiam adamasset, illiusque amorem ipsi instillasset: ergo nulla ratione matrimonium cum aliis inire permisisset; nec credam D. Annam tantæ Virginis Matrem dignissimam, continentia inferiorem fuisse aliis veteris Testamenti, præcipuè Viduis, quæ secundas nuptias omninò auersatæ sunt. Quòd autem satis fuerit genuisse Filiam pro arceoda legis veteris maledictione, elici potest ex sacris Interpretibus; quidquid afferat Author qq. ex veteri Testamento quæst. 17. in cap. 23 Exod. Arbitror deinde non solùm in lege Euangelica, sed etiam in veteri Testamento sanctissimum censeri D. Pauli consilium 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit: quod si dormierit vir eius, cui vult, nubat. Beatior tamen erit si sic permanserit.* Itaque etiam in lege veteri præferebatur virginitas, & continentia vidualis matrimonio: ita D. Hieronym. lib. 1. & 2. contra Iouinian. cap. 26. & in epist. ad Furiam. Damascenus lib. 4. de Fide orthodoxa cap. 15. S. Ignatius M. in epist. ad Philadelphienses. Iosephus lib. 13. de antiquit. pop. Iud. cap 8. & lib. 2. de bello Iudaico cap. 7. Quo ergo quæsito colore, quoue fundamento, hanc continentiam vidualem tantæ Matronæ denegabimus? cùm sciret proculdubio iteratas sæpè nuptias, non ita Deo, & hominibus probari, sicut continentiam. Quod autem verosimile non est,

1. Cor. 7.

Hieron. Damasc. Ignat. Ioseph.

imaginem præ se fert falsitatis, vt docet Vlpianus in l. *non est verosimile, ff. Quod metus causa gestum erit.* Addo, Viduam quæ semel solùm nupserit, præponi Viduis, quæ plures nupserunt. Ait enim Paulus ad Timoth. 5. in Ecclesiasticis eleemosynis distribuendis Viduam eligi oportere, quæ fuerit vnius viri vxor, vbi D. Thom. *Vidua vniuira habet laudabile signum castitatis.*

Vlp.

1. Tim. 5. 9.

D. Thom.

924. Confirmari potest hæc nostra sententia ex illo Cant 6. *Vna est columba mea, perfecta mea, vna est Matri suæ, electa est Genitrici suæ.* Quæ verba de B. Virgine capiunt inter alios Rupert. Theodoret. Canis. lib. 1. de B. Virg. c. 10. *Hac igitur, ait Spiritus sanctus, vnica est matri suæ Annæ, apertè innuens B. Annam, nullam aliam sobolem procreasse.* Quæcumque ergo sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ; si qua virtus, si qua laus, in honorem, & præconium D. Annæ cogitare, defendere, ac propugnare, eique attribuere opus est, quia id omne cedit in honorem Virginis Matris, & Christi D. Quid quod vix in sacris Litteris reperies pareotes, duas filias, vel duos filios, eodem penitus nomine compellasse. Efficax enim desumitur argumentum, & præsumptio ab his, quæ communiter fieri solent, vt habetur in cap. 1. *de clericis non residentibus; & in l. Quadam §. nummularios ff. de edendo*; quare illæ duæ aliæ Mariæ, non D. Annæ, sed alterius consanguineæ, filiæ censendæ sunt. Imò quod asserunt de Maria Salome, omninò improbabile censent Suar. cit. Medina etiam citatus; nunquam enim in Euangelio vocatur Maria, sed solùm Salome, vt patet Marc. 15. Quod fœminæ nomen est, non viri, vt docet Hier. ex Iosepho, & Hegesippo, & aliis: Idem constat, & patet ex verbis Marci: *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata.* Græcè est καὶ Σαλωμὴ, quod nomen fœmininum est: nunquam autem in Euangelio dicitur Maria Salome sed simpliciter vocatur Salome, sicut dicitur Irene & alia eiusmodi. Decuit igitur Virginem Deiparam Vnigenitam esse matri suæ, vt patentius innotesceret per miraculum ex sterili fuisse progenitam, quod in aliis, qui miraculosè concepti sunt videmus, vt in Isaac, Ioanne Baptista, & aliis. Addit Suar. aliud robustum argumentum ad hanc eandem veritatem stabiliendam desumptum ex diligenti ætatum, ac temporum supputatione, citata illa disputatione, & sectione §. *sed hæc sententia.* Videatur Castro de Deip. cap. 3. num. 16.

B. Virgo vnigenita declaratur ab sponso. Cant. 6. Rupert. Theod. Canis.

Suar. Med.

Marc. 15.

Suar.

925. Reclamant, instantque aduersarij, præcipuè Petrus Sutor Carthus. in libello de triplici connubio D. Annæ suam confirmans sententiam testimonijs Albert. Magn. qui in Ioan. 10. *Anna, inquit, tres viros legitur habuisse.* Petri de Tarantasia, qui postea Innocent. V. nuncupatus fuit, Vincentij in speculo Histor. & aliorum, subditque communem esse sententiam probatorum Doctorum, a qua non licet sine temeritate dissentire: sed temere temeritatis nota inurit Sutor sententiam tot Doctorum calculo confirmatam, tot rationum pondere constabilitam. Plus audet Ekius in serm. de D. Anna, vbi nostram sententiam, Errorem vocat, Ecclesiæ, Scripturæ sacræ, ac Patribus repugnantem: Sed ille potius censura aliqua feriendus, ac expungendus; & quidem oportetet id probare, antequam sententiam adeò piam, ac veritati consonam, Doctoribus pluribus fultam, tam graui censura feriret. Vbinam percontor, Ecclesia, vel sacra Scriptura Diuam Annam tribus viris nuptam fuisse

Pet. Sutor.

Alb. Magn.

Vincent.

Ekius.

meminit. Ex Patribus autem nullus ferè clarè hãc sententiam docuit. Nata igitur illa opinio apud imperitum hominum vulgus, si aliquos excipias Doctores citatos, & Maiorem in cap. 10. Matth. Gerson.ser.de Natiu.Virg.& in Iosephina; alta fuit, ac percrebuit, quibusdam malè tornatis carminibus alicuius Grammatici, quæ sic se habent.

Anna tribus nupsit: Ioachim, Cleophe, Salomeque
Ex quibus ipsa viris peperit tres Anna Marias;
Quas duxere Ioseph, Alphaus, Zebedeusque
Prima Iesum: Iacobum, Ioseph, cum Simone Iudam
Altera dat; Iacobum dat tertia, datque Ioannem.

Eiusdem genij referunt alij carmina, quæ eandem sententiam supponunt, vt certam, vnde hæc opinio apud vulgus vires resumpsit.

Anna solet dici tres concepisse Marias,
Quas genuere Viri, Ioachim, Cleophas, Salomasque:
Has duxere Viri Ioseph, Alpheus, Zebedaus.
Prima parit Christũ: Iacobũque secunda Minorem
Atque Ioseph iustum parit, & cum Simone Iudam:
Tertia Maiorem Iacobum, volucremque Ioannem.

Mantuan. Imò, & Mantuanos in fastis forsan non ex propria, sed ex vulgi sententia cecinit.

Anna puerperio fortunatissima sancto,
Tres habuisse Viros, & tres habuisse puellas
Dicitur.

Fota item, & educata fuit hæc opinio à Glossa ordinaria, quæ Ambrosij nomine circumfertur, & apud Ambr. nusquam reperitur; imò ad Galat. 1. affirmat Iacobum, & cæteros fratres Domini dici, quod fuerint filij Ioseph. Præcipuum autem huius sententiæ fundamentum à nobis hoc loco diruendum. Aiunt igitur Christum D. dici habuisse fratres, & sorores, Ioan. 2. Descendit Capharnaum ipse, & Mater eius, & fratres. Et ad Galat. 1. Alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini. Et Matth. 12. Ecce Mater eius, & fratres stabant foris quærentes loqui ei. Et Marci 6. Nonne hic est Filius Mariæ Frater Iacobi, & Ioseph, & Iuda, & Simonis? Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt? Modò sic arguunt aduersarij: Hi, qui dicuntur fratres Domini, dici nequeunt Filij Deiparæ semper Virginis, nefas est enim hoc affirmare: Ergo filij erant sororum B. Virginis, atque adeò Christi consobrini; ideóque vocantur Christi fratres, & sorores. Sed hæc nihil vrgent; siquidem in sacris Litteris perquam vsitatum est nomen Fratris, & Sororis ad cognatos propinquiores referri. Sic Genes. 13. Loth & Abraham fratres ad inuicem dicuntur, cum tamen Loth esset tantùm Abrahæ consobrinus; Iacob etiam dicitur Frater Laban, cum eius esset Socer Genes. 29. Abraham item Saram vxorem suam, sororem vocat, Genes. 12. vt expendit D. Hieronymus lib. aduersus Heluidium.

Ioan. 2. Galat. 1. Matth. 12. Marc. 6. Genes. 13.

925. Vrgentiùs argumentantur alij ex Ioan. 19. vbi sic habetur: *Stabat iuxta crucem Iesu Mater eius, & Soror Matris eius Maria Cleophe:* Vbi Maria Cleophe manifestè soror B. Virginis nuncupatur: Ergo Diuæ Annæ filia. Quod si dixeris, sororem eo loco dici cognatam, sicut Marci 6. *Nonne & sorores eius hic nobiscum sunt?* id est Christi cognatæ? Instant, verba Scripturæ sacræ, quoad fieri possit, in proprio significatu esse accipienda, præsertim cùm grauissimi sacrarum Litterarum Interpretes illa verba iuxta prædictam interpretationẽ exponant. Nam D. Hieronym. in Matth. 22. *Nos, ait, fratres Domini consobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus Materteræ Domini:* Ergo ex sententia Hierony. Maria altera propriè erat Soror Virginis, quippe Matertera erat Christi, Matertera autem dicitur, quæ soror est Matris D. etiam Isidor. lib. 7. Etym. ait: *Iacobus Minor Frater Domini nominatur, quia Maria vxor Alphæi soror fuit Matris Domini.* Deinde Glossa interlinealis Actor. 1. *Iacobus Frater Domini dictus, Filius est Mariæ materteræ, quæ dicitur Maria Cleophæ.* Theodoret. ad Galat. 1. *Iacobus erat Cleophæ filius, Domini consobrinus, habuit enim Matrem Matris Domini sororem.* Denique in Martyrologio Romano 9. die Aprilis Maria Cleophæ soror Deiparæ nuncupatur, ideò hanc sententiam verosimilem esse ait Barradas, tom. 1. Euangel. lib. 6. cap. 15.

Ioan. 19. Hieron. Isidor. Glos. interl. Theodor. Barrad.

926. Persistimus tamen in sententia affirmante Virginem Deiparam Vnigenitam fuisse, adeoque D. Annam vniuiram, & vnicam tantùm filiam peperisse. Oppositum autem ex nulla Historia probata roborari potest: Id ergo Virgini Deiparæ deferendum, quod & honori D. Annæ, & tantæ Virginis dignitati conuenientius est. Verba autem Ioan. 19. citata, quibus aduersaria sententia innititur, quæque à D. Hieronymo, & aliis de Sorore B. Virginis intelliguntur; de cognata interpretanda sunt eodem modo, ac illud Marci 6. *Non ne & sorores eius*, id est cognatæ Christi, *hic nobiscum sunt:* Vbi impium esset intelligere de proprijs Sororibus Christi cum B. Virgo semper Virgo permanserit. Item Tob. 8. ait Tobias: *Tu scis, quia non luxuriæ causa accipio sororem meam:* vbi sororis nomine, appellatur vxor, quia cognata. Hebræorum ergo linguæ inopia adigit eos, vt cognatos, fratres, & cognatas, sorores compellent. Nusquam S. Hierony. nec vllus ex antiquis Patribus, Authore Suario citato, docuit historiam hanc de triplici connubio Annæ, nec de triplici Maria, tribúsve filiabus Annæ: Solùm enim asserit D. Hieronymus cum aliis Patribus Mariam Cleophæ esse sororem B. Virginis, quod etiam habet Martyrologium citatum: imò idem docet Euangelista citatus: Alterius autem sororis non meminerunt, sicut nec Euangelium; quo autem modo illa fuerit soror non explicant, nihil autem cogit nos asserere fuisse sororem naturalem in primo gradu; & sicut consobrini, & consanguinei vocantur fratres in sacra Scriptura; ita fœminæ vocantur sorores propter aliquem consanguinitatis gradum. Quod vt perspicuum fiat, & argumento proposito satisfiat opus est animaduertere ex D. Hieron. apud Medinam 3. part. quæst. 28. art. 3. fratres quadrupliciter dici in sacris voluminibus, natura, gente, cognatione, affectu, siue religione: natura, vt Esau, & Iacob, & 12. Patriarchæ fratres erant: Gente verò, omnes de populo Israëlitico fratres erant. Deuter. 15. & 22. & ad Rom. 9. *Optabam ipse Anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ.* Tertiò, cognatione, fratres erant Abraham, & Loth, hic enim erat filius fratris Abraham. Gen. 12. & alij, quorum supra meminimus. Quartò, affectu, siue religione vocantur fratres, quos affectus vere germanus coniungit, non minus quàm natura illos, qui sunt eiusdẽ parentis. De quibus loquitur Dauid Ps. 132. *Ecce quam bonum, & quàm iucũdum, habitare fratres in vnum.* Et Psalm. 21. *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Cùm ergo Cleophas esset Frater Iosephi, vt docet Eusebius libr. 3. Histor. capit. 11. ex Ægesippo; hinc vxor Cleophæ Soror Mariæ dicebatur, nam & Leuiri, fratres vulgò dici solent; & fratrum vxores, sorores apud nós etiam nuncupari, mos percrebuit. Qua etiam ratione Maria Cleophæ Christi matertera dici potest

Tob. 8. Suar. Hieron. Med. *Quadrupliciter dicuntur fratres in sacris voluminibus.* Rom. 9. Psalm. 132. Psalm. 21. Euseb.

non

non quod te ipsa Mariæ Virginis soror fuerit, sed quòd soror,& habita , & dicta sit, sicut & Ioseph Christi Pater existimabatur , & communiter dicebatur. Ea igitur ratione , qua Ioseph existimatus est Pater Christi, eadem Cleophas haberi potuit Christi Patruus , & vxor ipsius, videlicet Maria Cleophæ,Christi matertera , & filij horum consobrini Christi,ac proinde Christi fratres nuncupantur. Quibus adstipulatur S. Chrysostomus in cap.1. Actor.& hom. 5 in Matth. asserens Iacobum vocari fratrem Domini, sicut Ioseph appellatus est Pater eius. Pro qua expositione stat August.lib.qq.super Matth. q. vlt. & hinc tandem intelligi potest, Cur Maria Iacobi, siue Cleophæ dicta fuerit soror Virginis Mariæ, nimirum quia ambæ duobus fratribus matrimonio erant coniunctæ , & idcircò inter se sorores dicebantur.

Chrysost.

August.

CERTAMEN V.

An B. Virgo Primogenitorum iure gauisa fuerit.

927. Extrau. TAmetsi Virginem Deiparam Vnigenitam fuisse Matris suæ ostenderimus, meritò tamen Primogenitam nuncupabimus, quia 18.cap. Num. Quidquid primum editur in lucem, Primogeniti nomine donatur. Quod roborari potest ex Extrauaganti de Verborum significatione cap. *Iosephautem*,vbi hæc verba habentur: *Ioseph autem non cognouit Mariam , donec peperit ei filium suum Primogenitum: ex hoc loco multi peruersi suspicati sunt Mariam alios filios habuisse , cum mos sit sanctarum Scripturarum illum Primogenitum appellare,quem nemo precessit ,& non solum eum post quem alij nati sunt.*

Sed in sibilos prosilit adhuc tortuosus Leniathan,& in B.Virginem debacchatus , execrandos euomit halitus,& ex Satanæ Magisterio tartareas colligit illationes. Si ergo Christus dicitur Primogenitus ,& Maria Primogenita nuncupatur: Ergo alios postgenitos habuit Virgo ; & Diua Anna similiter alios filios , vel ex Ioachimo , vel ex aliis viris. Verum venenatum sibilum facilè exsibilabimus, Hieronymi , & Damasceni suffragio. Primogenitus ergo filius inde dicitur, quia primò est genitus , siue post illum , alij progeniti fuerint , siue nullus subsequatur. *Vox , Primogenitus*,ait Damascenus lib. 4. cap. 15. *Primò quidem aliquem genitum esse declarat , non tamen necessariò alios quoque postea genitos esse indicat.* Quod robur accipit ex cap. 13. Exodi. Vbi omnem sibi Primogenitum Deus offerendum præcipit : si ergo solus ille Primogenitus diceretur , qui alios post se genitos fratres habet: ergo Deo non esset offerendus, qui esset Vnigenitus. Quod plus quam falsum est. Rursus euidentiùs coarguntur falsitatis ex cap. 1. ad Hebræos vbi Christus dicitur,Patris Primogenitus. *Cùm iterum introducit Primogenitum in orbem terrarum.* Cùm tamen Deus Pater , vnicum tantum Filium naturalem habet; ergo Vnigenitus filius, licet vnicus sit , rectè tamen Primogeniti nomine donari potest.

Damasc. *Primogenitus dicitur, licet alij non generentur fratres.*

Hebr. 1.

928. Ex eo igitur Vnigenita oritur, vt Primogenitorum sorte potiretur. Ideò forsan B.Virgo. cum Virga componi solet,& sceptri nomine designatur , vt Primogenitorum dominium in ea residisse ostenderetur. Ductu naturæ sancitum est hominibus , vt in hæreditate , ac successionibus potior existeret præ aliis Primogenitorum conditio. Vnde ante Christi aduentum apud Hebræos , Primogeniti multiplici prærogatiua fruebantur , quia exquisitioribus vtebantur vestibus, quibus vti non licebat aliis fratribus, vt patet in vestibus Esaü. Gen.27. suauissimum odorem halantibus. Videatur Abulensis in lib. 2. Paralip. cap.11.q.27. Deinde solis Primogenitis specialis benedictio à Parentibus iam moribundis impertiebatur , Gen.27.tum & in mensarum accubitu aliis fratribus honoratiori loco præponebantur, Gen.43. *Sederunt coram eo Primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam.* Gaudebant itidem iure successionis dupliois, Deuteronom.21. in aliis item primus honor, & dominium ipsis deferebatur , ac quasi Domini minorum fratrum constituebantur, Genes.27. *Esto Dominus fratrum tuorum , & incuruentur ante te filij matris tuæ* , & Exod. 11. eadem prærogatiua apud Ægyptios potiebantur Primogeniti : Vide etiam 4.Reg.3.Quæ omnia Primogenitæ Deiparæ rectè adaptari possunt. In primis quoad pretiosiores vestes;habes in Psalm. 44. *Adstitit Regina à dextris tuis , in vestitu deaurato , circundata varietate:* quarum vestium fragrantiam subodoratus est S. Bonauent. in Psalterio , *Eius* , inquit , *odore rosso mortui reuiuiscunt.* Et S. Germanus in natali B. Virginis: *Salue aurea spiritualium aromatum acerra.* Deinde à Deo Patre multiplici benedictione donatur per Angelum,*Benedicta tu in mulieribus*, vt specialis benedictio denotaretur. Præterea primatum omnem assecuta est, Ecclesiastici 24. *In omni populo,& in omni gente primatum habui*,& S.Bernardinus serm. 61. *Super patrimonium, & proprietatem Filij sui est Regina.* Insuper non solum ius successionis duplicis nacta est, sed integram hæreditatem adiuit. Quidquid enim in nos à Deo venit, per Mariam nobis erogatur. Demum de honoribus , ac principatu inter omnes plenæ sunt sacræ paginæ , plena Scripturorum monimenta pleni Doctorum libri. Primogenita ergo meritò nascitur Maria, vt eius multiplex perfectio,nobilitas , primatus, & pulchritudo innotesceret , siquidem Primogeniti perfectione, & pulchritudine reliquis anteire solent. Ideò & Gentilium Dij primogenitos agnos, vtpote meliores in sactificium deposcebant. De pulchritudine habes apud Deuteron.cap.33. *Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.* Imò Deus,qui sibi omnium optima cupit offerri , omne primogenitum, tum ex hominibus ,tum ex quadrupedibus sibi iubet deuoueri,pluribus in locis Deuteron. 12.& 15.Exod. 22. & 25. Cùm igitur Maria omnium indiuiduorum priuilegia nacta fuerit,inter primogenita in lucem editur. *Omnes* , ait Bernard. Sen. serm.61. *præclaritates , ingenuitates , præfecturæ , & nobilitates , quæ possunt esse in aliquo indiuiduo humano,huic vni Deiparæ concessa sunt.* Meritò acerrimus Venetr Marianus appellatur,inquit S.Anton. Paduens.Dom.3. Quadrag. *Quòd in eo coacernata sunt omnes prærogatiua.*Quòd si Primogeniti chariores aliis filiis sunt, ideò vt bene expendit Chrysostomus hom. 51. in Gen. Postremò Deus Ægyptiis primogenitorum necem inflixit , quia fuit omnium acerbior plaga , grauiusque supplicium , quia Primogeniti plus in amore haberi solent. Hinc Zacharias , vt dolorem maximum exaggera

Primogenitis multiplex prærogatiua gaudet præ aliis fratribus.

Abul.

Genes. 43.

Gen. 27.

Psalm. 44.

Bonauent. Germ.

Eccl.24.

B.Virgo Primogenitorum iuribus , ac priuilegiis gauisa fuit.

Deut. 33.

Bernardin.

Ant.Pad.

Chrysost.

Zachar. 12.

exaggeraret, ait cap. 12. *Vt doleri ſolet morte Primogeniti.* Cuius rei ratio eſſe poteſt, quia Primogenitus eſt, veluti Parentum primitiæ. Virgo Deipara Deo omnibus, & Angelis, & hominibus ſimul ſumptis charior multò fuit, vt alibi à nobis fuſiùs oſtenditur.

929. *B. Virgo vtpote quam Primogenita tenetur nobis fratribus minoribus alimenta præbere.* Plato.

Ex quibus maxima nobis ſpes gaudij aperitur, quippe ex omnium ferè nationum traditione conſuetudo inoleuit, quòd proles Primogenita teneatur minoribus alimenta præbere, vt conſtat ex Platone lib. 11. de legibus, & Xenophonte in vita Cyri; tum ex Sacris 2. Paralip. 21. In lucem ergo editur Primogenita Deipara, quo nobis fratribus minoribus alimenta ſuppeditare cogatur, ad ſanctitatem inſtruere, rectis diſciplinis imbuere. Magnum quidem onus ſubit Deipara iure Primogenituræ, cùm tot, ac tantos, & quidem indigniſſimos fratres teneatur alere, educare, ad virtutem prouehere: Verum vberrima, & valde diues eſt illius hæreditas, pinguiſſimum patrimonium, quod quò magis in fratres expenditur, magis accreſcit. Rectè ait Clemens Alexand. lib. 3. Pædag. de quacunque effuſa liberalitate: *Quemadmodum quicunque putei ſcaturiunt, exhauſti, in priſtinam menſuram reuertuntur; ita etiam elargitio* Clem. Alex. *qua eſt bonus fons benignitatis, potum ſitientibus communicans rurſum augetur, & repletur; quemadmodum ad vbera, quæ ſuguntur, vel mulcentur, ſolet lac confluere.* Ideo B. Virgo *Puteus aquarum viuentium* dicitur.

Denique primogenitæ proli debetur clauis, & annulus, vt res domus cuſtodiat, vt habetur *l. cum Pater, §. Pater. ff. de legat. 2.* ſic Deus Primogenitæ Mariæ domus cæleſtis claues, & annulum commiſit. *Non timeo dicere*, ait S. Bernardinus ſerm. 61. cit. *quòd in omnium gratiarum effluxus quandam iuriſdictionem habuerit hæc Virgo, de cuius vtero, quaſi de quodam Diuinitatis Oceano riui, & flumina emanabant omnium gratiarum.* Deus ſibi claues mortis, & inferni referuauit, Apocal. 1. *Ego habeo claues mortis & inferni.* Clauium autem curiæ cœleſtis non meminit, vtpote quia Deiparæ illas tradiderit, tanquam Primogenitæ; nec clauem ſolum, ſed & annulum ſignatorium ſuſcepit; Ne Deus quid moleſtum, ac triſte decernat quin priùs Virgo Deipara ſuo ſigillari annulo ſubſignet, in quo annulo anchora nautica videtur exprimi Spei diuinæ ſymbolum; ita inſculpſerat Seleucus Rex in ſuis Annulis ſignatoriis: quia B. Virgine omnis ſpes noſtra innititur. 930. *Deus ſibi claues inferni reſeruat, claues autem cæli Primogenitæ Mariæ commiſit.* Bernard. Apoc. 1.

PALÆSTRA XI.

B. Virgo omni naturali dono, ac ſupernaturali gaudebat in gradu excellenti, & ſummo.

CERTAMEN I.

Quidquid Donorum aliis collatum eſt, vni B. Virgini perfectiori modo conceſſum fuit.

931. DEIPARAM Virginem iis omnibus perfectionum generibus præſtantiſſima quadam ratione maxime præcelluiſſe, quæ puræ creaturæ recto rationis iudicio aptari, vtcumque poſſint, nihilque omnium eidem defuiſſe, quod ad abſolutiſſimam illius perfectionem quoquomodo deſiderari poſſet, ſparſim toto hoc opere pronunciauimus. Nunc autem in huius pronunciati confirmationem Patrum ſuffragia proferemus: idemque rationibus conſtabiliemus. Hæc enim, ac multo maiora B. Virgini deferenda, tanquam ſibi debita ex dignitate, qua in Dei Genitricem aſſumpta eſt, quæ honoris amplitudine omnes ſupergreditur perfectiones, quæ puræ creaturæ deferri diuinitus queunt: Ac proinde Deiparæ Virgini vniuerſas, quæ puræ creaturæ aptari poſſunt, gratias exhibitas fuiſſe. Siquidem Altiſſimi Virtus in Mariæ beneficium omnipotentiæ ſuæ prodegit ſinus; quod perſpicuè ipſa Deipara demonſtrat verbis illis. *Quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* Imo quaſcunque perfectiones, ac priuilegia in Virgine Deipara contempleris, nunquam tantam gratiam exæquabunt. Præeat S. Thom. in 4. diſt. 30. q. 2. art. 1. quæſtiuncula 1. *In B. Virgine debuit apparere omne illud quod perfectionis fuit*, id eſt omnium perfectionum cumulum ex debito, maternoque iure ſibi adſciſcebat Maria, & quaſi ex debito tantæ dignitatis perfectiſſimum in vnoquoque genere depoſcebat. His conſonant S. Baſilij Seleuciæ verba orat. in Annunc. Deip. *O ter ſacroſancta Virgo, de qua, qui omnia illuſtria, & glorioſa dixerit, nunquam is quidem à veritatis ſcopo aberrauerit: attamen dignitatis magnitudinem nulla vnquam oratione exæquabit:* vtpote quia dignitas maternitatis Dei omnibus ſupereminet perfectionibus. Richardus de S. Victore ſuum exhibet ſuffragium lib. de diff. ſacrificij Abraham & B. Virginis. *Indubitanter, ait, quod optimum tantæ Dominæ attribuimus.* Optimum abſolutè prolatum cunctarum perfectionum, ac virtutum, atque donorum exprimit principatum, & excellentiam. Fauent verba S. Laurent. Iuſtin. lib. de caſto connubio cap. 9. *Quidquid honoris, quidquid dignitatis, quidquid meriti, quidquid gratiæ, quidquid eſt gloriæ, totum fuit in Maria.* Omnes igitur hi Patres præſtantiſſima quæque in omni genere in vna decoranda Maria congeſſerunt. Quapropter cunctæ gratiæ omnes virtutes, priuilegia omnia inter reliquos Sanctos diſpertita, niſi ſexui repugnent in vna Virgine Maria, non vtcumque, ſed ſublatis imperfectionibus nobiliori modo coaceruantur. Eſt expreſſa S. Bernard. ſententia epiſt. 174. *Quod itaque vel paucis mortalium conſtat fuiſſe collatum, fas certè non eſt ſuſpicari tantæ Virgini eſſe negatum.* Vbi ſuſpicionem in oppoſitum, tanquam

Quidquid perfectionū, ac gratiarum Deus aliis tribuit, omni[...] ...] de Maria conceſſum. D. Thom. Baſil. Sel. Richard. de S. Victore. Laur. Iuſt. Bernard.

tanquam nefas à nobis procul auertere contendit. Luculentiùs stat pro hac sententia D.Bonau. in speculo cap.3. *Maria dicitur Mare propter affluentiam, & copiam gratiarum, vnde scriptum est: Omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam; flumen gratia Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum intrant in Mariam. Quid mirum si omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit; Vnde ipsa optimè dicere potest: In me omnis gratia via, & veritatis, in me omnis spes vita, & virtutis.*

D.Bonau.

Concinit Albertus super *Missus est*, Bonauenturæ. *Congregationes aquarum vocauit Deus Maria, locus autem omnium gratiarum vocatur MARIA.* & lib. de B.Virgine cap.69. 70. 71. *Non est dubitandum,* inquit, *quin Maria tribus conueniat, quidquid boni pura quauis creatura, vel fecerit, vel receperit.* Accinit his Gerson Alphab.82. à litera B. *Forma*, ait, *Maria, tam grata, & tam incredibili formositate refulgens inuenta est, vt concupisceret rex speciem, & ob illius formam ipse acciperet formam serui. Pulchritudo & specialitas quelibet reperta in creaturis omnibus sparsim, tota colligitur in Beatam, & pulcherrimam mulierum, vel formaliter, vel eminenter: hac enim est regula Diui Dionysij Hierarchias ordinantis.* Vbi satis Theologicè nostram thesim sustinet: Ex eius enim verbis hæc ratio efformari potest. Virgo Deipara Chorum, seu Hierarchiam constituit superiorem aliis Hierarchiis: ergo omnes inferiorum gratias, & perfectiones in se continet, iuxta regulam D. Dionysij has Hierarchias ita ordinantis: quia, vt ait idem Gerson citatus, Primum in quolibet genere præcipuum est, & mensura cæterorum. Maria est pulcherrima, & perfectissima super cæteras creaturas, non vnitas Diuinitati, qualis est Christi humanitas: Ergo omnia bona naturæ, & gratiæ, Artis & fortunæ ad illam ornandam conspirant. S. Antoninus 4.p. tit.15.cap.2 §.15. dictis adhæret: *Ex dictis, ait quomodo B. Maria fuit plena gratia quadrupliciter. Primo. Quia omnes gratias generales, & speciales omnium creaturarum habuit in summo. Secundò. Quia illas gratias habuit, à quibus omnis creatura vacua fuit. Tertiò. Quia sua gratia tanta fuit, quod pura creatura maioris gratia capax non fuit. Quarto. Quia etiam gratiam increatam, id est Deum in se tota continuit; & sic per omnem modum gratia plena fuit.* Quid aptius nostro instituto excogitari posset, idque confirmare possumus ex verbis Sponsi Cant. *Recti diligunt te*, vel vt habet translatio originalis. *Rectitudines dilexerunt te.* Quia omnium Sanctorum prærogatiuas, gratias, ac priuilegia in se coëgit; omnes excellentiæ, ac dona amico fœdere in vnam Virginem coiêre, eamque tanquam centrum sibi amicissimum exambibant, in quo tanquam in sede propria conquieuerunt. Quod suo etiam suffragio confirmat S. Brigitta serm. Angelico, cap. 5. vt in omni populo, in omni gente, & in vtroque sexu huius thesis veritas magis eluceat: *Deus*, ait, *in te*, nempe in Virgine, *plures virtutes prouidit, quam in omnibus herbarum, florum, arborum, fructuum, lapidum, gemmarum, seu metallorum generibus, qua inueniri possent in totius orbis amplitudine. Vnde mirum non est, si Deus in te, ô minor munde! qui adhuc creandus eras, magis delectabatur, quam de hoc maiori mundo.* Omnes igitur creaturæ in vna Deipara priuilegiorum, gratiarum, virtutum, ac perfectionum in se ipsis dispersarum; formam, & ideam intuebantur. Huc

Albert.

Gerson.

Anton.

Cant.1.4.

Omnes gratia, ac dona in vna Maria amico fœdere coiêrunt.

Brigitta.

aduoco pium illum Doctorem Bernardinum de Bustos serm.9.de operat.virt. B.Virg. *Horologium,* ait, *ad cuius decimam lineam reuersus est Sol, est B. Virgo ex rege Achaz descendens, qua in se habuit perfectionem omnium Ordinum, Angelorum, & hominum.* Itaque solare Horologium Maria, decem lineæ, per quas Sol reuersus, denotant ex obumbratione Spiritus sancti, omnium Angelorum, hominumque perfectiones B. Virgini fuisse collatas. Quæ enim perfectio, quod donum, & decoramentum vlli homini, aut Angelo fuit exhibitum, quod in Virgine Deipara eminentiori quodam modo non eluxerit. Sapienter, & ad intentum scripsit Idiota lib.de contemp.de Virgine Maria cap.2. *Non defuit tibi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non scientia Prophetarum, non zelus Apostolorum, non patientia Martyrum, non sobrietas Confessorum, non innocentia Virginum; in summa nullo genere vacasti virtutum, ô Virgo plusquam Beata! Quodcumque donum alicui Sanctorum vnquam datum fuit, tibi non fuit negatum; sed omnium Sanctorum priuilegia omnia habes in te congesta.* Et quemadmodum homo Microcosmos dicitur à Philosophis, quæ enim in elementis, mixtis, arboribus, animantibus sparsa sunt, in homine vnita conspiciuntur; Vnde aptè homo Vniuersi Compendium, & Anacephaleosis dici potest. Sic B. Virginem Sanctorum omnium Microcosmon nuncupare possumus; quidquid enim in aliis decoramenti, gratiarum, priuilegiorum sparsum, ac diuisum est, in vna Virgine Maria coalitum & vnitum reperitur; & sicut se habet homo in ordine ad omnes creaturas, sic Maria Virgo, cum Angelorum, & hominum, imò rerum omnium creatarum perfectionibus collata. Quod piè, & eleganter meditatus fuit B.Thom. Archiepiscopus Valent. Conc. 3. de Natiuitate Virginis Mariæ. *Sicut*, ait, *in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura, ideò Microcosmos dicitur; sic in reformatione mundi, in Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio: vnde Microcosmos Ecclesia dici potest, sicut vna MARIA pretiosior, & dignior fit vniuerso mundo.* Hinc ait Imperfectus in cap.1. Matth. *Maria speciosior facta est, & dignior, quam totus mundus, quia quem mundus non merebatur accipere, in cubiculo vteri sui, sola ipsa suscipere meruit.* Cardinalis Petrus Damianus in illa Cantic. verba. *Qua est ista qua progreditur, quasi virgula fumi ex aromatibus Myrrha, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentary?* ait: *Vniuersus puluis pigmentarius in Virginem proiectus est, quando in ea virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit: & si cateris per partes Spiritus adfuit, Maria tamen tota plenitudo gratia superuenit.* Vbi gratiarum omnium vniuersitas quæ per vniuersum puluerem pigmentarium innuitur, in vna Virgine sedem fixit. Rursus virtutes omnes in Sanctis omnibus repertæ, quamtumuis excellentissimæ, si cum virtutibus Mariæ componantur, sunt quasi virtutes bonorum laicorum: At in Maria hæ virtutes vitam strictissimam regularem professæ sunt. Idcirco appositè vocatur Maria in Cant. *Terribilis vt castrorum acies ordinata.* Itáne vna Virgo, & illa imbellis aciei vniuersæ conferri potest? Quod cum tenera sponsa, & acie vndequaque munita vinculum? Quæ com exercitu armato, & fœmina pulcherrima, cohærentia? Magna sane. Quia vna Virgo continet omnium Sanctorum vires in se congestas: dimicent ex vna parte omnes Angelorum cunei, Beatorumque

Bern. Bust.

Idiota.

Th. à Vil.

Imperf.

Petr. Dam. Cant.3.6.

Cant.6.3.

Vna Maria, omnium Sanctorum phalanges viribus, ac potentia antecellit.

torumque spirituum, tum & omnium Sanctorum phalanges; vna MARIA non solum illos æquate viribus, virtute, ac potentia; sed illos omnes longè antecellere fatendum est. Meritò igitur asserat Richardus de S.Laurent. lib.4. de laudibus Virginis: *Ipsa dicitur terribilis, vt castrorum acies ordinata; ipsa enim tantum Dæmonibus est terribilis, quantum Angelis, & Sanctis existit venerabilis: id est, sicut tota acies Apostolorum, Prophetarum, &c. qui contra Diabolum pugnauerunt. Nam quia omnium Sanctorum priuilegia habet in se congesta. Vnde dicitur Cant.7. omnia poma noua, & vetera, Dilecte mi, seruaui tibi; ita terribilis est dæmonibus, sicut vniuersa collectio Sanctorum aliorum.*

Richard. de S.Laur.

932. Plus addidit S. Anselmus lib. de excellentia Deiparæ cap.12. *Rogamus te, Domina, per ipsam gratiam, qua te pius, & omnipotens Deus sic exaltauit, & omnia tibi secum possibilia esse donauit.* Vbi ad possibilia quæque gratiarum decoramenta sermonem protendit. Nec mirum, Deus enim se ipsum in Filium Virgini Mariæ tradidit, quod omnium donorum etiam possibilium maximum, & optimum est, quodque reliqua omnia dona infinito spatio supergreditur: quidni ergo reliqua omnia dona infinitè inferiora eidem adornandæ congereret? Ex quibus legitimè inferes nullam in creatura aliqua excogitari posse perfectionem, virtutem, donum, seu priuilegium aliquod singulare, quod in superiori gradu, & excellenti Virgini Mariæ non fuit exhibitum. Nostro pronunciato robur addat S. Antoninus 4 p.tit.15. cap.16. *Priuilegia, ait, Principum sunt latè interpretanda: cùm ergo Dominus in priuilegio suo, quod ei mittit per Angelum, dicat, Gratia plena; nullam specificando, erit pro omnibus interpretandum. Præterea Deus infundit suam bonitatem vnicuique secundum suam virtutem, & capacitatem, vt patet de Domino, qui tradidit seruis suis bona sua, vnicuique secundum propriam virtutem: ergo quæcunque creatura quæ est capax omnis gratiæ, cuius est capax pura creatura; illa erit plena omni gratia. Talis autem creatura fuit Beatissima Virgo Maria; ergo ipsa est plena omni gratia, cuius particeps potest esse omnis creatura pura.* Quibus luculenter ostenditur B. Virginem vniuersis perfectionum, gratiarúmque diuitiis, vsque adeò locupletatam, vt nihil vltra superaddendum superesset, iuxta ipsiusmet Virginis pronunciatum: *Fecit potentiam in brachio suo.* Exeruit vires omnipotentiæ suæ in vna ditanda, & exornanda Deipara.

Anselm. Mariana Gratia, vsque ad possibilia quæque decoramenta protenditur.

Anton.

Ratione suaderi posset hæc thesis, ex recta diuinæ prouidentiæ dispositione deprompta, qua voluit, vt superiora perfectione, & præstantiâ, inferiorum continerent perfectiones, siue eminenter, siue formaliter, vt loquuntur Scholastici: sed Deipara nobilitate, ac præstantia longè antecellit omnem puram creaturam; ergo eminentiori modo, omnium rerum creatarum virtutes, ac perfectiones obtinebit. Maior illa propositio ostenditur à Theologis ex D. Dionysio de cœlesti Hierarchia cap. 5. de Angelis sermonem instituens. *Dicimus autem quod per omnem sanctam dispositionem, excellentes quidem ordines habent inferiorum dispositionum & illuminationes, & virtutes.* Quod in anima nostra videre est; cùm enim natura sua longè excellentior sit animâ sensitiuâ, & vegetatiuâ; earum virtutem ac perfectiones in se eminentiori quodam modo cohibet. Cùm ergo Deipara omni pura creatura longè præstantior sit, omnium creaturarum virtutes, ac perfectiones sublimiori quodam modo continebit. Quod luculenter expressit S.Brigitta lib.1. reuelat.cap. 31. *Non est aliqua virtus, in aliquo spiritu, siue in corpore aliquo, quam ipsa Deipara hanc eandem virtutem non habeat excellentiùs.* Quod à S. Ioanne Baptista se hausisse fatetur. Deinde iuxta munera, proportionem gratiæ, priuilegia, ac dona Deus conferre solet, tanquam perfectiones necessarias ad obeunda munera. Vnde Num. 11. dictum est à Deo Moysi: *Auferam de spiritu tuo, & tradam eis*, nempe septuaginta Viris, quia eos ad idem munus Deus elegerat ipsius Moysis rogatu: vnde cum munere oportuit, & spiritum diuinum, ac auxilium cœleste præbere. Sed dignitas, ac munus maternitatis Dei altioris est Spheræ, quàm reliqua omnia munera omnium creaturarum: ergo iuxta proportionem talis dignitatis, collatæ sunt B.Virgini gratiæ, perfectiones, ac priuilegia; ergo sicut maternitas Dei longè superat omnium creaturarum munera; ita etiam, & earumdem perfectiones, & gratias. Confirmatur, quia omnes perfectiones, gratiæ, ac priuilegia, quæ concipi possunt B. Virgini exhibita non adæquant munus Maternitatis Dei; hæc enim dignitas comparatur, tanquam prima forma ad suas proprietates; & è conuerso, perfectiones omnes Mariæ comparantur ad ipsam, sicut dispositiones ad formam: est ergo hæc dignitas Matris Dei excellentior illis omnibus; sicut forma multo perfectior est suis proprietatibus, & accidentibus. Rem finiat feliciter S.Bonauent.in speculo B.Virg.lect.7. *In plenitudine Sanctorum detentio mea: Reuera in plenitudine Sanctorum Maria detentio fuit, dum in mirifica perfectione sua plenitudo perfectionis Sanctorum sibi non defuit.* Et serm.3. de B. Virg. *Plenitudo*, inquit, *gratia est plenitudo supereminentiæ, qua aliquid dicitur cæteris supereminere; & hæc plenitudo fuit in Beatissima Dei Matre, quæ omnia dona, quæ alij Sancti acceperunt in parte, ipsa omninò habuit in plenitudine. Nam sicut in capite sunt omnes sensus, sed in aliis partibus corporis tantum est sensus tactus: Sic Domina nostra omnia habuit Dei dona, quæ in Sanctis aliis sunt diuisa; vnde dicitur: In plenitudine sanctorum detentio mea: & est sensus; totum teneo in plenitudine, quod alij Sancti tenent in parte.* Huc aduoco magnum illum Ecclesiasticæ Historiæ conditorem Cæsareum Baronium Cardinalem amplissimum, qui cum in exornandis B. Virginis natalitiis, singularia priuilegia recenseret ex aliquibus fide dignis, & probatis Authoribus, quorum monumenta non exstabant, hæc habet verba in suo præuio apparatu num. 40. *Magna quidem, & per omnia admiranda præcessisse natalem Dei Genitricis, nullus ambiget, vt puto; si mente reuoluat tot, tantaque seruis Dei ante ipsorum ortum impertita diuinitus priuilegia. Quis enim apud se repetens, quæ Samsonis, Samuelis, Hieremiæ, & Ioannis Baptistæ, natalitia præcesserunt, mox non firmiter credat, non tantum illis non caruisse Dei Genitricem, sed longè amplioribus, augustioribusque ornatam, auctamq; esse muneribus? Ac quis abiectè nimis, atque adeo humiliter de Deo sentiens, eum plura, atque maiora elargitum esse seruis, quam Matri, & amico Sponsi, quàm Sponsæ, mente captus dixerit?*

a.

Num. 11.

Bonauent.

* * *

CERTA

CERTAMEN II.

Mariana priuilegia non sunt ad reliquorum Sanctorum normam dimetienda, sed solâ diuinâ Omnipotentiâ mensuranda.

933. Cellens.
QVod Cellensis de B. Virginis gratia protulit, de reliquis Marianis priuilegiis aptè pronunciabis. Ait ergo lib. de panibus cap. 9. *A quo est mutuanda gratia, vel accipienda, nisi ab eo, qui plenus veritate, & gratia natus est de Maria gratia plena.* Ex supremo ergo illo maternitatis Dei honore, ad quem B. Virgo fuit euecta, reliqua omnia priuilegia, quasi necessaria consecutione decenter inferuntur. Profectò iam non ex humanis, aut physicis rationibus, seu coniecturis metienda sunt, ac peruestiganda priuilegia Mariana, sed ex sola Dei omnipotentia, venanda. Quare nullum maius Marianum priuilegium hoc vno; nullum melius compendium Virginearum laudum, nullum maius encomium, ex quo vno infinitæ propemodum excellentiæ, ac prærogatiuæ depromi possunt. Idcirco dicerem grandem egisse encomiastem Virginearum laudum Gabrielem Archangelum, dum plures Mariæ gratias, ac priuilegia recensens,

Luc. 1.
Luc. 1. illorum magnitudinem cum diuina omnipotentia dimetitur: *Quia*, inquit, *non erit impossibile apud Deum omne Verbum.* Quasi causam, ac rationem reddat, quod Maria gratia plena dicitur, ac inter omnes fœminas benedictionem Dei Patris nacta, illibata virginitate concipiens, salua integritate pariens Deum hominem, cur ita? *quia non erit impossibile apud Deum omne Verbum:*

Gabriel Archangelus ex diuina omnipotentia Mariana priuilegia dimetitur.
Itaque ex Dei omnipotentia dimetitur Gabriel Mariana priuilegia: Virginearum vtique laudum mensura est diuina omnipotentia. Sanè quam appositè P. Gregor. de Valentia tom. 4. in 3. p. disp. 2. q. 1. p. 2. ait:

Greg. de Val.
Mensura priuilegiorum Virginis potentia Dei dicitur, quod ex verbis ipsius Virginis elicit, dum ait: *Quia fecit mihi magna qui potens est*: referens nimirum in Dei potentiam eximium illud singularis, & insolentis gratiæ donum, nempe Maternitatis Dei.

Chrysol.
Huc respiciebat S. Petrus Chrysol. serm. 104. dum ait: *Tanta est Virgo, vt quantus sit Deus satis ignoret, qui B. Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Quare de Deipara nihil verendum affirmare quidquid ad eius honoris cumulum conducit, dummodò sacræ Scripturæ non repugnet; vt docet Soto in 4. dist. 5. art. 2. & S. Thom. 3. p. q. 27. art. 2. Huc reuoco verba S.

August.
August. epist. 3. ad Volusianum tom. 2. vbi ex Dei omnipotentia arguit illæsam Mariæ Virginitatem in partu. *Hic*, inquit, *si ratio quæratur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse: in talibus rebus tota ratio facti est omnipotentia facientis.* Et quemadmodum, vt inquiunt Theologi de Deo, quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias esse Deum; ita de Virgine, quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, id scias esse Dei Matrem; vt iam mens nostra sit promptuarium laudum Dei Genitricis. Exere igitur vires mentis tuæ ac cogita perfectionem gratiæ, quam possit Deus omnipotentiâ præstare: Excellentias meditare, & perfectiones, quas Dei dextera in lucem dare possit, quantumuis mens audeat; & profectò Dei Matrem decent; sublimia priuilegia scrutare, rimare prærogatiuas; audacter magna, & excelsa de Maria cogita; ea quidem omnia crede reperiri in illa gratiarum abysso, cùm ipsa fateatur, Quia fecit mihi magna, qui potens est. Quodcunque ergo priuilegium meditaberis, quamcumque prærogatiuam rimaberis, quodcunque donum excellentissimum cogitaueris, quodcunque senseris, ratio est, aiebat Tertul. aduersus Praxeam cap. 5. quia

Tertull.
mensura Virgiocarum laudum Dei omnipoteotia est.

934. Adeò igitur sublimis est Matris Dei excellentia, tantaque eius dignitas, quæ exhauriri nequeat vllis finitis donis gratiæ, quia capax est maioris sine fine, nec Deus tantam gratiæ portionem, & gloriæ finitæ effundit in Mariam, quin maiorem dignè conferre non possit: quod innuunt Patres, qui aiunt, vt alibi monemus, dignitatem Matris Dei esse capacitate immensam, præstantia infinitam, cognitione qualibet creata incomprehensibilem; ergo eius capacitatem nullus gratiarum donorumque cumulus exhaurire poterit; si finitus sit enim cumulus adæquari nequit infinitæ capacitati. Beoc in rem præsentem D. Bonauentr.

Bonau.
Vas immensum non potest nisi immensa gratia repleri. Et verè, oam quacunque gratiæ habitualis intensione exhibita B. Virgini, illa longè minor existit dignitate infinita Matris Dei; ergo vt adæquet eius dignitatem, amplior sine fine conferenda esset.

Præclarum huius rei symbolum exhibet nobis Canticorum liber, vbi Salomon præ adolescentulis, concubinis, ac reginis adamasse fertur Pharaonis filiam. Nulla huius singularis priuilegij facta est consors puella. Quod singularissimum Mariæ priuilegium iam à longè prædicebatur: siquidem præ omnibus Angelis, & hominibus Deo charissima existit Maria: Cui cogitatui adstipulatur

Anselm.
Anselmus de excellentia B. Virginis cap. 3. *Hic se suberigat*, ait Anselmus, *intentio mentis humanæ, & pro posse paucis intendat, quanti penderit omnipotens Deus merita huius Beatissimæ Virginis, intendat, inquam, & contempletur, videat, & admiretur: vnum Filium sibi consubstantialem, coæternum, omnipotentem ex sua natura, sine initio Deus Pater genuit, & per eum omnes creaturas visibiles, & inuisibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam vnicum, quàm dilectissimum, & in omnibus omninò æqualem, non passus est remanere solummodo suum, sed eundem ipsum voluit in rei veritate esse B. Mariæ vnicum, & dilectissimum, & naturalem filium, ita vt vnus idem ipse Filius Dei in vna persona, esset Filius Sanctæ Mariæ Virginis.* Grande profectò priuilegium, sublimis prærogatiua! Itaque non solùm Deus Pater præ reliquis creaturis B. Virginem adamauit, non modo præ Angelis illam gratiarum omnium fluentis repleuit, sed quod omnem mentis nostræ, & Angelicæ captum superat; aliquod priuilegium, quod Pater æternus nec Filio, nec Spiritui sancto contulit; B. Virgini Mariæ singularissimo beneficio, & fauore dilargitus est. *Omnia*, inquit Filius, *quæcumque habet Pater mea sunt. Ioan. 6.*

Ioan. 6.
At Genitoris relationem, siue naturæ fœcunditatem ad producendum Dei Filium, neutiquam Verbo Diuino dedit. Cui attributa omnia perfectionesque absolutas communicauit, imò & naturam fœcundam, vt posset cum Patre personam aliam diuinam producere; non verò vt Pater, seu Genitor personæ diuinæ diceretur. Insuper Spiritui sancto Deitatem, essentiam, ac proprietates omnes, ac decoramenta diuinitatem comitantia Pater, & Verbum per processionem cõmunicauêre; verùm neque

Pater æternus quod priuilegium nec Verbo diuino nec Spiritui sancto contulit, Mariæ largitus est.

neque fœcunditatem, neque vim, diuinam perſonam producendi hauſit Spiritus ſanctus. Speciale hoc fuit priuilegium ſolùm B. Mariæ debitum, quam ita Pater ſuperus deperiit, vt Mater Verbi diuini diceretur, & eſſet, vt relationem Dei genitricis ſortiretur, vt vim fœcundam producendi perſonam diuinam mutuaretur à Genitore, & Filium vnicum conſubſtantialem ſibi, quem Pater ab æterno genuit, hunc ſibi vnicum, & dilectiſſimum, & in omnibus æqualem noluit eſſe, ſolummodò ſuum, ſed eundem re ipſa voluit eſſe Mariæ vnicum, ac dilectiſſimum Filium. Ergo in poſterum perperam quiſpiam Mariana priuilegia ad normam reliquorum Sanctorum conformabit. Siquidem Pater æternus eo ſingulari priuilegio decorauit Mariam, quod nec Verbum diuinum, nec Spiritus ſanctus hauſerunt. Nullum vnquam Pater diuinus ad Genitoris ſodalitium euocauit, ad paterni nominis conſortium nullum adſciuit, nec ipſum Verbum, nec Spiritum ſanctum; ſolam Mariam in participium, & ſocietatem vnici, ac dilectiſſimi Filij euexit, vt Mater Verbi diuini, pleno ore nuncuparetur. Vna B. Virgo poſt Patrem, & Filium ad ſuperexcellens munus perſonam diuinam producendi elata fuit. Nihil ergo mirum ſi dicamus Marianas laudes non eſſe reliquarum creaturarum menſurâ dimetiendas, ſed ad Dei omnipotentiã conformandas.

Noſtræ adſtipulantur Theſi plura Sanctorum Patrum dicta obuia vbique in toto hoc noſtro

Andr. Cret.

opere. Andreas Cretenſ. orat. de dormit. Mariæ: *Sunt*, ait, *reuera omnia noua, quæ ad eam*, nempe Virginem Mariam, *pertinent appoſitè admittentia rationem, quæ ſuperant naturam, vt quibus cedat omnis ratio, & cognitio.* Nec mirum cum ea, quæ patrata ſunt in B. Virgine omnem præteruolent cognitionem, totam naturæ ſeriem excellant, ſola Diuina potentia metiantur. Quare immeritò Mariana priuilegia cum his, quæ lege ordinaria contingere ſolent, conferes, ad reliquorum normam regulabis, pulchrè ad rem noſtram Auguſt. ſerm. de Aſſumpt. Virg. tom. 6. *Diuinitatis enim ſunt opera, quæ dicimus, & ideò poſſibilia, quæ ſunt ab omnipotentia. Chriſtus autem Dei virtus eſt, & Dei ſapientia, cuius omnia, quæ Patris ſunt, ſua ſunt, & velle: velle autem iuſta, & digna.* Quæ autem prærogatiuæ, quæ priuilegia, quis honos, dummodò pugnantiam non ſecum importent, tantæ Virgini dignè denegari poterunt.

August.

935. Prima ratio pro roboranda noſtra concluſione, ſit; quia B. Virgo, vt Patres paſſim affirmant, identitatem quandam cum Chriſto contraxit, eiuſdem enim ſunt naturæ, carnis, & ſanguinis, cum caro, & ſanguis, qui erat in Maria, Verbum diuinum ſibi Hypoſtatice copulauerit: ergo ſicut in Chriſto priuilegia naturæ & gratiæ longo interuallo, naturam, & gratiam hominum, & Angelorum prætergrediuntur; ita etiam priuilegia Mariana, ſeruata debita proportione. Antecedens obuium eſt Patribus, vnum hic producam Athanaſium ſerm. de Annunc. Deiparæ. *Ex carne eius, & ex oſſibus eius veluti ex vetere Adamo, nouus iſte Adam, vt vicem eius expleret, coſtam ſibi finxit.* Cuius rei figura præceſſit in prima hominis conditione, quæ iuxta Tertul. Chriſti incarnationem adumbrabat, ſicut Euæ formatio Mariæ formationem; ait ergo Deus: *Faciamus hominem, &c.* Et iterum de Eua: *Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Quia Maria ſimilis per omnia Filio. Acutè Baſil. Seleucus orat. 2. *Iterum deliberatio, iterum conſi-*

Athanaſ.

Geneſ. 1.26.
Gen. 2.18.
Baſil. Sel.

lium: illic dicebat, faciamus hominem; hic quoque faciamus ei adiutorium; vt quod formabatur in honore eſſet, æquali cum dignitate efformemus hominem, ac figuremus, æqualem cum eo gloriam coniungamus, ne ſit honore defectior muliercula, néve genere notho dedeceret opera. Meritò ergo Eua omnibus honeſtatur priuilegiis, quibus Adam, quia ſponſa ipſius: potiori iure Deipara iiſdem prærogatiuis, quibus Chriſtus decorabitur, quia Sponſa, Mater, & corredemptrix eius eo. Piè, & eleganter Guarricus Abbas ſerm. 3. de Aſſumpt. *Perge*, inquit, *Maria, perge ſecura, in bonis Filij tui fiducialiter age, tanquam Regina, Mater Regis, & Sponſa. Requiem quæris, ſed amplioris gloria eſt quod tibi debetur regnum, & poteſtas; indiuiduum habere tecum cupit imperium, cui tecum in carne tua, & vno ſpiritu indiuiſum fuit pietatis, & vnitatis Myſterium.* Itaque titulo & Matris, & Sponſæ, eadem cum proportione priuilegia Filio Sponſo, ac Regi debita ex natura vnionis Hypoſtaticè debentur Mariæ ex munere Maternitatis Dei. Hinc ortum, vt pene eodem cultu apud iuſtos B. Virgo reuereatur, ac filius, quod ponderans Titus Boſtrenſis in Luc. in illa verba Eliſabethæ: *Et vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me.* Eiuſmodi verba ſuo poſtea tempore depromturus erat Ioannes Matth. 3. *Eiuſmodi*, ait, *ferè hoc loco depromit Mater illius Eliſabeth; vt ille enim indignum ſe pronunciabat, qui Chriſto proximè aſſiſteret, ita hæc quoque Deiparæ Virginis præſentia indignam ſe pronunciat.* Quaſi eadem reuerentia ſuſpiceretur Virgo Deipara ab Eliſabetha, qua Ioannes poſtea ſuſpexit Chriſtum; imò aliqui Patres, & Interpretes arbitrati ſunt, verba Eliſabeth ab Ioannis Spiritu eſſe prolata, quaſi iam Deiparæ præberet illum cultum, quem Incarnato Verbo poſtea exhibiturus erat.

Guarric.

Eadem priuilegia, quæ debentur Chriſto ratione vnionis Hypoſtaticæ, debētur Mariæ ratione Maternitatis Dei.

Tit. Boſt.

936. Secunda ratio deſumenda ex ſimilitudine Matris cum Filio, quæ coarctari non debet ſolum ad naturam, eiuſdemque proprietates, & accidentia; imò cùm omnino perfecta fuerit, ad illa etiam, quæ ab humano pendent arbitrio, protenditur. Ex quo fit perfectiſſimam Deiparæ cum Filio ſimilitudinem non ſolum naturalia decoramenta, ſed moralia itidem bona, ac diuina, & ſupernaturalia priuilegia, quantum creaturæ capacitas pati poterat, ſinu cohibuiſſe ſuo, vt veriſſimè in illud effatum proruperit Hugo de S. Victore de Verbo incarnato: *In cœlo qualis Pater, talis Filius; & in terra, qualis Mater, talis Filius: in cœlo cum Patre æternus, & immenſus; in terra cum Matre immaculatus, & manſuetus: in cœlo cum Patre incorruptus, & ſublimis; in terra cum Matre, Virgo, & humilis: in cœlo imago Patris; in terra imitator Matris.* Sicut ergo Verbum omnino ſimile Patri, eandémque naturam cum Patre ſupero participauit, perfectiones ebibit, attributa expreſſit, eminentias hauſit; ſic è Virgine natus eandem cum Genitrice naturam habuit, proprietates, & accidentia, quæ naturam perfectiſſimam conſequuntur, elicuit, dotes aſſumpſit, ornamenta, quæ animam perficiunt, tum naturalia, tum moralia, tum diuinitus transfuſa, ſibi decerpſit; ſeruata tamen vtrobique proportione, ac creaturæ capacitate, qualis erat Deipara; cum Creatore Deo, qualis erat filius. His ſubſidiatur Anaſtaſius Synai. lib. 6. in Hexam. *Et quis dic mihi quæſo, aut ex hominibus, aut ex Dæmonibus audebit dicere, quod ea quæ eſt eiuſdem ſimul cum Deo eſſentia non ſit ad imaginem, & ſimilitudinem eius, qui eſt ipſa natura? Quomodo eſt enim Mater eiuſmodi filij non ferens in ſe integram, & illæſam*

Hug. de S. Victore

Virgo B. viua & expreſſa Filij ſui imago.

Anaſt. Syn.

fœtus

fœtus sui imaginem? In ea igitur perfectione condita fuit Virgo Beata, qua Gnato, quem postmodum diuina suffulta virtute genitura erat, quamsimillima foret. Pende illa verba: *Ferens in se integram, & illæsam fœtus sui imaginem.* Imago siquidem, id totum, cuius est imago, & quoad singulas eius partes exprimit, ac repræsentat, vt docent Theologi: Si ergo Deipara integram Gnati imaginem præ se fert, profectò & corporis lineamentis, & animi dotibus, & ornamentis quantum creaturæ facultas assequi potest, Filium referebat. Hinc Richard. de S. Victor. in Cant. 7. cap. 39. compellat Mariam, *Christi speciem præ omnibus speciosam, Christo simillimam.* His congruit commune illud Augustini Proloquium serm. de Assumptione Deiparæ qui est 35. de Sanctis: *Si formam Dei te appellem, digna existis.*

Richard. de S. Victor.

August.

937. *Verbum diuinum charissimam Parentem in suorum priuilegiorum communionē adsciuit.*

Hac ergo ratione similitudinis innixi ducuntur plures Doctores, vt credant, Verbum diuinum, Genitricem suam in suorum priuilegiorum, quorum capax erat, communionem adsciuisse. Quid enim obstare poterat, quominus illud qualecumque fuerit, licèt singularissimum, licèt maximum, licèt alioquin naturæ indebitum participaret? Mensura igitur, qua Mariana priuilegia dimetienda erunt, sola est omnipotentia diuina, & creaturæ capacitas: his duobus axibus vniuersus cœlestis Orbis Marianorum priuilegiorum obuoluitur; immensus quippe amoris impetus, quo Filius in Matrem ferebatur, sustinere nequibat, quin omnipotentia omnes suas exereret vires in locupletanda Maria; ita vt nulla in ea capacitas vacua, & inanis abiret. Nec alia ratione ad summum diuinæ similitudinis cum filio fastigium attingere potuit, & illa quidem omnia priuilegia, quamtumuis singularissima & maxima, licèt in vnum congerantur, nunquam Maternitatis Dei dignitatem exæquabunt. Quod & Iurisprudentium suffragio comprobarunt, *l. in sacris 3. Cod. de proximis Sacrorum scriniorum lib.* 12. & *l. penult. Cod. de metatis, lib.* 12. vbi habetur: *Parentes eodem quo filij gaudent priuilegio.* & *l. Bene à zenone Cod. de quadriennij præscriptione §. sed scimus.* vbi deciditur quòd, *Augusta eadem quâ Princeps prærogatiuâ vtitur,* & *l. Princeps ff. de legibus.* vbi hæc sunt: *Princeps legibus solutus est: Augusta autem licèt legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ & ipse habet.* Si ergo Humani Principes iisdem secum priuilegiis Augustam exornant; quidni Filius Dei Augustam Matrem, in eorundem secum priuilegiorum participium vocaret?

Idem ostenditur assertum ex Philosophia: ait enim Aristoteles lib. 8. Ethic. cap. 12. *Est amicitia filiis erga Parentes, & hominibus erga Deos, tanquam erga bonum quoddam, & excellens: beneficia enim maxima contulere; quippe cùm sint in causa, vt & sint, & nutriti, & educati fuerint, postquam in lucem venerunt; reddere oportet eum, qui debet; at quidquid fecerit filius, nihil dignum collatis beneficiis fecit, quare semper debet.* Melius autem Nazianzen. orat. 20. in laudem Basilij: *Honorem omnem parentibus haberi iubet lex Diuina.* Quidni ergo Filius Genitrici debitor debitum non rependeret, cùm facilè posset, eam in omnium priuilegiorum, quorum capax esset, consortium aduocās: Quare Rup. lib. 6. in Cant. illud enucleās. *Electa vt Sol,* ita habet: *Et quidem naturâ non tu idem es, quod ille Sol; sed nihilominus tanta es, vt te honoret ipse Sol, honore quo decet filios honorare parentes suos; qui enim dixit, Honora Patrem tuum, & Matrem, non dubium quin ipse honoret, & ab omnibus amicis suis suam velit honorari Matrem.* Et S. Damascen. orat. 1. de dormit. Deiparæ: *O bonum,* inquit, *Legislatorem, cum legi minimè subiectus sit, legem tamen eā implet, quam ipse sanxit. Siquidem ipse legem tulit, vt filij quod Parentibus debent munus persoluāt.* Honos autem, quē Filius in Matrem exhibuit, nō in aliqua obseruantia solū, sed potius in amore, & beneficētia, & in earū gratiarū, ac perfectionū, quarum capax erat, collatione, situs est; alioquin debitū ei honorē non retulisset: cautū siquidem est legibus Cæsaris *l. si quis §. si impubes 13. ff. de liberis agnoscendis*: vbi dicitur: *Iniquissimum quis meritò dixerit patrem egere, cùm filius sit in facultatibus.* Multùm ergo Filij Dei detraheretur honori, si cū ipse diues, & opulentissimus sit, ac bonorum omniū affluentia redūdet, cuiuspiā boni egestatē Genitricē pati sineret, nec vniuersū, quē debebat honorē Matri præstitisset. Bene S. Bernardin. ser. 61. art. 2. c. 7. *Christi,* inquit, *filialis adspectus ad Matrē singularissimus, & amātissimus, ac transcendentissimus esse debet; ita quòd totā cœlestē curiā simul sumptā, præter Matrē, non debet adspicere sub tali reuerētia, nec sub ordine talis adspectus seu amoris.* Ergo etiam ipsius beneficentia in Matrem transcendere debebat super omnes creaturas, & in omnia bona, quæ puræ creaturæ conditio capere poterat.

Rupert.

Aristot.

Nazianz.

Damasc.

Bernardin.

Firmatur ampliùs hęc priuilegiorū cōmunicatio à Filio in Matrē ex amicitiæ legibus. Verissimā enim intercessisse amicitiā inter Deiparam, ac Filium, non est ambigēdi locus: ait enim Aristot. lib. 2. mag. mor. c. 14. *Amicitiarū omnium in primis cognatus est amor qui in affinitate, eaque ex patre in filium.* Hinc frequenter Amicæ nomine vocat Christus Matrē in Cāticis: at inter veræ amicitiæ leges illa à Philosophis adnumeratur, quòd, scil. amicus sit alter ipse, & amicorum bona sint communia. Quare Plato in Lyside amicos alloquens, neutrum ditiorē aut pauperiorē altero esse affirmabat, sed vtrūque æqualem fortunam sortitum. *Vter,* inquit, *vestrûm ditior sit, haud quaquam interrogabo; amici namque estis, amicorum vero communia omnia; quapropter hoc nihil differtis, siquidem id verè de amicitia dicitis.* Decuit ergo Dei genitricis Filium hanc legem exemplo firmare, Matremque sibi perfectissima omnium amicitia deuinctam, in omnium bonorum communionem accire. Ac sicut Mater in persoluendis erga Filium officiis amicitiæ, eo vsque vires exeruit, vt vlteriùs progredi non posset, omnes enim animi, potentiarúmque vires ingenti quantum potuit conatu deprompsit, & exhausit, ac nihil vltra ei præstandum superfuit; ita & Filius vicissim, cui procliuius ex innata indole diligere, ac bona dilargiri congruit in eisdem reddendis officiis ea Matri sine dubio bona detulit, quibus nec præstantiora, nec plura capere posset; vniuersos enim in eam diuitiarum suarum thesauros liberali manu profudit, alioquin veræ amicitiæ leges adimplesse ex integro minimè diceretur. Id Bernardus fulcit ser. 46. in Cantica ad illa verba: *Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina. Nam quod ait, noster, & nostrarum, non vsurpationis est signum, sed dilectionis, quod nimia fiducia charitatis, nihil eius, quem valde diligit à se æstimet alienum; dixit enim: Lectulus noster, & Tigna domorum nostrarum, audacter se in possessionem associans, cui coniunctam non dubitat in amorem.*

Aristot.

Plato.

938. Quamuis autem Dei Filius Genitricem suam eorundem bonorum consortio locupletet, nec minimum quidem gloriæ ipsius detrahitur, quio potiùs augmentum capit iuxta vnanimem Patrum seotum, ac consensum S. German. de zona Deiparæ: *Dum Mater*, inquit, *glorificatur, latatur quoque & voluptate afficitur Filius. Quin etiam legi cedentes natura, etiamsi res sint supra naturam, Matri primum munus obiulimus; neque omninò, id ægrè ferat, qui est summè bonus Dominus. Cùm enim verè homo ex ea progredi ei visum sit, & eius appellari Filius, nos non condemnabit impudentia, qui extitit secundum hominem, qui est summè misericors.* Et D Bernardus hom. 4. super *Missus est*: *Non est dubium*, ait, *quidquid in laudibus Matris proferimus ad Filium pertinere; cùm Filium honoramus, à gloria Matris non recedimus.* Hieronymus, siue Sophronius serm. de Assumpt. Deip. *Nulli dubium quin totum ad gloriam laudis eius pertineat, quidquid dignè Genitrici sua impensum fuerit, atque solemniter attributum. Honor maternus eius est, qui natus est ex ea.* Arnoldus Carn. tract. de laudibus Deiparæ. *Manifestum est indiuiduam esse Matris, & Filij gloriam, & commune esse vtriusque praconium.* Perperam igitur quispiam putauerit, quia Filius Matrem suorum priuilegiorum sociam fecit, dignitatem Filij aliqua ex parte extenuari, diminui, ac labefactari; siquidem vniuersus Genitricis honos in Filium demum refunditur, imò maximum gloriæ ipsius, ac munificentiæ præiodicium inferretur, si qoidpiam boaorum, cuius Mater capax esset, quasi inuidus, & auarus in ipsam non contulisset. Hinc factum reor Ecclesiam ab Spiritu sancto edoctam, ea omuia ornameota, quæ variis oominibus Christo attribuuntur ab Scriptura, & Patribus; Dei Genitrici adaptentur: qualia sunt illa Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, &c.* Alia item elogia, quæ soli Deo competere videantur, videlicet: *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: Ego sum, via, veritas, & vita.* Et Psalm. 64. *Spes omnium finium terra*, Virgini Mariæ etiam deferri solent, cùm eam Matrem misericordiæ nuncupamus, Vitam, dulcedinem, & Spem nostram. De Christo D. ait Paulus Ephes. 2. *Ipse est pax nostra*: & alibi, *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aterna*: Et iterum, *Vnus est mediator Dei, & hominum Christus Iesus*, & 2. Cor. 5. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliauit sibi per Christum.* Et Iacobi 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Eisdem ferè nominibus Virgo Deipara à Patribus donari solet. Dicitur enim Pax, gaudium mundi, nostræ salutis causa, radix, ac fons vitæ, omniumque boaorum, Mundi mediatrix, diuina cum hominibus reconcillatio; vt passim toto hoc opere monemus. Quemadmodum ergo has & alias appellationes sibi cum Matre commones, Deus esse voluit; ita etiam priuilegia, ac res ipsas per illa vocabula designatas, debita cum proportione Matri dilargitus est; Noo enim inanes solo sono voces, vel blandiendi gratia, atque adeò falsò, sed ex propriæ rei naturæ significatione ipsi attribuuntur.

S. Germ.

Bernard.

Arnold.

Omnia ornamenta, & attributa qua ab Scriptura Christo conferuntur: B. Virgini ab Ecclesia adoptantur.

939. Euecta igitur Deipara ad eam dignitatem, quę vniuersum rerum creatarum ordinem prætergreditur, ac vires omnes naturæ excedat. Præterea cum media fini, cuius sunt media, proportionari debeant: Si ergo finis extra naturæ Sphæram sit; ergo & media naturæ leges superent, necesse est: ergo iuxta mensuram dignitatis Maternitatis Dei metienda sunt media tali coaptanda dignitati; ergo Mariana priuilegia iuxta dignitatis excellentiam pendeoda erunt, quæ præscriptas naturæ regulis, longa intercapedine antecellit. Opportunè S. Bernard. Senens. tom. 1. serm. 61. art. 1. cap. 12. ait: *Quod fœmina conciperet, & pareret Deum, est, & fuit Miraculum miraculorum.* Hic scopus, & finis à Deo intentus in Deiparæ conditione, iuxta hanc finis eminentiam congrua elegit media. Subdit ergo idem: *Oportuit, vt sic dicam, fœminam eleuari ad quandam aqualitatem diuinam, per quandam quasi infinitatem, perfectionum, & gratiarum.* Intra totius autem naturæ, & gratiæ ordinariæ ambitum, nullus effectus, nulla causa, nulla dispositio est, nullum ornamētum, qoantùuis omnes suas vires exereret, quod ad præfixum finem conduceret, quod tantæ dignitati exæquari posset. Aliud ergo principium longè sublimius desiderabatur quod totius naturæ & gratiæ ordinariæ metas traosiliret, & ad tantæ dignitatis fastigium viam præmuniret. Vnde vniuersæ naturæ conditæ, imo & gratiæ vsque ad tempus Mariæ infusæ dictum à Deo arbitror illud 1. Reg. 7. *Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum.* Quia vtraque viribus vtique destituebatur, vt dignam Deo sedem pararet, ac ornamenta, quæ Matrem Dei decebant conferret. Solus ergo Deus omnipotentiæ vires exerens domum sibi dignam, debitisque decorameotis circumuestitam erigere potuit: Sapientia ædificauit sibi domum. *O diuinum*, ait Damascen. orat. in Natiu. Deip. *ac viuum simulacrum, ad quod Opifex Deus intentus est.* Idcirco Maria speciali quodam iure, Dei opus nuncupatur. *Cùm fecerit*, ait Card. Damian. ser. in Annunc. Deip. *Deus omnia opera sua valde bona, hoc melius fecit.* Et Diuus Bonauent. in specul. Deipar. lect. 7. *Antonomasticè opus Dei mirabile est Maria, de quo dicitur in Ecclesiastico, Vas admirabile opus Excelsi.* Bernard. super Missus est: *Factor*, inquit, *hominum, vt homo fieret nasciturus de homine, talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Non ergo Deipara communibus naturæ & gratiæ legibus poterat ad taotum dignitatis culmen euehi, neque ea accipere ornameota, quæ talem dignitatem decerent. Vnde opus fuit, vt Deus omnipotentia sua concurreret, aliáque loogè præstantiora priuilegia vniuersas naturæ & gratiæ ordioatiæ vires superantia tantæ Virgioi largiretur, quibus eam ad tam sublimem dignitatem commodè disponeret. Nec mirum cuiquam videri debet, ait Andr. Cretens. hom. 1. in Assumpt. Virgin. *Si quid quod nos superat in ipsa diuina dispensatum est natura, nemo miretur intuens ad nouum, & inexplicabile, quod in ea patratum est mysterium ab omni infinitate infinities infinitè exemptum:* Non igitur ad communes naturæ, & gratiæ leges confugieodum in cohonestanda Maria, diuersam à rebus aliis consideratiooem deposcit iuxta dignitatis sublimitatem, Filij beneuolentiam, ac liberalitatem, non iuxta reliqoarum rerum mensuram, pondus, ac numerum, sed ita vt Matrem Filius, & beneficiorum, ac donorum numero, & priuilegiorum pondere, ac excellentium gratiarum mēsura super res omnes extule

Bernardin.

1. Reg. 7.

Damasc.

Petr. Dam.

Bonau.

Bernard.

Andr Cret.

B. Virgo non in numero, pondere, & mensura natura, & gratia ordinaria condita.

extulerit, sicut à reliquis omnibus, & dignitatis præstantia discreuit. Quodlibet ergo priuilegium, quod ipsius rectæ rationis ductu melius omninò sit, vt B.Virgini deferatur, quàm vt tali priuilegio priuetur, prorsus promptiori calamo ipsi attribuendum est. Huc aduoco illud Augustini effatum lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium Conditorem.* In his autem, quæ dubia sunt, in eam semper partem propendendum, quæ tantæ Virgini subsidiari viderimus, quæ enim ad Principis præcipuè Dei spectant priuilegia, ac beneficia, laxiori semper ioterpretamento intelligenda sunt, vt habes io iure cap. odia, de regul. Iutis in 6. *Odia restringi, & fauores conuenit ampliari.* Et *cap. cum dilecti, In beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda.* Et *cap. olim*, de verb. significatione. *Beneficia Principum sunt interpretanda largissimè.* Et ex iure Cæsareo id ipsum patet l. final. ff. de constir. Princip. *Beneficinm Imperatoris, quod à diuina eius indulgentia proficiscitur, quam plenissimè interpretari debemus.* Quæ omnia in præsenti locum habent potiori iure, cum priuilegia, quæ B. Virgini attribuuotur, nullum incommodum secum adsportent, & ipsius dignitas, & conferentis munificentia, & beneuolentia specialissima id efflagiteut. Verissunè enim Ambros. lib. 1. io cap. 1. Luc. fatur: *Plena semper, & redundantia sunt diuina beneficia non exiguo constricta numero, sed vberi bonorum coacernata congestu.* Melius autem ipse Christus Luc. 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.* Libet huc afferre Scoti subtilis verba in 3. distinctiooe 13. quæstione 2. & quæ ipse de Christo profatur, Virgioi Deiparæ iuuat adaptare. *Probabile*, inquit, *est dicere quòd Deus tantam gratiam illi contulerit, quantam potuit: potuit autem conferre summam gratiam creabilem; ergo de facto contulit.* Addit autem: *In commendando Christum, malo excedere, quam deficere à laude sibi debita; si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere.* Eadem ratione dicerem; In commendanda Deipara malo excedere, quam deficere à laude tantæ Matri debita.

Augut. — Ambros. — Luc. 1. 6. — Scot.

CERTAMEN III.

Perfectiones, & dona in summo sedem fixerunt in B.Virgine.

940. *In quo sita sit virtus heroica.* D.Thom.

PRæmittimus ex D.Thom. 3. part. quæst. 7. art. 2. ad 2. Habitus seu virtutes heroicas, & in summo, non discrimioari à virtutibus, & habiribus communiter dictis, oisi iuxta perfectiorem modum. Idcircò inquit S. Thom. Christum D. excelluisse quidem virtutibus, sed altiori, ac perfectiori modo vltra commuoem, adeoque in summo, & heroico gradu illas in Christo resedisse. Differt ergo virtus commonis à virture heroica & io summo, non quidem ratione obiecti materialis, seu formalis, idem namque omninò est io vtrisque; sed ex modo tendendi, & ex gradu sublimioris perfectionis, quem coonotat virtus heroica, quæ nihil patitur admixtionis vitij oppositi, nec retardatur affectu aliquo inordinato appetitus, sed omni ex parte est expedita ad

perfectissimum virtotis actum eliciendum; ideò docuit D. Thom. 1. 2. quæst. 54. art. 3. virtutem heroicam dispouere ad actum, qui proprius est superioris naturæ supra humanum operandi modum. Eademque ratione loquendum est cum proportione de aliis perfectionibus ac donis in Christo, ac B. Virgine residentibus.

Virtutes in B.Virgine in gradu heroico floruerit. Suppl. Gabr.

Quo præmisso, Asserendum est primo Virginem Deiparam floruisse omnibus virtutibus, quæ nullam connotant imperfectionem, in gradu heroico, & summo. Ita expresse Supplementum Gabrielis in 4. disputat. 49. quæst. 8. artic. 3. dub. 2. per hæc verba: *Has virtutes heroicas habuit Virgo Maria, nimirum in summo, & quadam eminentia speciali, omnes enim virtutes fuerunt in ea intensissima, & perfectissime, quia heroica, & modo perfectissimo, quia à Deo indita, & nullo prorsus obice impedita, sed Dei gratia stabilita, ac firmata.* Idem docet Spinellus io Theono cap. 21. num. 6. & facilè probari potest, quia virtus heroica & in summo, est, quæ tendit in suum obiectum sublimiori modo, quàm virtus communis, neque habet aliquid admixtionis vitij oppositi, nec retardatur per aliquem affectum inordinatum, sed in omnibus est expedita ad eliciendos actus perfectissimos; sed hæc omnia habuere virtutes Deiparæ: Ergo, &c.

Idem assertum statuitur authoritate Patrum. 941.
Bonauent.
De amore ait S. Bonauent. sermon. 1. de B. Virg. *Qua*, nempe Deipara, *tanquam carbo ardore charitatis ignita fuit; Domina nostra fuit in charitate in summo ardentissima, qua nec primam similem visa est, nec habere sequentem.* Albertus M. in Mariali. cap. 177. supremam in B. Virg. puritatem fatetur, ait eoim: *Puritas, vt videtur, sequitur naturam luminis, & luminosi; quod autem plus participat de natura lucis, plus habet puritatis, vt summa lux, & summè luminosum, summè sit lucidum, & purum; & vbi est magis propriè, & verè proprietas lucis, ibi verè, & magis propriè est proprietas puritatis. In B. Virgine respectu omnium creaturarum non vnitarum fuit gratia in summo: ergo appropinquat ad primam lucem in summo; ergo puritas in summo.* Puritas ergo Mariana iuxta Albertum, oaturam lucis æmulatur, quæ si suprema sit, oullis fœdatur tenebris, nullo maculoso lieberatur conragio; ea lucis esseotia est iugi dimicatione cum tenebris decertare, semper tamen de ipsis triumphum reportat, victrix ouat, innoxia & immaculara semper persistit, quantalibet tenebrarum phalange circumsepiatur; deuictis enim, ac dissipatis tenebris, lucidior emicat, quò splendidior, ac robustior dimicat. Quod verò de gratia sanctificante asseritur ab Alberto, commune est omnibus virtutibus Theologicis Moralibus, ac Spiritus sancti donis, hæc enim omnia cum gratia necessariò connectuntur, adeoque eam intensionis perfectionem nactæ sunt, quæ intensioni gratiæ responderet.

Albert. M. *Puritas Mariana naturam lucis æmulatur, quæ si suprema sit nullis fœdatur tenebris.*

Asserendum est secundo reliquas perfectiones, potentias, ac facultates B. Virgini fuisse inditas in summo, quoad actuum functiones. Quod assertum eadem ratione stabiliri potest, ac præcedens; iisdemque fundamentis innititur, quibus superiori congressu ostendimus Mariana priuilegia sola diuina omnipotentia esse dimetieoda. Io hanc rem faciunt verba Dionysij Carthusiani libro 1. de laudibus Virg. artic. 34. alibi iam producta: *A plan-* 942.

Omnis perfectio, potentia, & facultas B. Virgini fuit indita in summo quoad actuum functiones. Dion. Carth.

ta pedis, vſque ad verticem capitis, nihil penitus fuit in Virgine, neque in corpore, neque in anima indecens reprehenſibile, indecorum; imò totum fuit diuina ſapientia circino efformatum, pulcherrime circumciſum, ab omni ſuperfluitate pleniſſimè, at ſpecioſiſſimè operatum: ſicut enim Chriſti humanitatem decuit propter vnionem Hypoſtaticam omni perfectione natura, & gratia in termino excellentia prafulgere, ita ipſius Genitricis perſonam poſt Chriſtum oportebat in omnibus ſic ornari; quoniam poſt Hypoſtaticam vnionem, non eſt alia, tam vicina, vt vnio Matris Dei, cum Deo filio ſuo. Si ergo perfectiones, ac dona Mariana diuinæ ſapientiæ circino, & omnipotentiæ virtute fuerunt elaborata; ergo ſupremum attigêre gradum, qualem Marianum opus exigebat, & ſumma ſapientia, & omnipotentia Artificis depoſcebat.

943 Hinc capies, cur Angelus dixerit: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, non verò dixit: *potentia Altiſſimi.* Ratio ex D. Thom. opuſcul. 21. de dilectione Dei cap. 23. erui poteſt, vbi hæc habet: *Qualibet potentia habet vltimum; ſed Vis eſt idem quod Potentia; virtus autem eſt vltimum potentia.* Itaque in omni operatiua potentia ineſt aliquid, quod eſt ſummum, vltra quod nequit vlterius in operatione protendi, quo potentia omnes ſuas exerit vires. Hoc igitur ſummum, & vltimum quod elucet in qualibet potentia, dicitur virtus à D. Thom. Conſultò ergo Gabriel Mariam alloquens ait: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*: quo oſtenderet omnipotentiam diuinam ſupremam ſuam vim, ac virtutem in B. Virginem prodegiſſe, vt eam gratiis omnibus in ſummo locupletaret: quod eadem Virgo, alio dicendi modo faſſa eſt, nempe: *Quia fecit mihi magna qui potens eſt. Fecit potentiam in brachio ſuo*, id eſt ſupremum potentiæ ſuæ præſtitit, omnémque vim exeruit, & exhauſit, in me omnes gratiarum theſauros effudit; Quod ſuaderi poteſt quia ſupremus apex potentiæ Patris, qui nomine Altiſſimi denotatur; vltra quem progredi non poteſt, eſt vtique virtus illa fœcunda, qua Filium generat, qua in operatione, vel ſi mauis, productione, omnis potentia Patris veluti finitur, & exhauritur ad vlteriùs generandum. Hæc igitur ſublimis Virtus, quæ eſt maximum quod ſic, vt loquar cum Philoſophis, potentiæ fœcundæ Patris, ſuo modo B. Virgini communicata fuit, cum eundem Filium conſubſtantialem progenuerit, vt expendimus cum Anſelm. Superiori congreſſu. Rem introſpexit Albertus Magnus in cap. 1. Luc. ad illa verba: Filius Dei vocabitur. *Ideo*, inquit, *quod potentia Dei ſe in te vltimat, & ad virtutem ſe contrahit ſummam, & de Altiſſimi Dei virtute ſumit operationem, & ad ſimilitudinem Dei operationis educit effectum ſola carne obumbratam, ideò inquam quod naſcetur, vocabitur, & erit Filius Dei.* Si ergo potentia Patris in eo quod multo ſublimius, & maius eſt, ſcilicet in communicatione virtutis fœcundæ ad eundem Filium diuinum producendum, in B. Virginem pleno alueo effudit; potiori iure ſupremum potentiæ diuinæ in communicatione videlicet gratiarum, donorum, ac perfectionum omnium in gradu heroico & ſummo, ad decoramentum intellectus, voluntatis, & totius compoſiti Mariani, quod Dei Genitrix futurum erat, prodigeret: id ſonant illa verba Mariæ: *Fecit potentiam in brachio ſuo*; id eſt, virtutem omnem exhauſit, impleuit, vltimauit. Quod vt melius mente percipi poſſit, ſciendum eſt vltimum, ac ſummum omnipotentiæ diuinæ quæ Virtus appellatur, iuxta D. Thom. eſſe ita infinitum, vt in id omne ſpatietur, quòd eſſe non repugnet, & vltra ſtatus naturæ, & gratiæ leges progreditur, nec cauſarum communiter operantium repagulis concluditur, nec anguſtis agentium virtute, ſeu potentia ordinaria ſuum opus exequentium cancellis carceratur; ſed in id omne quod poſſibile eſt extenditur, atque diffunditur. Dicat ergo Gabriel: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*, ac ſi diceret: In opere incarnationis deuentum eſt in vltimas omnipotentiæ vires, iam Deus exeruit, & exhauſit virtutis apicem ſupremum potentiæ ſuæ: Nihil ergo mirum, ſi dicamus in ipſius Virginis Deiparæ ſinum gratias, dona, ac priuilegia, & perfectiones in gradu ſublimiori in intenſione ſuprema, ac perfectione vltima ab omnipotentiæ virtute vltima fuiſſe profuſa. Aptè in præſens intentum idem Albertus cit. rem finit: *Quia virtus eſt vltimum illud in quo ſtat potentia, non valens in amplius aliquid; & ſic virtus eſt potentia, vel poteſtas vltimata; Dei autem potentia vltimata infinita eſt, & omnipotens; vt enim ita dicam, Deus plus quam omnia potens; poteſt enim multa, quæ nunquam fuerunt, & tamen eſſe poterant ſecundum Dei potentiam infinitam; & hoc oſtendit in Filio, quia nihil maius facere poteſt, quàm hominem & talem, ac tantum, quatenus eſt ipſe.* Quæ cum proportione in B. Virginem quadrant: Dei enim potentia vltimata, & infinita eſt, & oſtenditur in Maria, quia nihil maius facere potuit, nec matrem meliorem exhibere mundo, quam B. Virginem, & talem, ac tantam, quanta eſt Dei Genitrix Maria.

Virtus Altiſſimi omnem vim exeruit, & exhauſit in locupletanda Maria. D. Thom.

Luc. 1.

Virtus fœcunda Patris ſuo modo communicata fuit B. Virgini.

Albert. M.

In incarnationis opere deuentū fuit ad vltimas omnipotentia vires.

Albert. M.

Dubitabunt tamen aliqui, an potentiæ, & facultates B. Virginis fuerint in ſummo perfectæ quoad actuum functiones. Ratio autem dubitandi inde enaſcitur, quod quædam ex illis facultatibus ſiccitatem in excellenti gradu depoſcant, humiditatem aliæ, calorem hæ prædominantem exigunt. Si ergo potentia memoratiua, exempli gratia, ad ſuorum actuum perfectionem intenſiorem ſiccitatem amat; potentia verò apprehenſiua, ſiue ſenſus communis humiditatem depoſcit, & hæ duæ qualitates ſibi inuicem aduerſantur in eadem cerebri parte; Ergo ſecundum exceſſum reperiri nequeunt. Nam ſi altera ex his potentiis ad ſuum actum perfectum eliciendum expoſcit calorem intenſum, altera minus intenſum requirat, ad ſuum operationem abſolutiſſimam; neceſſariò fit, vt vnius potentiæ actus à perfectione declinet eò magis, quò alterius potentiæ, & actus perfectio, ac nobilitas à temperamento contrario augetur. Quæ argumenti vis, ac robur robuſtiùs militat in ſententia adſtruente vnam ſolum repetiri internam facultatem, quæ variis donetur nominibus, quæ ſententia communi Recentiorum conſenſu excipitur; eam tamen nulla vrgenti ratione fultam video. In oppoſita tamen ſententia, quæ docet has potentias re ipſa ſecerni, & in diuerſis cerebri cellulis ſedem figere; nihil obſtat quominus aſſeramus eas potentias in gradu ſummo perfecto Beatæ Virgini inhæſiſſe. Poſſunt enim diuerſæ cerebri partes, diuerſa illa temperamenta ſortiri; quæ ſententia olim in Scholis percrebuit, 944

D.Thom. Auerr. Dandin.

buit, eamque tenet S. Thom. 1. part. quæst. 78. articul. 4. Auerroës in commentar. 6. libr. 3. Dandinus lib. 3. de Anima digreſſ. 15. Mihi nunc hæc magis arridet ſententia, quòd videam in ea melius defendi poſſe, hæc dona naturalia in ſummo in B. Virgine reperta fuiſſe, Ita vt non ſolum omnia dona vniuerſim accepta perfectiora longè ſortita fuerit, quàm reliqui vniuerſi homines; verùm neque in aliquo ſpeciali dono, aut perfectione, quod B. Virginem deceret, à creatura aliqua ſuperata fuerit, nec minus idoneum temperamentum obtinuit pro ſingulari vnius, vel alterius ſenſus functione, quam quælibet alia creatura. Nec locum habent, quæ Ariſtoteles lib. de memoria, & reminiſcentia cap. 1. protulit, in B. Virgine, ait enim: *Magna ex parte, qui obtuſo ingenio ſunt, memoria magis florere; qui verò acuto, ac perſpicaci pollent ingenio, non ita memoria vigere.* Siquidem in Virgine Deipara ingenium acre, & ſubtile cum ingenti memoria coniunctum fuit. Memini me huic argumento, etiam in ſententia oppoſita, quæ vnicam ſolum admittit internam facultatem, feciſſe ſatis in ſuperioribus.

Ariſtot.

CERTAMEN IV.

Dum in corpore mortali Viatrix exſtitit B. Virgo, omni conatu, ac vi ſuarum potentiarum operata fuit.

945. PRimum pro certo ſtatuo, nullum Iuſtum in vniuerſum loquendo reperiri, qui aliquando, vel ſæpè non deficiat aliquantulum in cooperando cum diuina vocatione ſufficienti, vel ipſi, non conſentientem, vel ex parte ſua nullum conatum adhibentem, vel reſiſtentem, vel minus cooperantem, quàm ipſe poſſet cum eadem gratia, vt ipſa experientia Magiſtra edocemur: Et quidem id prouenit ex humanæ fragilitatis indole; Non tamen ideò tenetur Deus alicui ſubtrahere inſpirationem, quam præuidet non illi futuram congruam, & efficacem; Nec expedit, vt illas vocationes ſufficientes impediat, neque etiam vt ſemper illas ſpecialiter iuuet, vt congruæ ſint, fructuque non euacuentur; Ideò ſpecialiſſimum hoc priuilegium, ac rariſſimum ſoli B. Virgini deferendum. In hanc rem faciunt verba Vaſq. tom 2. in 3. part. diſput. 117. cap. 7. *Quidquid dignitatis, & honoris tribuere poſſumus B. Virgini, minimè pugnans cum ſacra Scriptura, cum dignitate Filij, aut cum Eccleſiæ traditione, abſque dubio ei tribuere debemus.* Et Suar. tom. in 3. part. diſp. 2. ſect. 2: ait: *Negari non poſſe ſine temeritate perfectionem corporalem Deipara, ita eſſe ſublimem, vt in ſua ſpecie & ſexu maximè ſit perfecta, vt tenet omnium Patrum ſententia.*

Vaſq.

Suar.

Nihilominus quiſpiam opinari poſſet, non oportuiſſe B. Virginem liberos actus ſemper elicere toto conatu naturæ & gratiæ, aut quod in fine vitæ vnico actu ſuperauerit gratiam, & merita totius vitæ ſuæ, ſed ſat eſſe, interdum aut frequenter adiutam, ſpecialiſſima Dei motione, duplicaſſe gratiam toto conatu: Hinc enim etiam aſſurgeret innumerabilis penè cumulus augmenti gratiæ: Quemadmodum, ſi in prima ſede fritilli, vulgo *Axadrez*; vbi ad ludum latrunculorum ſunt 64. ſedes; ponatur granum tritici, & ſemper duplicetur in ſequenti ſede, aſſurgit ferè infinitus numerus granorum, & modiorum tritici: huic opinandi modo adhæret P. Henriquez lib. vlt. de fine hominis cap. 10. num. 9. idemque docet de Chriſto D. Fauet Vaſquez tom. 2. in 3. part. diſp. 119. cap. 6. num. 55. ait enim oppoſitam ſententiam nullo firmo niti fundamento. Verùm cùm oppoſita ſententia non pugnet cum ſacra Scriptura, nec cum dignitate Filij, aut cum Eccleſiæ traditione, proculdubio Virgini Deiparæ deferre debemus, quidquid dignitatis, & honoris poſſimus, ipſo Vaſq. ductore, vt ſupra vidimus.

Henriq. Vaſq.

Cenſeo igitur B. Virginem ab inſtanti Conceptionis, vſque ad extremum vitæ tempus ſemper operatam fuiſſe omni conatu, ac vi potentiarum, & gratiæ, ac vocationis ſibi collatæ. Ita expreſsè Suarius tom. 2. in 3. part. diſput. 18. ſect. 2. item tom. 3. de gratia lib. 9. cap. 6. num. 11. vbi ait toto vitæ tempore, ac de omnibus, & ſingulis actibus adæquatè fuiſſe cooperatam B. Virginem vocationi, & auxilio diuino ſibi oblato. Chriſtophorus de Caſtro in vita Deiparæ lib. 2. cap. 10. & alij recentiſſimi Doctores, quibus ſuffragium ferre videtur Bernardus homil. 2. ſuper *Miſſus eſt*; vbi poſtquam latè per amœniſſimum Virginearum laudum campum ſpatiatus eſt, ſic perorat: *Alioquin quomodo Angelus in ſequentibus gratia plenam pronuntiat, ſi quidpiam, vel parum boni, quod ex gratia non eſſet, habebat.* Contendit ergo Bernardus, nihil in B. Virgine viatrice extitiſſe quod gratia non eſſet, imò nihil parum boni, ſed totum magnum: nihil enim in gratiæ plenitudine non bonum, nec parum boni, ſed plenum bonum oportebat reperiri, quia paruitas boni in vnaquaque B. Virginis operatione indecens, & tanta Virgine indigna cenſebatur à D. Bernardo, cui conſonat minor Bernardus, Bernardinus Senenſ. ſermon. 51. capit. 3. *Nihil*, ait, *vnquam elegit Maria, niſi quod ei ſapientia diuina demonſtrabat; tantumque ſemper dilexit eum, quantum à ſe diligendum exiſtimauit.* Pro his ſtat Richard. de S. Victore lib. 2. de Emanuele, cap. 28. dum docet, ſolam B. Virginem inter puros homines impleuiſſe in hac vita omni ex parte præceptum illud: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, & ex tota anima tua.* 946.

B. Virgo ab inſtanti Cõceptionis vſque ad vitæ finem omni vi potentiarum ac gratia operata fuit.

Suar. Chriſtoph. de Caſtro.

Bernard.

Bernardin.

Richard. de S.Victor.

Luc. 10. 27.

Itaque B. Virgo maximam, quam potuit gratiam phyſicè conſequi, aſſecuta fuit; ita Hurtado Salmanticenſis de fide, ſpe, & charitate diſp. 149. §. 5. Probatur, quia Deipara quanta gratia excitante vocata fuit, ipſi reſpondit, ita vt tota contentione, ac totis animæ viribus operata fuit actus virtutis, nunquam in illa gratia otium paſſa fuit per ſocordiam, quo priuilegio ſola Maria gauiſa fuit; Reliquæ Virgines etiam prudentes ad minus dormitauerunt aliquantulum, ſola Maria iugi bonorum actuum vigilia ſtetit. Quòd ſi intenſiores actus non exercuit, id non ſocordiæ vertendum, ſed diuinæ voluntati eligenti eam ad tam ingentem gratiæ cumulum, non ad maiorem. Idem adſtruit Suar. tom. 2 in 3 p. diſput. 18. ſect. 2. §. *Dico ſecundo* & ſect. 4. vbi ait: *Actibus penè infinitis ex toto conatu, & efficacia ſua gratia, & charitatis elicitis gratia augmentum penè immenſum promeruit.* Addunt plures B. Virginem in omni actu intellectus, ac voluntatis ſecundum omnes vires 947.

B. Virgo maximamquam potuit gratiã phyſicè conſequi, aſſecuta fuit.

Petr. Hurt.

Suar.

naturæ, ac potentiæ, tum & gratiæ, id est iuxta omnem intensionem habituum supernaturalium, quibus erat fulta, tum & auxiliorum actualium, quibus perpetuò præueniebatur, operatam fuisse.

948. *B. Virgo citato cursu, summa animi contentione ad omne bonum quasi vectantibus quadrigis ferebatur.* Cant. 1.

Hinc factum forsan quòd Sponsus conferat Mariæ gressus cum curribus. *Equitatui meo assimilaui te.* Cant. cap. 1. Bigis, Quadrigisque vectantibus, quod ad promptitudinem sine labore, ac lassitudine rectè aptabis cum Cyrillo ad eum locum. Quasi diceret Sponsus; ad tantum meritorum cumulum non labor te, quasi peditem lassitudine fractam ducet, sed per gratiam diuinam, tanquam in quadam placidissima lectica veheris voluntate, ac intellectu ad omne bonum citato cursu, id est summa animi contentione, ac potentiarum nisu, & intensione; præcipuè cùm nihil contra niteretur appetitiones aliquę sinistræ, nullus fomes ad malum, nullæ penitus difficultates obuiæ viriatæ in nobis naturæ cursum felicissimum retardare possent; imò fomes virtutum, potentiæ ad bonum pronissimæ, habitus naturales, auxilia gratiæ, assidua protectio intrinseca, & extrinseca Dei, tanquam rotis voluentibus currum, equis calcaria ad celeriorem cursum admouebant. Huc collimabat Salomon Prouerb. 3. dum ait de Virgine in sensu mystico: *Viæ illius, viæ pulchræ, & omnes semita illius pacifica.* Alij transferunt: *Et axes eius pacifici.* Axes pro curribus posuit per Synecdochen, vt notat ad illum locum Salazar. Hunc ergo sensum erues; Currus quibus B. Virgo ad meritorum culmen elata fuit, erant ferrei ad bella parati, tormentis bellicis instructi, hostes debellaturi; sed erant currus pacifici, iuxta illud Psalmi: *Et factus est in pace locus eius.* Erant currus triumphales ad nuptias dispositi, ad deambulandum inuenti, quia B. Virgo sine vllo labore, ac renitentia, sine vlla, vel animi, vel corporis defatigatione, sine vlla prauorum affectuum ad malum stimulantium appetitione, imò cum summo gaudio, & oblectatione virtutum omnium actus intensissimos eliciebat, ac quasi curru placidissimo euecta per arduos virtutum cliuos, tanquam per iter planissimum gradiebatur.

Prou. 3.

Psalm. 75. 3.

949. *Maria ab instanti Conceptionis tota meridies sine vespere.* Gen. 1. Petr. Dam.

Elegantem huius rei typum nobis præmisit Moyses, dum adscribit reliquis Iustorum diebus, mane, & vespere; at diei septimo, videlicet sabbatho Virgini Deiparæ sacro, nec vesperum, nec mane concessit, solùm ait; die septimo requieuisse Deum ab omni opere quod patrarat. De reliquis autem diebus, *factum est vespere, & mane dies vnus,* & sic de aliis; quod subtili calamo ponderans Petrus Damianus lib 2. epist. 5. hæc habet: *Ad similitudinem Melchisedech Sacerdotis, etiam Sabbathum Moyses introducit, id est sine Patre, sine Matre, sine aurora, & vespera.* Sed cur ita Sabbathi initia non recensentur, silentur exordia, initium & finis supprimũtur? Nempe quia Iustorum cæterorum vita, tanquam dies pedetentim lucescit, sicut Aurora, eorum initia parum lucis habent, moxque quasi lux splendens procedit, & crescit, vsque ad perfectum diem: At Mariana lux statim atque assurgit licèt continuis auctibus gratiæ, cæterarumque virtutum accresceret, tamen claritas & splendor illius, etiam in primo Conceptionis momento ita coruscabat, vt reliquorum Iustorum Meridiem luce, ac iubare superaret. Aptè igitur dies Deiparæ sine vespere, & mane describitur, quia totus lucidus, totus meridies.

Quod verò Virgo Deipara omni motioni, & gratiæ sibi à Deo collatæ responderit, efficaci probatione suaderi potest; Quia nihil in B. Virgine fuit, quod eam impediret, aut retardares, quominus diuinæ gratiæ cooperaretur quantum posset, quia caruit fomite ad malum, neque habuit vllam potentiarum deordinationem: Ergo ex nullo capite colligi potest Virginem Deiparam aliquando diuinæ gratiæ, non respondisse, ipsique cooperatam non fuisse quantum poterat secundum mensuram diuinæ gratiæ, quæ illi conferebatur. Roboratur hæc ratio, quia Virgini Deiparæ deferenda est illa sanctitas, ac perfectio moralis, quæ omnibus suis numeris constet, hæc autem sita est in eo, quòd non solum omnis culpæ labe vacet, etiam obreptitiæ, sed vt amplectatur, & præstet id quod in vita spirituali melius ac perfectius est, in quo residet vitæ spiritualis, optimorúmque morum apex, & coronis, nullum autem ædificium perfectum est, cui nondum coronis imposita. Itaque totius perfectionis vitæ spiritualis norma est, vt in omnibus diuina consilia amplectamur. Cuius rei illa est optima, & adæquata ratio, quoniam quemadmodum Deus finis est noster adæquatus totalis, & vltimus in cuius assecutionem toti insistimus, ita regula nostræ perfectionis nulla esse potest, quàm omnimoda diuinæ voluntatis expletio: sicut enim Beatitudo perfecta in eo sita est, quod intellectione assequamur, & teneamus diuinam essentiam, quæ in intellectione consistit, ita perfectio nostra sita est in eo quod voluntate nostra, voluntati diuinæ conformemur, & adhæreamus, quod Christus D. à nobis deposcebat Matth. 5. *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Videlicet ea omnia, quæ voluntati Dei gratiora nostis, voluntate vestra executioni mandantes. Quæ omnia rectè in B. Virginem quadrant, cuius amor in Deum feruentissimus id omne deposcebat. Erat enim ignitæ cuiusdam naturæ, ignis autem semper operatur secundùm omnem conatum, dum nullum contrarium obster. Matth. 5.

950. Deinde à paritate aliam non minus efficacem probationem propono Quia quidquid perfectionis in genere gratiæ sanctificantis alicui puræ creaturæ dilargitum est, rationi dissonum est B. Virgini denegare, sed Angelis in via hæc gratiæ perfectio collata fuit, vt omni conatu motioni diuinæ responderent, ipsique cooperarentur, vt docet D. Thom. 1. part. q. 62. art. 6. & Suar. de Angelis: ergo eadem gratiæ perfectio B. Virgini non est deneganda: quamuis enim eam Angeli naturæ nobilitate antecellerent, tamen gratiæ sublimitate Deipara illos longè superabat, quæ cum Deum diligebat, iugiter autem diligebat, & sine interceptione aliqua; semper operabatur ex toto charitatis conatu, & gratiæ tam habitualis, quàm actualis, seu mouentis; destinata enim erat, vt super omnes Angelorum choros sedem suam reponeret. Quare melius Deipara de se, quàm Paulus de se ipso profari poterat 1. Cor. 15. *Gratia eius in me vacua non fuit.* Confirmatur hæc ratio, quia id attribuunt aliqui cum D. Thom. 1. part. q. 95. art. 4. primis Parentibus ante lapsum, possent enim diuinæ gratiæ omni conatu respondere, nihil enim in illo felici statu aderat, quod illos à perfectissimo eiusmodi operandi modo retardare posset, cùm omnis sinistra affectio procul abesset, fomes peccati nullus contradiceret, nullàque in malum propensio ad peccatum prolecta-

D. Thom. Suar.

1. Cor. 15. D. Thom.

rer. Sed hæc omnia similiter procul exulabant à B. Virgine: ergo illi deferendus est perfectissimus hic operandi modus, & quidem sicut mali Angeli, tota sua potestate, & conatu vocationi diuinæ restiterunt; sic Maria totis viribus, omnique conatu vocanti Deo respondit ipsique cooperata fuit.

951. Huc spectat disceptatio illa, qua aliqui Theologi contendunt B. Virginem semper operatam fuisse intensiori conatu, quam esset habitus gratiæ, & charitatis;& inde gratiæ augmentum sibi adeptam;etiam in illorum opinione, qui adstruunt per opera tantùm intensiora ipso habitu gratiam adaugeri: Addunt B. Virginem semper respondisse diuinæ gratiæ ipsique cooperatam secundum omnes vires iuxta mensuram gratiæ ipsi collatæ, cùm id Priuilegium concessum fuerit, etiam aliquibus hominibus pro aliquo vitæ ipsorum tempore, vt Paulo, ac Petro, & aliis Apostolis præcipuè post Spiritus sancti descensum, & aliis sanctitate, & virtute conspicuis: ergo idem de B. Virgine censendum est, de toto ipsius vitæ tempore, præsertim cùm in B. Virgine nihil concipi possit, quod hunc perfectum operandi modum impedire, vel retardare posset. Nec obstare potest quòd B. Virgo non solum operibus ab habitu charitatis elicitis promeruerit, sed etiam quouis alio bono opere auair habitum gratiæ, & charitatis, licèt ea fine aliarum virtutum operaretur: hoc, inquam, non obstat, quia simul ex fine charitatis virtutis Theologicæ operabatur semper; etiam per quemcumque actum à quauis virtute elicitum siue imperatum: tum quia per actus aliarum virtutum operabatur omni conatu per gratiam sibi collatam. Quamuis autem B. Virgo actibus æquè intensis, vel etiam remissioribus gratiam, & charitatem augere posset, vt ait Vasquez citatus, tamen æquum erat, vt Virgo Deipara operaretur perfectiori modo, quo posset, iuxta mensuram auxiliorum, ac gratiæ sanctificantis ipsi exhibitæ, præcipuè cùm id concedatur Angelis, & aliis per aliquod vitæ ipsorum spatium, nullum autem priuilegium maximè in genere gratiæ sanctificantis alicui creaturæ putæ deferri debet, quod potiori iure B. Virgini non sit concedendum. Vnde non video qua ductus ratione P. Vasquez deneget ea auxilia gratiæ Virgini Deiparæ, per quæ intentius semper operaretur, quàm esset habitus gratiæ, & charitatis in eadem Deipara. Quod cùm ita sit, quantus erit meritorum numerus, & cumulus in Maria, non solum frequenter duplicatus, sed in quolibet vitæ mortalis momento iugi actuú repetitione, absque vlla intermissione, aut remissione, à primo sui conceptus instanti; per spatium 63. annorum, vel iuxta veriorem supputationem, totis septuaginta duobus annis, quibus in hac vita mortali permansit.

PALÆSTRA XII.

De Scientia B. Virginis in communi.

952. Cant. 1. Philipp. Ab. Cientiarvm omnium B. Virginis affluentiam decantat cœlestis Sponsus Canticor. 1. si credimus Philippo Abbati in Cant. *Sponsus, ait, Virginis non incongruè Rex vocatur, dum dicitur, introduxit me Rex in cellaria sua, quo nomine eius potentia, & abundantia commendatur, qui etiam non Cellarium, sed habere Cellaria memoratur, vt eius longè maior esse copia doceatur, quia enim in Cellariis, quàm in Cellario plura certum est contineri, in multa potius, quàm in vnum Virgo se perhibet introductam; innuens se absconditos sapientiæ, & scientiæ thesauros assecutam.* Vtitur igitur numero plurali, quo scilicet multiplicem notitiam ex inexhausto illo scientiarum omnium fonte exhaustam aperiret. *Maria omnia scientiarum Dei promptuaria dicitur exhausisse. Amad.* Omnia igitur scientiarum Dei promptuaria spoliauisse dicitur Maria; nihil ergo mirum videri debeat, si eam cunctos homines, & Angelos scientia, ac sapientia excelluisse seriò affirmauerimus. Huc spectat S. Amadæus in suis raptibus cap. 9. §. 23. vbi ex persona Gabriëlis de B. Virgine ita fatur: *Tunc, id est in puncto Conceptionis, Deus Noster magnus, & potens creauit animam Mariæ habentem omnia dona, omnem scientiam, sine omnes habitus, & similitudines rerum omnium, sicuti nos, qui accipiendo vnam similitudinem, diuinæ scilicet naturæ, omnium rerum similitudines accepisse dicimur.* Per quæ verba docet concreatas accepisse species, quibus non minus perfectè, quàm Angeli viatores Deum, ac res omnes agnosceret. Hanc ergo Marianam scientiarum omnium affluentiam discutiendam aggredimur, non perfunctoriè, sed pluribus Palæstris iuxta plurium scientiarum Marianam mentem exornantium considerationem.

CERTAMEN I.

Vtrùm B. V. à primo suæ Conceptionis momento, perfecto rationis vsu polluerit.

953. D. Thom. Disceptatio hæc expeditum nobis apparabit iter, ad ea omnia, quæ tota hac Palæstra de scientiis B. Virginis, quæ ipsius mentem exornarunt, enodanda suscipimus. S. Thom. 3. part. quæst. 27. art. 3. B. Virgini denegat in Matris vtero rationis vsum, ne Christi gloriæ detoget: Ait enim hoc specialissimum priuilegium soli Christo exhibitum fuisse. Verùm hæc ratio nihil obstat, nec aliquid Christi gloriæ detrahitur, imò ipsius honos *D. Thom. denegat B. Virgini rationis vsum, dum in Matris vtero delituit.*

 adaugetur,

adaugetur, ſi Matrem in huius priuilegij, ſicut & aliorum conſortium vocet.

Tutantur partem affirmantem, quod ſcilicet à primo Conceptionis inſtanti Virgo B. perfecto rationis vſu viguerit S. Bernard. Senen. tom. 2. ſerm. 51. art. 1. cap. 2. Iacobus de Valentia ſuper Canticum *Magnificat*, Caietan. citari etiam ſolet 3. part. quæſt. 27. art. 3. Viguer. de Iuſtitia Theolog. capit. 5. §. 8. verſ. 9. Salmeron. tom. 3. tract. 12. Azor, tom. 2. Inſtit. Moral. lib. 1. cap. 17. quæſt. 5. qui addit in primo temporis momento, quo fuit in vtero Matris concepta, diuinam gratiam, & ſanctitatem accepit per liberum voluntatis conſenſum, quo ſe ad recipiendam gratiam diſpoſuit. Pro eadem ſententia acriter decertat Vaſquez in 3. part. tom. 2. diſtinct. 119. capit. 3. Suar. tom. 2. in 3. part. diſput. 4. ſect. 7. Barradas tom. 1. lib. 6. cap. 3. Salaz. de Concep. cap. 32. à num. 39. iterum Vaſq. in 1. part. diſt. 134. cap. 3. Lucero in defenſione pro Immaculata Virginis Conceptione. Sed libet hic contra Caietanum aduertere, ſi enim ipſe admittit B. Virginem in primo Conceptus inſtanti vſu rationis fuiſſe præditam; deinde cum S. Thoma, & vniuerſa Schola Thomiſtica, docet puerum, ſtatim atque rationis vſum attingit teneri, ad Deum aliquo virtutis actu conuerti, quod ſi non præſtet, lethaliter delinquere. Modò ſic: Virgo B. in momento ſui conceptus perfecto rationis vſu gaudebat: ergo vel proprium aliquem virtutis actum elicuit, quo ſe conuerteret ad Deum; vel nullum elicuit: ſi primum aſſeras; ergo in inſtanti conceptionis iam exſtitit in gratia Dei amica, nullo peccati originalis næuo maculata: Si autem ſecundum affirmaueris; ergo B. Virgo lethaliter deliquit contra præceptum diuinum naturale, ſe ad Deum conuertendi, vbi primum rationis lumen affulſerit; quod non ſolùm dicere, ſed & cogitare nefas eſt: ac proinde ex ſententia Caiet. euincitur Virginem Matrem in primo ſui Conceptus inſtanti gratia decoratam extitiſſe.

Bern. Sen. Iac. de Val. Caietan. Viguer. Salmer. Azor. Vaſquez. Suar. Barrad. Salaz. Lucero.

Ex doctrina Caiet. euidenter euincitur B. Virginem abſque labe conceptam, contra ipſum.

954. Habuit ergo Deipara ab inſtanti Conceptionis perfectum rationis vſum à phantaſmate dependentem, atque adeò ſcientiam ex ſuo genere acquiſitam; per accidens verò infuſam, nobiliorem tamen, & vniuerſaliorem quàm fuit ſcientia Adæ, Salomonis, & aliorum in vltimo gradu quem conſecuti ſunt, vel in poſterum conſequentur. Ad cuius theſis intelligentiam, & probationem ſuppono cum Medicis potentias, quæ vocantur ab illis miniſtrantes, nempe attractiuam, retentiuam, coctricem, & expultricem; tum, & facultates miniſtratas, quæ ſunt nutritiuæ, & aliæ, in Maria præditas fuiſſe omnibus perfectionibus in ſuis muneribus obeundis, quas natura conferre potuit. Modò ſic: Ea quæ hebetudinem in pueris circa intellectionem afferunt, ſunt excrementa, & ſubſtantiæ excrementitiæ, quæ temperamentum euertunt, & phantaſmata interturbant, & offuſcant; atqui hæc impedimenta à Maria procul aberant, etiam in Vtero Materno exiſtente: ergo perperam intellectio perfecta denegabitur. Minor ſuadetur, quia potentiæ miniſtrantes in Maria erant perfectiſſimæ: ergo rectè ſuum munus obibant, atque adeò potentia concoctrix alimentum exactè digerebat, & aptabat, poſtea nutritiua illud conuertebat in ſubſtantiam aliti; præcipuè cùm nihil aliud eſſet alimentum, quam vel puriſſimus, ac defæcatus ſanguis, vel lac inſolitum, & admirandum, vtpote ſenilis fœminæ; vnde ab omni excrementitia materia ſecretum, & in quantitate ita ſobriè acceptum, vt nihil ſuperfluum redundaret: quòd ſi aliquid ſupereſſet, quod in vltima elaboratione deberet, tanquam excrementum diſpelli, id fuit in tam exigua quantitate, & adeò extenuata, & à calore ita ſubtiliter diſpoſita, vt facultas expultrix robuſta facilè eam expelleret, eámque abiiceret; ac proinde nullum aſſignari poteſt impedimentum, quod perfectæ Marianæ cognitioni adhuc in prima formatione poſſet officere: Omnis quippe optimi intellectus felicitas ſita eſt, Authore Peramato lib. de temperament. cap. 22. in perfectione temperamenti: hoc autem quàm fuerit perfectum, & abſolutum fusè diſputauimus ſuprà. Imò plures Doctores in ea ſunt ſententia, vt aſſerant æquè perfectum diſcurſum, & intellectionem in inſtanti ſuæ formationis elicuiſſe B. Virginem, ac reliquo vitæ tempore: nam ex parte potentiæ eadem aderat eſſentialis perfectio, & acumen; temperamentum idem quoad iuſtitiam, & prout cerebro debebatur ad ea munera obeunda; facultates etiam naturales ad coquendum, & expellendum, ſi quid ſuperflueret, eandem iam retinebant perfectionem; habuit deinde reliquas omnes diſpoſitiones, & organa requiſita, quæ organa, quia ſimul exigunt per connaturalem connexionem, & ſympathiam potentiarum reliquorum organorum totius corporis perfectionem; ideò in eodem inſtanti ſummè perfectum exſtitit eius corpus in debito numero, quantitate, ſitu, figura, ac temperie, quoad intrinſeca ad operationum omnium perfectionem. Quæ omnia confirmari poſſunt plurium Scholaſticorum ſuffragio arbitrantium, infantes paradiſi à primo conceptu perfectam intelligentiam phantaſmati connexam habituros. Sic problematicè docet Ioan. Baſſol. in 2. diſt. 20. Marſil. in 2. q. 13. art. 3. Eſtius in 2. diſt. 20. § 4. Rationi igitur valde conſentaneum fuit, & excellentiæ tantæ Virginis, vt nullum inſtans vitæ B. Virginis abiret, in quo Deum non ſuſpiceret, agnoſceret, ac diligeret, & diſponeretur ad tantum Maternitatis munus. Hæc enim cognitio B. Virginis eo tempore potiſſimum circa Deum, & res diuinas verſabatur, nempe beneficum, ac tantorum munerum largitorem Deum agnouit, eique de tantis beneficiis gratias tota animi contentione referebat. Hoc autem fieri potuit per actum fidei perfectiſſimum, vel per ſcientiam ſupernaturalem infuſam myſteriorum Fidei: potuit etiam Deus conferre B. Virgini aliquas ſpecies per ſe infuſas, vt per lumen Fidei, & per ipſas ſine dependentia à phantaſmatibus perciperet obiecta, vel etiam potuit ita roborare imaginatiuam, vt ſimul cum illa operaretur, qua de re conſulendus Suar. tom. 2. in 3. part. diſputat. 8. ſect. 7.

B. Virgo ab inſtanti ſuæ Conceptionis perfectũ rationis vſum obtinuit.

Peram. Baſſol. Marſil. Eſtius. Suar.

955. Noſtrum Aſſertum roborari poteſt à ſimili, quia Ioannes Baptiſta in vtero Matris ſtatim atque gratiam ſanctificantem nactus fuit, ſimul donatus fuit vſu rationis; imò proprio actu, & conuerſione ad Deum ex auxilio gratiæ ſanctificationem obtinuit: ergo B. Virgo, quæ in momento Conceptionis ad gratiæ faſtigium euecta fuit, per proprium actum, qui vſum rationis expoſcit perfectiſſimum, illam ſanctificationem aſſecuta fuit. Antecedens multis probat Vaſq. tom. 2. in 3. part. diſtinct. 119. cap. 3. in quam ſententiam conſpirant, tum Græci, tum Latini Patres ex illo Luc. 1. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* In quæ verba

Ioannes Baptiſta in vtero matris præditus fuit vſu rationis.

Vaſq. Luc. 1. Ambroſ.

(Ambros.) ba S. Ambros. lib. 1. in Luc. ait: *Habebat intelligendi vsum, son sonsum, qui exultandi habebat effectum.* Idemque confirmat lib. de Inst. Virg. cap. 13. & lib. 2. de Virgin. & lib. 4. de fide ad Grat. cap. 4. (S. Leo.) S. Leo, serm. 10. de Natiu. *Præcursor*, ait, *Christi Spiritum prophetiæ intra viscera Matris accepit, & nondum editus Genitrici Dei signa exultationis ostendit.* (August.) Idem stabilie S. August. libr. 2. de consensu Euaog. cap. 15. & in otat. de 5. hæresibus cap. 14. Scio autem S. Augustinum epist. 57. ad Dardaoum, & D. Thomam 3. part. quæst. 27. art. 3. de hoc placito subdubitare; exponitur tamen à Suar. citat. S. Aogust. & S. Thomas à Caietano, quasi non assertiuè, sed aduersatiuè locutus fuerit. Vide Vasquez vbi S. August. rationem, & exemplum allatum disertè infringit, quatenus aduersator communi senteotiæ. Idem canit Ecclesia: *Senseras regem thalamo manentem.* (Maldonat.) Consule Maldonatum in (Barrad.) cap. 1. Luc. Batradam tolo. 1. lib. 7. cap. 12. Hîc quæri solet à Theologis, vtrùm vsus rationis concessus B. Virgini in momento suæ conceptionis (Caiet.) permanserit toto vitæ tempore? Caietanus apud Vasquez tom. 2. in 3. part. disp. 119. cap. 4. num. 53. putat speciale fuisse priuilegium solius Christi, vt à primo instanti suæ conceptionis, & deinceps toto infantiæ tempore integro rationis vsu floruerit; subditque B. Virgini, & Ioaoni Baptistæ pro eo momento solùm collatum, oon verò pro reliquo infantiæ tempore. (*Rationis vsus concessus semel B. Virgini, toto vitæ tempore permansit.*) Contrarium tamen, tanquam certum amplecteodum est, præcipuè de B. Virgine, cum Theologis; imò de Ioanne Bapti- (Tolet.) sta affirmandum censeo cum Toleto in Luc. 1. (Origen.) Annotat. 123. Orig. hom. 10. io Luc. Maldonato (Mald.) suprà citato, Vasquez cit. Tito Bostrensi in cap. 1. (Vasq.) (Tit. Bost.) Luc. ad illa verba: Et tu puer Propheta Altissimi vocaberis. *Hîc*, ait ille, *Sanctus Pater planè asseuerat, iam tunc admirabiliter præter communem rerum ordinem, plenum rationis, sensuumque vsum sortitum fuisse.* Nec illud rationi consentaneum alicui videri possit, Ioannem io vtero mattis rationis vsum assecutum fuisse, & postea eo fuisse priuatum, cùm sancitum sit iure Canonico, de regulis iuris in 6. Principis beneficium, ac priuilegium decere permaneos esse, ac stabile: quod potiori iure io Dei beoeficentiam cadit, qui noo dat ad pœniteotiam, vt donata semel, iterum auferat; vt (Suar.) bene animaduertit Suarius lib. 12. de Trinit. c. 4. & tom. de Euch. disp. 2. sect. 2. §. *Dico secundo.*

956. (*Ioannes Baptista per proprium actum quo se disposuit primam gratiam accepit.*) Hinc elicies B. Virginem, ac S. Ioannem diuersa ratione à reliquis paruulis gratiam accepisse: non, inquam, more cæterorum per infusionem gratiæ habitualis, sed proprio actu cōuersioois in Deum, more adultorum, & qoidem de B. Virgine alibi ex professo docemus in instanti conceptionis, more Angelorum, ac primotum Parentum propriis actibus, se in receptionem gratiæ disposuisse; adeóque iam tunc perfectæ rationis compotem fuisse. Quòd autem S. Ioanoes proprio actu iustificationem fuerit assecutus, innuuot verba illa (Luc. 1.) Luc. 1. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo.* (August.) S. August. epist. cit. 57. censet motum illum, quo Ioannes in vtero exiliit, non oaturæ ductu, sed diuinitus contigisse. *Sed hæc*, inquit, *planè inusitata, & noua exstitit, quia in vtero, & ad eius aduentum, quæ hominum Saluatorem erat paritura, ideò mira, ideò magnis signis deputanda, ideò hæc exultatio, tanquam Matri Domini reddita resalutatio, tanquam solent miracula fieri, facta est diuinitùs in infante, non humanitùs ab infante.* Verùm disquiritur inter Catholicos, vtrùm Ioannes, actu proprio, ac fide Christi existentis io vtero virgineo exultauerit, an solùm diuinitùs motum illum ad modum exultantis elicuerit, vt illa gesticulatione ostenderetur, parentes Ioaonis cognouisse fide diuina Saluatorem? (August.) S. Augustinus cit. verbum illud, *in gaudio*, oon ad gaudium infantis, sed mattis detorquet, neque Ioannem exiliisse ex gaudio proprio, quia scilicet actu fidei Christum agnouerit in visceribus Virgiuis Mariæ latitantē. *Ideò* ait August. *non dicitur, exultauit in fide infans in vtero meo, sed exultauit in gaudio. Videmus autem exultationem, non solùm paruulorum, sed etiam pecorum, non vtique de aliqua fide, vel religione, vel quacumque rationali cognitione venientem.* Et aliis interpositis sententiam suam stabilit exemplo ducto à duobus fratribus Iacob, & Esaü, qui in vtero materno inuicem colluctabantur; cùm tamen nullius diuinæ rei, ac supernaturalis fidem (Eucher.) habuerint. Cui senteotiæ adhæret etiam Eucher. (Ians.) quæst. 3. in Luc. & alij, cum Ianseoio cap. 4. Concordiæ Euangelicæ, & confirmari potest ex verbo Greco [illegible], quod idē sonat ac *exultauit*, & aptari potest brutis. Verùm sententia à nobis suprà proposita est communis inter Patres, vt vi- (Irenæus.) dimus, quibus nunc adiungo S. Irenæum lib. 3. aduersus hæreses cap. 17. *Ioannes*, inquit, *cùm adhuc in ventre matris suæ esset, & ille in vulua Mariæ Dominum cognoscens salutabat.* Quod autem fieri non possit iuxta naturam, infantem io vuluæ Matris delitescentem, gaudio exilire iostar vituli, & agni, certum est; nam hi exilire solent, quia gaudent ex aliqua sensus cognitione, atqui fieri non potest, infantem adhuc io vuloa matris clausum, sensationem aliquam exercere, ex qua gaudio gestiat, ideò mirum videri debeat S. Augustioum admisisse diuinitùs sensationem aliquam in Ioanne, ex qua gaudio tripudiauerit infans, cognitionem autem fidei ipsi denegauerit; si enim ex viribus naturæ, neque gaodium ex aliqua sensatione haustum sortiri potuit infans, sed ad miraculum confugiendum, vt gaudio illo exiliret; satius foret asserere diuinitùs factum fuisse, vt Ioannes in vulua clausus ex cognitione aliqua sopernaturali, qua Christum in Virgineo vtero latentem cognouit; gaodio exultauerit. (Psalm. 113.) Cùm autem Psalm. 113. dicuntur, *Montes* exultasse *sicut arietes, & colles sicut agni ouium.* Non ibi denotatur exultatio, quæ ex gaudio procedit; sed quia montana illa Synai, ex descensu Domini, & ex præsentia Altissimi ita tremebant, vt exilire (Exod. 19.) viderentur: Vbi enim habetur Exod. 19. *Erátque omnis mons terribilis valdè.* Legitur in Hebræo, *Et omnis mons valdè tremebat, & commouebatur.* De Ioanne autem Luc. 1. noo dicitur solum *exultasse*, quod etiam motibos insensibilibus montium aptari potest; sed dicitur *in gaudio exultasse*; ergo in ventre Materno delitescens aliquam habuit cognitionem, ex qua gaudium, exultatióque illa deriuaretur. Exemplum autem Iacob, & Esaü in vtero inter se colluctaotium, nihil obstat: oam illi sine sensu aliquo præeunte ex solo motu naturali inter se, vel calcibus rixari potuerunt, ex particulari Dei prouidentia, & dispositione, vt per mutuam fratrum pugnam duorum populorum diuisio porteoderetur. Sacer autem textus nequaquam asserit eos ex ira, quæ cognitionem aliquam præmittit, decertasse; benè verò docet de Ioanoe in gaudio exultasse, quod cognitionem aliquam denotat.

CERTA

CERTAMEN II.

Quot, & quæ genera scientiarum Marianam mentem exornauerint.

957. *Quadruplici scientiarum genere ab instanti Conceptionis exornatur B.Virgo.*

IN vniuersum quatuor scientiarū genera B.Virgini ab instanti conceptionis deferri solent. Nempe scientia visionis, siue Beata; sed de hac hîc nihil agemus, nam infra opportuniùs disputabimus. Alia est scientia per se infusa, qua attingere posset creaturas in proprio genere directè, & in se ipsis per proprias ipsarum species. Tertia est per accidens infusa, seu rerum naturalium, quà talium. Vltima est experimentalis, quam sensuum operationes inducere possunt.

B.Virgo donata fuit scientia per se infusa.

Scientia per se infusa dicitur illa, quæ proprio studio acquiri nequit, atque adeò solum à Deo indi potest. Sic species propriæ rerum spiritualium in nobis per se infusæ dicuntur, quia noster intellectus illas nequit producere, nec ab obiectis recipere. Hanc igitur scientiam deferendam esse B.Virgini affirmant Albert.Magn.super *Missus est* cap.149. 176. 177. 197. S.Bernardin. Sen. tom.2. ser.51. art.1. cap.2. Suar. tom.2. in 3.part. disp.18. sect.2. Salaz. de concep. cap.32. Ludouic.Torres in selectis centur.3. dub.14.

Alb Magn. Bernardin. Suar. Salaz. Torres.

Probatur primo, quia pertinebat hæc scientia ad dignitatem Matris Dei, multo melius quàm ad dignitatem primorum Parentum, vel etiam Angelorum: sed primis Parentibus, & Angelis in primo creationis instanti concedi communiter solet à Theologis, scientia per se indita: ergo & B.Virgini. Deinde plures ex Interpretibus prædictam scientiam concedunt quibusdam Prophetis transeunter, & alij cum Abulensi in 3.Reg.4. quæst.11. Salomonis scientiam per se infusam attribuunt. Subdo & alias coniecturas, vt assertum confirmem. Prima est, nam scientia infusa non indiget ministerio sensuum ad ipsius vsum, nec anima in eius exercitio subditur corpori: ergóne quotidiana miracula in B. Virgine coofingantur, dum neque in leuissimam aliquam culpam incidisse verissimè, ac constantissimè fatemur, opus erit, scientiam infusam in B.Virgine admittere, quæ iugi cognitione omnem, vel minimi peccati maculam præcaueret, ac propulsaret. Secunda. Quia altissima Deiparæ contemplatio, sublimisque rerum diuinarum cognitio à Patribus toties decantata deposcebat species proprias, & quidditatiuas rerum, quæ illas exprimerent ficut sunt, absque sensuum adminiculo; quin potius scientia indita Deiparæ antistabat scientiæ infusæ Angelorum: quamuis enim intellectus Angelicus entitate perfectior esset, cùm ex perfectiori natura promanaret, potuit tamen Deipara perfectiores species, & vniuersaliores sortiri, quibus Angelorum cognitionem longè superaret. Verissimè in B.Virgine enunciabis verba illa Ioannis 1. epist. Canonica: *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, vnctio enim vos de omnibus docebit.* Quæ verba aptat B. Virgini Carthus. de præconio B.Virginis art.1 & 2. vbi explicat quomodo Christus Dominus sapientiæ suæ oleum in Mariam effuderit. *Quemadmodum*, ait, *Sanctum sanctorum sanctissimam Matrem habere decebat, imò et, qui essentialiter sanctus est, tanta sanctitatis Genitrix debebatur, vt sub Deo maior esse non possit, sic prorsus Christum, qui est sapientia Patris, omnis sapientia fontana Origo sapientissimam, tantaque sapientia habere Matrem oportebat, qua nullus hominum in terris (eademque ratione de Angelis affirmare possem) posset esse sapientior: superaffluens enim fons sapientia Christus Dominus in quid fortius ageret, illuminaret, & sapientia vnctione transfunderet, quàm in propriam Genitricem? Ideòque vera Sapientia radios plenius ab ipsa sortita est, factáque est ei vti in sanctitate, sic in sapientia quoque quamsimillima.* Ex quibus verbis constat omnem sapientiam, quæ in puram creaturam cadere potest, reapse fuisse communicatam intellectui Mariano: vnde non solùm sapientior Adamo, Salomone, & Angelis seorsim sumptis exstitit, sed etiam coniunctim acceptis. Quod probat ratio à Dionys. Carthus. alibi à me iam expensa; nempe quia B. Virgo fuit omnibus simul sumptis sanctior; ergo & sapientior.

1.Ioan.2.27. Dion. Cart.

De hac scientia intelligendus Rupert. in Cant. ad illa verba Cant.1. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Quæ verba sic exponit inibi Rupert. *Et quæ sunt illa cellaria Regis Dei? nimirum sacra mysteria quæcunque continentur in Scripturis sanctis. Nihil enim à me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriauit. Qui enim Verbum suum, quod erat, & est in corde suo mihi totum infudit, quomodo non etiam cum illo omnia mihi donauit.* Vbi eruditus Abbas sapientiam Deiparæ infusam fuisse à Deo, & velut in libro quodam conscriptam non obscurè tradit. Neque solùm quæ in Scripturis sanctis continentur per sapientiam, & scientiam infusam indita sunt menti Deiparæ, sed etiam quæ ad alias scientias spectant; quippe in eam Deus, Pater Verbum suum illi totum infudit. Adhuc clariùs Damascenus fatur orat. 1. de Natiu. ait enim de Deipara: *Is qui omnia efficit Deus Verbum, quod Pater è pectore eructauit, librum nouum condidit Dei lingua à Spiritu tanquam calamo quodam in ipso scribendum.* Ac si Mariæ omnis scientia infusa, & Scripturarum sapientia tanquam cuidam libro impressa fuerit: cuius Author Deus, doctrina tota Dei sapientia, nempe Verbum diuinum, quæ exarata fuit Spiritus sancti calamo. Rursus per cellaria, Chaldæus apud Cornelium in citata Cant. verba; capit Secretarium Diuinitatis, diuinæque sapientiæ cellaria, in quibus Sponsus Mariæ Sponsæ ostendit arcana sua mysteria æquè ac bona recondita, quæ magna, & multiplicia sunt. Itaque à Maria nihil prorsus absconsum in Secretario Diuinitatis: imò Verbi infantis quasi scholaris facta ipsius sapientiam nobis visibilem, & manifestam fecit. Totum ergo Verbum diuinum, quod est tota sapientia Dei B.Virgini infusa fuit. Vtitur autem Rupert. consulto verbo *infudit*, vt innuat sapientiam, & scientiam infusam, quæ vim omnem intellectus creati supergreditur, de qua agimus in præsenti.

Cant.1. Rupert. Damasc. B. Virgo in secretarium diuinitatis introducitur à Deo diuinaque sapien. in cellaria. Chald.

Assero secundò. Hæc scientia per se indita in B.Virgine, fuit secundùm substantiam supernaturalis, quia Deipara, vt Viatrix debuit esse perfecta per scientiam eiusdem ordinis cum se ipsa, & suæ dignitati competentem; atqui Deipara vt Viatrix etiam erat ordinis supernaturalis, creaturarum omnium Domina, & supra rerum omnium naturalium ordinem, adeóque potens, ac debens elicere actus virtutum intrinsecè supernaturales; ergo opus fuit habere scientiam supernaturalem, qua res supernaturales in seipsis nosceret, & per quam simul cum prudentia supernaturali actus eliceret virtutum intrinsecè supernaturales, illósque dirigeret, ac moderaretur: hoic sententiæ 958.

Scientia infusa B. Virgini fuit supernaturalis in entitate.

Suar. sententiæ adhæret Suar. tom. 2. in 3. part. disp. 19. sect. 3. §. *Dico ergo primo.* Et probat, quia totus hic cognitionis modus est non solum possibilis, sed etiam facilis, nec superat limites Viatoris, siquidem in Viatoribus Angelis inuentus est: ergo multo melius B. Virgini defetendus est. Deinde multa priuilegia deferuntur Deiparæ, quæ supponunt hanc perfectam notitiam: Nempe quòd in primo conceptionis instanti propriis actibus disponeretur ad suam sanctificationem; Quòd tempore infantiæ floruerit vsu rationis, præcipuè circa res diuinas, & supernaturales; Item quòd tempore somni meritum non interrumperet, nec actum contemplationis; & amoris: Hæc autem omnia facilè intelliguntur fieri potuisse, existente scientia infusa supernaturali, sine illa autem commodè explicari nequeunt, sine miraculorum conglobatione. Denique, hac posita notitia in Deipara Viatrice, facilè percipi potest, illam nunquam intercepisse actualem diuinarum rerum contemplationem absque vllo corporis impedimento, aut defatigatione; in qua re displicet Vasquez tom. 1. in 3. part. disput. 52. sect. 1. vbi docet hanc scientiam duabus constare partibus, altera intrinsecè supernaturali, per quam cognoscantur obiecta supernaturalia; altera naturali, qua naturalia attingantur. Hæc igitur scientia tota fuit supernaturalis secundùm substantiam; quippe monstruum quoddam & chimæricum videtur, vnam eandémque scientiam, ex habitibus ordinis supernaturalis, & naturalis velle conflare. Præterea hæc non benè coalescunt cum Maternitate Dei, quæ ordinis est supernaturalis, cuius hæc scientia infusa censetur esse proprietas. Deinde tota hæc scientia per se indita longè superat illam, quæ Angelis iuxta natiuam capacitatem inditur, ad hunc autem excessum, non sufficit maior perfectio indiuidualis, aut intensiua, vel extensiua, adeóque necessaria est maior perfectio specifica: ergo tota hæc scientia superat natiuā capacitatem intellectus Mariani, ac proinde cōparatione illius non erit propensio, & facilitas, sed potentia. Cùm ergo hæc scientia nequeat esse intellectui Mariano natiua facultas, aut facilitas, neque poterit illi esse naturalis. Nec arridet modus opinandi Cardinalis Lugo de Incarnat. disput. 20. à num. 15. vbi in Christo, & in quolibet Beato duas ponit series cognitionum supernaturalium, duásque scientias per se infusas intrinsecè supernaturales; alteram à sensibus dependentem, & vtentem speciebus ab intellectu agente submioistratis; alteram independentem à sensibus, & vtentem solis speciebus à Deo inditis. Quod probat, quia Christus & Beatus quisque & ipsa Deipara duas habet scientias naturales, alteram dependentem à sensibus; alteram independentem ab illis: ergo similiter duas scientias supernaturales, vnam dependentem à sensibus; alteram independentem. Sicut enim in ordine naturæ neutra illarum scientiarum naturalium superflua est, sed debita perfectioni animæ corpori vnitæ, sic etiam duplex hæc scientia supernaturalis non est superflua, sed debita illi statui. Arbitror denegandam esse hanc scientiam secundam, quam adstruere conatur Lugo; tam in B. Virg. quàm in Christo, & in Beatis, adeóque vnam tantum scientiam per se infusam supernaturalem admittendam esse in B. Virgine. Moueor, quia illa secunda scientia, quam confingit Lugus, vtique est rerum supernaturalium, vel naturalium, vel vtrarumque simul in seipsis: at scientia secundùm substantiam supernaturalis perperam dicitur à sensibus dependere, cùm sit in se prorsus euidens, & vtatur similiter speciebus, per se infusis à Deo; cur ergo à sensibus dependeat, qui naturales omninò sunt, & ordinis inferioris. Quod inconueniens non apparet in duplici illa scientia naturali, vt per se patet, quare nulla est adducta consequentia argumenti pro Cardinali Lugo.

959. *B. Virgo prædita fuit scientia per se infusa naturali.* Præter hanc scientiam intrinsecè supernaturalem admittimus in B. Virgine tres scientias intrinsecè naturales, nempe per se infusam, per se adquisitam, & experimentalem. De scientia per se infusa intrinsecè naturali, suaderi potest; quia dignitas Matris Dei deposcebat modum perfectum cognoscendi independentem à sensibus, quem naturaliter habeot animæ separatæ, & quem conseruant ad corpus regressæ: ergo admittendum est in B. Virgine principium cognitionis eiusmodi se tenens ex parte potentiæ, quod vocatur habitus scientiæ infusæ per se, qui licèt sit naturalis, non valet vsu naturaliter adquiri: quòd verò hic habitus secundum substantiam sit naturalis, ex eo patet; quia debetur cuilibet animæ separatæ, vt tenet commonis Doctorum: dicitur etiam per se infusus, quatenus species impressa requisita ad actum productiuum ipsius habitus, nequit vsu comparari, sicut nec scientia infusa per se naturalis Angelorum: ergo sicut in his admittitur, & in Adamo; & saltem in Christo, eam admittunt Theologi, de quo vide Augustinum Bernal. de Incarnat. dispur. 33. sect. 2. §. 3. Bernal. Sic etiam admittenda est in Virgine Deipara. Quòd si eam scientiam vocaoeris supernaturalem quoad modum, quia indita fuit animæ Deiparæ nondum à corpore seiunctæ, non grauabor.

960. *Habuit B. Virgo scientiam per se acquisitam naturalem.* De scientia per se acquisita intrinsecè etiam naturali, etiam existimo eam fuisse in B. Virgine: dicitur per se adquisita, quia per vsum nostrorum actuum comparari potest. Probatur assertum, quia hæc scientia est magna quædam perfectio ordinis naturalis: ergo naturaliter debita animæ B. Virginis, sicut primis Parentibus in statu Innocentiæ. Deinde rationi conforme videtur, vt intellectus Marianus aliquem actum sibi proportionatum elicere posset, & ideò scientiæ naturalis per se adquisitæ. Præterea hæc scientia non pugnat cum scientia duplici per se infusa à nobis asserta, neque cum experimentali: ergo in intellectu Virgineo admittendæ sunt scientiæ quæ per se compatari poterant, vt potà Grammatica, Rhetorica, Logica, Mathematicæ, & sic de aliis: de quibus singillatim agendum infra.

Dices, hæc scientia per se adquisita vix distingui pureft à scientia per se infusa naturali: quòd si non differt, frustra admittitur simul cum illa; si verò differat difficulter assignari poterit ratio inter se differendi, cùm ambæ in entitate sint naturales, & circa eadem obiecta versentur: tum si detur discrimen inter illas, saltem imperfectior illarum omninò superflueret, quia quascumque veritates attingeret illa, iam pandit perfectior, modo etiam naturali. Nihilominus admittenda est duplex hæc scientia in B. Virgine, quæ essentialiter inter se differunt; quia per se infusa, est prorsus independens à sensibus, & phantasmatibus: at scientia per se adquisita, per se dependet: illa item excellentiori modo, hæc autem ignobiliori attingit obiectum, licèt idem sit. Id quod adiicitur, hanc scientiam per se adquisitam, licèt essentialiter

tialiter differat à per se infusa, protsus esse superfluam, quia nullam attingit veritatem naturalem, quam per se infusa non aperiat, & pandat; non obstat, quia diuerso modo vtraque obiectum attingit; quemadmodum in Christo, quamuis scientia Beatâ attingat supernaturaliter omnes veritates, quas attingit scientia per se infusa supernaturalis, non ideò hæc reiicitur vt superflua, quia attingit illa obiecta accommodatè ad intellectum Christi Viatoris.

961. *Admittenda in B. Virgine scientia experimentalis.* Demum admitto in intellectu Mariano scientiam experimentalem, quæ sita est in experimento sensuum, atque adeò in hac scientia quotidie profecisse. Probatur, quia Deiparæ sensus veré immutabantur ab obiectis externis passim occurrentibus: videbat enim obiecta colorata per species impressas sensibiles ab illis immissas. Percipiebat item verba, resque tangibiles, odoriferas, gustabiles, vel ipsas immediatè applicatas per se, vel per ipsarum species. Deinde experimento comprobabat, ac percipiebat eas veritates, etsi ab instanti suæ Conceptionis aliarum scientiarum interuentu iam claré cognitas. Hanc igitur rerum cognitionem, quam per sensationes Virgo Deipara in intellectu formabat, dicimus scientiam experimentalem. Hanc adquisiuit Deipara, & simul species intelligibiles, necessarias ad illam, quas à principio non habuit. Hæc autem experientia nihil aliud est, quàm repetita memoria earum rerum, quæ per sensum perceptæ sunt. Vnde non sufficit ad hanc experientiam habere species rerum, quæ sub experientiam cadere possunt, sed opus est, vt species repræsentent illas res, quatenus aliquando sub sensum ceciderunt, seu vt sint principium cognoscendi ipsas esse sensibus perceptas. Ex quo elicitur, potuisse infundi scientiam naturalium rerum sine propria experientia. Hinc etiam inferes hanc experimentalem scientiam infundi non potuisse, sed solùm per sensuum experimentum haberi, quia species ad hanc scientiam concurrentes pertinent ad memoriam rei transactæ iam cognitæ per sensus: has autem species, vt veré repræsentent, non possunt esse infusæ, sed remanere debent ex præcedenti cognitione. Et quidem nullum videtur dari posse medium, quod ostendat euidenter rem fuisse aliquando præter ipsam experientiam à sensibus haustam media specie intelligibili relicta, aliàs species infusa posset repræsentare aliquid falsò, nempe obiectum, vt per sensum perceptum, quod tamen nunquam sensu aliquo cognitum sit. Sicut ergo Christus Dominus proficiebat sapientia apud Deum, id est scientia, quæ experientia cumparatur, qua media, quod alijs scientijs iam præsciebat, noua quadam ratione attingebat, tum ex repetitis actibus nouos habitos sibi comparabat; hinc fiebat, vt ex maiori habitu sapientiæ, & scientiæ experimentalis operaretur in dies; eadem ratione loquimur de B. Virgine, non tamen ita vt ab alijs hominibus didicerit. Habuit ergo B. Virgo hanc scientiam acquisitam experimentalem, quæ in dies augebatur, decursu temporis, tum quoad species, quas de nouo acquirebat, tum quoad habitus, qui ex actuum repetitione augebantur, vel ex contemplatione rerum visibilium, & creaturarum, vel ex iugi sacrarum Litterarum meditatione, in quibus solus Deus est Præceptor, ac Doctor; creaturæ verò, & Scripturæ libri sunt, seu verba, quibus talis scientia traditur, & addiscitur.

Scientia experimentalis nequit à Deo infundi, sed necessario v-su, & experientia acquirenda.

CERTAMEN III.

Quænam obiecta Virgo Deipara cognouerit per Scientiam supernaturalem per se infusam.

Ostendimus superiori certamine hanc scientiam deferendam esse B. Virgini cum aliquibus Doctoribus, quibus nunc addo Dionys. Rikelium in Cant. cap. 5. vbi ait ab initio habuisse splendidissimam, & exuberantissimam sapientiam sibi infusam. S. etiam Bernardinum semel citatum, nunc tractatu de B. Virgine ser. 4 art. 1. cap. 4. vbi hæc habet: *In prima sanctificatione quantum ad rationem, & intellectum tanta ei sapientia claritas a Deo superinfusa est, quod perfectè intelligebat creaturas, & Creatorem, & spiritus, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda.* Quæ quidem verba de scientia naturali per se infusa capi nequeunt, vt patet; de quo videndus Suar. tom. 2. in 3. part. disp. 19. sect. 3. §. *Dico ergo primo.* 962. Bernardi. Suar.

Nunc disquiro primo, an per hanc scientiam cognosceret B. Virgo non solùm obiecta supernaturalia (de quibus nullum potest esse dubium, cum supernaturalis scientia manifestam habeat proportionem cum rebus supernaturalibus;) Sed etiam naturalia? Nam Vasquez superiori congressu citatus, quem assectantur aliqui ex recentioribus, & P. Ludouicus Mætarius de Incarnat. disput. 26. sect. 1. num. 6. patri neganti adhærent, eo argumento conuicti, nempe, quia scientia supernaturalis per se infusa suluio habet pro obiecto res etiam in entitate supernaturales, debet enim proportionem habere scientia, & obiectum, & esse eiusdem ordinis; alioquin scientia naturalis, & supernaturalis inter se commodè distingui nequirent. Verior tamen sententia est, res naturales à B. Virgine cognitas fuisse per scientiam infusam supernaturalem, vt de Christo Domino probat Suar. de Incarn. disp. 29. sect. 1. & 3. Ragusa disp. 90. Cabrera quæst. 11. art. 6. disp. 3. quos sequitur Bernal. Probatur ex conuulsione contrarij argumenti: Nihil enim implicat, rem intrinsecè naturalem obiectum esse cognitionis intrinsecè supernaturalis; nihil ergo impedit, quominus Virgini Deiparæ deferatur: Antecedens verum est, nam si repugnaret rem intrinsecè naturalem attingi cognitione supernaturali, esset quia cognitio rei naturalis suam entitatem specificam haurit ab obiecto formali naturali: ex hoc autem capite nihil repugnat, quia vt cõmuniis fert Doctorum opinio, cognitio non solum ab obiecto formali, sed etiam ex modo tendendi in illud, suam speciem sumit; quare cognitio naturalis, & supernaturalis dari potest circa eandem rem sub eodem obiectu formali, solùm ex diuerso modo tendendi nobiliori, vel ignobiliori. Deinde res naturalis potest cognosci non præcisè, vt naturalis, scilicet cum respectu ad aliam intrinsecè supernaturalem; vt si cognoscatur secundum potentiam obedientialem, qua media eleuati possit diuina virtute ad effectus secundùm entitatem supernaturales, vt aqua ad infundendam gratiam in Baptismate; intellectus humanus ad videndum claré Deum. Id autem quod à Deo assumitur ad producendos effectus illos in entitate supernaturales, nequit cognosci perfectè, nisi notitia intrinsecè supernaturali. Insuper, si homo consideretur Vasq. Mætar. Suar. Ragu. Cabrera. Bernal.

deretur secundum rationem formalem sui constitutiuam intrinsecè naturalem, non tamen absolutè solùm, sed cum respectu ad res aliquas supernaturales, quibuscum per entitatem suam habet dissimilitudinis relationem; quia hæc dissimilitudo, quidditatiuè percipi nequit per notitiam intrinsecè naturalem, quia debet exprimere, ac repræsentare terminum quidditatiuè illius relationis, qui in entitate supernaturalis est.

Opponet quispiam. Obiectum in entitate naturale percipi potest notitia intrinsecè supernaturali: Ergo obiectum in entitate supernaturale percipi poterit notitia intrinsecè naturali. Distinctione indiget consequens: vel enim sensus est, obiectum intrinsecè naturale sub ratione formali supernaturalis percipi posse notitia intrinsecè naturali; sic autem falsa est consequentia: Sicut enim naturalitas vt sic, nequit esse formale obiectum actus in entitate supernaturalis; ita nec supernaturalitas, vt sic potest esse obiectum actus naturalis Alter verò sensus esse potest: nempe obiectum in entitate supernaturale sub aliqua ratione formali naturali posse percipi per notitiam intrinsecè naturalem: adhuc sub distinctione opus est: vel enim ais, posse, sub ratione naturali rem supernaturalem cognosci in seipsa, & quidditatiuè; Sic autem falsa est illatio, quia cognitio obiecti supernaturalis in se, & per proprias species, est omninò indebita omni substantiæ, quæ secundum naturam creari potest; vnde omninò supernaturalis est : si verò velis, posse illam rem intrinsecè naturalem sub ratione aliqua naturali per notitiam intrinsecè naturalem cognosci in alio, vel per alienas species, sic vera est consequentia: vt patet in hæretico, qui actu fidei naturalis exprimit Trinitatem, tum & alia obiecta supernaturalia, sub aliqua ratione formali apparenter quidem supernaturali, reapse tamen naturali, nempe humana aliqua, & naturali persuasione.

962. Disquiro secundo. Vtrùm per hanc scientiam Deus cognosceretur, vt Vnus, & Trinus à Beatissima Virgine. Negat Bañes de Christo D. a 2. quæst. 5. art. 1. Vasquez de Incarnat. disputat. 53. cap. 1. adeóque de Beatissima Virgine potiori iure denegarent. Arbitror Virginem Deiparam per hanc scientiam cognouisse Deum saltem indirectè, clarè tamen; quia per hanc scientiam cognouit creaturas aliquas supernaturales, nempe gratiam, virtutes, actus etiam supernaturales; hæc autem omnia respiciunt transcendentaliter Deum, vt Vnum, & tanquam causam primam, adeóque Virgo Deipara per hanc scientiam illum cognouit, vt Vnum. Quod explicari potest à paritate; siquidem Philosophus naturalis per cognitionē, quā directè cognoscit equum, aut alium effectum, vt creaturam, cognoscit indirectè Creatorem, & Deum vt Vnum; ergo multo melius Beatissima Virgo per notitiam, qua noscebat gratiam sanctificantem, vel alium effectum supernaturalem, vt creaturam, Deum etiam Creatorem, & vt Vnum repræsentabat; poterat ergo hunc efformare actum: hic est effectus, nempe gratia sanctificans Dei Vnius. Addiderim per eandem scientiam cognouisse Deiparam ipsum Deum directè, vt Vnum. Quod ita suaderi potest: sicut enim naturalis Philosophus notitia naturali ductus, hunc elicit actum: productio hominis est à Deo: per quam notitiam solùm indirectè Deum attingit; Postmodum verò potest elicere hunc alium per scientiam naturalem, à primo promanantem: Deus vnus est Causa prima, & principium formationis hominis: Ergo B. Virgo elicito prius illo actu; Productio gratiæ sanctificantis dependet à Deo; poterat iterum hunc elicere actum de Deo directum: Deus in essentia vnus Author, & Principium est gratiæ. Quod confirmari rectè potest ex doctrina tradita à Theologis in tractatu de pœnitentia; aiunt enim, ab eadem virtute pœnitentiæ infusa elici hunc actum: Odio habeo peccatum, quia Deo summo bono aduersatur. Qui actus solum indirectè attingit Deum; ex eo tamen actu iterum ab eadem virtute indiuisibili elici potest hic alius actus Deum directè attingens: nempe, Deus mihi summè bonus, mihi in amore est propter summam ipsius bonitatem. Idemque dici potest de aliis virtutibus respectu suorum actuum: ergo similiter idem pronunciare possumus de sciētia infusa supernaturali in B. V. in ordine ad actus prædictos.

Arbitror deinde à B. Virgine per hanc scientiam infusam supernaturalem euidenter fuisse cognitum Deum, vt Trinum, saltem indirectè. Probari potest, quia Virgo Deipara per hanc scientiam nouerat euidenter actus fidei Theologicæ, & Amoris Theologici; tum in Viatoribus hominibus, tum in seipsa, quos euidenter sciebat esse diuinitus infusos, ac proinde veros: ergo elicere poterat hanc notitiam. Hic actus est fidei diuinæ Dei Vnius, & Trini; Hæc autem notitia erat euidens, indirectè tamen Deum Vnum, & Trinum attingebat. Rursus Addo B. Virginem per eandem scientiam cognouisse Deum, vt Trinum directè, quia vt supra monuimus, idem indiuisibilis habitus eliciens notitiam de Deo indirectè, elicit etiam notitiam aliam directè de eadem re; atqui per illam scientiam infusam eliciebat Deipara notitiam de Deo, vt Trino indirectè; ergo etiam directè.

Disquiro tertio, An B. Virgo per hanc scientiam infusam attingeret futura libera. Ragussa, & Cabrera id potiori iure denegarent de ea, qui de Christo Domino inficiantur. Probant primo, ex Scriptura, & PP. Scientiam futurorum à libero arbitrio dependentium soli Deo tribuentibus, Isaiæ 41. *Annunciate nobis futura, & dicemus, quia Dij estis vos.* Verùm Scripturæ, & Patres contendunt solùm, hominem propriis viribus scientiam futurorum liberorum adipisci non posse, sed solùm à Deo accipere infusa huius scientiæ principia; alioquin nulla horum obiectorum notitia, neque prophetia admitti posset in B. Virgine: quod falsum est in omnium sententia. Secundò probat Ragussa de Incarn. disp. 91. §. 2. quia vel illa scientia attingens futura libera in seipsis esset connaturalis intellectui, nempe Deiparæ, vel non. Primum dici non potest; Id enim saltem euincunt Scripturæ sacræ testimonia: Si verò asseratur, illam scientiam non esse cōnaturalem B. Virgini; id vtique ex eo quod futuritio libera ac contingens non cadat sub scientiam, & notitiam naturalem; Hoc autem non videtur sufficere, vt non sit connaturalis; quippe circunstantia futuritionis connaturalis est obiecto contingenti, nec illud eleuat supra facultatem natiuam: Ergo etiam eius cognitio erit naturalis potentiæ intellectiuæ B. Virginis. Non multum vrget. Aio enim hanc futurorum liberorum notitiam non esse connaturalem potentiæ intellectiuæ B. Virginis nudè acceptæ, quia est supernaturalis secundum 963. Isa. 41. Ragussa.

cundum modum: hic autem sermo est de notitia & scientia infusa supernaturali. Minus negotij facessit argumentum, si dicamus vt suprà; hanc scientiam supernaturalem infusam omnia sua obiecta repræsentare secundum aliquam rationem intrinsecè supernaturalem: inde ergo dicimus cognitionem futurorum à libertate dependentium, ex scientia hac ortam, non esse naturalem intellectui Virgineo, saltem ratione obiecti non vtcumque cogniti, sed vt ordinem supernaturalem respicientis, vt suprà monitum fuit. Tertiò argumentatur Ragusa: vel illæ species infusæ ex se sunt indifferentes ad repræsentandas res futuras, & non futuras, vel ex se sunt determinatæ ad repræsentandum rem solùm futuram. Vera est communis responsio, nempe eas species infusas, quæ deseruiunt huic scientiæ ad repræsentandum res futuras ex suppositione futuritionis; ex qua suppositione Deus illas infundit. Quo pacto sunt imitationes diuinæ essentiæ, vt est repræsentatiua contingentium futurorum: Nam in Deo repetitur formalitas determinata ad repræsentandas res futuras, posita earum futuritione. Denum obiici potest; Illæ species infusæ possent falsò repræsentare; Ergo Deus illas infundens esset causa falsitatis. Antecedens patet; Si obiectum non esset futurum, illæ species repræsentarent falsum; At potest obiectum non esse futurum, cùm contingens sit. Respondeo negans antecedens; ad cuius probationem, neganda est Maior, quia neque illæ species sunt repræsentatiuæ actiuè obiecti, nisi posita futuritione, neque Deus illas infunderet, re non futura.

964. Censeo primò. Posse hæc futura attingi per scientiam supernaturalem infusam in seipsis; ita Vasquez tom. 1. in 3. part. disputat. 53. capite 2. numero 17. & 18. Moncæus disputatione 5. capit. 7. & 8. Gaspar Hurtado de Incarnat. disputat. 8. difficult. 10. ac proinde potuisse à Beatissima Virgine cognosci. Primo, quia hæc futura sunt cognoscibilia in se, quia Deus illa cognoscit, habent enim determinatam veritatem: ergo poterit dari notitia creata, quæ illa in se attingat, non enim assignari potest repugnantia, cur nequeat dari participatio huius cognitionis diuinæ, sicut & aliarum cognitionum, vt patet ex argumentorum dissolutione. Confirmatur assertum, Hæc futura terminare possunt in se, & propter se amorem creatum; ergo & cognitionem creatam; Sicut enim rationem entis consequitur veritas, ita & bonitas. Secundò, ex eo suaderi potest, quia hoc donum pluribus Sanctis inditum fuit, vt futura notitia certa præscirent, à libero arbitrio dependentia; Ergo quod ipsis transeunter, & ad tempus collatum fuit, nihil mirum si Beatissimæ Virgini permanenter per hanc scientiam infusam supernaturalem tributum fuisse affirmauerimus. Et quidem hæc cognitio spectabat ad dignitatem Matris Dei, & ad munus Aduocatæ vniuersalis Ecclesiæ. Imò per hanc scientiam forsan cognoscebat plures actus liberos, videlicet quid Christus operaturus esset, quando aquam in vinum commutauit: Ergo multo melius id cognosceret in reliquis hominibus. Tum quia alibi ostendimus prophetiæ donum in B. Virgine; at ad absolutum ac perfectum Prophetiæ donum, permagno intererat eiusmodi cognitio futurorum à libertate proficiscentium. Quæ rationes omninò militant in actibus, seu futuris liberis iam præteritis, vel actu existentibus. Addo futura hæc libera potuisse etiam à Deipara cognosci in alio; poterat enim illa cognoscere in reuelatione, qua Deus hæc futura detegeret: hæc enim reuelatio habet necessariam connexionem cum futuro libero; ergo in ea, tanquam in medio cognito poterat Deipara hæc futura cognoscere.

Vasq. Moncæus. Gasp. Hurt.

B. Virgo plura futura libera per scientiam infusam præsciebat.

Disquiro quarto, An per hanc scientiam infusam cognouerit Beatissima Virgo omnia entia possibilia. Hæc autem quæstio eadem modo decidenda est, ac illa altera, Vtrùm Beatissima Virgo per scientiam visionis cognouerit omnia possibilia? eædem enim rationes vtrobique militant. De Christo affirmant plures Theologi apud Suarium de Incarnat. disputat. 27. sect. 4. §. *contrariam sententiam*. Quod si de Christo asseruerimus, nempe per hanc scientiam cognoscere omnes effectus possibiles diuinæ omnipotentiæ; Beatissimam verò Virginem solum infinitos in aliquo genere, vel specie affirmare possemus. Si autem Beatissima Virgo per scientiam visionis cognosceret omnia possibilia, consequenter asserendum esset Beatissimam Virginem per hanc scientiam infusam attingere etiam omnia obiecta possibilia, quia quæ Viator cognoscit in via, congruum est vt ea per Visionem beatam attingat; scientia enim beata confertur vt præmium viæ: sed scientia hæc infusa collata fuit Beatissimæ Virgini in via: ergo quæ attinguntur obiecta per scientiam Beatam, attinguntur etiam à scientia infusa. Illud pro certo tenendum Beatissimam Virginem cognouisse per hanc scientiam plura singularia, & altiori modo, eorúmque existentias, quàm Angelos: quod eisdem rationibus suaderi potest, quibus probat Suarius de Christo Domino. tom. 1. in 3. part. disputat. 27. sect. 1. §. *Dico secundo*, & §. *ex hac conclusione*. 965.

Disquiro quinto. Vtrùm B. Virgo extiterit semper in aliquo actu secundo huius scientiæ? Affirmandum censeo, quia rationi consonum erat, vt semper esset in actuali cognitione specierum infusarum, vt sic nunquam actum contemplationis rerum diuinarum interciperet, tum vt semper constitueretur potens liberè meritoriè in quolibet instanti operari; tum vt actualem operationem externam imperaret ex variis motiuis etiam supernaturalibus; ad quod opus fuit, vt semper in actuali esset notitia huius scientiæ. Adderem in primo Conceptionis instanti cognouisse Virginem Mariam per hanc scientiam infusam simul omnia obiecta futura saltem homines, qui in aliqua differentia temporis futuri erant, vt alibi fusè ostendo. Nunc sic probo, quia si aliqua notitia B. Virgini in puncto conceptionis tribuenda est ab hac scientia proficiscens, maximè ea, quæ ad dignitatem Matris Dei, & munus Corredēptricis pertinebat, ad quod iam ab æterno destinata fuit: Ergo cognouit per hanc scientiam se cum Filio esse Corredemptricem generis humani, & ad Filium, & ad seipsam, tanquā finem omnes creaturas collimasse, à qua tanquam à causa meritoria de congruo, omnium gratiarum riuuli deriuarentur in reliquos omnes: ergo opus fuit, vt cognosceret reliqua omnia, quorum erat causa meritoria, ac reparatrix; sine illorum enim cognitione non potuit commodè, & expressè talem dignitatem, ac munus acceptare; 966.

B. Virgo semper extitit in aliquo actu secundo scientia infusa.

tare; seséque suumque Filium laboribus, dolotibus, ac cruci deuouere: non tamen fuit opus in actuali harum omnium rerum cognitione per scientiam infusam permanere. Hinc elicies cur B. Virgo moueretur potius ad vtendum hac specie infusa, quàm alia; vel ad eliciendum hunc potius actum circa hoc obiectum, quàm circa aliud: nempe hoc proueniebat, quia semper B. Virgo erat in actuali consideratione alicuius obiecti huius scientiæ, ac suarum specierum infusarum, ex qua notitia poterat moueri ad hoc potius, quàm ad aliud obiectum cognoscendum, vt in simili docet Suarius de Christo citat. disp. 28. sect. 1.

967. *Quinâ fuerint primi B. Virginis cogitatus in instanti sua Conceptionis.* Ximenez. Theod. Sed libet primos hos Beatissimæ Virginis cogitatus in vtero delitescentis ex hac scientia per se infusa, & supernaturali elicitos rimari, nec sine Duce, ac Doctore: Nam Theodoretus, quem refert Franciscus Ximenez Patriarcha Hierosolym. libr. 2. cap. 24. ait, Mariam in visceribus maternis clausam plurima Angelorum mysteria ac ministeria agnouisse, regnorum varias mutationes, & calamitates. Et capit. 25. ex eodem Doctore, statuit species indiras habuisse, quibus humanam naturam, iam tunc squalore iacentem, sordibus conspurcatam, tabe multa confectam, turpem, horridam, ac miserrimam contemplaretur, omni timore Numinis nudatam, in Deum cultu, & religione orbam, pietate destitutam, flagitiis luxuriantem, scelerum colluuie obsitam, in sæuitiam, idololatriam, cædes, stupra, sacrilegia, & alia horrenda flagitia debacchantem. Nouerat simulachra, & templa dæmoni erecta, aras Satanæ extructas; hæc omnia Marianæ menti adhuc in vtero commoranti iuxta Theodoretum occurrebant, non sine ingenti animi mærore, ac dolore maximo: subditque Matyrum tormenta ipsius cognitioni obuersari, qua tyrannica sæuitie ad Prætorum subsellia ducerentur, ad lanienas ferrentur; grandem hinc mærorem, ex tot Christianæ Reipublicæ calamitatibus, ac facie nostræ Religionis luctuosissima animo concipiebat, & pro tot malorum inundatione auertenda, assidua iugique precatione Deum sollicitabat. Aderant præterea aliæ cogitationes, quæ ipso illo tempore dolorem lenibant iuxta ea, quæ idem Patriarcha libr. 2. cap. 17. refert ex quorundam Sanctorum oraculis, ait enim Sanctissimo Viro cœleste oraculum obuersarum fuisse, in quo Beatissimæ Virgini in Conceptionis momento tripartitam cognitionem obtigisse, reuelatum fuit. Primo Deum; deinde seipsam; Tertio humanam, & Angelicam naturam noscebat. In Deo inexhaustam bonitatem, ineffabilem prouidentiam, qua totius Orbis vniuersitatem moderatur; mente, & animo voluebat infinitam scientiam, qua se, & cuncta à se ortum ducentia intuetur, qua cœlorum gyrationes, motus, circumrotationes, imbrium stillas, Maris arenas enumerat. Potentiam deinde, quâ millenos mundos condere, conditosque in nihilum redigere posset: Æternitatem meditabatur, ipsiusque infinitatem: Ad Trinitatis mysterium accedebat, Patris innascibilitatem, Filij generationem æternam, & ab vtroque sempiternum Amorem procedentem: Ad hæc ad seipsam mentem conuertebat; à Deo, tot tantisque locupletatam priuilegiis, scientiis, gratiis, muneribus, ac prærogatiuis cumula-

tam, quasi à se exiens mox in gratiarum actionem prorumpebat, in Deum vnum omnia refundens, omniúmque bonorum quasi vectigal pendens. Postremò vertebat se ad contemplandam totius Orbis structuram, Angelorum rempublicam, hominum naturam, cœlorum simulachra conspicabatur, immensa camporum, syluarumque spatia, animantium species, arborum proprietates, elementorum vires, ac dissidia agitabat animo. Et quia apprimè callebat sacrorum voluminum arcana; modò Deum maiestate circumfusum, Angelorum stipatum satellitio, in monte Sinai sedem fixisse, vbi ad legis promulgationem tonitrua displodebantur, præmicabant fulgura, volitabant procellæ, eiaculabantur fulmina; Inde intentis mentis oculis perpendebat, vt se erythræum Mare hinc, & inde in montes assurgeret Hebræis siccum præbens iter, Ægyptios autem suis immergens vndis. Hæc, & alia: quæ menti Virgineæ obiiciebantur ad nullam aliam notitiam, commodè spectare poterant, nisi ad scientiam per se infusam supernaturalem: quæ omnia deprompsimus ex Patriarcha Ximenio, qui Theodoreto, Nazianzeno, & aliis Patribus attribuit.

De hac eadem scientia fatus Albert. Magn. tract. super *Missus est.* cap. 149. hæc pluscula adiicit verba, quibus singularia huius Marianæ scientiæ priuilegia recenset. *Beatissima*, inquit, *Virgo in cognitione sua plura habuit priuilegia. Primum est perfecta cognitio Trinitatis, sine medio, quam habuit in via per specialissimam gratiam. Secundum est perfecta cognitio mysterij Incarnationis, & hanc habuit per gratiam, & singularem experientiam. Tertium est cognitio scientia prædestinationis, quam habuit per reuelationem, & causam. Quartum est anima sua, & spirituum per species proprias cognitio, quam habuit dispositiuè per naturam, & completiuè per gratiam, & secundum hanc vidit Angelos, animas, & dæmones. Quintum est perfecta cognitio omnium, ad statum via pertinentium, ad statum via pertinentium, quam habuit per gratia infusionem, & inspirationem, & hac comprehendit perfectam cognitionem omnium Scripturarum, operandorum, & contemplandorum. Sextum est omnium ad statum patria pertinentium per cognitionem, quam habuit per contemplationis reuelationem. Septimum omnium Creaturarum statium cognitio, quam habuit per naturam, & gratiam, & contemplationem. Octauum est quod habuit matutinam, & vespertinam cognitionem; Matutinam per gratiam, & Vespertinam per naturam & gratiam. Nonum est, conclusio ex prædictis omnibus, quòd nullius rei propriè habuit ignorantiam.* Hæc omnia Albertus. 968. Alb. Magn.

CERTAMEN IV.

Vtrùm habitus huius scientiæ sit vna physicè qualitas de ipsiusque speciebus.

NOn esse vnam physicè qualitatem censent in Christo: Idemque dicerent in Beatissima Virgine; sed plurium aggregationem, Vasquez de Incarnat. disputat. 5 a. cap. 1. Cabrera de Incarnat. à quæst. 11. artic. 6. disputat. 6. Cardinalis Lugo ibid. disp. 20. sect. 4. num. 54. Vasq. Cabrera. Lugo.

 Mouentur

Mouentur primo, quia non datur vnus habitus physicè simplex ad omnes actus quoad substantiam supernaturales, sed plures, nempe fidei, spei, charitatis, religionis, & cæterarum virtutum; ergo similiter asserendum est non dari vnicum habitum physicè simplicem ad omnes actus supernaturales in entitate scientiæ infusæ animæ Virginis Deiparæ. Sed neganda est consequentia; quia in peccatore fideli permanet habitus Fidei, pereunte habitu charitatis: In scientia autem per se infusa Beatissimæ Virginis nullum afferri potest indicium, quod nos manu ducat ad distinctionem vnius habitus ab alio; imò si semel admittatur multiplex habitus huius scientiæ infusæ, nulla assignari potest ratio, cur non sit infinitus habituum numerus, saltem in Christo, qui infinita obiecta cognoscebat per notitiam hanc infusam. *Instabis*, virtutes supernaturales morales voluntatis simul reperiuntur in voluntate, ita vt aliæ nunquam sine aliis ipsi inhæreant voluntati; & nihilominus illæ omnes non constituunt vnam simplicem qualitatem habitualem: Ergo neque hæc scientia infusa Beatissimæ Virginis. Verùm antecedens falsitatis redarguo manifestè, quia habitus piæ affectionis est virtus per se infusa ad voluntatem spectans in entitate sua supernaturalis, quæ tamen in peccatore fideli reperitur, sine aliis virtutibus moralibus in entitate supernaturalibus, imò hinc benè elicimus, Religionem differre à Temperantia, Iustitia, & aliis, qualitatem esse reapse distinctam ab aliis virtutibus supernaturalibus, licèt nunquam inter se secernantur; Quia habitus piæ affectionis per se infusus, & moralis est, sicut aliæ virtutes; atqui honestas piæ affectionis speciem diuersam constituit qualitatis supernaturalis, à Temperantia, Religione, & aliis: Ergo similiter honestas Temperantiæ supernaturalis, & Religionis speciem constituet qualitatis supernaturalis reipsa distinctam à Iustitia supernaturali, & ab aliis virtutibus supernaturalibus.

969. *Habitus scientia infusa in B. Virgine est vna simplex qualitas.* Athirror ergo longè probabilius esse, habitum huius scientiæ per se infusæ supernaturalis in Beatissima Virgine, esse vnam physicè qualitatem. Probari potest, quia hic habitus cùm sit supernaturalis, est veluti potentia superioris ordinis, quam potentia naturalis intellectus creati; ergo rectè protendi poterit ad omnia huius scientiæ obiecta, siue naturalia, siue supernaturalia. Sed hæc ratio nihil vrget, quia habitus religionis supernaturalis est etiam quasi potentia superioris ordinis, & tamen non protenditur ad omnia obiecta formalia virtutis supernaturalis per se infusæ: virtutes enim per se infusæ supernaturales reapse inter se discriminantur; ergo neque habitus huius scientiæ per se infusæ supernaturalis, tametsi sit quasi potentia altioris ordinis, inde non fiet se protendere ad omnia obiecta formalia scientiæ supernaturalis. Secundò & efficaciùs probari potest ex conuulsione fundamentorum aduersariæ sententiæ, vt vidimus. Tertiò à paritate habitus fidei, qui se porrigit ad omnia credibilia seu creata, seu increata, naturalia, siue supernaturalia; siquidem ea omnia obiecta habitu Fidei diuinæ credi possunt. At dices cum Suario de Fide, disputat. 6. sect. 3. num. 9. Suar. cunctos Fidei Theologicæ actus esse eiusdem atomæ speciei, quia gaudent vno omninò obiecto formali, nempe authoritate diuina, & actus scientiæ per se infusæ esse inter se essentialiter distinctos, quia habent obiecta formalia essentialiter distincta. Respondeo cum pluribus Neotericis, tot, & tam specie distinctos esse actus fidei Theologicæ, quot sunt obiecta credibilia, siquidem authoritas diuina prout respicit mysterium Incarnationis specie differt à seipsa prout respicit finem mundi, ipsiúsve creationem: quare actus fidei Incarnationis specie differt ab actu, quo creditur finis, & initium mundi. Ex quo fit tam latè se diffundere habitum fidei Theologicæ, quàm scientia per se infusa Beatissimæ Virginis. Idem suaderi potest à paritate prudentiæ infusæ, quæ etiam est vna simplex qualitas, & tamen extenditur ad omnes actus omnium supernaturalium virtutum quos moderatur, ac dirigit; & tamen hi actus non minus latè patent, siue materialiter, siue formaliter, quàm actus, & obiecta totius scientiæ infusæ.

Circa species intelligibiles huius scientiæ in Beatissima Virgine, triplex est exagitanda quæstio. Prima, An si plures sint, vniuersaliores sint Angelicis. Secunda, An vnica solùm sit, & sufficiat. Tertia, An habitus huius scientiæ sit physicè species intelligibilis, & è contra. Præmitto tamen hanc speciem, vel species impressas esse in entitate supernaturales. Ita Suarius de Incarnat. disputat. 27. sect. 1. §. *& hinc obiter*. & disput. 29. sect. 1. §. *Respondent aliqui*. Ripalda de ente supernaturali tom. 1. disput. 54. numero 3. Et ratio est, nam species scientiæ euidentis, & in proprio genere debent esse eiusdem ordinis cum suo habitu, & actibus, cuius sunt species, atqui habitus, & actus scientiæ per se infusæ Beatissimæ Virginis, euidens est, & in entitate supernaturalis; ergo & species. Maior propositio patet, nam species, actus, & habitus scientiæ euidentis speciem suam desumunt ex rationibus formalibus obiectorum, quæ repræsentant, quare si rationes illæ formales supernaturalitatem sortiuntur, eandem formalitatem conferent habitui, speciebus, & actibus; si verò omninò naturales sint, etiam naturalitatem conferent. 970.

Circa primum Quæsitum censeo, si admirantur in Beatissima Virgine plures species huius scientiæ, esse vniuersaliores Angelicis. Probatur: Scientia hæc infusa per se, & supernaturalis, non fuit indita Beatissimæ Virgini iuxta capacitatem naturalem intellectus Virginei, sed iuxta obedientialem: ergo indita fuit illi iuxta proportionem obedientialem, magis congruentem dignitati Matris Dei; atqui hæc dignitas, & capacitas exigit species multo perfectiores, & vniuersaliores Angelicis: ergo illæ fuerunt inditæ Beatissimæ Virgini: Roboratur hæc ratio, quia vt alibi fusè ostendo, propter dignitatem Matris collata fuit Beatissimæ Virgini maior gratia sanctificans, perfectior visio Beatifica, idemque dicendum de Charitate, & de habitibus aliarum virtutum, quam Angelis: ergo idem adstruendum de speciebus huius scientiæ, nempe perfectiores, & vniuersaliores inditas fuisse B. Virgini, quàm Angelis. *Species impressa scientia infusa B. Virginis vniuersaliores sunt quàm indita Angelis.*

Secundò inquirimus, an species impressa, quâ Virgo Deipara viatrix vtebatur, esset vna reapse simplex qualitas, an multiplex? Suarius citat. disputat. 29. 971.

Suar. Lugo.

disputat. 29. sect. 1. Cardinal. Lugo de Incarnat. disputat. 20. à num. 63. asserunt species huius scientiæ in Christo re ipsa esse plures. Probat Suar. 1. supponens esse possibilem vnam simplicem speciem, quæ ad omnia huius scientiæ obiecta porrigatur; tamen quia id valde difficile reputat, vt res diuersissimæ & diuersorum ordinum per eandem simplicem speciem repræsententur; ideò negat vnicam esse speciem. Sed tamen cùm ipse Suarius admittat eundem habitum simplicem diffundi ad omnia illa diuersissima obiecta, non est cur deneger eandem speciem, eadem obiecta repræsentare. Secundò, Addit Suarius hanc scientiam minus perfectam esse, quàm Beatam; ergo per speciem non ita simplicem debet obiecta percipere, adeóque per plures. Sed retorqueo hanc rationem contra ipsum Suarium cùm habitus huius scientiæ, eodem teste, vna est simplex qualitas in entitate physica, & minùs perfectus est quàm habitus luminis gloriæ: ergo idem dici poterit de specie huius scientiæ.

Vnica species impressa infusa in B. Virgine diffundebatur ad omnia obiecta scientia infusa. Marsil. Bernal.

Existimo ergo inditam fuisse Beatissimæ Virgini vnam speciem in entitate simplicem, támque vniuersalem, vt ad omnia obiecta huius scientiæ diffunderetur. Et quidem de Christo Domino id docent Marsilius in 3. quæst. 10. art. 2. part. 3. conclus. 2. & alij quos refert Lugo citat. num. 62. Bernal. de Incarnat. disput. 35. sect. 3. num. 76. eædemque rationes id ipsum statuunt de specie huius scientiæ in B.Virgine. Et quidem cùm hæc species vnica sit possibilis, deferenda est etiam ipsi Deiparæ: sicut enim idem indiuisibilis habitus intrinsecè supernaturalis versatur circa omnia huius scientiæ obiecta, licèt inter se diuersa, & distincti ordinis; ita etiam eadem species indiuisibilis impressa deseruire poterit ad huius scientiæ vsum, adeóque repræsentabit omnia huius scientiæ obiecta, licèt diuersissima, & distincti ordinis, cùm id omni vacet incommodo, ac Dei Matrem maximè deceat, & proportionem habet cum habitu huius scientiæ, & cum dignitate pene infinita Maternitatis Dei.

972. Valent. Vasq. Bernal.

Tertiò, Inquiri potest, vtrùm hæc vna species, de qua est sermo, simul sit habitus complens, & roborans intellectum B. Virginis? Valentia in 3. part. quæst. 11. punct. 1. Vasquez de Incarnat. disputat. 54. cap. 2. Bernal. dis. 33. num. 103. aiunt, habitum, & speciem huius scientiæ reipsa, eandem esse qualitatem in Christo. Iuxta hos Doctores autumo, eadem ratione loquendum de habitu, & specie huius scientiæ in Beatissima Virgine. Quod sic suaderi potest, quia vna, eadémque qualitas obire potest munia habitus, & speciei impressæ: ergo non est cur duæ qualitates constituantur. Occurrit Suar. cit. posse quidem vtrumque munus ab vna qualitate exequi, non tamen connaturaliter; Siquidem modus connaturalis cognoscendi in creaturis, est vtrique media potentia cognoscitiua completa præsupposita reipsa ipsi speciei impressæ, adeóque distincta est potentia reipsa à speciebus; sed obiectum solum suas exerit vires, si aliquas habet, in modum cognoscendi naturalem, ad quem intellectus, siue sensus se solo est potentia completa, nec potest connaturaliter compleri per aliud à se distinctum. Verùm intellectus in ordine ad hanc scientiam supernaturalem se solo completus non est, ac proinde compleri poterit per qualitatem habitus additam, qui etiam idem sit cum specie impressa. Nec semper verum est principium se tenēs ex parte obiecti supponere potentiam cognoscitiuam integrè completam, & ab ea, reipsa distinctam; vt videre est in entitate Angeli identificata cum ipsius intellectu; simul enim est potentia intellectiua, & se sola, sine vllius speciei adminiculo ad sui cognitionem influit: ergo similiter dari potest qualitas supernaturalis, quæ simul sit habitus, & species impressa. Dices bene esse possibilem talem qualitatem: Attamen intellectum per illam non producturum suos actus connaturali modo. Sed falsum est, cum enim intellectus Marianus ex se incompletus esset ad supernaturales actus, & exigeret aliquod supernaturale complementum, & speciem impressam, quotiescumque completus fuerit per supernaturalem aliquam virtutem sibi inhærentem; si habeat supernaturalem etiam speciem obiecti sibi impressam, operabitur proculdubio modo connaturali. Secundò suadetur assertum, quia multo perfectius fuit, vt eadem qualitas indiuisibilis includeret reapse duas illas formalitates, nempe habitus, & speciei, quàm si duæ qualitates existerent reipsa seiunctæ: quemadmodum maxima est perfectio habitus indiuisibilis, quod diffundatur ad cognitiones plurium obiectorum, quàm si habitus esset physicè multiplex, vt per se patet, & in speciebus Angelorum, qui quò perfectiores sunt, eò vniuersaliores species sortiuntur.

Sed contra dices: Hinc fieri habitum scientiæ huius infusæ supernaturalem, & esse instrumentum comparatione suorum actuum, cùm sit species impressa, & causam principem, cùm sit habitus supernaturalis: Vnde simul erit perfectior suis actibus, & imperfectior. Contra tamen est, quando enim idem est principium se tenens ex parte potentiæ, & obiecti; tunc solùm est causa principalis actus, non est instrumentum: quia tunc illud principium indiuisibile nobilius est sua cognitione. Accipe exemplum in Angelo, cuius substantia seipsam determinat ad sui cognitionem sine alicuius speciei adminiculo, vt communis habet Theologorum consensus.

CERTAMEN V.

De vsu huius Scientiæ in Virgine Deipara.

Primò inquiret aliquis, an B.Virgo aliquando simul attigerit per hanc scientiam supernaturalem omnia obiecta ipsius? Respondeo affirmatiuè; nulla enim apparet repugnantia, & Beatissimam Virginem multùm decebat; alioquin admittenda esset in Deipara rerum ad suum statum spectantium ignorantiam. Nam ignorantia non tollitur per habitum, sed per actualem notitiam. Deinde quia saltem toto vitæ tempore, omnia obiecta huius scientiæ attigit; sine vllo enim fundamento id aliquis denegaret: Si ergo illa omnia obiecta simul non nouit aliquando, neque toto vitæ tractu potuit illa noscere, tempore enim finito non possunt esse actus infiniti successiuè; at obiecta scientiæ huius asserimus esse actu infinita saltem in aliquo genere. 973.

Arbitror ergo B. Virginem in instanti conceptionis omnia obiecta huius scientiæ attigisse; si enim in aliquo instanti, etiam in puncto conceptionis, tunc enim Deus omnis scientiæ & gratiæ cumulum, qui Dei Matrem deceret, in ipsius animam effudit. Habuit ergo Deipara in momento suæ conceptionis, tum & aliis euentitibus, actum vnum simplicem repræsentantem omnia huius scientiæ obiecta, talis enim actus est possibilis, nec maior difficultas est in eo admittendo, quàm in habitu, & specie impressa eiusdem scientiæ; sicut ergo non implicat dari habitum, & speciem versantem circa omnia illa obiecta; ita & actum eadem attingentem. Hoc autem non tollit quin potuerit Deipara elicere plures alios actus huius scientiæ.

974. Secundò sciscitaberis an B. Virgo vsa fuerit scientia infusa cum discursu. Censeo primo quando B. Virgo cognoscebat obiectum in se ipso independenter ab alia cognitione, tunc non reperiri discursum formalem, hic enim requirit duos actus, & ex parte obiecti attingitur vnum propter aliud: neutrum autem reperiebatur in cognitione obiecti in seipso. Idemque assero, quando per eundem actum noscebat B. Virgo effectum in causa, vel è contra, quoniam hæc cognitio est vna indiuisibilis, quæ ratione connexionis extremorum directè attingit vnum, & aliud indirectè, ad eóque ibi non est discursus formalis. Maior difficultas est quando B. Virgo cognoscebat effectum propter causam, vel causam propter effectum; diuersum enim est cognoscere effectum in causa, & cognoscere effectum propter causam; siquidem prior actus habet pro obiecto directo formali, & materiali causam, & pro indirecto effectum: at posterior actus attingit directè effectum, tanquam obiectum materiale, & causam tanquam rationem formalem assentiendi, vt constat in discursu naturali. Hic ergo actus posterior videtur postulare discursum, noster enim discursus à priori nihil aliud habet, quàm esse actum terminatum ad effectum propter causam; quod habet etiam hic actus scientiæ infusæ: Deinde hic actus requirit cognitionem causæ, & cognitionem effectus ex causa, vel propter causam: ergo exigit discursum.

975. Circa hanc difficultatem, opinor primo prædictum actum elici posse realiter simplici qualitate, sine discursu formali; Nam effectus habet hanc virtutem, & cognoscibilitatem propter causam: ergo potest dari aliqua species impressa, quæ ex parte obiecti immediatè determinet ad hanc veritatem, secundum se cognoscendam; ergo poterit dari aliqua cognitio, quæ immediatè attingat illam veritatem, nempe effectum per causam independenter ab altera cognitione antecedenti; ergo cognitio ista non requirit actuum diuersitatem, neque discursum. Antecedens liquet; quia alias illa veritas esset solùm per discursum cognoscibilis. Prior consecutio probatur, tum quia reliquarum veritatum, & obiectorum creatorum potest diuinitus dari species impressa: ergo & huius; tum quia possibilis est species impressa repræsentatiua effectus in causa; ergo poterit dari alia, quæ sit repræsentatiua effectus propter causam; tum quia huius veritatis datur species expressa, vt constat in actu conclusionis à nobis elicitæ: ergo similiter & impressa erit possibilis. Secunda illa consequentia, nempe: Ergo cognitio hæc non requirit actuum diuersitatem, neque discursum: Probatur; quia posita illa specie reperitur in potentia quidquid opus est ad eum actum eliciendum independenter ab alia cognitione. Antecedens probatur, quia ille actus solùm requirit virtutem ex parte potentiæ, & determinatiuum ex parte obiecti: sed totum hoc repetitur in aggregato ex ea specie determinatiua ex parte obiecti, & ex habitu, & potentia: ergo, &c. Deinde cognitio in se, vel in causa procedit immediatè ex potentia, & specie independenter ab alio; ergo & cognitio effectus propter causam. Hic ergo actus elici potest à scientia infusa, cùm sit possibilis species eius veritatis; ergo poterit habitus scientiæ infusæ cum ea specie extendi ad eam veritatem cognoscendam sine discursu; adeóque de facto erit talis B. Virgini concedendus actus. Ex eo autem in nobis ille cognoscendi modus est discursiuus, quia indigemus speciebus propriis rerum plurimarum, ideóque per species dictas ex causa deducimus effectum.

B. Virgo cognoscere potuit effectum propter causam, & è contra, sine discursu formali.

976. Opinor secundo B. Virginem vti potuisse discursu per hanc scientiam. Nam in primis Deipara per hanc scientiam infusam non habebat speciem propriam Dei, aut Vnius, aut Trini, & tamen cognoscebat per notitiam huius scientiæ euidenter, & in se ipsis plures res, vt connexas cum Deo Vno; & alias, vt connexas cum Deo Trino; ergo poterat Deum, vt Vnum, vel vt Trinum per discursum cognoscere; sicut enim nos possumus vno actu noscere creaturam directè, & Creatorem indirectè; possumus etiam vtrumque pro arbitratu attingere per actus distinctos, & connexos inter se, atque adeò per discursum: ergo similiter Virgo Deipara per hanc scientiam poterat per discursum cognoscere, neque enim discursus dicit imperfectionem positiuam, quæ dedeceat B. Virginem, imò & hoc pertinebat ad perfectionem cognitionis Marianæ, vt hoc etiam modo præter alios Deum cognosceret. Addo in cognitione effectus propter causam, vel è contra, benè potuit B. Virgo vti discursu pro libito, tametsi proprias eorum obiectorum species haberet. Quod sic suadeo primò si enim aliquid obstaret, maximè quia iam haberet specie proprias effectus; hoc tamen nihil impedire poterat: Siquidem posset non vti illa specie propria, sed solum aliena, nempe causæ; atqui in cognitione rerum per species alienas potuit Deipara vti discursu, sicut & nos: ergo potuit vti discursu in cognitione effectus propter causam. Secundo sic arguo: Potuit in Deipara cognitio alicuius effectus propter causam subsequi aliam cognitionem antecedentem, à qua moueretur; ergo potuit ex prima cognitione, secunda oriri, ac ita discursiua esset, cognitio enim excitans, ac mouens est aliquo modo causa alterius, vt patet in nostro discursu, & in actu intellectus excitante, ac mouente actum voluntatis. Deinde ibi adest multiplex actus cum dependentia vnius ab alio, quid ergo desideratur ad discursum? Subiiciamus exemplum: dari poterat in Deipara cognitio præcedens repræsentans causam, & connexionem cum effectu, hæc autem cognitio excitare poterat cognitionem aliam attingentem directè effectum propter causam, vt videre est in nostro discursu scientifico à priori. Poterat etiam gratiam sanctificantem noscere in seipsa, & poterat cognoscere per influxus ad actus virtutum, vt per effectus; sicut enim nos licet

Poterat B. Virgo vti discursu per scientiam infusam.

habeamus

habeamus propriam speciem amici, possumus illum ex ipsius voce per verum discursum deprehendere, sic etiam poterat B.Virgo habitum fidei per ipsius actum cognoscere. Addiderim illam ipsam rem, cuius propriam speciem habebat Deipara, per hanc scientiam infusam, dum eam percipiebat per propriam speciem, potuisse Deiparam simul illam per discursum cognoscere. Ita Bernal. de Incarn. disp. 35. sect. 4. num. 97. de Christo differens, adhibetque hoc exemplum, per quod poterat hunc efformare discursum: *Visio clara Dei, in se ipso est beatifica: Hic actus est visio clara Dei in se ipso: ergo hic actus est visio beatifica.* Ille actus per quem in minori propositione repræsentabatur hæc notitia, habebatur per propriam speciem illius; atque adeò dum rem aliquam cognoscebat Christus, & etiam Deipara in se ipsa immediatè; & per propriam speciem, simul de illa poterat verum efformare discursum.

Bernal.

977. Oppones primo B. Virginem per vnam speciem, ac per vnum actum posse cognoscere plura, causam, scilicet, & effectum; ergo non vtebatur discursu. Sed hoc solùm probat Virginem Deiparam non indiguisse discursu, non tamen probat non potuisse pro libito vti discursu.

Oppones secundò scientia infusa per proprias species attingit res, vt sunt in se; ergo non per discursum; implicat enim discursum esse per se infusum. Antecedens distinctione indiget attingit res vt sunt in se, id est non diuerso modo, ac ipsæ sunt; verum est Antecedens: Attingit vt sunt in se, id est res in se ipsis per solam ipsarum veritatem, & non propter aliam, tunc falsum est antecedens; nam vtroque modo est cognoscibilis effectus: ergo discursus non potest esse per se infusus. Neganda est consequentia, non enim dicitur per se infusus, tanquam à solo Deo productus, si enim id ita esset, nullus huius scientiæ actus dicendus esset per se infusus, cùm habitu concurrente producatur; dicitur ergo per se infusus, quia producitur à principio, vel principiis ipsi potentiæ superadditis; quæ non possunt nisi à solo Deo produci, quales sunt species, & habitus huius scientiæ, & reliqui habitus reliquarum virtutum in entitate supernaturalium.

Oppones tertio, per habitum principiorum non potest intellectus eadem principia attingere per discursum, nam ille habitus exigit immediatè, & simplici intuitu attingere principia; qui modus repugnat discursui: sed etiam scientia infusa exigit attingere effectum simplici intuitu: ergo non poterit illum attingere per discursum. Respondeo maiorem veram esse de habitu adquisito, qui limitatus est ad vnum modum cognoscendi, cùm sit productus ab actibus simpliciter tendentibus in principia: falsa verò est Maior, de scientia per se infusa, quæ ex eo quod sit veluti potentia, extenditur ad varios modos cognoscendi: Ad minorem, dictum iam scientiam infusam per se posse vtroque illo modo attingere obiectum.

978. Rursus percontaberis an Deipara vsa fuerit per hanc scientiam compositione, vel diuisione. Vti autem compositione nihil aliud est, quàm sic se habere intellectum in affirmatione, vt prius saltem natura attingat subiectum, & prædicatum distincto actu apprehensiuo, & postea per alium actum iudicij tribuat prædicatum subiecto; sic etiam vti diuisione est prius saltem natura attingere terminos obiectiuos per diuersam apprehensionem: postea actu iudicij negare prædicatum de tali subiecto. Modò circa compositionem existimo potuisse Deiparam vti in compositione per hanc scientiam, quando termini obiectiui realiter inter se differebant; poterat enim illos terminos seorsim, & per actus distinctos priùs attingere, & postea de illorum conuenientia iudicium efformare. Si verò termini obiectiui realiter non dissidebant, existimo non potuisse Deiparam per hanc scientiam vti compositione, tunc enim oporteret priùs apprehendere inadæquatè subiectum, & inadæquatè prædicatum, & vtrumque per rationem distinguere, quæ imperfectio non cadit in scientiam per se infusam, saltem in entitate supernaturalem.

De diuisione autem censeo potuisse liberè vti diuisione, aut non: Nam tametsi per vnam speciem impressam, cognosceret omnia obiecta, adeòque vno simplici actu poterat efformare iudicium, scilicet vnum non esse aliud, vt lapidem non esse hominem; verùm poterat pro libito per vnum actum apprehendere solum hominem, & per alterum apprehendere solum brutum, & per tertium postea iudicium ferre hominem non esse brutum.

979. Vltimò rogabis an Virgo Deipara per hanc scientiam vti posset conuersione ad phantasmata. Huius autem conuersionis ad phantasmata duplex tradi solet vsus. Alter qui situs sit in connexione, & naturali dependentia cognitionis à phantasmate, & hic est vsus proprius; alter improprius, qui tunc reperitur, quando homo exercet alicuius obiecti cognitionem independenter à phantasmate, & concomitanter elicit aliam eiusdem obiecti cognitionem corpoream, propriam phantasiæ. Nunc absolutè dicendum censeo non potuisse Deiparam, per hanc scientiam infusam supernaturalem vti conuersione ad phãtasmata. Quod sic suaderi potest, hæc enim cùm sit in entitate sua supernaturalis, & per proprias obiectorum species suos eliciat actus, omninò est independens à corpore, sicut scientia Angelorum, ac proinde independenter se gerit ab omni operatione à corpore dependente, qualis est phantasiæ cognitio, quamuis hæc esset indiuisibilis, & spiritualis. Deinde vsus ille conuersionis improprius caret idoneo fundamento. Enim verò si Deipara dum per hanc scientiam independenter ab omni phantasmate attingebat Iosephum, & simul producebat phantasma ipsius Iosephi, profectò hoc phantasmate producto, & posita sympathia inter phantasiam & intellectum, necessariò eliciebat aliam cognitionem eiusdem Iosephi naturalem, & ab illo phantasmate dependentem, quare tunc verissimum erat Deiparam per intellectionem hanc naturalem Iosephi, vti conuersione ad phantasmata; non autem per cognitionem priorem ortam à scientia infusa supernaturali; concomitantia enim illa valdè per accidens se habebat: Deinde respectu illius actus scientiæ supernaturalis æquè concomitanter se habet intellectio Iosephi dicta, quæ fit cum dependentia à phantasmate, ac ipsum phantasma, sicut ergo per actum scientiæ supernaturalis non dicitur Deipara vti conuersione ad intellectionem naturalem, ita neque dicenda est vti conuersione ad phantasma in illo euentu.

B. Virgo per scientiam infusam vti non poterat conuersione ad phantasmata.

PALÆSTRA XIII.

De Scientia per ſe infuſa in entitate naturali Virginis Deiparæ.

OBIECTVM huius ſcientiæ in eo differt ab obiecto ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis, quòd ſit merè naturale; at obiectum ſcientiæ infuſæ ſupernaturalis ſit tam ſupernaturale, quàm naturale, vt monuimus Palæſtra ſuperiori. Siquidem ſcientia infuſa naturalis debetur, & animæ ſeparatæ, & Angelis ad exigentiam naturæ, ſicut etiam deberetur homini condito in puris naturalibus, & in ſtatu naturæ integræ: hæc autem ſcientia cùm non ſit rerum ſupernaturalium, ſed merè naturalium, naturalis omnino eſt, nec obiecta ſupra naturam attingere poteſt. Coaleſcit autem ipſius totale obiectum ex obiectis omnium ſcientiarum naturalium, etiam illarum, quas anima ſeparata, & Angelus naturaliter obtinent, nempe Aſtrologiæ, Philoſophiæ, Theologiæ naturalis, Poeſeos, & aliarum, de quibus ſigillatim hic erit inſtituendus ſermo. Quidquid enim homo Viator ſcientiarum adquirere poteſt, natiua vi, id totum debetur Angelicæ naturæ, animæ ſeparatæ, ac potiori iure Virgini Deiparæ propter eius nobiliſſimam ſuper omnes dignitatem.

CERTAMEN I.

De habitu, & ſpeciebus impreſſis huius ſcientiæ in B. Virgine.

980.

SVPPONIMVS nunc cum communi Theologorum conſenſu, reperiri quaſdam qualitates permanentes in intellectu ab ſpeciebus impreſſis reipſa diſtinctas, quæ habitus vocantur, & facilitatem indunt ad actus. In intellectu igitur Mariano admittimus hos habitus, qui vnà cum ſpeciebus impreſſis conſtituunt vnam ſcientiam per ſe infuſam naturalem. De hac igitur ſcientia primo dubitari poteſt, an fuerit indita per ſe à Deo B. Virgini, an potiùs producta per actus? Reſpondeo habitum ſcientiæ huius inditum fuiſſe à Deo per ſe, ac proinde non fuiſſe per actus productum: cuius rei optima eſt illa congruentia; nempe quia anima Deiparæ iuxta exigentiam ſuæ naturæ, & dignitatis depoſcebat eſſe in actu primo completa, & expedita ad eliciendas notitias obiectorum huius ſcientiæ, ſicut ponimus eandem in actu primo expeditam ad facilè eliciendos actus bonos voluntatis, non enim minùs primum decebat, quàm ſecundum. Si autem ille habitus eſt prior natura, omni actu huius ſcientiæ, & illos produxit: ergo non fuit ab illis productus. Si autem vera eſt aliquorum Doctorum philoſophia, per quemlibet actum naturalem, ſiue intellectus, ſiue voluntatis, nouum habitum generari, licèt ſupponat alium in eadem ſpecie, & intenſione in eadem potentia iam inhærentem, tunc conſequenter concedendi eſſent habitus producti per actus, ſemper tamen illud manet firmum, ac ratum primos huius ſcientiæ actus ſupponere in intellectu habitum per ſe infuſum naturalem, quo potentia intellectiua conſtituatur in actu primo prompta, & expedita ad eliciendas ſuorum obiectorum notitias. Sed hac de re fuſior occurret ſermo, cum de ſcientia infuſa per accidens agam.

Scientia per ſe infuſa naturalis indita fuit à Deo B. Virgini.

Dubitabis vlterius, Vtrùm habitus ſcientiæ huius per ſe infuſæ naturalis in B. Virgine, ſit vna ſimplex qualitas? Exiſtimo non eſſe vnam, ſed aggregatum ex pluribus. Ratio eſt, quia cùm hæc ſcientia ſit in entitate naturalis, quæ produci poteſt, & comparari per actus, ac ſit verè facilitas inclinans ad eliciendos actus; ſed intellectus Virgineus non poterat vno actu omnia eius obiecta complecti, ſed per multos, adeóque habitus huius ſcientiæ in B. Virginis intellectu multiplex fuit; inditus enim fuit à Deo, ad eum modum, quo naturali vi à nobis ſolet produci; nos autem per diuerſos actus ſcientias naturales ſolemus adquirere, nempe diuerſas, iuxta obiectorum formalium diuerſitatem, imò & materialium.

Circa ſpecies impreſſas huius ſcientiæ ſupponimus, fuiſſe à Deo inditas B. Virgini in ipſo ſuæ conceptionis inſtanti. Primum patet, quia ſunt ſpirituales, adeóque non poterant ab obiectis corporeis deſumi, imò nec ipſa obiecta ſpiritualia fuerunt ſufficienter applicata, vt in animam, vel intellectum Virgineum phyſicè agerent. Tum præcipuè, quia eiuſmodi ſpecies ſunt vniuerſales, vt mox videbimus: Ergo non poterant ab obiectis ſingularibus produci. Poſterius ex eo etiam ſuadetur, quoniam electio B. Virginis in Dei Matrem, iam ab illo inſtanti illas depoſcebat, cur enim priuilegium differretur in aliud tempus, cum id deferatur primis parentibus in primo ſuæ formationis inſtanti? Niſi dixeris harum ſpecierum vſum in ſubſtantia naturalem etiam in B. Virgine fuiſſe connaturalem; At neque in primo formationis inſtanti, neque ætate tota infantili potuit naturalis eſſe; vt quid ergo inderentur hæ ſpecies, niſi tranſacto infantiæ tempore? Reſpondeo vſum illum fuiſſe naturalem ſecundum entitatem, præcipuè cùm B. Virgo ab inſtanti conceptionis fuerit rationis compos, quoad modum autem fuit ille vſus ſupernaturalis, non enim poterat quoad modum eſſe naturalis, donec anima ſepararetur à corpore. 981.

Scientia hac tam quoad habitus, quã quoad ſpecies indita fuit B. Virgini ab inſtanti Conceptionis.

Difficultas tamen eſt; vtrùm hæ ſpecies inditæ 982.

B. Virgini

B. Virgini à primo momento conceptionis essent vniuersales? Vocamus autem hic species vniuersales illas, quæ plura repræsentant obiecta; particulares verò, quæ singula repræsentant. Prima sententia tribuitur Scoto in 2. disput. 3. quæst. 10. Richardo, & Maiori, negantibus hanc specierum vniuersalitatem: Primò, quia species intentionalis est res indiuisibilis repræsentans rem, cuius est species: sed nequit eadem forma indiuisibilis esse similitudo plurium rerum dissimilium; ergo nequit dari vna species plurium rerum: si enim repræsentaret vna species plures res, vt inter se similes, non erit principium cognoscendi illas, vt sunt distinctæ. Hæc ratio nihil vrget; deneganda est igitur minor, quia species solùm est virtualis similitudo rerum, quas repræsentat; imò species expressa repræsentat formaliter omnia obiecta, quorum ipsa species impressa est virtualis solùm repræsentatio: res enim, quæ inter se sunt distinctæ, & oppositæ in verbo mentis eas repræsentante, nullam habent oppositionem, sicut nec in specie impressa illas virtualiter solùm repræsentante, vt patet in ideis diuinis, in quibus res oppositæ repræsentantur absque vlla inter se oppositione: species autem hæ intentionales sunt quædam idearum diuinarum participatio.

Scot. Richard. Maior.

Secundò arguunt: Species intentionalis sumit suam essentiam specificam ab obiecto, quod virtute repræsentat, & ad quod transcendentalem habitudinem dicit: ergo vna species vnum debet habere adæquatum obiectum: ergo solùm vnam repræsentare potest; si enim plures repræsentaret, neutra esset adæquatum obiectum ipsius, nisi sub aliqua ratione communi, vnde non repræsentaret illas, vt singulares, sed solum secundum rationem communem: vnde nec erit species plurium particularium, vt sic; si verò repræsentaret plura in ratione communi solùm, quatenus similia in vnitate illa formali, vel specifica, vel generica, & vt plura sunt; inde fieret quamlibet speciem intentionalem repræsentare infinita, vel indiuidua, si ratio illa esset specifica, vel si esset generica repræsentaret species infinitas, quod neque in Angelis, neque in B. Virgine admittendum est. Respondeo adæquatum obiectum vnius speciei intentionalis esse aggregatum plurium rerum singularium, quatenus datur in illis aliqua conuenientia, vel in modo suæ essentiæ, vel in aliqua conditione, ratione cuius aptæ sunt magis inter se coniungi, vt sint repræsentabiles ab vna specie, potius quàm cum aliis rebus: Hæc autem ratio conuenientiæ non est ratio communis ad eum modum, quo lumen, & albedo; quamuis non conueniant in aliqua obiecti sensibilis ratione, satis est si in modo emittendi species ad visum conueniant, vt vnum adæquatum obiectum componant in ordine ad potentiam visiuam; Idem dici potest de obiecto sensus communis: Sic res repræsentabiles per speciem, non est opus, vt conueniant in aliqua ratione communi, sub qua species intentionalis illas virtute repræsentet, neque erit necessarium, vt species repræsentans plura indiuidua repræsentet omnia æqualia, quia nulla est connexio inter ea, plus enim requiritur ad repræsentandum omnes res, quàm aliquas solùm.

983. Censeo ergo B. Virgini ab instanti cognitionis inditas esse species repræsentantes plura obiecta. Quia istæ species sunt possibiles, & sunt participatio quædam diuinarum idearum; sed idea, & exemplar diuinum res plures repræsentat: ergo dari potest aliqua participatio, quæ illud imitetur. Si qua verò creatura iure Dei idea dici potest, nulla potiori titulo, quàm Deipara. Roboratur, quia hæc specierum vniuersalitas in Deipara, nullo ex capite repugnat, neque excedit naturalem capacitatem intellectus Virginei, cùm illas plures Doctores Adamo, & Salomoni attribuant; ergo ratione dignitatis debebatur maior intelligendi virtus, ac superior Deiparæ, ita vt per vnum principium plura posset attingere obiecta. Secundò, probatur assertum, quoniam virtutes productiuæ diuersorum effectuum, & diuersæ in diuersis causis possunt vniri in eadem simplici entitate ob maiorem excellentiam alicuius causæ superioris; sic videmus vim producendi calorem, & vim producendi lucem, quæ in aliis causis re differunt, in Sole vniri in eadem luce: & virtutes sensuum externorum vniri in vnico sensu interno: ergo pariter diuersæ virtutes diuersarum specierum intelligibilium circa diuersa obiecta, non solùm numericè, sed etiam specificè diuersa, poterunt vniri in eadem numerica specie intelligibili, quia vis repræsentandi in specie, nihil aliud est, quàm vis productiua cognitionis; vis autem productiua ad plures effectus extendi potest.

Obiicies: Si vna species intelligibilis posset multas essentias repræsentare, posset etiam repræsentare infinitas: quod nequit admitti; quia fieret talem speciem esse infinitam: Si enim ad repræsentandum vnam naturam requiritur aliqua perfectio, ad repræsentandum duas, maior vtique perfectio requiretur: ergo ad repræsentandum infinitas, infinita perfectio. Respondeo; bene procedere argumentum de augmento infinito in perfectione, quando augetur eadem forma secundum intensionem, vel extensionem, secus verò, quando non augetur eadem forma, sed fit transitus ab vna natura specifica in aliam essentialiter inæqualem, vel ab vno indiuiduo, in alterum indiuidualiter inæquale, nam ad repræsentandum aliquod obiectum requiritur species intelligibilis alicuius perfectionis, & tamen ad repræsentanda infinita obiecta non requiritur species infinitæ perfectionis, sed species quædam finita perfectior, & altioris naturæ, & speciei. Intellectus autem affectus specie repræsentante infinita obiecta, non posset simul cognoscere infinita, ob naturalem intellectus limitationem ex sua vi oariua, quia quò plura obiecta attingit, eò minus ad singula aduertit. 984.

Insurges secundo aduersus eiusmodi species inditas B. Virginis: Si enim B. Virgo ab instanti sui conceptus habeat has species congenitas, fieret inde species illas repræsentare non solùm possibilitatem, sed etiam actualem existentiam rerum, ac proinde B. Virginem potuisse ab initio cognoscere obiecta, etiam vt actu existentia, & præsentia, ac per consequens potuisse decipi existimando obiecta existere, antequam actu essent; sicut oculus habens speciem rei coloratæ, vt existentis, rem coloratam, vt actu existentem intueretur, si species conseruaretur obiecto destructo: Si ergo species illæ eodem modo repræsentant, ac si obiectum præsens esset; infertur etiam speciem repræsentantem obiectum, vt præsens est posse vt sic illud repræsentare, etiam in absentia ipsius obiecti. Nec dicas speciem illam inditam B. Virgini repræsentare ab initio obiectum solum 985.

lum vt possibile; At cum obiectum teipsa extra causas producitur, modificari speciem illain per modum quemdam realem superadditum ad repræsentandam existentiam obiecti, cessante verò existentia obiecti, destrui illum modum. Hæc enim responsio omninò reiicienda est, tum quia talis modus efficienter concurret ad cognitionem obiecti existeotis; meliot autem Philosophia docet nullum modum actiuum esse, tum quia possibilis species infusa habens vim repræsentandi actualem existentiam obiecti; ergo hæc erit admittenda in B. Virgine. Quocirca melius occurritur obiectioni propositæ si asseramus non concedi naturaliter B. Virgini vsum earum specierum ad cognoscendam existentiam obiectorum, antequam re ipsi existant, tametsi species illæ ab initio habeant vim repræsentandi obiecta non solum vt possibilia; sed etiam vt existentia. Cuius ratio ea est, nam eiusmodi species inditæ sunt naturâ sua ad efficiendam cognitionem rei, sicuti est, ac proinde ex ipsarum natura non datur illis concursus ad efficiendam cognitionem rei, vt existentis, antequam existat, adeóque neque ad efficiendam cognitionem falsam. Quare vt species indita concurrat ad cognitiooem obiecti, vt existentis vel præsentis, opus est, vt obiectum existat, vel præsens sit, quia ante ipsius existentiam vel præsentiam, non tribuit Deus concursum speciei ad eam cognitionem efficiendam necessarium, quia species illa est talis naturæ à Deo indita, vt scilicet repræsentet rem sicuti est, & non est debitus illi coucursus ante existentiam obiecti. Dispar autem est ratio de speciebus sensibilibus, cùm enim hæ non infundantur, sed ab obiectis producantur, non apparet ratio, cur non sit debitus illis concursus ad cognitionem rei, vt existentis, siue res existat, siue non.

Replicabis; B Virgo poterat ab instanti cognitionis illas species inditas proprias, vt erant in se attingere: Ergo cùm tales species haberent vim repræsentandi obiecta vt existentia, poterat ex earum perfecta cognitione deducere notitiam futurarum, quia cognosceret illas species aliquando repræseotaturas obiecta existentia, quæ tunc quando Deus illas indidit, non existebant. Respondeo B. Virginem non potuisse elicere ex cognitione specierum illarum rem aliquam esse futuram, sed solum mediis illis speciebus potoisse cognoscere obiecta vt existentia, si producerentur; An verò talia obiecta de facto producenda essent, necne, per causas liberas, non potuisse percipere viribus solins naturæ.

986. Quòd verò eiusmodi species fuerint inditæ B. Virgini; præter dicta initio congessus huius. Probatur, quia ad perfectionem intellectus Virginei id spectabat; si enim indecens putant Theologi, Angelos conditos fuisse cum ignorantia, quia dedecebat Angelicam naturam, ideoque admittunt in illis eiusmodi congenitas species ab initio creationis; idemque dici solet de Adamo, ne haberet in statu Innocentiæ huius ignorantiæ imperfectionem: Ergo à fortiori hæ species in B. Virgine à primo sui conceptus momento sunt admittendæ, quia condita fuit in perfectione status Innocentiæ, vt diximus: enimverò cùm rerum omnium scientia, quæ à primo conceptionis momento donata fuit, non ad breue tempus, sed vt iugis esset in illa, non ex iugi, & actuali cognitione necessaria, sed vt pro libito vteretur, necesse fuit, vt species ipsi infererentur, quarum ope & munere scientia rerum naturalium ipsi adhæresceret. Quod priuilegium valde Deiparæ digniaratem decuit, cùm omnium Regina, ac Domina inaugurabatur. De qua D. Chrysol. serm. 142. *Quam, ait, nasci, & vocari Dominam ipsa sui germinis fecit, & impetrauit authoritas.* At Imperatricem, ac Dominam rerum, quæ ipsius Dominio ac principatui subduntur, notitiam plenam habere decebat; id enim status, & conditio Virginis deposcebat ad tectum, ac prouidum imperij regimen. Sic Deus cœlos condidit, quæ omnia, quæ sub hoc totius orbis ambitu cootinenrur, moderantur, ac regunt; ideò etiam omnia sinu suo cohibent, ac comprehendunt: Ita dum Marianum cœlum condidit Deus cœlorum omnium latitudine capacius, vt omnium rerum principatum teneret; ideo opus fuit, vt res omnes comprehenderet, ac perfecta illarum cognitione cohiberet. Ineptus enim omninò ad gubernandum alios censebitur, qui illorum indoles, & ingenia non penetrauerit, ac perfecta notitia non comprehenderit.

Chrysol.

Ineptus ad aliorum regimen qui captu suo illos non comprehendit.

B. Virgo quia omnium reginam hominum illos cognitione dignouit.

CERTAMEN II.

Vtrùm species per se infusæ B. Virginis fuerint perfectiores, & vniuersaliores speciebus inditis Angelis.

INnoui superiori Palæstra certamine IV. species infusas supernaturales in entitate fuisse perfectiores, & vniuersaliores, quàm in Angelis. Eadem nunc vestigia terens, ausim dicere species per se infusas in entitate naturales animæ Virgineæ, & perfectiores, & vniuersaliores fuisse intra latitudinem ordinis naturalis, speciebus per se infusis in entitate naturalibus Angelorum. Suaderi potest hoc placitum, quia negari non potest communicari à Deo posse alicui puræ creaturæ scientiam in entitate naturalem perfectiorem in claritate, & multitudine obiectorum, quàm sit scientia infusa per se in entitate naturalis Angelorum: ergo de facto ea scientia est deferenda B. Virgini, cùm obstet nihil, & dignitatem Matris Dei deceat. Cùm autem intellectus Angelicus perfectior sit in entitate, quàm B. Virginis, necesse est, vt ad perfectiorem & clariorem notitiam communicetur ipsi B. Virgini perfectior species impressa, aut lumen, seu habitus, vel vtrumque; fieri enim non potest cum æquali specie, vel lumine inferiorem intellectum perfectiorem cognitionem elicere. Asserendum ergo est animæ B. Virgini communicatas fuisse species vniuersaliores, id est plurium rerum, quàm Angelis, ita vt hæc scientia per se infusa in entitate naturalis in Maria ad plura obiecta protenderetur, & ex hoc capite perfectior etiam esset: tum etiam inditas fuisse perfectiores species, quarum virtute expressiori, & clatiori notitia, quàm Angelus eadem obiecta B Virgo attingeret; licèt enim natura Angelica altior, & sublimior sit omni natura humana, atque B. Virginis; propter electionem autem ad Maternitatem Dei debebatur perfectior, ac vniuersalior tendendi modus in obiecta, vt patet in Christo D. qui cùm inferior esset Angelis in natura, at in his speciebus per se infusis, & in entitate naturalibus longè Angelos superauit, iuxta Vasq. tom. 1. in 3. part. disp. 52. c. 4. num. 27. Vasq.

987.

Species infusa naturales & perfectiores, & vniuersaliores indita B. Virgini, quàm Angelis.

Roboratur

Roboratur quia B. Virgini licèt inferioris naturæ collata sunt priuilegia supernaturalia, nempe gratiæ, & virtutum infusarum, & alia eiusmodi multa perfectiora, quàm omni naturæ Angelicæ: Ergo cum proportione priuilegia, ac dona naturalia sublimiora, ac præstantiora collata fuêre.

Suaderi potest secundò: perfectiori actui amoris perfectior cognitio respondere solet; Atqui B. Virgo perfectiori amore naturali ferebatur in Deum, quàm Angeli, cùm vrgentiora motiua huius amoris B. Virginem stimularent, nempe quia Mater naturalis Christi se sola sine patente: ergo perfectior cognitio inerat B. Virgini: Ergo saltem iam admittitur in ea aliqua perfectio in entitate naturalis, quæ superet perfectionem aliquam eiusdem ordinis in Angelo. Confirmatur, quò quis propiùs accedit Deo, magis participat de simpliciori, & altiori intelligendi modo Dei: sed B. Virgo est propinquior Deo, quàm Angeli: Ergo etiam nobiliorem intelligendi modum sortita est.

988. Postulabit aliquis, quam vniuersalitatem habeant eiusmodi species inditæ Deiparæ. Aliqui enim aiunt inferiorem Angelum cognoscere superiores intelligentias per particulares species, non verò per vniuersales; At verò omnia sibi inferiora obiecta per species vniuersales attingere, quia superior Angelus respectu inferioris est obiectum excedens aliquo modo virtutem; ideóque tam actus, quàm species repræsentans vnum Angelum superiorem sunt adæquata virtuti Angeli inferioris, atque adeò species vniuersales respectu superiorum Angelorum, non dantur inferiori Angelo, sed particularis; ita Suar. de Angelis lib. 2. cap. 14. num. 14 Iuxta hunc dicendi modum diceret aliquis B. Virginem cognoscere Angelos per particulares species, quia sunt sibi superiores in natura; Alios item homines, quia sunt sibi naturâ æquales; Reliqua autem obiecta inferiora attingere per species vniuersales. Sed non video vrgentem rationem ad id asserendum; neque de Angelis inter se, neque de Deipara in ordine ad Angelos, neque aliqua repugnantia apparet, quòd Angelus inferior videat aliquos superiores per speciem vniuersalem: Sed quidquid sit de Angelis; Suar.

989. De B. Virgine dicendum videtur, per species vniuersales posse attingere plures Angelos: quia licèt ipsi Deiparam superent in natura, ab ea tamen longè superantur in perfectione, ac dignitate. Imo aliquis affirmare posset inditas fuisse B. Virgini species ita vniuersales, vt quælibet repræsentaret omnia multiplicabilia intra eandem speciem, nulla enim repugnantia obtendi potest, vel ex parte rerum repræsentatarum, neque ex parte speciei; non enim ad hoc opus est perfectione infinita in specie, sufficit finita, in altiori tamen ordine; nec opus est, vt sit supernaturalis, vt bene probat Suarius cit. num. 13. Et ratio est; quia totum illud obiectum repræsentatum per speciem finitum est, & ordinis naturalis; cur ergo non poterit repræsentari specie in entitate naturali, & finita? nec enim opus esset, vt species illa per infinitos gradus augeretur, quò plura obiecta repræsentaret, sed sufficeret entitas indiuisibilis altioris essentiæ, & eminentioris naturæ, licèt finita in illo gradu, & intra limites entis naturalis. Cui sentiendi modo libenter subscriberet Henricus in speciebus Angelorum; nam quodlib. 5. quæst. 14. affirmat Angelum per habitum quem-dam scientialem (qui iuxta explicationem Suarij cap. 13. num. 2. non differt à specie quadam vniuersali intentionali,) cognoscere rerum omnium quidditates: verba Henrici hæc sunt: *Habitum illum esse perfectum ad omnia ab Angelo naturaliter cognoscibilia, qui virtute est omnia scibilia ab ipso, & naturalem colligationem habet ab ipsa, non secundum quod sunt, vel nata sunt extra subsistere, hoc enim accidit scibili, secundum quod scibile est, ex hoc enim sole est aliquid scibile simpliciter, quia est aliquid per essentiam habens rationem extra rem in Deo. Angelo ergo creato, & tali habitu naturaliter concreato, habita illo inclinabitur ad cognoscendum rerum omniam quidditates*: vbi Henricus manifestè loquitur solum de rebus possibilibus. Nec contradicunt huic opinandi modo, qui docent non esse necessarias species Angelis ad cognoscenda obiecta, sed per solam suam simplicem sui intellectus entitatem esse in actu primo completo ad cognitiones omnes naturales quorumcumque obiectorum naturalium: aiunt enim Angelum in se habere connaturale principium ad cognoscenda omnia obiecta; & licèt speciebus non vtatur, habere tamen aliquid eminentius illis, nempe se ipsum, & posse si velit illa cognoscere, quia substantia Angeli sufficienter deseruire potest per modum speciei, vt rem quamcumque possit cognoscere. Ita tenet Altisiodor. lib. 2. summæ tract. 5. cap. 4. Vdalric. lib. 4. sum. apud Carthusianum in 2. disp. 3. quæst. 5. Hi omnes huic sententiæ non refragabuntur ob difficultatem, seu impossibilitatem specierum infinita repræsentantium; cùm aliis ex capitibus has vniuersalissimas species, ac perfectissimas in modo clarius, & exactius obiecta repræsentandi maximè B. Virginem decere ostenderimus. Henriq. Altisiod. Vdalric.

Oppones primò D. Dionys. de diuinis nomin. cap. 7. asserentem animæ rationali naturale esse per signa inferiora, & diuidua obiecta cognoscere: Angelicam verò naturam vniuersaliùs cognoscere: & D. Thom. quæst. disp. de Anima hæc habet: *Quanto substantia spiritualis fuerit primo Agenti propinquior, tanto in summa natura simplici perfectione habet bonitatem suam, & minus indiget inhærentibus formis ad sui completionem, & hoc quidem gradatim producitur vsque ad animam humanam*: ergo anima rationalis B. Virginis per species minus vniuersales obiecta attingebat, quàm Angelus. Respondeo hos Patres solùm locutos de anima rationali in communi, quæ proculdubio per minus vniuersales species attingit obiecta, quàm sint species Angeli; sicut autem anima Christi D. licèt inferior Angelis, cognoscebat obiecta naturali scientia per species inditas vniuersaliores, & perfectiores, quia id totum debebatur propter propinquitatem, & vnionem ad Verbum; ita cum proportione censemus animam B. Virginis, licèt eiusdem speciei cum nostra, adeóque inferiorem Angelis in natura, propter propinquitatem cum Christo, cuius Mater naturalis futura erat, inditas ei fuisse species vniuersaliores, ac perfectiores à principio conceptionis. 990. D. Dionys. D. Thom.

Oppones secundo ex D. Thom. 3. contra gentes cap. 98. vbi negare videtur esse possibilem speciem repræsentantem omnia possibilia, quia illa species excederet proportionem ad quancumque determinatam, ac limitatam naturam. Respondeo nulla ratione excedere proportionem naturæ creatæ speciem illam; imo iuxta aliquos nihil implicat dari speciem ita perfectam, & vniuersalem, *Supremus Angelus per vnicam speciem vniuersalissimam attingit omnia obiecta naturalia.*

lem, vt omnia extra Deum intelligibilia repræsentet. Caiet. Imo Caiet.de facto ait, supremum Angelum omnia extra Deum, per vnicam speciem intelligere,& Suar. Suar. lib.2.de Angelis cap. 16. num. 11.ait, nullum videri inconueniens de facto supremum Angelum naturalia omnia per vnam speciem cognoscere,nec esse incredibile id fecisse Deum ad ostensionem potentiæ suæ,& vt infra naturæ ordinem se summo quodam bono communicaret,quæ congruentiæ intellectui Mariano multo felicius adaptari possunt, in qua exornanda naturæ dotibus, ac gratiæ priuilegiis perpolienda,naturæ, & gratiæ Author fecit potentiam in brachio suo,& fecit illi magna,qui potens est; quod de nulla creatura, nec de supremo Angelo vnquam suspicatum fuit:Quæ omnia ex dicendis sequenti congressu dilucidiora fient.

CERTAMEN III.

Vtrùm B.Virgo per has species infusas per se in Entitate naturales omnia possibilia ordinis naturalis posset attingere.

SVmimus hic res naturales, quatenus contradistinguuntur ab operibus gratiæ, & quæ sunt ordinis supernaturalis, & quæ ad miracula renoeantur. Quare complectimur omnes res possibiles,quæ sunt intra eundem gradum, & ordinem cum rebus jam creatis, quales sunt alij mundi producibiles;alij Angelorum ordines,&c.Quærimus ergo vtrum B. Virgo naturalem harum rerum cognitionem, ac species inditas earum haberet.

991. Communis ferè omnium Doctorum opinio affirmat,vel potiùs supponit,tanquam certum B. Virginem non potuisse cognoscere res omnes possibiles ordinis naturalis, ac proinde ei non fuisse inditas rerum omnium possibilium species. Id enim neque Angelis tribuitur, vt probat Suar. Suar. de Angelis lib.2. cap. 13.num.10. neque primis Parentibus, vt probat idemmet Suar. de opere 6. dierum;imò communior opinio id ipsum de Anima Christi negat: Turr. Vide Luysium Turrianum in selectis disput. 16. dub. 11. imò aliqui Doctores opinionem asserentem animam Christi D. de facto videre in Deo omnia possibilia graui inurunt censura: Zumel. Zumel 1.part.quæst. 12 art 8.quæst. vnica conclus.4. docet esse errori proximam:Alij Ægid. temeritatis damnant apud Ægidium in appendice quæst.1.art.4 §.3.vbi ipse ait non esse tutam Valent. in fide. Valentia 1.part. disp. 1. quæst. 12. part. 6. *Animam Christi D. cognoscere omnia possibilia probabile est.* temerariam censet; & probari potest, quia extat damnatio Tarraconens. Inquisitorum, vt refert Aimericus in directorio Inquisitorum 2.p.quæst. 11.Sed dici posset hunc errorem neque referri à Aimer. Bernardo Lucemburgensi contra hæreses, verbo, Arnoldus de Villanoua; neque a Prateolo in Elencho hæresum,vbi referunt ex instituto huius Villanouæ errores, adeoque dubia manet illa Inquisitorum damnatio, & sub quo sensu talis fuerit damnata sententia in illo Arnoldo. Addit cit. Ægidius ex S.Thom.in qq.disp. q 8. de verit.art. 4.vbi docere videtur prædictam sententiam aduersari Patribus, nihil tamen illi adfauet S.Doctor, expressè enim ibi confutat sensum asserentium omnes Beatos in essentia diuina cognoscere omnia cognitione necessaria ex eo præcisè, quod videant diuinam essentiam. Qui verò tuentur animam Christi omnia possibilia intueri, vel etiam animam B.Virginis, hoc adstruunt fieri ex speciali priuilegio, non ex necessitate visionis Dei: solùm addit S. Thom.animam Christi videre omnia præterita,præsentia, atque futura,supponens non cognoscere possibilia omnia. Verùm nulla ibi censura ferit oppositam sententiam. Imo Suar.tom.1.in 3.part.disp.26. sect. 3.§. *Dico primo*,& lib.2.de attributis negatiuis c. 26. num. 12.& cap.22. num. 14. asserit oppositam sententiam sua non carere probabilitate. Suar. Vasq. 1. part. disp. 49. cap. 2. num. 5. docet non esse errorem Vasq. apertè damnatum in fide, & 3. part. tom. 1.disp. 50.cap.3.num.9.& 10. fatetur se hactenus non legisse damnatam à Pontifice vel Concilio. Aliqui Recentiores adstipulantur Suario, aiuntque esse probabilem. Ex quibus decidi potest quæstio illa, vtrùm B. Virgo cognoscat, & videat in patria omnia possibilia, tum etiam, vtrum in via omnia possibilia ordinis naturalis potuerit attingere.

992. P.Vasq. 1.part.disp.208. cap. 4. negat Angelos cognoscere res possibiles immediatè per species; & quia omnia momenta, quibus innititur, æquè de B. Virgine procedunt: hic ea referam, ac refellam. Primum, quia res possibiles sunt infinitæ: Ergo Deipara non posset illas omnes attingere; ergo nullam, quia non est maior ratio de vna, quam de alia. Sed parum vrget, quia concedimus Deiparam non posse simul attingere omnia possibilia, excedit enim id vires potentiæ finitæ, ac limitatæ; bene tamen poterit illas nunc; nunc alias possibiles res cognoscere:vt si ad has potiùs velit attendere, quàm ad alias, ex mera arbitrij libertate: itaque posset cognoscere singulas, vel quamcumque illarum distributiuè, non verò collectiuè. Deinde probat, quoniam possibilia sola Dei potentia continentur, ac proinde non sunt obiecta, quæ cadere possint in cuiuslibet Angeli potentiam, nec etiam B. Virginis, iuxta vires naturales. Sed minus vrget hæc ratio: falsum est ergo antecedens, quia res possibiles sunt ordinis naturalis, quòd si Deus eas extra causas posuisset, iam tunc essent proportionatæ potentiæ Deiparæ: Ergo & modò in statu possibili, quia sunt obiecta scibilia intra latitudinem ordinis naturalis.

993. Idcircò non nemo affirmare posset Virginem Deiparam ab instanti sui conceptus habuisse species per se infusas in entitate naturales rerum omnium naturalium possibilium, per quas posset illas cognoscere,vt possibiles. Suaderi potest, quia Henricus superiori congressu adductus id Henriq. Angelis concedere videtur per illa verba: *Habitum concreari Angelo,per quem inclinatur ad cognoscendum rerum omnium quidditates* Quæ verba capi debent de omnibus rebus possibilibus ordinis naturalis,iuxta Suarium de Angelis lib.2. c.13. n.2. Suar. Deinde Christo D.plures attribuunt species congenitas per se infusas in entitate naturales, rerum omnium possibilium ordinis naturalis. Videndus Bernal. de Incarnat. Bernal. Quod autem docet Suarius tom.1.in 3 p.disp.27.sect 4. & de Angelis lib.2.c.13. n. 12. Nihil repugnare communicari creaturæ scientiam omnium rerum possibilium extra Verbū per species per se infusas,& per lumē intellectuale ordinis supernaturalis; bene verò repugnare per species naturales commensuratas

lumini

lumini naturali creati intellectus, non cogit nos; nam cur dari non poterit scientia naturalis omnium possibilium? quòd si impossibilis, vel valde difficilis videatur infinita specierum multitudo, cur finita dari non poterit; quarum vnaquæque ad infinita obiecta, vel specifica, vel numerica repræsentanda protendatur? Quid, quod, quidquid difficultatis obtenderit Suarius contra nos, idem ipsi obiicere possumus admittenti in creatura aliqua non repugnare dari scientiam omnium rerum possibilium per species infusas ordinis supernaturalis. Nec officit si dixeris, quidquid repræsentatur per vnam speciem intentionalem, posse vnico simplici actu cognosci ab intellectu, ac proinde tunc actu cognosceret infinita. Respondeo enim, tunc solum cognoscere obiecta, quæ vellet temperando species intentionales ad hæc obiecta potiùs, quàm ad alia pro libito; si verum est non esse possibile intellectui creato propter suam limitatam virtutem per lumen naturale finitum, & mediis speciebus ordinis etiam naturalis ad infinita simul attendere.

994. *Potuit Deus indere B. Virgini species impressas ordinis naturalis omniū possibilium naturalium.*

Quod igitur Henricus attribuit Angelis, & alij Theologi Christo Domino; nos cum proportione B. Virgini deferimus, congenitas videlicet fuisse species rerum omnium possibilium ordinis naturalis, quibus si priuata fuisset, careret sine dubio maxima perfectione naturali, nempe speciebus rerum infinitarum, à se naturali vi cognoscibilium, ad quarum rerum notitiam naturalem, natiua vi propendebat potentia intellectiua B. Virginis. Rursus alia priuilegia multò maiora attribuuntur Mariæ, tam ordinis naturalis, quàm supernaturalis; cur hoc illam priuabimus? præcipuè cùm nulla appareat repugnantia, neque ex parte Deiparæ recipientis, neque ex parte Dei conferentis, nec ex parte obiectorum possibilium, nec demum ex parte specierum inditarum; imò plures congruentiæ id efflagitent.

Sed obiicis, repugnare primo. Quia inde sequeretur B. Virginem cognoscere potuisse vi natiua infinita obiecta. Neganda est illatio, actu enim nunquam cognosceret infinita simul, & collectim sumpta; per successionem autem in infinitum posset diffundere suam cognitionem, nunquam tamē infinita cognosceret simpliciter, sed solùm syncategorematicè; modò scilicet cognosceret hæc obiecta possibilia, modò illa, & sic in infinitum: sic autem nunquam exhaurire posset cognitione omnia possibilia obiecta, nec vnquam scientia esset actu infinita.

Secundò, ex prædicta sententia inferri videtur, Deiparam habere simul infinitas species intelligibiles: vnde admittendum erit infinitum in actu; contra communem, ac receptissimā Philosophiam. Profectò nihil pugnantiæ vnquam reperire potui, licèt admittatur infinitum in actu, maximè in speciebus intentionalibus; sicut de facto admittuntur infinitæ relationes; vel si mauis, dico infinita obiecta possibilia repræsentari per species finitas; siquidem nullum videtur inconueniens vnam speciem repræsentare obiecta infinita, vel in aliquo genere, vel specie, tunc autem species finitæ repræsentarent infinita obiecta, siue generica, siue specifica, siue singularia.

995. Hinc quilibet deducat probabilitatem sententiæ appositæ supra §. *Idcirco, nonnemo*, & quidem paritas desumpta à potentia receptiua semper vrget: Materia enim prima habet naturalem appetitum ad recipiendum successiuè infinitas formas, tam specie, quàm numero distinctas; potentia item intellectiua appetitū habet ad recipiendum species intentionales in infinitum, imò & ad recipiendum, & efficiendū infinitos actus intelligendi successiuè: si ergo est in actu primo ad recipiendas infinitas species, & ad efficiēdum infinitas cognitiones, cur implicabit, constituere illam in Virgine Deipara potente in actu primo proximo ad cognoscenda infinita obiecta possibilia successiuè. Et confirmari potest ex his, quæ docet Vazq. 1. p. d. 208. c. 4. videlicet Angelū certo cognoscere possibilia; quæ sunt in potentia naturali creaturæ productæ, & nunquam de facto producentur. Et ratio est, quia cùm Angelus habeat perfectam cognitionem cuiuscumque naturæ creatæ, & potētiæ eius, rectè cognoscet omnia quæ ab ea fieri possunt, quamuis non omnia simul cognoscere valeat; nam indiuidua omnia sunt infinita, & ad ea omnia simul attendere nequit; poterit tamen paulatim omnia cognoscere, quia nullum est, quod mente attingere nequeat, si velit attendere: quæ omnia in B. Virgine rectè quadrant, quæ superior longè fuit Angelis in cognitione rerum naturalium, & supernaturalium. Imò licèt concederemus, nulli Angelo collatam fuisse notitiā aliquorum possibiliū ordinis naturalis ex his, quæ à Deo solo produci possunt, & nunquam erunt, id tamen asserendum est B. Virgini non fuisse denegatum: licèt enim Angelo non videatur debita talis notitia; at B. Virgini propter immensam Maternitatis Dei excellentiam plus est tribuendum, quàm Angelis. Hæc autem possibilia, nunquam futura cognoscere poterat Deipara duplici modo. Primò, in causa, tanquam in obiecto cognito. Secundò, in seipsis, non enim videtur rationi conforme, vt quoties B. Virgo vellet cognoscere hæc possibilia, necessariò cognosceret causam, in qua continerentur. Habebat ergo species infusas proprias talium obiectorum, quibus posset illa in seipsis cognoscere, siue tales species sint distinctæ ab speciebus causarum, in quibus virtute continētur, siue non sint distinctæ.

CERTAMEN IV.

Vtrum B. Virgo attigerit sua cognitione res materiales omnes.

906. SVpponimus Adamum scientiam à Deo sibi inditam habuisse, vt tenet communis Scholasticorum cum D. Thom. 1. p. q. 94. art. 3. quā mediā rerum omnium materialium naturas internoscebat, vt ex sacro textu rectè deducitur Gen. 2. vbi Adamo condito omnia animantia adducta fuere, vt eis nomina imponeret, vbi subdit sacer textus: *Omne quod vocauit Adam; ipsum est nomen eius.* Ex quibus verbis non obscurè eliciunt Interpretes, tunc Adamum rectè calluisse singulorum animalium naturas, vt aptè, & iuxta cuiusque exigentiam eis nomina inderet: in hunc eum sensum exponit Eusebius lib. 11. de præparat. Euang. cap. 4. verba illa: *Ipsum est nomen eius:* id est, iuxta cuiusque rei naturam; ipsiusque exigentiam nomen vnicuique impositum, quod sine cuiusque animalis perfecta cognitione id præstare non posset. Hinc D. Chrysostumus homil. 14. in Genes. deducit ingentem rerum omnium cognitionem in Adamo, ait enim: *Quod magna Sapientia præditus fuerit, disce ex his, quæ nunc fiunt, & adduxit illa ad Adam, &c. Fecit hoc Deus demonstraturus nobis magnam illius* sapien-

D. Thom. Gen. 2. Chrysost.

sapientiam: Ne igitur subito prætereas, sed cogita, quanta fuerit sapientia, volatilibus, & omnibus congrua, & conuenientia sua natura imponit nomina. In cuius rei confirmationem insignia sunt verba

Eccles. 17.

Eccles. cap. 17. *Creauit Deus ex ipso adiutorium simile sibi: & disciplina intellectus repleuit illos. Creauit illis scientiam spiritus, sensu impleuit cor illorum; & mala, & bona ostendit eis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudent; & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.* Quę omnia perfectissimam rerum omnium cognitionem naturalem ostendunt.

997. Quo posito dicendum est primo. B. Virgo optimè calluit res materiales actu existentes, quia hæc cognitio necessaria ipsi fuit; alioquin plurima ignoraret, quæ ad suum statum pertinerent: si enim harum rerum scientiam propria sibi industria compararet, opus esset multo vitæ tempore plurima ignorare; nam rerum humanarum cognitio, longissimo vitæ spatio, ac magno labore adipiscitur, nec fieri posset, vt Deipara solis naturæ viribus veritatum naturalium cognitionem absque plurimorum errorum admistione consequi, quæ omnia tantam Virginem plurimum dedecebant: ergo ad singularem Authoris prouidentiam spectabat, animam B. Virginis ita perfectam condere, vt absque errore aliquo naturales veritates penetraret. Deinde primis parentibus indita fuit hæc rerum naturalium scientia, quia in animalia, ac cætera dominabantur: atqui idem dominium in B. Virgine cognouimus alibi, ad cuius vsum necessaria erat perfectissima rerum omnium scientia: ergo admittenda est in B. Virgine.

B. Virgo optimè calluit res omnes materiales actu existentes.

998. Roborantur dicta per præstantem illam sapientiam Salomoni diuinitus infusam, ab ipso descriptam Sap. 7. *Ipse dedit mihi horum, quæ sunt, scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium, & consummationem, & medietatem temporum, vicissitudinum permutationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes hominum, differentias virgultorum, & virtutes radicum, & quæcumque sunt absconsa, & improuisa, didici: omnium enim artifex docuit me Sapientia.* Quis autem credat Deum Salomoni tantam rerum omnium indidisse scientiam, ac Matri illam denegasse? in quam, vt docet Anselmus à D. Bonauentura relatus in speculo Deip. cap. 8. Deus omnes sapientiæ, & scientiæ thesauros effudit. Hanc rerum omnium actu existentium cognitionem attribuit Deiparæ Albert. Magn. vt refert D. Anton. 4. p. tit. 15. c. 18. §. 2. vbi ait: *Octaua conclusio; omnium creaturarum stantium cognitio fuit in Deipara, quam habuit per naturam, &c.* Deinde, vt vidimus, hæc rerum omnium cognitio exactissima primis Parentibus à Deo collata fuit; quod egregiè probat Hugo de S. Vict. de Sacram. p. 6. c. 2. & c. 13. cuius hæc sunt verba: *Primus homo secundum animam rationalis fuit, habens discretionem boni, & mali; scientiam quoque rerum, quantum ad principium primum conditionis pertinuit, perfectam. Nam sicut quantum pertinet ad perfectionem staturæ & ætatis humani corporis primum hominem perfectum credimus factum: ita quoque quantum ad animam, & cognitionem veritatis, & scientiam, eam dumtaxat, quæ primæ perfectioni congrua fuit, perfectam, mox conditum accepisse putamus; & ad illam non studio, aut disciplina aliqua per interualla temporis profecisse, sed simul, & semel ab ipso suæ conditionis exordio, vna, ac simplici diuinæ adspirationis illuminatione illum percepisse,* & cap. 13. hæc subiungit: *rerum omnium visibilium, quæ cum homine, & propter hominem facta erant, perfectam cognitionem hominem accepisse, nulli dubium esse debet. Nam idcirco ipse Creator, non à se, aut ab aliquo Angelo, singulis quibúsque animalibus; sed ab homine nomina formari voluit: vt manifestè ostenderetur, quod singulorum naturam, & vsum, & officia ex insita sibi ratione homo agnouit. Quæ enim propter illum creata erant, & ab illo regenda, & disponenda erant, horum omnium Deus illi, & scientiam tribuit, & prouidentiam reliquit.* Quæ omnia eò aptiùs de B. Virgine dici possunt, quò ad excellentius dignitatis fastigium destinata fuit. Demum harum rerum materialium cognitio multum conducere poterat ad cognitionem perfectam à posteriori Creatoris, iuxta Paulum: *Inuisibilia Dei, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Loquor autem de cognitione intuitiua, & perfecta: Directè ergo attingebat obiecta materialia, ac indiuidua existentia in se ipsis, & prout in se erant, mediis speciebus per se infusis naturalibus, ab initio menti Marianæ inditis. Quæ omnia luculentissimè confirmat Franciscus Ximenez Patriarcha Hierosolym. lib. 2. cap. 20. ex Doctore Lyconiæ, tum ex illustrium Virorum oraculis: *Ab instanti, ait, sui conceptus mentis oculum B. Virgo ad totius Orbis fabricam conuertit. Hominum item latè propagatam per orbem terrarum familiam considerans, mores, ingenia, noscebat. Syderum errantium, ac stellarum fixarum simulacra affabrè elaborata, annorum cursus, dierum, & horarum, ac temporum repetitas circumrotationes conspicabatur, cælorum motus, & stellas, imbrium stillas, maris arenas recensens. Noscebat etiam latè diffusas camporum planities, immensam orbis magnitudinem, diuersas animantium naturas, plantarum virtutes, arborum proprietates, elementorum pugnas, mixtorum diuersitatem.* Quid aptius nostro instituto dici aut excogitari posset.

Anselm.

Albert. M.

Adamo rerū omnium materialium actu existentium scientia indita fuit.

Hug. de S. Victore

Ximenez.

Percontaberis vtrum cognosceret Deipara has 999.
res materiales secundum esse essentiæ, vel etiam secundum actualem existentiam. In hac re, Censeo primo B. Virginem cognoscere rem per eandem speciem, & quoad essentiam, & quoad existentiam, quia essentia rei existentis non differt in re ab eius existentia, nec posset esse cognitio intuitiua rei actu existentis, quin simul attingatur rei ipsius essentia. Quòd si aliquando talis res actu non existeret, & cognosceretur à B. Virgine abstractiuè solùm secundum essentiam; tunc non esset opus alia specie distincta, sed per eandem, per quam essentia actu existens cognosceretur intuitiuè, per eandem cognosci posset essentia eiusdem rei abstractiuè; siquidem cognitio perfecta rei existentis includit cognitionem essentiæ, additque modum illum cognoscendi actu existentem, vtraque tamen cognitio eandem essentiam repræsentaret. Videndus Suar. de Angelis lib. 2. cap. 8. num. 2.

Suar.

Censeo secundo. Per easdem species, per quas Virgo Deipara attingebat indiuidua, poterat etiā cognoscere genera, species, & alia prædicata superiora illorum indiuiduorum. Ratio est, quia species indiuiduorum repręsentant completè omnem quidditatem eorum: ergo repræsentant omnia prædicata essentialia, siue specifica, siue generica. Dices cognoscere illa, sed tamen contracta, ac determinata à differentia indiuiduali: ad cognoscenda autem ipsa prædicata vniuersalia præcisa

cisa à differentiis indiuidualibus, indigere B. Virginem speciebus, quæ solùm vniuersalia prædicata repræsentarent. Neganda est consequentia; quia eadem species, quæ est medium cognoscendi indiuiduum, secundum omnem suam essentiam, poterit etiam esse medium ad cognoscendum partem essentię inclusæ in eodem indiuiduo. Quare si talis cognitio vniuersalium in B. Virginem cadere potuit, per easdem species, quibus indiuidua cognoscebat, poterat essentiam genericam, aut specificam contemplari, quia pro arbitratu suo vti poterat specie intelligibili, non iuxta omnem repræsentationem, quam continebat, sed solùm ex parte: sicut Angelus potest vti specie intelligibili repræsentante plura obiecta quatenus repræsentat v.g. Petrum, non verò Paulum. Nec enim decebat B. Virginem species repræsentans vniuersalia à Deo indita, hanc enim oportebat esse perfectissimam, vt res cognosceret modo perfecto sibi debito; species autem solùm repræsentans naturas genericas, vel specificas, ab indiuiduis præcisas non posset repræsentare res perfectissimo modo, cum non attingeret omnem quidditatem rerum: ergo denegandæ sunt eiusmodi species in Deipara solùm repræsentantes naturas communes, siue prædicata vniuersalia, à Deo inditæ: Nec enim naturæ Conditor illius rei videri vult Author, quæ à perfectione naturæ deuiat, quales essent illæ species, quæ prædicata vniuersalia solum repræsentarent.

1000. Rogabis; Vtrùm B. Virgo cognosceret prædicata communia generum, & specierum per conceptus præcisos ab inferioribus? In qua re duæ possunt esse sententiæ extremè oppositæ. Altera affirmat, quia id plures Doctores ipsis Angelis attribuunt; ergo idem dicendum de B. Virgine. Et ratio esse potest, quia liberum erat B. Virgini vti specie intelligibili adęquatè, & in tota sua latitudine, vel solùm inadæquatè secundum prædicata communia, in quo nulla ostenditur pugnantia; cùm indiuiduario non sit de intrinseca ratione communis naturæ: nihil ergo obstabit, quominus illa cognosceret à differentiis indiuidualibus præcisa.

Secunda sententia negat id de B. Virgine; quia fieri non potest, vt concipiatur natura communis à singularibus præcisa, quin illam distinguat ab indiuiduis per mentis opus, sed inuoluit imperfectionem huiusmodi cognitio in Virgine Deipara; ergo deneganda est. Maior certa est, quia quando aliquid ab alio secernitur, ab illo vtiq; distinguitur eo modo, quo secernitur; quod imperfectionem dicit in Maria, quæ cognoscebat rem sicuti erat re ipsa: in re autem talis distinctio non est; ergo Deipara non attingebat rationem communem ab indiuiduis præcisam; ideoque negatur in Deo talis cognoscendi modus, imò, & in Beatis, & in Angelis, quia cognoscunt res vt sunt à parte rei. Secundò suaderi potest hęc sententia, quia cognitio naturæ communis sic præcisæ, est confusa, & quodammodo ficta, non enim re ipsa ita præcisa reperitur, sicut concipitur; ergo imperfectionem secum adsportat, quæ tantam Virginem dedeceat.

1001. *Poterat B. Virgo cognoscere prædicata communia per conceptus præcisos ab inferioribus.* Hæc autem momenta non ita nos vrgent, vt cogant priorem deserere sententiam. Prima enim ratio solùm probat B. Virginem nō potuisse illam distinctionem efficere per rationem, media cognitione rei singularis, sicuti est. Poterat autem pro arbitrio suo nō cognoscere aliquod indiuiduum; & tūc attingeret rationem communem solùm, ita vt ex tali cognitione distinctio rationis inter naturam vniuersalem, & inferiora resultaret. Imò plures Theologi in tractatu de Visione, affirmant posse Beatum essentiam sine attributis videre, & vnum attributum sine alio. Rursus cognoscebat Deipara Verbum diuinum, non per voluntatem formaliter, sed per intellectū à Patre supero procedere: ergo nullum erat inconueniens, quòd cognosceret naturas vniuersales ab inferioribus præcisas. Instabis, repugnare, B. Virginem attingere obiectum per propriam speciem, & illud non cognoscere, sicuti est. Sed oportet distinguere illud, *sicuti est*: Potest enim denotare modū existendi, quem in re ipsa habet: tunc autem, antecedens solum est verū de cognitione intuitiua, & propria indiuidui actu existentis, non verò de cognitione abstractiua, quæ non fertur ad rem actu existentem. Potest etiam illud, *sicuti est*, denotare modum essendi; tunc autem cognoscens B. Virgo naturam vniuersalem à singularibus præcisam, cognoscit illam, sicuti est in esse essentiæ siue generico, siue specifico. Sola autem directa cognitio naturę pręcisæ ab inferioribus non facit formaliter distinctionem rationis, sed fundamentum præbet ad talem distinctionem, quæ completur per reflexam comparationem inter naturam, sic pręcisam, & re ipsa existentem in indiuiduis, quæ non videtur comparatio aliena à B. Virgine, cùm sit cognitio vera, & non falsa, aut ficta. Per quæ patet ad secūdam rationem: conceptus ergo naturæ vniuersalis solùm est præcisus à cognitione indiuiduorū, qui nullam fictionem formaliter includit; non enim per illum conceptum apprehenditur, seu asseueratur, naturam communem sic præcisam habere à parte rei modum existendi, quem habet in cognitione; solùm ergo per actum illum præscindētem naturam ab indiuiduis cognoscitur vnū sine alio, quod sine vlla falsitate, aut fictione fieri potest. Quia tamen hic concipiendi modus aliquam imperfectionem secum inuoluit propter quam Deo illum denegant Theologi; ideo assererem rarò extitisse in intellectu Mariano, quia imperfectus, otiosus, ac superfluus, nisi forsan aliqua admitteretur cognitio in B. Virgine de obiecto aliquo communi, quod distinctius nequiret cognoscere, vt si aliquod animal à longè videret, nec perciperet quodnam esset; tunc concipere posset aliquam rationem cōmunem animalis ab indiuiduis præcisam. Tunc autem ex vi istius actus relinqueretur species aliqua talis actus in intellectu B. Virginis acquisita, & non à Deo indita, quæ repræsentaret actum præteritum per modum recordationis rei præteritæ, neque repræsentaret naturam vniuersalem, seu præcisam, sed actum, quo natura præcisè fuit cognita.

CERTAMEN V.

Vtrùm B. Virgo futura præcognosceret in causis suis.

INferri necessariò videtur ex dictis, B. Virginem Viatricem potuisse futura cognoscere per hanc scientiam, per se infusam naturalem. Si enim 1002.
species à Deo inditas accepit omnium indiuiduorum existentium in aliqua differentia temporis: Ergo poterat attingere obiecta singularia antequam ponerentur in rerum natura. Nec enim dici potest cognoscere illa singularia solum vt possibilia, non vt futura, quia species illæ repræsentant vltra possibilitatem, existentiam in aliqua temporis differentia; imò eadem species inuariata, & absque vlla sui mutatione repræsentat rem futuram, & quando

existit, actu existentem. Ad pleniorem autem huius rei intelligentiam præmitto dupliciter posse cognosci futurum. Primo, quando cognoscitur in alio, nempe in causa, vt Eclypsis futura per cœlorum motus, pluuia futura, seu tempestas per signa cœlorum: Alio modo possunt cognosci futura in se ipsis immediatè per species ipsius rei futuræ. Deinde alia sunt futura, quæ naturali necessitate eueniunt, vt eclypsis, pluuia, &c. Alia, quæ contingenter, vel ex solo concursu plurium causarum naturalium, sine interuentu causæ liberæ, vel ex libertate alicuius causæ, quæ pro arbitratu agere potest, vel non agere.

B. Virgo præsciebat futura quæ ex causis necessariò agentibus proueniebant. Quibus præmissis assero primò. B. Virgo certò præsciebat futura illa, quę ex causis naturaliter, & necessariò agentibus proueniebant per easdem causas, per quas fiebant, quoniam Deipara certò noscebat causas naturales, earumdemque vim, & efficaciam; ergo per cognitionem earum, certò poterat prænoscere effectus ab ipsis caosis oritoros. Deinde hæc cognitio à Theologis tribuitur Angelis, de quo videndus Suarius de Angelis lib.
Suar. 2. c. 9. n. 4. Imò aliqui viri in Astronomia peritissimi plora futura præsciunt in causis necessariò operantibus: ergo hæc futurotum cognitio B. Virgini non est deneganda.

Assero secundo. Deipara certò prænoscebat futura contingentia, quæ à solis causis naturalibus, nollo agente libero interueniente, euentura erãt. Quia ex cognitione causarom omnium tam efficientium, quàm materialium, earumdemque concursus, certò effectus euenturus præsciri potest. Et ratio est quia ex aggregatione illa causarum in vnum confluentium, necessariò talis effectus prouenit, quia omnes necessariò agunt, quare vel necessariò inuicem se impediunt, vel talis effectus necessariò prodibit: inspecta igitur vi, ac potentia omnium causarum, illarúmque coucursu, certò præsciri potest futurus effectus. Sed hæc omnia Deipara penetrabat, singulas, nempe causas proximas, materiæ dispositionem, concorsus orbium cœlestium, ac sublunarium proximè influentium; ergo certò præscire poterat effectum futurum: tonc enim iam ille effectus potiùs necessarius, quàm contingens dicendus esset; dicitur autem contingens, quia ita procedit ab vna causa naturali, vt ab alia impediri possit: Vnde licèt, vt contingens, seu ex præcisa habitudine ad suam proximam caosam, non congnoscatur, vt infallibiliter futurus; tamen ex cognitione omnium causarum cognosci potest, quia respectu totius collectionis causarum iam non habet contingentiam, sed necessitatem: ergo cùm tota hæc causarum collectio sit naturali vi euidens B. Virgini, certò poterat cognoscere eiusmodi futura: nouerat enim efficaciam, ac propensionem, cuiusque causæ naturalis ad suos effectus, siue esset causa cœlestis, siue sublunaris; nouerat item omnes causas naturales, quæ occurrere poterant, & tales effectus impedire, & quid ex tali impedimento futurum, aot non futurum esset; ergo nouerat etiam effectus ex talibus causis prouenientes. Nec obest
Isai. 41. nostræ conclusioni illud Isai. 41. *Annunciate nobis futura, & dicemus, quod Dij estis*: Et alia similia testimonia, quæ adduci possunt: Exponenda enim sunt de effectibus futuris pendentibus à causa libera, vel cooperante, vel applicante causam naturalem ad operandum.

Insurges aduersus dicta primo: Quoniam illi
1003. effectus simpliciter sunt contingentes; vnde possunt esse, & non esse: ergo prænosci nequeunt in suis causis. *Respondeo* distinguens antecedens, vel in ordine ad causam proximam, vel in ordine ad causarum collectionem; quæ concurrunt ad efficiendum, vel impediendum effectus. Primo modo verum est antecedẽs: Secundo modo falsum; tunc enim effectus ille futurus est simpliciter necessarius, adeoque præsciri poterit à B. Virgine, sicuti & ab Angelis iuxta Soarium disp. 35. Metaphys. *Suar.*
sect. 4. n. 9. & tom. 1. de Relig. lib. 2. de superst. c. 8. n. 6. Vasq. item in 1. p. disp. 207. c. 2. *Instas*: frequenter hęc futura sunt effectus per accidens secuti, ad *Vasq.*
nullam enim caosam per se ordinari possunt, non enim illam habent; ergo nequeunt in causa cognosci. *Respondeo* licèt permittatur antecedens, neganda est consequentia, nihil enim obstat, quòd sit effectus per accidens, & tamen ex necessitate proueniat, posito enim tali ordine Vniuersi, & causarum concursu, necessariò euenit.

Insurges secundo. Nunquam certò cognosci posse neque ab Angelo, neque à Deipara concorsum huius, vel illius causæ non fore impediẽdum; cùm insurgere possint mille obstacula non solum ab aliis causis naturaliter operantibus, sed etiam ab Angelis, vel hominibus liberè operantibus. *Respondeo* assertum nostrum solũ loqui de effectibus contingentibus, qui futuri sunt ex concursu plurium causarum naturalium, nulla interueniente causa libera, quę effectum impedire possit, qui sine dubio plures dari possũt ex vi vniuersalis ordinis causarum prouenientes, quique per causas liberas auferri nequeant, hoc posito ordine Vniuersi: licèt autem causa prima possit hos effectus impedire, semper tamen Assertio sob hac condirione intelligenda, quòd scil. Deus ordinem naturæ non immutauerit, & suum concursum vniuersalem præstiterit. Addetem effectus prouenientes ex causis, quæ impediri possent, vel ab Angelis bonis, vel malis, vel etiam ab homioibus, quamuis ab ipsis Angelis cognosci non possent, quia sunt futura contingentia à libertate pendẽtia: forsan à B. Virgine ex singulari Dei priuilegio præcognita fuisse dum viueret vita mortali, quonia aliquid amplius deferendum est Angelorum Reginæ, quàm ipsis famulis: Dein Christo vt homini id concedunt Theologi, cur ergo repugnabit id ex singulari Filij priuilegio matri adscribere? ita vt illa futura, quæ aliquo modo ab agentibus liberis ortum habent, prænoscet, certa scientia supernaturali quoad modum. Scientia autem naturali non poterat hæc futura cognoscere, id enim inficiantur Theologi absolotè de omni creatura locuti de scientia omninò naturali.

Insurges tertio, ex illo Sap. 8. *Scit signa, & monstra antequam fiant, & euentus temporum, & seculorum*. Quæ verba diuinæ Sapientię solùm aptantur: 1004. *Sap. 8.*
Respondeo, primò & per se Verbo diuino, tum & Sapientię Incarnatæ conuenire. At per accommodationem Virgini Deiparæ aptari posse. Imò Lorinus ad illum locom. Vasq. tom. 2. in 1. p. disp. 27. *Lorin.*
c. vlt. Cantacuzenus apud Lorinum cit. Angelis, & *Vasq.* *Cantacuz.*
aliis sapientibus hominibus accommodant, qui ex cognitione causarum naturalium certò præsagire, ac prænoscere possunt, futura euenta ex signis cœlestibus, cometis, eclypsibus, & aliis impressionibus meteeologicis; de mõstris, siue aliis portentis præscire poterãt mira quædã effecta futura, quę vel copiam, vel egestatẽ, & alia eiusmodi portendant. Item ex coniunctione plurium causarum cęlestium, ac sublunariũ certò cognoscere possuot Astronomi, nedũ Angeli futuros cometas, eclypses, aliaq; meteora, tũ & futura, monstra terrestria,

ac portenta, sterilitates, famea, morbos, pestilentias, terræmotus, tempestates, & similia. Tametsi autem horum prænotio, haud certa semper in Astrologis, quoniam ægrè admodùm cunctorum syderum vires, influxus, & efficacia dignoscitur, vel quia ignoratur sæpè inferioris mundi natura, dispositio, materia, terrarum tractus, situs, ac temperies, omnisque causarum cumulus ad illa effecta futura concurrentium; cùm tamen multo perfectior cognitio omnium causarum, siue cælestium siue terrestrium B. Virgini insit; hinc tanquam certum pronuntiamus certam omnino prænotionem horum euentuum futurorum habuisse Deiparam. Quare verba præfata Sapientiæ intelligenda sunt cum distributione accommoda: Sapientia enim verè illa omnia scit; aliter verò Diuina, aliter Angelica, aliter Deiparentis, aliter humana scientia cognoscit; vnaquæque iuxta captum suum, humana scilicet aliquando scientificè, plerumque per coniecturas: Angelica verò per veram præscientiam ex cognitione completa omnium causarum naturalium: At Sapientia Dei Matris, multo perfectior medium continens inter Sapientiā Christi, & Angelorum, ita vt soli Christi Sapientiæ inferior existat, superior autem omni Angelorum cognitione. Quod ex eo rectè nouitùs confirmari potest, quod maiori gratiæ à Deo infusæ alicui creaturæ, maior, ac perfectior scientia correspondere solet; sed maior gratia à Deo fuit B. Virgini collata, quàm alteri puræ creaturæ: ergo & maior sciētia. Maior ex eo patet, quia Seraphinis quibus perfectior, & ardentior dilectio fuit præ omnibus Angelis, maior etiam scientia non solùm infusa, sed etiam naturalis ipsis à Deo largita fuit ad exigentiam sui status, & perfectionis; licet enim Cherubini plenitudinis sapientiæ nomen sibi arrogauerint, tamen quò inferiores sunt Seraphinis in gratia, ac Dei amore, eò magis sapientiæ, ac scientiæ plenitudine superantur. Christus etiam D. quò maiori gratiæ accidentalis perfectione fuit præditus, eò maiori scientia præ omnibus puris creaturis, tam infusa supernaturali, quàm naturali, in entitate, fuit illustratus. Minor pluribus à nobis probanda est, cùm de B. Virginis gratia sermonem instituerimus; ditata fuit ergo Virgo Deipara scientia infusa naturali in entitate perfectiori, quàm alia pura creatura.

Scientia B. Virginis perfectissima medium continens inter sapientiam Christi, & Angelorum.

1005. Asseto tertiò. Virgo Deipara futura contingentia, quæ pendent à libertate prænoscere non poterat in suis causis scientia naturali: plura tamen prænoscebat, cognitione supernaturali, vel per reuelationem. Hæc secunda pars ex dicendis de Spiritu Propheriæ B. Virginis constabit. Prima pars hoc loco ostenditur; quia cognitio horum futurorum contingentium Diuinitatis signum præsefert, iuxta loquendi modum sacrorum voluminum; Isai. 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia dij estis vos.* & cap. 46. *Ego sum Deus, & non est vltra Deus, nec est similis mei annuntians ab exordio nouissimum, & ab initio, quæ nondum facta sunt.* Patres item negant, quemquam cognoscere posse hæc futura contingentia, quæ ex libero arbitrio pendent. Chrysost. hom. 18. in Ioan. *Certa prædictio futurorum immortalis dumtaxat Dei est opus.* Orig. lib. 6. contra Celsum ait, diuini sermonis characterem esse futurorum prædictionem: Vnde bene Hieronymus in c. 3. Danielis ait: *Frustra ab hominibus quæris in terra, quod solus Deus nouit in cælis.* Imò in omnium animis, quasi à natura insitum est existimare, futurorum prædictionem esse quidpiam diuinum; ideò qui prædicunt futura, Diuinare dicuntur. Hinc Theologi docent hæc futura contingentia pendentia à libero arbitrio non esse simpliciter intra latitudinem obiecti naturalis intellectus Angelici. Vnde neque Angelus, nec Deipara illa poterat attingere, vt futura actu naturali, seclusa Dei reuelatione, sed antequam existerent solùm cognoscebant vt possibilia; quando verò actu existebant, vt existentia, concurrente tunc Deo cum specie indita eorum, qui concursus illi speciei debitus non erat ante existentiam actualē illorum effectuum contingentium. Quare hæc conclusio tanquam de fide in ordine ad Angelos à Theologis admittitur. Videndus Suar. de Angelis lib. 2. cap. 9. n. 12. Ratio autem huius conclusionis ea esse potest, quia voluntas libera dupliciter considerari potest; vel in actu primo, vt apta est ad volendum; vel in actu secundo, vt iam velit: primo modo spectata est causa indeterminata, & indifferens; ergo in illa nihil determinatum cognosci potest: secundo modo considerata voluntas in actu secundo quatenus actus supponitur factus, tunc ille actus cognosci nequit futurus in causa, sed vt præsens, & in se; & licèt talis actus cognoscatur ab eliciente illum, non verò cognosci potest ab aliis, quia nemo præter Deum potest cogitationes liberas alterius cognoscere.

B. Virgo futura quæ pēdent à libertate præscire non poterat scientia naturali.

Isai. 41. Isai. 46.

Chrysost.

Origen.

Hieron.

Suar.

Si verò sermo sit de effectibus exterioribus prodeuntibus ab actu illo libero, nequeunt cognosci vt futuri, quia vel ille effectus est simul cum actu libero, à quo prodit, sic autem non vt futurus, sed vt præsens debet cognosci, nec cognoscitur in causa, imò actus liber interior cognoscetur per ipsum effectum exteriorem. Si verò ille effectus non est simul cum actu interiori, sed postea futurus est, non potest naturaliter ab aliqua creatura cognosci, quia nequit cogitationes liberas alienæ voluntatis attingere creaturæ alicuius cognitio, virtute naturali; & licèt cognosceretur actus ille liber præsens non posset cognosci, an postea perseueraret voluntas in eodem actu, vel mutaretur, quia vtrumque fieri posset: imò nec idem homo, vel Angelus de se ipso certò scire potest, an opere executurus sit, quod modò propositum habet exequendi; ergo multò minus de aliis liberis agentibus id cognoscere poterit, id enim omninò superat vires cognitionis, ac scientiæ naturalis cuiuscumque creaturæ. Hac ducti ratione S. August. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 17. & lib. 11. de Ciuit. c. 13. S. Ansel. lib. de casu diaboli c. 21. aiunt, nec malum Angelum peccatum suum futurum, antequam delinqueret, neque Angelum bonum perseuerantiam in bono potuisse sua virtute naturali prænoscere; id enim quod poterat non esse, non poterat certa scientia prænosci: sed peccatū Luciferi, & perseuerantia in bono Michaelis poterat non esse: ergo sine reuelatione diuina non poterat certò sciri. 1006.

August.

Anselm.

Quòd si obieceris: Hæc futura cōtingentia sunt secundùm se obiecta naturalia: ergo poterat ea cognoscere Virgo Deipara, imò & Angelus, quia non superabant vim potentię naturalis; tum etiam quia Deus, vt est Author naturæ illa prænouit: ergo Deipara, & Angelus. Verùm neganda est consequentia, quamuis enim illa obiecta quoad substantiam non superent vim, nec excedant limites potentiæ naturalis, superant tamen quoad modū, quod sat est, vt nequeant ab vlla creatura attingi viribus naturæ. Deus autem vt author est naturæ, cùm sit infinitè perfectus, habeatque prouiden-

tiam naturalem infinitè perfectam, ac proinde non potest non cognoscere hæc futura contingentia, adhuc, vt author naturæ est; quod neque Angelo, neque B. Virgini competit.

1007. Pet. Hurt. Vestigabis an Deus, vt author est naturæ, possit communicare alicui creaturæ cognitionem horum futurorum contingentium. Affirmat Pet. Hurtado disput 12. Metaphys. sect. 4. licèt enim consonum non sit naturæ singulari poscenti sua secreta contegi, tamen expedire potest naturæ vniuersali, cui Deus prouidet, vt scilicet ob varios fines naturales reuelentur Deiparæ vel Angelo eiusmodi futura. Subiicio exemplum, comperit aquæ sursum petere ob bonum Vniuersi, ne vacuum detur in natura; in quo euentu, subdit idem author, reuelationem futurorum contingentium non futuram simpliciter miraculum, sed solum specialem fauorem, sicut non est simpliciter miraculum, quod aqua sursum petat ob bonum Vniuersi, licèt vim aquæ natiuam excedat. Quod non omninò displicet, iuxta quem sentiendi modum, dici posset, B. Virgini hunc fuisse à Deo impertitum fauorem dignoscendi effectus contingentes pendentes à libero arbitrio, sine speciali miraculo, quia id ita expediebat iuxta leges, & exigentiam naturæ vniuersalis, quamquam talis cognitio vim natiuam intellectiuam Deiparæ transiliret, nec sit iuxta exigentiam naturæ particularis, imò ipsi aduersetur; postulat enim sua occultari secreta, ad eum modum, quo paulo ante asseruimus ascensum aquæ ad vitandum vacuum, licet sit iuxta leges naturæ huius Vniuersi, & ob ipsius bonum; esse tamen contra naturam particularem aquæ. Non ergo arbitror à ratione alienum si concesserimus B. Virgini in terris degenti reuelationem plurimorum effectuum contingentium pendentium à libero arbitrio, quia id ita expediebat iuxta leges naturæ vniuersalis, & ob bonum ipsius, vt ea, quę omnium creaturarum Domina inaugurabatur, earumque patrocinium subibat, quò melius hoc munus obiret, ac prouideret omnibus creaturis; quamuis talis reuelatio naturæ particularis leges transgrederetur.

Speciali fauore, ac priuilegio plura ex his futuris reuelata sunt B. Virgini.

CERTAMEN VI.

Vtrùm B. Virgo possit natiua vi secreta cordium tam hominum, quàm Angelorum introspicere.

1008. Vasq. PRiùs rimari oportet, quid per cordium secreta sumendum sit. Vasq. in 1. p. disp 210. cap. 2. in eam sententiam inclinat, quæ inter secreta cordis solùm adnumerat actus voluntatis liberos, & necessarios ex defectu aduertentiæ, & actus etiam intellectus non secundum suam entitatem, sed solùm, vt dependent à libera voluntate. Hanc sententiam affectatur Hurtado cit. disp. 12. Metaph. sect. 4. Quòd autem actus intellectus non pertineant ad secreta cordium, suaderi potest, quia eodem modo comparantur ad intellectum Angeli, vel alterius creaturæ rationalis, sicut motus locales Angelorum, vel hominum, & actus imaginationis appetitus sensitiui, ac sensuum externorum, qui extrinsecè solùm ex imperio voluntatis mouentur; sed hi omnes actus non sunt secreta cordis, & naturaliter patent Angelis, & à B. Virgine natiua vi dignosci poterant, licèt intentio ex qua procederent ignota esset: Ergo similiter cogitationes secundum suam entitatem cognosci poterant ab Angelis, & à B. Virgine; licèt occultæ essent, prout pendebant ab effectu voluntatis: quando autem Scriptura, ac Patres aiunt actus intellectus soli Deo patere, intelligendi sunt de actibus intellectus, non quoad entitatem suam, sed quoad dependentiam ab actu voluntatis imperante. Quæ sententia sua gaudet probabilitate.

Actus intellectus secundum suam entitatem, nō pertinere ad secreta cordis, quinam censeant. & Hurt.

Probabiliùs autem existimo cum Molina, & Valentia de Angelis, Ribas disp. 13. de Angelis c. 2. per secreta cordis intelligi non solum actus voluntatis; sed etiam actus intellectus, quoad substantiam. Probatur lib. 1. Paralip. c. 28. *Omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas gentium cogitationes.* Et ad Hebr. 4. *Deus discretor cogitationum, & intentionum cordis.* Vbi Deo soli attribuitur cognitio non solum actuum voluntatis, sed etiam cogitationum mentis secundum se. Probatur 2. Quia esse politicum creaturarum intellectualium exigit, vt actus omnes interni spectantes ad naturam intellectualem, vt talis est, sint secundum substantiam occulti, & circa illos omnes habeat prędictum dominium creatura, & ius illos occultandi: ergo non solùm affectus voluntatis, sed etiam cogitationes secundum substantiam suam erunt secreta cordis. Tertiò quia si actus intellectus secundum substantiam non essent secreta cordis, sequeretur facilè dignosci posse ab Angelo omnes ferè actus liberos voluntatis, quippe voluntas, in vniuersum sequitur iudicium practicum intellectus, quod dicitur radix libertatis: Dein iudiciū, quod sępe subsequitur actum voluntatis liberum, habet pro obiecto decretum voluntatis præhabitum. Rursus cùm vnus Angelus alteri loquitur, siue in Angelo loquente, siue in audiente est actus, intellectus repræsentans intentionaliter actum voluntatis Angeli loquentis: ergo si actus intellectus non sunt secreta cordis, ex cognitione horum actuum intellectus, poterit quiuis Angelus venire in notitiam cuiusuis volitionis liberæ alterius, vel saltem moraliter certam, vel etiam euidentem: quod nequit admitti.

Molina. Valent. Ribas. 1. Par. 28.

1009. Hebr. 4. *Nomine secretorum cordis veniunt non solum actus voluntatis, sed etiā intellectus quoad substantiam.*

Secundò existimo cum eodem Ribas, omnes actus tam voluntatis, quàm intellectus, siue liberè ex plena aduertentia, siue naturaliter, & necessariò ex inaduertentia, aut quouis alio modo eliciātur esse secreta cordis, secundum entitatem suam: quod sentire videtur Molina, dum ait; de actibus merè naturalibus voluntatis, & intellectus, idem, quod de liberis dicendum videri; & sanè rationi consonum est, vt creatura intellectualis habeat dominiū aliquod vniuersale in omnes suos actus spectantes ad propriam naturam intellectualem, vt talis est; sed in actus intellectus, & voluntatis necessariò elicitos, non habet ius libertatis: ergo rationi consonum est, vt habeat ius occultandi illos. Confirmatur, quia actus intellectus non censentur occulti secundum se propter extrinsecam libertatem prouenientem ex imperio extrinseco voluntatis, alioquin motus locales, actus sensuum externorum, & appetitus sensitiui essent etiam secundum se occulti; cùm imperantur à voluntate, imò nec actus ipsi voluntatis debent censeri occulti, secundum se ex præcisa ratione libertatis; nam hæc est etiam in illis extrinseca denominatio, & alioquin sequeretur actus primò primos voluntatis non esse occultos secundum se; quod meritò negat Vasq. cit. ergo ratio cur actus intellectus & voluntatis numerantur inter secreta cordis, est, quia sunt actus potentiarum rationalium

Ribas.

nalium conuenientium naturæ rationali, vt talis est. Per hæc satisfit argumento oppositæ sententiæ, siquidem cogitationes Angeli, vel hominis, sunt actus proprij naturæ intellectualis, vt intellectualis est; quod non cadit in motum localem, nec in actus sensuum externorum, vel appetitus sensitiui.

1010. His ita constitutis secreta cordium spectari possunt, vel vt possibilia, vel vt futura, vel vt præterita, vel denique vt actu existentia. Hic autem non instituitur sermo de illis vt possibilia sunt, quia vt sic pertinent simpliciter ad ordinem rerum naturalium, & habent cum propria potentia necessariam connexionem, atque adeò iuxta dicta cognosci poterant à B. Virgine natiua vi, neque est sermo de illis, vt sunt futura; vt sic enim dicuntur futura contingentia, & ab his propriè dependent euentus contingentes: Quod ergo de his futuris contingentibus pendentibus à libero arbitrio diximus suprà, idem asserendum de his actibus internis in ordine ad eorundem cognitionem respectu intellectus Mariani: Sermo igitur texitur de secretis cordium actu existentibus, & ex his facilè coniectabimus, quid de præteritis sentiendum est. Vestigamus igitur an Deipara Virgo cognosceret per scientiam hanc infusam in entitate naturalem secreta cordis, vel hominum, vel Angelorum intuitiuè, & in se; sicut eorum substantiam & accidentia, & proprietates naturales attingere poterat.

Durand. Et quidem de B. Virgine, quem viderim nemo quæstionem hanc exagitat. De Angelis verò Durandus in 2. distinct. 8. quæst. 5. num. 10. ait, cognoscere posse de facto secreta cordis alterius.

Scotus. Scotus in 2. dist. 9. quæst. 2. opinatur posse Angelum natiua vi cognoscere eiusmodi cordis secreta, licèt actu illa non cognoscat, Deo ita decernente ob bonum regimen naturæ rationalis; idémque diceret quispiam de B. Virgine, cùm polleat speciebus per se infusis naturalibus æquè, vel magis vniuersalibus rerum omnium naturalium, vt monuimus. Probari posset hæc sententia primò; Quia hæc cordium secreta dum actu existunt obiecta sunt intelligibilia, & non minus proportionata intellectui B. Virginis instructo speciebus infusis rerum omnium naturalium actu existentium, quàm potentiæ, quibus insunt: ergo, sicut B. Virgo intuitiuè attingebat potentias illas, tam in homine, quàm in Angelo natiua virtute, ita poterat attingere actus existentes in ipsis, nec enim dici potest B. Virginem caruisse speciebus, quibus intueri posset aliquando actus internos hominis, vel Angeli; sicut enim conceduntur Angelo species intelligibiles rerum contingenter futurarum, ita & B. Virgini; & sicut per eas non cognoscebat res illas, donec actu essent præsentes, ita concedendæ sunt B. Virgini species secretorum cordium, per quas cognoscere saltem posset ea secreta dependenter à consensu alterius. Nunc sic arguo secundò: Consensus alterius non auget vim intelligendi in B. Virgine, nec facit obiectum magis proportionatum intellectui, quàm antea erat, quia non variat essentiam rei, neque constituit diuersum intelligibile: ergo si post consensum alterius erat obiectum proportionatum, & B. Virgo habebat propriam illius speciem, etiam ante consensum erit similiter proportionatum, & cognosci ab ipsa poterat natiua vi.

His tamen facilè occurres, si dicas consensum alterius habentis secretum, etiamsi non mutet rem, vel obiectum, esse tamen conditionem sine qua non fit debitus concursus propriæ speciei intelligibilitatis secreti, sicut existentia rei in actu exercito, etiamsi non variet rem in essentia obiecti, & in ordine ad eius speciem intelligibilem, potest tamen esse conditio sine qua non deberur naturaliter concursus speciei. Quare licèt B. Virgo haberetur ab instanti sui conceptus inditas species actuum internorum, tam Angelorum, quàm hominum; inde tamen non benè inferri, vt statim atque actus interni fuerint, cognosci possint ab ipsa, nisi accedat consensus Angeli, vel hominis elicientis illos actus, qui vocantur secreta cordis, quia quamuis consensus hic, non augeat vim intelligendi, nec faciat obiectum secundum se magis proportionatum; est tamen conditio sine qua nequeunt cordis secreta intuitiuè introspici.

Censeo igitur B. Virginem nec in vita mortali, neque modò cognoscere intuitiuè secreta cordium, siue Angelorum, siue hominum, propria virtute naturali, vel per species per se infusas in entitate naturales. Suadetur primò, ex Sap. 1. vbi solus Deus dicitur cordium scrutator, & 2. Paralip. 6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Et Actor. 1. *Tu Domine, qui corda nosti omnium.* Et Hierem. 17. *Prauum est cor hominis, & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor.* Quibus in locis soli Deo tribuitur, vt propria, notitia internorum actuum, qui dicuntur secreta cordis. Hinc sancti Patres eandem stabiliunt veritatem. Cyril. lib. 2. in Ioan. cap. 19. *Nulli,* inquit, *alij, sed diuina tantummodo natura Propheta attribuit illud, Scrutans corda, & renes Deus.* Chrysost. hom. 30. & 23. in Matth. ait: *Humanorum cordium cognitio solius Dei est, qui ea formauit.* Hieronym. epist. 40. *Deus est enim in conspectu peccatorum omnium solus, à quo nec in corde meditata peccata abscondi possunt.* Et in illud Matth. 9. *Ecce quidam de Scribis, &c.* Sic habet: *Sed Dominus videns cogitationes eorum ostendit se Deum, qui possit cordis occulta cognoscere.* Ex quibus clarè elicitur, Sanctos Patres in ea fuisse sententia, vt scilicet soli Deo tribuatur, cordis secreta penetrare, esseque sufficiens, diuinitatis Christi indicium, quòd secreta cordis rimetur.

1011. *B. Virgo nequit cognoscere secreta cordis per species infusas in entitate naturales.* 2. Par. 6. Act. 1. Hier. 17. Cyril. Chrysost. Hieron.

Ratione eadem veritas stabiliri potest deprompta ex S. Thom. quia creatura libera habet plenum dominium suorum actuum spectantium ad potentias rationales, ita vt soli Deo subiecta sit, a quo solo pendet, & solus Deus in ea operari possit: ergo actus spectantes ad prædictas potentias, etiam quando actu existunt, non debent cognosci propria virtute naturali ab alia creatura, sed solùm ipsi creaturæ eos elicienti, ac ipsi Deo debent esse noti: vnde talis creatura iure dominij propriæ libertatis, & iure, quod habet occultandi propria secreta cordis, natiua vi postulat, vt Deus ipsa renuente non concurrat, & ipsa volente concurrat cum aliis creaturis, ad ea cognoscenda secreta. Et quidem id postulare videtur conueniens gubernatio, & societas creaturarum intellectualium, vt vnicuique integrum sit occultare aliis proprios actus inter nos rationalium potentiarum, cosque vt libuerit manifestare: ergo non erit absolutè debita naturaliter B. Virgini cognitio alienorum actuum internorum, sed dependenter ab alieno consensu, vel Deo ipsi illos reuelanti.

Amplius corroborari potest præsens assertum, quia secreta cordis vnius Angeli, vel hominis, 1012.

Secreta cordis vnius Angeli, vel hominis non sunt simpliciter intra latitudinem obiecti naturalis intellectus alterius.

non sunt simpliciter intra latitudinem obiecti naturalis intellectus alterius, quamuis enim secundum se, & quoad substantiam sint obiecta naturalia, non tamen quoad modum, quousque ille cuius sunt secreta, velit ea alteri detegere; quæ voluntas manifestandi est conditio requisita, vt alteri cognoscenti debeatur naturaliter concursus ad cognitionem talium secretorum: ergo ante talem voluntatem manifestandi, nemo poterit propria virtute ea secreta callere. Dein, tametsi B.Virgo ab instanti suæ conceptionis haberet species per se infusas naturales repræsentantes in actu primo, eiusmodi secreta cordium, nihilominus B.Virgo non poterat cognoscere talia obiecta, natiua vi; vt enim vt aliquis simpliciter, & absolutè dicatur posse aliquid cognoscere naturaliter, non sat est, quod habeat intellectum informatum specie talis obiecti, sed oportet, vt Deus sit paratus ad concurrendum ad eam cognitionem, & vt talis præparatio concursus sit illi naturaliter debita: sed quantumuis B.Virgo haberet species secretorum cordis, Deus non erat simpliciter, & absolutè paratus ad concurrendum cum tali specie, nisi dependenter à voluntate habentis secreta illa, quæ est conditio necessaria, vt velit Deus concurrere; nec talis præparatio debebatur B.Virgini à natura, neque Angelo, licèt superioris naturæ, dum illa conditio non ponitur: ergo non poterat B.Virgo, natiua vi, cognoscere talia cordium secreta. Verùm per reuelationem plurima ex eiusmodi cordium secretis cognouisse Deiparam certissimum existimo. Imò quidquid dicitur à Theologis de anima Christi Domini in ordine ad cognitionem secretorum cordis, cum proportione B.Virgini adaptari poterant: oportebat enim, vt quæ Aduocatæ vniuersalis, ac corredemptricis humani generis munus subibat, cordis illorum secreta probè callere, quò melius tanto muneri satisfacere posset.

CERTAMEN VII.

Vtrùm B.Virgo res præteritas per hanc scientiam per se infusam naturalem certò cognosceret.

1013. NOn hîc instituitur à nobis sermo de cognitione rei præteritæ per medium cognitum, nempe per cognitionem habitam eiusdem rei præteritæ, quando actu existebat, per speciem videlicet relictam illius actus. Solùm ergo est sermo de cognitione rei præteritę per propriam speciem ipsius rei præteritæ. Dupliciter autem potuit Deiparam se habere in ordine ad res præteritas. Primò ita vt licèt haberet infusas illarum species, eas tamen non cognouerit, neque ad illas attenderet animum, quando actu existebant in rerum natura, quia vel antequam existeret B.Virgo, iam esse desierunt; vel quia non opus fuit, vt ad omnes res actu existentes animum aduerteret. Secundò potuit illas existentes cognoscere; postea verò quia esse desierunt, non videbat illas præsentes: de vtroque ergo modo cognoscendi res præteritas nobis agendum est.

Vasq. B. Virgo res præteritas per scientiam infusam naturalem certò cognoscere poterat.

Prima sententia est Vasquez in 1.part.dist.208. cap. vltimo, vbi asserit, Si à Deo denuò Angelus modò crearetur cum eisdem speciebus, quibus cum reliqui Angeli in principio creati fuère, illum Angelum per illas species cogniturum, si mentem applicaret, euidenter omnes effectus naturales, eorumque productiones, quæ à principio mundi præteriere, licèt contingenter prodierint à causis, nullumque sui signum, aut vestigium, in mundo reliquerint. Probat suam sententiam, quia nihil obstare videtur, quominus Angelus possit præterita sic cognoscere. Tum quia Patres ac Theologi solam futurorum contingentium cognitionem certam denegant intellectui creato, naturæ viribus, non autem præteritorum. Quæ omnia in B. Virginis cognitionem rectè quadrant, cùm ostenderimus supra habuisse ab instanti Conceptionis suæ species inditas rerum omnium in aliqua temporis differentia existentiam habiturarum: ergo habuit species rerum præteritarum ab initio mundi conditi, ac proinde licèt illas nunquam cognouerit actu existentes, potuit iuxta Doctrinam Vasquez res præteritas attingere cognitione habita per species infusas in entitate naturales. Et roborari potest, quia si illas in seipsis, & per proprias species non cognosceret, illas ignoraret, quæ imperfectio tanquam aliena à tanta Virgine releganda est. Si enim Angeli, & Adamus illas omnes, vt præteritas in seipsis, & per proprias species attingebant scientia naturali: ergo & B.Virgo: perperam enim B.Virgini denegabimus priuilegia, quæ Angelis, ac Primis Parentibus à Doctoribus, ac Theologis deferri solent. Et vt verum fatear à ratione omninò exorbitare videtur, Virginem Deiparam per species inditas rerum præteritarum, solùm illas cognoscere, vt possibiles, quod enim aliquando actu extra causas extiterint, inseruire potest, tanquam conditio, & per modum obiecti terminantis cognitionem intuitiuam rei præteritæ, quæ iam extitit in aliqua differentia temporis.

Ex aduerso Suarius de Angelis lib. 2. cap. 12. num. 5. censet Angelos, licèt habeant species inditas rerum præteritarum, illas nequaquam attingere in se, & per proprias species cognitione naturali; idémque de B.Virgine assereret, cùm eadem imò vrgentior in eius doctrina militet ratio. Quem sectantur Zumel, Pesantius, Gregor. cit. ab ipso Suar. Probat primò, propter identitatem rationis inter præterita, & futura; Scriptura enim sacra eodem modo fatur de præteritis, ac futuris, Isa. 41. *Appropinquent, & enuncient nobis, quæ ventura sunt; aut priora, quæ erant, dicite.* Vbi D.Hieronymus ait: *Dicite nobis vel præterita, vel futura.* Imò D.Gregor. hom.1. in Ezech. ait prophetiam non esse tantum de futuris, sed etiam de præteritis. 1014

Suar.

Isaiæ 41.

Hieron.

Censeo tamen opinionem Vasquez supra relatam sat probabiliter defendi posse, ac proinde B.Virginem per species per se infusas in entitate naturales cognoscere potuisse res præteritas, vt sic: nempe extitisse in aliqua differentia temporis, licèt illas, nunquam actu existentes attigisset. Et quidem negari non potest diuerso modo sacra volumina, ac Patres prosari de futuris, ac de rebus præteritis; & vt ego arbitror, nemo insimularet erroris asserentem, Angelum de nouo productum eisdem speciebus instructum, quibus reliqui quando conditi sunt, cognoscere per species illas inditas naturali vi res præteritas; quod tamen, qui assereret de futuris, tanquam errorem continens repelleretur; ergo signum est, non esse eandem omninò rationem inter præterita, ac futura. Rationes igitur pro Vasquez allatæ, æquè militant

militant pro cognitione B. Virginis, ac probant, eam cognitione naturali res omnes præteritas, vt sic attingere potuisse: cùm enim hæc effecta habeant determinatam veritatem, nec vlterius pendeant à causa libera, rectè cognosci poterant à B. Virgine, & ab Angelo, erant enim proportionata intellectui instructo speciebus illis congenitis.

Verùm aduersabitur quispiam: Virgo Deipara non poterat per speciem inditam alicuius rei attingere illam esse futuram, antequam produceretur: ergo neque per eandem inuatiatam poterat attingere rem, vt præteritam, postquam iam desiit. Consequentia probatur, sicut futuritio nihil est reale actu existens in ipsa re futura, quod terminare possit cognitionem intuitiuam, ita nec præteritio est aliquid reale actu existens in re præterita, quæ iam non est: ergo ex vi solius speciei non potest terminare cognitionem euidentem, & intuitiuam sui. Respondeat aliquis negans primam consequentiam, hanc adhibens disparitatem, quia res præterita, cùm aliquando actu extiterit, aliquid amplius habet, quàm res futura, nempe exstitisse aliquando, ac fuisse conditionem, qua media esset proportionatum obiectum potentiæ intellectiuæ instructæ iam speciebus, quæ species per existentiam actualem rei, tanquam conditionem requisitam sine mutatione sui sunt repræsentationes talis rei, quantumuis desierit esse.

Hæc tamen responsio displicet nonnemini, quia ex actuali existentia obiecti nulla fit immutatio per te in speciebus congenitis B. Virg. ergo neque ex præteritione rei; præteritio enim nihil addit, imò tollit actualem existentiam rei: Negatio igitur nihil conferre poterit ad immutandas species. Responderi tamen posset; sicut actualis existentia rei deseruit, tanquam conditio, quâ mediâ res terminet cognitionem intuitiuam, non immutando species, sed quasi efficiendo obiectum proportionatum respectu actus cognoscendi: ad eum modum rem præteritam, cùm actu exstitit, conditionem extitisse, qua media, facta fuit ipsa obiectum proportionatum, vt terminaret deinceps actum cognitionis intuitiuæ, quod non quadrat in rem futuram, quæ nunquam exstitit, ac proinde ob defectum conditionis actualis existentiæ, nunquam fuit obiectum proportionatum cognitionis euidentis, & intuitiuæ.

1015. Suar. Quòd autem Deipara rem præteritam posset cognoscere, quando illam actu existētem iam nouit, faciliùs suaderi potest: idque concedit etiam Suarius, ait enim lib. illo 2. citat. cap. 13. *Ad cognitionem rei præteritæ non solum concurrit species actus præteriti, sed etiam propria species rei, quæ præcessit, quæ repræsentat illam, prout in se fuit, & cum omnibus conditionibus existentiæ, quas habuit; simul verè concurrit species præteriti actus, quæ ostendit medium maximè proprium, & extrinsecum, qui in Angelo reperiri potest ad cognoscendum rem ita fuisse, sicut per talem speciem repræsentatur.* Vbi, ni me mea fallit opinio, incidit Suarius in easdem difficultates, quas ipse obtendit in sententiam Vasquez si enim indita species rei præteritæ concurrit ad cognitionem eiusdem prout in re ipsa exstitit, & cum omnibus conditionibus existentiæ: ergo iam species indita repræsentat per seipsam rem præteritam. Quòd si dixeris distinguendum esse antecedens, vel quando res præterita cognita fuit, dum actu existeret, vel quando non fuit cognita; priori modo, verum est antecedens; posteriori, falsum. Contra tamen, quia cognitam fuisse rem præteritam dum actu existeret, nihil immutare potuit speciem inditam talis rei præteritæ aliquid in illam efficiendo, vel detrahendo, vel addendo; certum enim est, actum cognitionis, nihil efficere in species inditas, solùm producit sui speciem in intellectu: ergo cognitam fuisse rem præteritam, dum actu existeret, solùm esse potuit conditio reddens obiectum proportionatum actui cognoscendi. Idem nos dicimus de existentia obiecti; obiectum enim aliquando extitisse, esse conditionem sufficienter reddentem obiectum proportionatum, vt cognosci possit, tanquam præteritum. Deinde reliquæ rationes, quæ à Suatio obiiciuntur, similiter retorqueri possent, vt erit consideranti perspicuum.

Rursus cognitio rei actu existentis produxit sui speciem in intellectu, per quam recordari poterat B. Virgo se talem cognitionem rei, quæ iam desiit, habuisse, quando actu existebat. Nam per species inditas non poterat Deipara cognoscere se talem rem cognouisse, quia tales species non repræsentabant actum illum cognoscendi, vt suppono; forsitan enim non infusæ sunt B. Virgini species suæ substantiæ, & accidentium, quæ ipsi animæ, vel potentiis inhærent, vt congressu sequenti dicam: ergo vt B. Virgo meminisset se talem rem cognouisse, necessum erat, vt cognitio illa aliquid sui relinqueret, per quod in memoriam sui cognitionis habitæ veniret, ac demum per illam cognitionem, tanquam per medium cognitum rem aliquando exstitisse cognosceret, quæ modo præteritionis statum iam sortita est. Quod confirmari potest ex scientia experimentali, quam attribuimus B. Virgini per actus proprios acquisitam, siquidem per actus cognitionis rerum præsentium producitur habitualis experientia, & relinquuntur etiam species intentionales talium actuum, quæ concurrant ex parte obiecti, sicut habitus ex parte potentiæ ad productionē actuum rememoratiuorum; atque adeò si species illæ cognitionum essent à principio inditæ B. Virgini, sicut & reliquorum obiectorum, non esset propriè scientia experimentalis in B. Virgine, neque in Christo Domino; cognitio enim experimentalis dicitur, & est adquisita, quia acquiritur ab intellectu, qui experimentum capit modo à nobis dicto.

Tripliciter ergo potuit B. Virgo attingere rem præteritam. Primò, per cognitionem effectus, si fortè aliquem effectum post se reliquit. Secundò, per speciem infusam talis rei repræsentantem illam vt præteritam. Tertiò, per speciem relictam ex cognitione rei actu existentis, & quæ iam desiit, si verè cognita fuit, quando actu exstitit. Vnde consequens fit B. Virginem potuisse cognoscere naturali vi, quidquid ab initio mundi præteritum fuit, quod dum actu præsens existeret, ab ipsa potuisset cognosci. Ex quo falsum arbitror, quod Bañes addit, rem præteritam non priùs cognitam, si nullum post se reliquit effectum, ab Angelo natiua vi non posse cognosci. Id ergo falsum est, sicut & quod subiicit, talem rem, perinde se habere ad speciem Angeli, ac si nunquam exstitisset; nam ratione præteritionis, vt dixi, habet peculiarem veritatem determinatam, quam species per se infusa repræsentare potest, siue in Angelo, siue in B. Virgine.

1016. *B. Virgo tripliciter potuit cognoscere res præteritas cognitione naturali.*

Bañes.

CERTA

CERTAMEN VIII.

Vtrùm B.Virgo seipsam, & naturas Angelorum per hanc scientiam per se infusam naturalem cognosceret.

1017. *B.Virgo seipsam, ac suas proprietates, & accidentia ritè nouerat per hãc scientiam naturalem.*

VEstigamus primò. Vtrùm B.Virgo clarè cognosceret, dum viueret vita mortali seipsam, nempe corpus, animam, vnionem & reliqua substantialia, tum etiam suas proprietates, & accidentia: Censeo Virginem Deiparam clarè cognouisse dum viueret vita mortali seipsam, proprietates, & accidentia. Id enim postulabat perfectio scientiæ Marianæ, si enim plurima genera, species, & indiuidua ritè penetrauit, vt suprà monuimus, cur seipsam non cognosceret, quæ cognitio erat veluti basis reliquorum cognitorum. Id etiam tradunt Theologi de Angelis, nempe quod vnusquisque cognoscat, & intueatur per hanc scientiam per se infusam in entitate naturalem suam substantiam, proprietates, & accidentia: ergo & B.Virgo. Videndus Suar. de Angelis lib. 2. cap. 2. num. 7. cur enim B.Virgo penetraret alia obiecta Angelica, & spiritualia; non verò seipsam? Tum quia per cognitionem sui ipsius intimiùs, ac longè perfectiùs in Dei omnipotentis cognitionem deueniebat, & illustrius, quo ipsa creaturarum omnium perfectissima absolutissima, & in qua condenda, ornanda, perpolienda Dei dextra suam omnipotentiam ostentauit. Confirmatur, quia ex Deo Deus B.Virgini Dei cognitionem infudit, vt ad sui lacesseret amorem, suoque famulatui æternum eam manciparet: ergo illi non tantum seipsum cognoscendum exhibuit, sed beneficia ipsi collata, sui nihilitatem sine Dei gratia, adeóque sui perfectam cognitionem indidit: ergo perfectissimam sui notitiam adepta fuit, qua corpus, animam, ac vniuersas totius compositi proprietates agnouit, nec solùm proprietates, quæ naturam consequuntur, sed Dei beneficia, quibus natura ipsa perficitur, ac subinde quæ ad actus humanos spectant, vim liberi arbitrij, quibus auxiliis egeret, vt ea, quæ naturales superant vires exequeretur, quam Deo subiectionem exhibere teneretur. Demum si aliqua obstaret ratio huic cognitioni, maximè, quia anima corpori mortali agglutinata res spirituales, quæque sub sensus non cadunt, nequit attingere, nisi mediis speciebus haustis ab obiectis corporeis, per sensus exteros, sensum communem, & phantasmata mittentia species ad intellectum: hæc tamen ratio non officit cùm ostenderimus ab instanti sui conceptus inditas fuisse B.Virgini species per se infusas, naturales in entitate, & vniuersalissimas, quibus non solùm res materiales, sed etiam spirituales attingeret, sine vlla dependentia à sensibus, & à phantasmatibus.

Suar.

1018. Psalm. 50. Facit in rem præsentem cõmentatio Vrbani IV. in versum 8. Psalm. 50. ad illa verba: *Incerta, & occulta sapientia tua manifestasti mihi. Ex quo*, ait Vrbanus, *confidenter mihi tua prædicta occulta, & abscondita reuelasti; confido, quod hoc donum tuum semiplenum non relinques, sed asperges me hyssopo.* Vbi semiplenum donum appellat cognitionem de rebus altissimis, etiam pleniorem, & exactissimam. Quo igitur sensu dici potest semiplenum donum cognitio de Deo, ipsiusque abstrusis, ac reconditis arcanis? Quia videlicet imperfecta valdè cognitio est, ac curta, quæ in Dei solius contemplatio ne versatur, si quis seipsum nesciat: multùm quidem proderit cognitio de Deo, de ipsius pulchritudine, ac bonitate, de regni æternùm duratura æternitate; dimidiatam tamen donum rectè vocatur, dum non descendit ad cognitionem propriæ imbecillitatis, quia cognitio Dei; ipsiusque attributorum, ac penetratio inaccessæ sapientiæ, quò magis excrescit, eò maius ingenerat periculum vanæ præsumptionis, ac superbæ elationis: ne igitur hoc subeat periculum Sionidum Rex, aut ambitioso fastui se dedat, deposcit cognitionem suæ pusillitatis, vt cùm mentis obtutum in se ipsum defixerit, in elationis, siue præsumptionis barathrum non incidat, ac præceps ruat. Opus fuit ergo vt B.Virgo omnium humillima seipsam penitiùs introspiceret, ne semipleno dono cohonestata diceretur; ne Deum profundissimè attingeos, semetipsam nesciret, quia absque sui cognitione nihil sapientia, aut scientia proderit, nec donum plenum atque perfectum censebitur, sed imperfectum, ac decurtatum. Quare, & cum Dauid subiungere benè poterat: *Asperges me hyssopo:* ac si diceret; quoniam sapientiæ, ac scientiæ flumina in me pleno alueo infudisti, ac mysteria, & arcana abstrusissima pandisti, méque absolutissima, tui rerúmque diuinarum cognitione locupletasti, mihi etiam confer, mei ipsius cognitionem exactissimam; imò quia ipsam largitus es, gratias, quas possum refero; quæ cognitio per hyssopum, quæ herba est contemptibilis, præfiguratur; quam mei ipsius cognitionem, quia perfectissimam hausi, non dimidiatum, sed cumulatissimum, & absolutissimum donum agnosco, à tua liberali manu in me collatum. *Scientia nulla absque sui cognitione est donum perfectum & completum.*

Vrban.

Asserto insidiabitur quispiam asserens; quamuis B.Virgo attingeret Angelos, ac res spirituales per medias species intelligibiles rerum spiritualium ipsi Virgini concreditas, sicut de Angelis dici solet; hoc tamen nullum habere locum in cognitione sui ipsius respectu Deiparæ: non enim Angeli seipsos agnoscunt mediis speciebus, quæ iuxta longè probabiliorem sententiam nullæ extant: imò animæ separatæ seipsas agnoscunt absque vllarum specierum interuentu, hæ enim ex eo admittuntur, vt suppleant absentiam, ac distantiam obiecti; anima autem à suo proprio intellectu est indistans, & intimè præsens, ac proinde omnis species intelligibilis sui ipsius superuacanea est. Verùm eiusmodi insidiæ nobis non parantur, qui admittimus nullas dari species in Angelo, neque in anima separata, ad cognitionem suæ propriæ substantiæ; idémque dici posset de B.Virgine; sed quemadmodum essentia animæ separatæ, vel Angeli per seipsam constituit suum intellectum in potentia proxima ad intelligendum suam substantiam immediatè cum illo concurrens, & influens in actum, quò se intelligit; ita de B.Virgine respectu suæ substantiæ, ac proprietatum intimè præsentium philosophandum est: vel dicere aliquis posset à Deo fuisse inditam intellectui Mariano speciẽ intelligibilem suæ animæ, ac corporis, quæ vices gereret illorum, vt cum intellectu influeret ad cognitionẽ, quia licèt substãtia B.Virginis esset intimè præsẽs, & vnita intellectui Virgineo, non tamen intelligibiliter seu intentionaliter; solùm est ergo vnita, vt essentia proprietati suæ, non tamen in ratione obiecti, & potentiæ, neque in ratione efficientis principij dum erat in vita mortali. Quæ autem diximus de substantia 1019.

stantia B.Virginis, eadem de proprietatibus dicimus ab essentia dimanantibus,& de accidentibus, quæ ipsi inhærebant.

1020. Insistit aliquis B.Virginem non posse seipsam, proprietates, & accidentia cognoscere, sine aliqua specie intermedia. Primò, quia anima rationalis, licèt intimè præsens proprio intellectui non se cognoscit per suam substantiam, sed per speciem superadditam : ergo similiter asserendum de B. Virgine. Argumentum prorsus inerme, nam anima coniuncta corpori, non se cognoscit per suam substantiam, quia in eo statu non intelligit, nisi per conuersionem ad phantasmata, ita vt ex rebus, quæ sensibus percipiuntur, manuducatur ad sui cognitionem, adeóque per species rerum materialium, vel ad modum illarum; at verò anima Mariana adhuc in corpore mortali sortita fuit priuilegia animæ separatæ quoad cognitionem rerum spiritualium, & sui ipsius : *Instas secundo.* Id per quod intellectus intelligit, se habet respectu illius vt forma informans; sed substantia B.Virginis non se habet respectu proprij intellectus, vt forma informans : ergo substantia B.Virginis non potest esse medium, quo B.Virgo seipsam, & accidentia ipsius cognoscat. Confirmatur, quia vt aliqua res creata sit principium intelligendi,non sat est quòd intimè assistat intellectui, nisi illi etiam inhæreat ; tum quia cùm essentia B.Virginis non sit forma addita intellectui, sed sit subiectum, ex quo oritur intellectus, fieri nequit vt ipsa sit forma determinans intellectum per modum proximi,& proprij principij. *Respondeo* valde per accidens esse vt id,per quod aliquid intelligitur, informet intellectum,& ita obiectum cum fecundum se proportionatum est, & sufficienter coniunctum intellectui posse per seipsum intelligi absque vlla inhæsione. Ad confirmationem non video, cur res creata, nequeat esse principium intelligendi, sine inhæsione, vel informatione cum sola intima assistentia ; cùm essentia diuina intimè præsens Beato possit concurrere ad visionem , licèt non inhæreat intellectui Beati, nec item video cur substantia Virginis Deiparæ etiamsi sit subiectum proprij Intellectus, nequeat illum determinare concurrendo efficienter per modum obiecti in sui cognitionem.

B. Virgo in corpore mortali sortita fuit priuilegia animæ separatæ quoad cognitionem rerum spiritualium.

1021. Quare censeo B. Virginem seipsam intuitiuè cognoscere per seipsam sine interuentu speciei impressæ. Probatur,quia ideò Deipara ab instanti conceptionis species impressas Angelorum hausit, quia non erant Angeli intimè præsentes ipsi ; sed substantia, & proprietates ipsius Virginis B. erat obiectum proportionatum, & intimè præsens intellectui ipsius : ergo Intellectus Virgineus non egebat specie ad intuitiuam sui cognitionem, sed seipsam cognoscere poterat intuitiuè per suam substantiam concurrentem loco speciei, Quod ex eo roborari potest, quia essentia diuina, quia est proportionata in ratione obiecti intellectui creato prædito lumine gloriæ, & indistans ab eo, concurrit efficienter loco speciei ad claram Dei visionem : ergo & substantia Deiparæ poterit similiter concurrere ad sui cognitionem intuitiuam. Vnde anima Virginea duobus modis concurrebat ad sui cognitionem ; vno modo, vt principium vitæ actiuum eliciens omnem actum suum vitalem ; altero, vt proprium obiectum talis intellectionis. Hanc sui ipsius cognitionem in Deipara agnouit Franciscus Ximenez Patriarcha libr. 2. cap. 17. sub nomine cuiusdam Doctoris, ac Sanctorum quorundam oraculorum, B.Virgini à primo suæ conceptionis momento hanc sui ipsius cognitionem à Deo fuisse collatam, ait ergo : *Ab hac altissima Dei cognitione in sui ipsius cognitionem se demittebat , sui corporis compaginem , structuram membrorum , complexionem , qualitatum temperiem considerabat, animam ex nihilo creatam, sed Diuinitatis radium , scientiis coruscantem , muneribus affluentem, prærogatiuis diuitem , gratiis refertam animaduertebat , ac veluti extra se exiens tota in Deum diffundebatur, gratias illi exhibens, quasi tot donorum sibi collatorum vectigal rependens.*

B. Virgo seipsam & accidentia sua intuitiuè cognoscebat sine interuentu speciei impressa.

Ximenez.

Ex dictis etiam elicies Deiparam posse seipsam cognoscere abstractiuè sine vlla specie sui superaddita. Nam per cognitionem intuitiuam alicuius proprietatis, vel accidentis poterat suam essentiam abstractiuè cognoscere, sicut ex cognitione, sui, vel alterius creaturæ poterat in Creatoris cognitionem abstractiuam deuenire. Nec hæc abstractiua sui cognitio impediri poterat per aliam intuitiuam, quam habebat suæ essentiæ:duæ enim scientiæ circa idem obiectum per media distincta non aduersantur inter se, nec se mutuò expellunt in eodem subiecto, licèt vna præstantior sit aliâ. Sic Beatus licèt habeat cognitionem intuitiuam Dei per visionem beatam; habet etiam cognitionem abstractiuam Dei per suos effectus, quos intuitiuè nouit : per intuitiuam ergo cognitionem sui, tanquam per effectum, venire poterat in cognitionem causæ suæ, videlicet substantiæ, & essentiæ.

Assero deinde B.Virginem cognouisse in vita mortali omnes Angelos, per species illorum sibi à Deo infusas : id enim multùm conducebat ad societatem mutuam, quæ inter Deiparam, & Angelos intercessit, passim enim cum illis sermones miscebat : ergo opus erat, vt illos perfectè cognosceret ; dedecebat autem tantam Virginem omnis alia Angelorum imperfecta cognitio. Deinde Virgo Deipara meritò Angelorum omnium Imperatrix decantatur ; quisnam ergo Rex, aut Imperator familiarium suorum, suóque famulatui deseruientium nomina, indolem,ingenia non nouerit ? ergo Virgo Deipara sibi ministrantium spirituum naturas, species, ac indiuidua, indoles, officia, ac ministeria rectè dignoscebat. Rursus hæc Angelorum cognitio , vel ex eo B.Virgini est attribuenda,quia diuinæ prouidentiæ ordinem,ac dispositionem rectè calluit, in qua re Angeli præcipuè funguntur munere , ipsorum opera vtitur Deus in rerum administratione ; hinc factum, vt singulos Angelos singulis hominibus deputauerit, imo & regnis, prouinciis, & vniuscuiusque rei speciei præfecerit : ergo opus fuit, vt Angelorum naturas nosset, numerum , creationem, reproborum lapsum, Bonorum in gratia stabilem confirmationem, studia, munera, quibus huminum saluti, ac reliquarum rerum conseruationi inuigilant ; dæmonum technas, odia, insidias, oppugnationes, suggestiones, quibus homines ad malum pertrahere contendunt. 1022.

B. Virgo omnes Angelos per species à Deo infusas vita cognoscebat in vita mortali.

Itaque B. Virgo existens in vita mortali attingebat Angelos quidditatiuè, & intuitiuè per species per se infusas in entitate naturales ; & forsan poterat etiam naturaliter cognoscere illos intimè sibi præsentes sine specierum interuentu, ipsis occurrentibus loco speciei, quando scilicet aderant indistantes ipsi Virgini. Primum amplius suadetur præter dicta, quia perfectio B.Virginis, ipsiusque dignitas deposcebat, vt esset in actu primo respectu 1023.

Imò poterat illos cognoscere sibi intimè præsentes sine specierũ interuentu.

respectu rerum, & obiectorum, quæ natiua vi attingere poterat iuxta suam excellentiam, nequiret autem Angelos cognoscere distantes, & absentes, nisi per species infusas. Confirmatur, nam B.Virgo Angelis de congruo promeruit, quod Christus de condigno, iuxta probabilem Theologiam: ergo opus erat, illos perfectè cognoscere; quis enim prudēs Princeps nesciat, in quos sua dona profundat? Quod perspicuis verbis tuetur Albert. Magn.

Alb.Magn.

super *Missus est*, cap. 149. *Fuit in Virgine anima sua, & spirituum per proprias species cognitio, quam habuit dispositiue per naturam, & completiuè per gratiam; & secundum hanc vidit Angelos, animas, ac dæmones.* Refragatur S.Th. 3 p. q. 30. art. 3. *Fuisset*, inquit, *nobilior apparitio si ipsum Angelum Virgo intellectuali visione in substantia vidisset; sed hoc non patiebatur status hominis viatoris, quod Angelum per essentiam videret.* Verùm licèt de lege ordinaria id non patiatur status viatoris, speciali tamen priuilegio, maximè decuit, vt B.Virgini infunderentur species, substantias Angelicas repræsentantes. Sed *instas* si B.Virgo Angeli substantiã intuita est, quomodo turbata fuit in sermone ipsius, siquidē probè sciebat, eum Angelum esse bonū, & a Deo immissum? *Respondeo* ex eo turbatam, quia erat animi demissionis amans; cùm ergo nihil magnum, nihil excelsum de se cogitaret, in admirationem, ac stuporem rapitur, quòd plena gratiæ nuncuparetur, & in Dei Matrem assumeretur; quod innuit Euangelista verbis illis: *Turbata est in sermone eius.*

D.Thom.

Deinde illud secundum, quòd scilicet B Virgo posset cognoscere Angelos intimè sibi præsentes sine specierū interuentu; suaderi potest, quia quando obiectum est proportionatū & indistans intellectui, vtique sine specie attingi potest, vt iam monuimus, sed substantia, cuiuslibet Angeli erat proportionata intellectui Virgineo prędito speciebus per se infusis rerum naturalium ad exigentiam sui status, ac dignitatis; & poterat quilibet Angelus esse intimè præsens intellectui B.Virginis: ergo poterat cognosci à B.Virgine sine vlla specie; quæ enim alia proportio requiritur, nisi vt commensuretur cum intellectu cognoscente ad concurrendum cum eo intētionaliter, & per modum obiecti, vt patet in essentia diuina concurrente cum intellectu ad visionē beatam; nec opus est, vt obiectum cognitum vniatur cum intellectu cognoscente, vt iam monui. Sed ibis obuiã, hinc inferri, Angelum per suam substantiam posse illabi in intellectum B.Virginis, vel alterius Angeli, quem tamen illapsum soli Deo deferunt Theologi. Respondeo hunc illapsum soli Deo tributum non consistere in sola intima præsentia illabētis in alium, neque in concursu cum illo per modum obiecti, aut speciei; sed in dominio, ratione cuius Deus pro libito potest mouere creaturā, ad quamcumque operationem vtendo intellectu, ac voluntate eius, in quem illabitur, immittendo internus in eas potētias, aliquid, quo inclinentur, & alliciantur, quod nequit præstare Angelus, licèt illabatur in intellectū alterius; ideóque meritò denegatur proprius illapsus in Angelis in intellectum, & voluntatem alterius: Quidquid autem de hoc sit, illud maneat certum Virg. Deiparam ab instanti sui conceptus rectè Angelos cognouisse. Quod luculenter confirmat

Ximenez.

prætitus Par ia ha cap. art enim ex illustrium Virorum oraculis: *B. Virgo Angelorum temp. considerabat, ipsorum naturam præcellentem, species, indiuidua, ministeria, malorum etiam casum, bonorum in bono constantiam.*

CERTAMEN IX.

Vtrùm B.Virgo natiua vi Deum cognosceret; & per quod medium?

SCotus in 2. dist 3. quæst. 9. & in 4. distinct. 49 1024.
quæst. 11. singulariter opinatus est, videlicet Deum, à creatura cognosci posse cognitione naturali, media specie impressa ipsius Dei. Ioannes Maria Zamoro Capucinus de perfectione Deiparę lib. 2. cap. 59. Magistri sui Scoti vestigia terens docet, hanc speciem impressam diuinæ Naturæ Mariano intellectui in primo suæ originis puncto, singulari Dei beneficio, fuisse concreditam: hoc singulare placitum probat ex eo, quòd hæc species sit possibilis, & dignitatem Matris Dei deceat; nec vlla in eo repugnantia appareat, præsertim cùm Scotus cit. speciem impressam de Deo Angelis deferat; ergo potiori iure Deiparæ deferenda est. Et quidem si semel possibilis admittatur, non est cur ipsi deneganda sit, quoniam per ipsam Deipara propensiùs in Deum mentis obtutum defigeret, non quasi in absentem, sed quasi intimè præsentem in imagine illa intentionali; illius siquidem ope propriam, & immediatam haurire posset Dei notitiam, nec eam opus esset à creaturis emendicare; ac proinde expeditior, ac promptior, ac puriori mentis oculo Deum contemplaretur; nulla enim creatarum rerum cogitatio intermisceretur. Et verò inficias ire nemo potest imperfectum valdè cognoscendi modum arguere, Deum, ac spiritualia omnia, quæ sensuum captum prætervolant, solū per effectus, non verò per proprias species cognitione complecti. Cui opinationi multùm adfauet, quòd nos præ nostræ intellectionis imperfectione cogimur à rebus conditis mutuari cognitionē, imò dum in Deū ferimur, res quoque creatas phantasia, & interno sensu, simul agitare compellimur, quia res spirituales, & ipsum Deum per species haustas à rebus corporeis attingimos. Dein minus decorum videretur dignitati Matris Dei, vt simplicem, atque sinceram de rebus creatis haberet cognitionem per proprias illarum species, non verò de Deo, magis autem satagebat in Dei contemplationem iugem ferri, quàm in creatarum rerum cognitionem. Huic sententiæ fauere videtur sanctus Amadæus in suis reuelationibus cap. 9. §. 23. vbi ita fatur: *Tunc, id est in puncto conceptionis, Deus noster (inquit Gabriel) magnus, & potens creauit animam Mariæ habentem omnia dona, omnem scientiam, sine omni habitus, & similitudines rerum omnium Verbum specie, vel similitudine concreata distinctè cognoscebat.* Vbi Dei speciem concreatam accepisse B Virginem perspicuè docet. Eundem sensum amant verba Albert. Magn. apud Salaz. de Concep. c. 32. §. 4. ait enim: *Ipsa, nempe Virgo, videre potuit, imò & vidit Spiritum increatum per speciem propriam.*

Deiparã per propriam speciem ipsius Dei cognouisse Deum, quidam docent.

Scot.

Zamoro.

Amad.

Alb.Magn.

Quòd si obieceris: In conceptionis puncto rerum omnium species inditas fuisse animæ Virgineæ, earúmque adminiculo in Numinis cognitionem fuisse progressam? Respondet Zamoro; ab instanti conceptionis mentis Virgineæ aciem in Deum primò collimasse, saltem prioritate rationis, & ordinis, ac dignitatis; postmodùm in reliquas creaturas: licèt in eodem instanti reali simul Deum, & creaturas cognouerit. Deinde Dei cognitio, quæ solùm ex creaturis hauritur 1025.

Prima B.Virginis cognitio non in creaturas, sed in Deum collimauit.

non

Bern. senen. non ita perfecta est; at D. Bernardinus tom. 1. serm. 61. art. 3. c. 3. ait, Deiparam perfectè cognouisse diuinam naturam: ergo non creaturarum adminiculis; sed per propriam speciem diuinam Naturam rimata est; tum quia B. Virgo in eum finem ea notitia à Deo prædita fuit, vt protinus in Deum authorem suum, & mentis oculis agnosceret, ipsique volūtatis affectu intimè adnecteretur, oportuit ergo, ne primùm creaturarū cognitione distraheretur, ita vt primos Marianæ cognitionis flores creaturæ decerperent; sed Deo litarentur.

Hic tamen opinandi modus, quia refragatur Theologorum sensui, omninò explodendus est: de quo latè Suarez de Trinitate lib. 1. c. 11. & de Angelis lib. 2. c. 17. (margin: Suar.) Communis ergo Theologorum sensus est; Deum à creatura non posse cognosci naturæ viribus per medium incognitum, qualis est species intelligibilis impressa. Si enim aliqua creatura posset Deum cognoscere per propriam speciem naturalem ipsius Dei quidditatiuè, natiua vi attingeret essentiam diuinam, eamque esse in tribus personis, vnde naturaliter cognosceret Triados mysterium. Probatur assumptum, quia esse communicabilem tribus personis est de essentia diuinæ Naturæ, sed per cognitionem illam quidditatiuam essentiæ diuinæ attingeretur quidquid est illi essentiale; ergo cognita essentia diuina naturali cognitione cognosceretur communicabilitas in tribus personis, quod attribuere cognitioni naturali Deiparæ, vel Angeli, longè à ratione abhorret: nihil enim ampliùs desideraretur ad visionem beatificam; cur enim illa cognitio non redderet Deiparam Beatam formaliter, vel cur non raperet illius voluntatem necessariò in Dei amorem, vel non illam impeccabilem redderet. Admittere enim cognitionem naturalem abstractiuam de Deo, per propriam speciem, quæ non sit cognitio intuitiua, falsum est, quia licèt in aliis obiectis creatis cognitio abstractiua dari possit sine intuitiua, non tamen in Deo, quia est obiectum existens essentialiter in omni loco. Vide Suar. hæc latiùs disserentem c. illo 17. n. 5.

1026. *Implicat creaturam cognoscere Deum cognitione naturali per propriā speciem ipsius Dei.* Assero ergo, Deum non posse attingi à B. Virgine per speciem propriam Dei quidditatiuè, nec abstractiuè naturæ viribus. Quia talis species est impossibilis; siquidem quidditas, & essentia Dei cognosci nequit: nisi simul cognoscatur actualis eius existentia, quæ est de intrinseca ratione Dei: si autem simul cognoscatur actualis existentia Dei, iam illa cognitio non erit abstractiua, sed intuitiua, atque adeò indistincta à visione beatifica, ac per consequens iam illa species esset supernaturalis. *Dices*, talem speciem abstractiuam naturalem esse possibilem, quia D. Paulus post raptum illum quo vidit diuinam essentiam, meminerat diuinæ essentiæ, & eorum quæ vidit: ergo reminiscebatur per speciem ex tali visione relictam abstractiuè repræsentantem ea quæ viderat. *Respondeo* falsum esse in Paulo mansisse speciem abstractiuam diuinæ essentiæ; sed speciem ipsius visionis: vnde solùm meminerat se habuisse visionem Dei ad eum modum, quo quis recordatur se habuisse demonstrationem aliquā, cuius oblitus est; in quo euentu reminiscentia illa non fit per speciem clarè repræsentantem veritatem illā, vt clarè demonstratam.

1027. Assero secundo. Deipara Virgo cognoscebat Deum naturali cognitione per suam substantiam, per quam se ipsam cognoscebat, non verò tanquam per speciem, siue per medium incognitum. Hæc vltima pars probatur, quia non poterat B. Virgo Deum cognoscere per suam substantiam non cognoscendo se ipsam; ita vt si se ipsam non cognosceret, neque posset Deum cognoscere per suam substantiam non priùs cognitam; non enim poterat per suam substantiam immediatè formare aliquem conceptum Dei, si se ipsam priùs non agnosceret; vel enim ille conceptus esset proprius Dei, vt est in se, & hoc est falsum, quia inde fieret, substantiam B. Virginis esse speciem seu medium incognitum ad cognoscendum Deum, quod dictis aduersatur; vel esset ille conceptus connotans conceptum substantiæ Virgineæ, sic autem supponitur iam cognitio substantiæ Virgineæ, tanquam medium cognitum, per quod deueniatur ad cognitionem Dei. Et quamuis Deipara sit similitudo, & imago Dei, non tamen est similitudo intentionalis Dei, adeòque nequit ducere ad cognitionem Dei immediatè, tanquam medium incognitum. Deinde B. Virginis substantia non est instrumentum diuinæ essentiæ supplens vicem eius in ratione obiecti, quod proprium est speciei intelligibilis: ergo nequit esse medium incognitū Deum cognoscendi.

Dices S. Epiphanium in ser. encomiastico Deiparæ illam vocare Gloriæ radicem, per hæc verba: *Aue, quæ diuinitatis fulgore Cherubicum Thronum superas, quo pacto te prædicabo Gloriæ radicem?* At Theologi beatitudinis radicem vocant in Beatis diuinam essentiam, quæ vices gerit speciei intentionalis concurrens ad visionem beatam. (margin: Epiph. *Quo sensu dicatur Maria gloriæ radix.*) Dicere ergo Virginem Deiparam esse gloriæ radicem, nihil aliud erit, quàm asserere illam esse veluti nouam speciem impressam essentiæ Dei concurrentem ad actum visiuum Dei. Hinc etiam S. Dionys. Areop. dixisse fertur: *Nisi tua diuina Doctrina me docuisset Deum, hanc, nempe Virginem Deiparam, verum Deum credidissem. Quoniam nulla videri posset maior gloria Beatorum, quàm fœlicitas illa, quam ego tunc fœlicissimus degustaui.* (margin: S. Dion.) Vbi ex visione, siue cognitione Deiparæ, tanquam per medium, in Dei essentiam, & gloriæ abyssum ferebatur, quod proprium est speciei impressæ. Hæc autem non multùm vrgent, solùm enim probant ex cognitione Deiparæ, eiusque donorum sublimium, ac gratiarum, in Dei perfectissimam cognitionem nos deuenire, vtpote, quæ donis, gratiis, ac perfectionibus creaturas omnes longè antecellat; ac proinde cognita Mariana perfectione plus Dei bonitas, ac perfectio resplendeat, quàm si tota creaturarum vniuersitas cognosceretur; itaque per cognitionem Deiparæ, tanquam per medium cognitum, non incognitum, nos in Dei cognitionem exactissimam contendunt fere prædicti Patres, quibus & nos subscribimus libenter.

Vrgebis adhuc: B. Virgo, & considerari potest vt 1028.
est effectus Dei, & vt est imago Dei, ac similitudo, hoc enim nomine compellant plures Patres: *Si formam Dei te appellem, digna existis*, inquit Aug. vbique obuius: ergo vt est imago, seu similitudo Dei habebit rationem speciei, qua media cognoscatur Deus, etiam non cognita: potiori enim ratione aptare possumus B. Virgini, quod D. Thomas asserit de quolibet Angelo apud Suar. de Angelis lib. 2. c. 28. n. 10. (margin: D. Thom. Suar.) *Quia imago Dei est in ipsa natura Angeli impressa, per suam essentiam Angelus Deum cognoscit, in quantum est similitudo Dei.* Vlterius roborari potest hæc ratio. Substantia Bea-

tiſſimæ Virginis reſpectu eiuſdem eſt medium incognitum ad cognoſcendum ſeipſam, vt monuimus: ergo eadem ſubſtantia B. Virginis poterit eſſe medium incognitum, quo medio ipſa Virgo cognoſcat Deum, tanquam per imaginem: non enim apparet maior ratio, cur eſſentia Mariana ſit principium cognoſcendi ſeipſam, & non Deum; ſiquidē tam intimè præſens eſt Deus Mariæ, quàm ſit ſubſtantia Mariana ipſimet Mariæ. *Reſpondeo* B. Virginem, vt imaginem, & ſimilitudinem Dei intrinſecè, & eſſentialiter includere rationem effectus, quia vt ſic eſt origo à Deo, & quia imago eſt effectus à Deo, id eſt ratio cognoſcendi Deum: & patet, quoniam Angelus habet etiam ſimilitudinem maiorem alterius Angeli, quàm Dei; & tamen, quia non eſt cum origine effectus ad cauſam, non eſt ratio cognoſcendi illum. Et iuxta hunc ſenſum capienda ſunt verba S. Thomæ adducta: Quare ſicut Deipara cognoſcendo Deum per ſeipſam, vt per effectum attingit Deum, tanquam per medium cognitum; ſic cùm attingit Deum per ſeipſam, tanquam per imaginem, & ſimilitudinem Dei, eſt etiam medium cognitum, quia vt ſic, etiam habet rationem effectus, qui ſolùm vt cognitus eſt ratio cognoſcendi cauſam, non enim habet rationem ſpeciei intentionalis reſpectu Dei, ſed formalis ſimilitudinis. Ad confirmationem dico ſubſtantiam B. Virginis habere vicem ſpeciei reſpectu cognitionis Deiparæ, non verò reſpectu Dei; ſicut ergo ſpecies impreſſa ſubſtantiæ Deiparæ ſolùm repræſentat ſubiectum, cuius eſt ſpecies; non verò Deum ipſi intellectui Deiparæ: ſic etiam ſubſtantia Deiparæ ſolùm repræſentat immediatè, & per ſe, ſeipſam intellectui Virgineo, non verò Deum, hunc enim ſolùm repræſentare poteſt tanquam effectus cognitus ſuam cauſam.

1018. Quocirca nunquam B. Virgo dici poteſt cognoſcere Deum per ſuam ſubſtantiam, tanquam per ſpeciem propriam; tunc enim ſolùm dici poteſt aliquid cognoſci per ſpeciem, quando eſt immediata ratio cognoſcendi talem rem in ipſa, quin interueniat cognitio alterius rei, per quam deueniatur in cognitionem illius; quod non accidit in ſubſtantia B. Virginis, vt iam monui. Quòd ſi dixeris contingere aliquando effectu cognoſci cauſam per proprium conceptum, vt viſu fumo, cognoſcitur ignis claré: attamen nunquam ignis tūc cognoſcitur clarè, niſi per propriā ſpeciem, quam de igne habebat intellectus; quæ viſo effectu fumi, quaſi excitatur in nobis: non tamen ſpecies fumi, nec fumus ipſe eſt ſpecies, quæ nobis repræſentet ignem. Per quæ exploditur ſententia eorum, qui aſſerunt Deum cognoſci ab Angelo per ſuam ſubſtantiam immediatè, & tanquam per ſpeciem intelligibilem: eadem enim eſt ratio in Angelo, atque in B. Virgine. Videndus Suar. de Angelis lib. 2. cap. 18. num. 2. Neque enim Angelus poteſt attingere Deum immediatè illum cognoſcendo ex vi ſuæ ſubſtantiæ, quatenus eſt ſpecies, ſeu ſimilitudo Dei, & medium non cognitum, nunquam enim Angelus, nec quælibet alia creatura poteſt eſſe ſpecies impreſſa, ſeu medium incognitum, quo Deus cognoſcatur, vt oſtendimus.

Modò prima ſecundæ aſſertionis pars, quòd ſcilicet B. Virgo cognoſceret Deum naturę viribus per ſuam ſubſtantiam cognitam, à ſe probatur; quoniam cauſa cognoſcitur per effectus: ergo cognita à Deipara ſuamet eſſentia, tanquam ab effectu nobiliſſimo deuenire poterat, in ipſius Authorem. Idemque aſſerendū de reliquis creaturis, quibus cognitis, Dei eſſentiā, omnipotentiam, bonitatem, prouidentiā, ac ſcientiam, & reliqua attributa tanquam per medium cognitum ſpeculabatur. Confirmatur, quia Virgo Deipara, quando ſeipſam intuitiuè cognoſcebat, vel Angelum, vel aliam creaturam, ſimul cognoſcebat dependentiam ſui, vel talis creaturæ cognitæ à Deo, tanquam à prima cauſa. Deinde cùm ſe intuebatur videlicet ſubſtantiam ſpiritualem, ſcientia, gratia, aliiſque donis affluentem; etiam euidenter attingebat has omnes perfectiones, ſubſtantiæ increatæ, attributorumque eius, eſſe quaſi ſcintillas, & participationes: tametſi autem B. Virgo ex ſui cognitione plures Dei perfectiones rimaretur, non ideo Deum quidditatiuè attingebat actu illo naturali, licèt aliquo modo dici poſſet cognoſcere quidditatem Dei, vel aliquid quidditatis eius; neque enim quælibet quidditatis cognitio dicenda eſt quidditatiua; ſiquidem cognitio quidditatis eſt, quæ quouis modo rei attingit eſſentiam; at cognitio quidditatiua eſt, qua clarè rei proprius conceptus attingitur. Hæc igitur ſcientia naturalis Deiparæ Deum, ſub obiecto ſuo contemplabatur, nam propter illius cognitionem præcipuè collata fuit ipſi; cùm enim Deus ſit cauſa vniuerſalis omnium rerum, nullius profecto rei creatæ poteſt eſſe perfecta notitia, ſi Deus ignoretur; cùmque res creatæ exactè cognitę manuducant intellectum in Dei cognitionem, cuius ſunt aliquod veſtigium, nequit haberi exacta de creaturis cognitio, quin Deus cognoſcatur; ergo cùm creaturarum cognitio exactiſſima fuerit in Deipara, Dei etiam notitiam hauſit in ſuo genere perfectam.

CERTAMEN X.

Vtrùm Deipara vno, eodémque actu; an pluribus, ſe, ac Deum per effectum naturaliter cognoſceret.

Pater Molina de Angelis ſibi perſuadere non poteſt vnica notitia attingi, vtrumque obiectum. Idemque affirmaret de cognitione B. Virginis; & ſuaderi poteſt, quia cognitio, qua ſeipſam intuebatur, erat intuitiua; at qua Deum attingeret, illamet notitia eſſet abſtractiua; ſed implicantiam ſecum adſportarę videtur, vt eadem cognitio ſit intuitiua, & abſtractiua; ergo eodem actu non poterat ſe, & Deum attingere. Minor probatur, quia B. Virgo ſe cognoſcebat quidditatiuo conceptu, ac claro; Deum verò obſcuro, & connotatiuo ſolùm; hæc autem difficilè in vno, eodemque actu coniungi poſſunt. *Reſpondeo* Minorem eſſe falſam: reſpectu enim diuerſorum, nihil implicat, vnum, eundemque actum eſſe cognitionem intuitiuam vnius obiecti, & abſtractiuam alterius; vt patet in Viſione Dei, in cognitione cauſæ, vt ſic dicentis ordinem ad effectus, & in cognitione effectus pendentis à cauſa. Ad probationem ſimiliter dicendum, nihil eſſe abſurdi eſſe eandem cognitionem quidditatiuam, & claram reſpectu obiecti primarij, non verò reſpectu obiecti ſecundarij. 1019.

Molina. *Eadem cognitio poteſt eſſe intuitiua, & abſtractiua reſpectu diuerſorum obiectorum.*

Cenſeo primo. Deipara eodemmet actu, quo ſe cognoſcebat, Deum etiam attingebat: quod de Angelis cenſent Valentia q. 7. p. 5. Vaz. in 1. p. d. 206. c. 2. Pet. Hurtado diſp. 12. Metaph. ſect. 4. Exiſtimant enim Angelum ſe ipſum cognoſcendo, vel

Deipara eodem actu quo ſe cognoſcebat. Deum etiam attingebat. Valent. Pet. Hur.

vel alios effectus creatos, cognoscere simul Deum eo[illegible] actu, & sine vllo discursu: Et de Virgine Deipara, sic probo, quia se ipsã cognoscẽs, cognoscebar & Deum, vt terminum relationis transcendentalis, quam dicit ad ipsum: at relatio, fundamentum, & terminus eudem actu cognoscuntur: ergo cognoscendu seipsam, Deum etiam cognoscebat, vt sui causam, à quo necessariò dependebat eodem vtique actu. Confirmatur, B. Virgo comprehensioẽ cognoscebat substantiam suam: ergo cognoscebat esse ens ab alio participatum, & dependens: ergo per illumnet actum necessariò attingebat terminum illius dependentiæ, hæc autem attingentia nihil aliud est, quàm cognitio suæ causæ: ergo non egebat noua alia cognitione deducta ex priori, vt Deum cognosceret.

1030. Censeo secundo: B. Virgo poterat habere cognitionem naturalem Dei, quasi absolutam, quin vllum Dei effectum attingeret: Quia poterat cognoscere Deum, vt ens à se, & non ab alio, infinitum, immensum, omnipotens, omniscium; hic autem conceptus est distinctus ab actu, quo se Deipara cognoscebat: ergo, &c. Roboratur: Poterat B. Virgo ita Deum mente concipere, quin de alio creato obiecto cogitaret; hic autem conceptus distingueretur ab omni alia cognitione sui, vel alterius obiecti, imò sæpe nos experimur in nobis eiusmodi de Deo conceptiones. Quod declarari amplius potest, quando B. Virgo cognoscebat se, & Deum tanquam secundarium obiectum, excitari poterat per hanc cognitionem, ad Deum cognoscendum secundum se, & vt primarium obiectum alterius actus, per quem cognosceret Deum, eiusque perfectiones, vt summum, ac purum actũm infinitè sapientem, omnipotentem, &c. Hic autem actus necessariò distingueretur à priori, cùm haberet pro obiecto primario, & adæquato ipsum Deum; imò licèt per alium actum contemplaretur Deum, vt Creatorem rerum omnium, esset valde distinctus à primo, quia ille habet pro obiecto primario substantiam Virgineam, pro secundario Deum; hic verò è contra pro obiecto primario ipsum Deum, & pro secundario creaturas.

Rogabis an Deipara se ipsam cognoscens, necessariò Deum etiam attingeret? Item an Deum cognoscens primariò, necessariò attingeret se ipsam? Circa primum, iam ex dictis constat, si B. Virgo se ipsam quidditatiuè cognoscebat primariò, & Deum, tanquam terminum à quo dependebat; necessariò per illum actum Deus attingebatur à B. Virgine, quia erat indiuisibilis actus; & Deus erat obiectum secundarium, necessariam dicens connexionem cum obiecto primario, nempe B. Virgine. Circa secundum assero rectè cognosci potuisse à B. Virgine, Deum, tanquam quid absolutum, & independens, quin cognosceretur ipsa B. Virgo, non enim obiecta hæc sunt inter se connexa, liberè ergo poterat Deipara cognoscẽs se ipsam, non applicare intellectum ad cognoscendũ Deum primariò per alium actum, & semel cognoscens Deum primariò per alium actũ, non cognoscebat per illum se ipsam. Nunc autem abstineo à quæstione illa, vtrùm B. Virgo cessare poterat in via à cognitione naturali sui ipsius, & etiam Dei; si enim non posset intermittere hos actus, tunc non poterat habere Dei cognitionem sine sui etiam notitia per alium actum, neque sui cognitionem sine Dei notitia etiam per alium actum: quod de Angelis plures affirmant.

1031. Rogabis secundo. An vt Deipara cognosceret Deum modo absoluto, necessariò cognusceret se actu per alium actum, vel ita posset in Deũ ferri, illúmque contemplari, quamuis per impossibile se ipsam actu alio non cognosceret? Et primò, certũ est Deiparam Deum cognoscere potuisse, sine aliqua sui cognitione, videlicet si cognosceret aliquam creaturam vt effectum Dei, à quo diceret necessariam dependentiam, per cognitionẽ enim illius effectus posset in cognitionẽ Dei deuenire, licèt non ita perfectè, ac seipsam cognoscendo, vt potè effectum omnium nobilissimum: Quæritur ergo si Deipara, nec seipsam, nec alium effectum actu mente cogitaret; posset-ne Deum cognoscere? Pro vtraque enim parte militant non contemnendæ rationes. Pars negans, B. Virginẽ non posse Deum cognoscere sine actuali ipsius, vel alterius effectus consideratione, suadetur; non enim Deipara habebat speciem naturalem intentionalem Dei, nec effectum aliquem actu cognoscebat: sed nequit Deus attingi sine medio cognito, vel incognito: ergo Deipara non poterat Deum cognoscere quin seipsam, vel alium effectum actu cognosceret. Secundo probatur, quia illa cognitio Dei, neque in Angelis haberi potest à solo lumine intellectus Angelici sine aliquo determinante ex parte obiecti, vt latè ostendit Suarius de Angelis l. 2. cit. Ergo neque in B. Virgine. Et ratio est, quia ablata cogitatione omnis effectus, nihil remanet in intellecto Virgineo, quod vices gereret obiecti, nempe Dei; ergo non posset Deum cognoscere ex defectu medij cogniti, & incogniti: non enim esset cognitio euidens immediata ex terminis, vt patet: ergo solùm esset cognitio mediata & per effectus: ergo necessariũ erat, vt aliquem effectum Deipara mente euolueret, vt in Dei cognitionem deuenire posset, & quasi ad eum manuduci. Suar.

Pro parte affirmante stare videtur D. Th. cit. à Suar. lib. 2. de Angelis c. 19. n. 8. ait enim posse Angelũ cogitare de Deo, etiã si nullũ aliũ effectum actu cõsideret: ergo idẽ de B. Virgine dici posset. Quod sic ostẽdo: cognitio absoluta Dei in Deipara distinguebatur essẽtialiter, ac realiter à cognitione ipsius substãtiæ Virgineæ, & cuiuscũq; alterius creaturæ? nec vna habet depẽdẽtiã essẽtialẽ ab alia, nec ex parte obiecti cogniti, neq; ex parte ipsius actus cognoscẽtis: Deus enim absolutè cognitus nõ cognoscitur vt causa alicuius effectus, sed vt est Ens à se. *Dices* cognitionẽ alicuius effectus esse necessariã, quia sine illa nequit Deus cognosci in se, cùm nõ reperiãtur species intẽtionales Dei in intellectu. *Contrà* tamẽ est, quia neque in fieri, neque in facto esse, dependet cognitio absoluta Dei à cognitione effectus: ergo potest dari prior actus in B. Virgine sine posteriori: imo de facto in nobis sæpe experimur, nos ferri in Deum summè bonũ, infinitũ, immẽsum, &c. Quin aliquis actus cognitionis alicuius creaturæ in nobis sit. D. Tho.

1032. Vt quæstio hæc dilucidiùs decidatur, vti distinctione oportet: Vel enim sermo est de illo actu, quo Deus modo absoluto cognoscitur, antequam adquiratur habitus inclinans in similes actus; vel est sermo de cognitione illa Dei modo absoluto iam adquisito tali habitu. Si loquamur de prima illa cognitione absoluta Dei, non poterat dari in Deipara, nihil de sua substantia, vel de alio quopiam effectu actu cognoscens: quod bene ostenditur rationibus adductis pro parte negante. Nec enim poterat B. Virgo Deũ absolutè cognoscere, quin aliquod principiũ haberet ad illũ cognoscẽ-

dum: ergo necessarium erat, vt ad Deũ cognoscendum ascenderet per cognitionẽ alicuius effectus, tanquam per medium cognitum, in quo effectu Deus aliquo modo cognosceretur; scilicet tanquam terminus, vel obiectum secundarium; per quam cognitionem excitari poterat B. Virgo ad Deum absolutè cognoscendum.

Asserere autem quispiam posset, sufficere, quòd tempore antecesserit in B. Virgine aliqua cognitio sui, vel alterius effectus, cum respectiua cognitione Dei; quamuis enim talis cognitio actu non esset, & per se ipsam nihil iuuare posset; id tamen posset præstare per virtutem suam, scilicet per speciem relictam sui. Hæc autem species non videtur posse conducere nisi ad similem actum, non verò ad cognoscendum Deum, quia non est species intentionalis Dei immediatè: Atque adeò necessaria videtur actualis cognitio sui, vel alterius effectus, vt Intellectus Virgineus posset primò ascendere in cognitionem absolutam Dei. Neque hinc inferas in hac prima Deiparæ cognitione absoluta Dei interuenire necessariò discursum, non enim per illos duos actus, vnum ex alio cognoscitur, sed ex consideratione vnius obiecti solùm fit transitus ad considerationem alterius, secluso omni discursu.

Si verò sermo sit postquam Deipara habuit absolutam Dei cognitionem, media cognitione sui, vel alterius effectus; tunc rectè poterat alios similes actus elicere de Deo, licèt nullam sui, vel alterius cognitionem haberet: Quod suadetur ex dictis pro parte affirmante, & vlterius ostendi potest; quia actus prior de Deo absolutè cognito à B. Virgine relinquit sui speciem, & habitum ad similes actus: ergo nulla interueniente cognitione sui, vel alterius effectus, poterat Deipara Deum absolutè contemplari, eiusque perfectiones euoluere.

1033. Vestigabis vltimò, an B. Virgo perenniter vacauerit naturali cognitioni sui, & Dei, ita vt ab ea cessare nequiuerit; quod de Angelis adstruunt aliqui cum Caietano, Suarius disp. 35. metaph. sect. 9. Becanus de natura Angelorum q. 7. c. 1. conclus. 3. Dicerem tamen non videri id necessarium; sed poterat B. Virgo à sui cognitione feriari. Probabile tamen censeo ferè semper in tali cognitione versari. Primum suadetur, quia illud obiectum est finitum, ac per consequens non trahebat necessariò B. Virginem ad sui cognitionem: tum etiam quia pro imperio propriæ voluntatis poterat applicare intellectum suum ad plura alia obiecta, & ita intensè, vt non posset simul attendere ad cognitionem suæ substantiæ; tunc autem cogetur à sui cognitione cessare. Secundum etiam probatur, quia probabile duco, vt infrà ostendam, B. Virginem non posse ab omni cognitione simul feriari, id postulante propria ipsius perfectione: ergo probabile est B. Virginem, vel semper, vel ferè semper in essentiæ suæ cognitione versari. Consequentia patet, quia inter obiecta naturalia quæ B. Virgo intuitiuè cognoscebat, nullum erat B. Virgini connaturalius, quàm suamet substantia, nec quod extra Deum ipsi magis arrideret, vtpote opus inter purè creata perfectissimum: ergo rationi consonum erat, vt semper, vel ferè semper suam substantiam præ oculis haberet, vt hinc assurgeret ad iuges in Deum gratias referendas ob tantorum beneficiorum cumulum.

Soar.
Becan.

B. Virgo nunquam feriabatur à cognitione sui, & Dei.

CERTAMEN XI.

Vtrùm B. Virgo attingeret actu huius scientiæ per se infusæ in entitate naturalis modum quo Christus existeret in Eucharistia, & alia mysteria gratiæ.

Pater Suar. tom. 3. in 3. p. d. 53. sect. 5. refert plures Scholasticos asserentes, posse Angelum naturali virtute illum modum intueri, ac quidditatiuè cognoscere. Contrarium tamen ipse docet: Qui ergo id de Angelis affirmant, idem eisdem rationibus affirmare possent de B. Virgine: Qui verò id inficiantur de Angelis; idem de B. Virgine denegabunt. Videndus Suar. de Angelis l. 2. c. 29. n. 16. vbi refert D. Thom. & reliquos asseclas cum Ricar. Bonau. Alens. Duran. asserentes non posse Angelum naturaliter attingere modum existendi Christum in Eucharistia. Vaz. in 3. p. d. 214. n. 32. Affirmat Angelum posse naturaliter cognoscere modum illum existendi Christum in Eucharistia; etiam si talis modus sit supernaturalis quoad substantiam; subditque futurum, vt entitas corporis, & sanguinis Christi D. cognosci posset ab Angelo sine eo modo supernaturali, sicut potest nunc cognosci à dæmonibus humanitas Christi, non cognita vnione hypostatica, quia non implicat cognosci vnum non cognito alio, quando vnum non est de essentia alterius, neque eiusdem ordinis cum illo. Idemque dici posset de B. Virgine, cùm easdem species vniuersales sortiretur scientiæ infusæ per se in entitate naturales. 1034.

Suar.

Vasq.

Angeli posse natura vi cognoscere modum existendi Christum in Eucharistia, quinam affirmant.

Verùm difficilius est explicatu, per quam speciem Angelus, & B. Virgo illum modum naturaliter cognoscat; non quidem per propriam speciem illius modi, quia sicut ille modus superat naturæ vires, sic & eius species; nec per speciem quantitatis corporis Christi D. illa enim species solùm repræsentat modum naturalem quantitatis; non supernaturalem. Occurres cum Vaz. eo ipso, quòd per speciem illam non intueatur proprius modus quantitatis, posse videri ab Angelo modum illum positiuum, ex carentia enim modi naturalis sequitur modus ille positiuus. Sed contra; ex carentia enim modi naturalis non sequitur modus supernaturalis, nunquam enim ex cognitione negationis vnius modi, sequitur necessariò cognitio modi contrarij positiui: sic possũ cognoscere rem aliquam non esse calidam, ignorare tamen an sit frigida: & ratio est, quia ad cognitionẽ realis modi prout in se est, requiritur actus, qui in ipsũ tendat, & vt fiat per propriam speciem, quæ necessariò habet esse supra naturã cum repræsentet modum vincentem omnem naturam, modi enim supernaturales altioris ordinis sũt, quàm entia omnia naturalia: ergo non comprehẽduntur sub adæquato obiecto naturali intellectus, vel Angeli, vel Deiparæ: ergo non possunt naturaliter ab ipsis attingi; nec illi modi spectant ad naturalem ordinem Vniuersi, cùm sint supernaturales: ergo illorum species non debentur naturali vi alicuius intellectus creari; ac proinde neque Angelis, nec B. Virgini fuerunt à principio concreditæ tales species, nec ab illis obiectis, eas haurire poterant, nec illa cognoscere cognitione naturali siue abstractiua, siue quidditatiua, antequam existerent in rerum natura, neque intuitiua post-

quam

quam existerent. Deinde neque Angelus, neque B.Virgo cognoscere natiua vi poterant entitatem corporis, & sanguinis Christi sub speciebus Eucharistiæ, etiam non cognito prædicto modo; quia nec Angelus, nec B.Virgo habebant speciem repræsentantem rem sine connaturali præsentia, licèt videri posset Christi D. humanitas extra Eucharistiam, non visa vnione hypostatica, quia humanitas extra Eucharistiam retinet præsentiam connaturalem. Conin. 3. p. q. 76. art. 7.

Conin. admittit, Angelum, (idemque dici posset de B. Virgine) naturali lumine id mysterium attingere posse, cum Vaz. quia possibilis est, ait, Angelus, qui naturaliter posset intueri corpus Christi, eiúsque modum existendi sub speciebus, oppositum enim incredibile videtur: ergo Angeli de facto producti id possunt. Sed falsum assumit, si enim Angelus ille possibilis, esset substantia naturalis, vt supponimus, eadem ratione de illo loquendum, ac de facto iam productis.

Dico primo. B.Virgo nô poterat virtute naturali directè, & per propriam speciem cognoscere mo-

1035. *B. Virgo nequibat virtute naturali cognoscere modum præsentiæ Christi in Eucharistia.*

dum positiuum præsentiæ Christi D. in Eucharistia, neque actionem creatiuam, per quam conseruatur quantitas. Prima pars ostenditur, quia talis modus est in entitate supernaturalis, & nulli subiecto connaturaliter conueniens: ergo lumen naturale intellectus Virginei attingere non poterat modum supernaturalem natiuâ vi. Si verò modus ille, vt alij opinantur, esset quoad substantiam naturalis, ita tamen vt non esset debitus corpori Christi, neque alteri subiecto naturaliter, suadetur etiam quia intellectus B. Virginis non haberet ea natura sua speciem talis modi, nec deberetur illi ea natura rei: nisi dixeris ob speciale priuilegium, & ob dignitatem Matris Dei esse illi debitam talem speciem, adeoque ipsi inditam cum aliis in momento sui conceptus, vel quo tempore Christus D. hoc mysterium instituit. Antecedens constat, quia B.Virgini collatæ sunt species substantiarum naturalium, & accidentium, quæ talibus substantiis debita sunt naturaliter; ergo cùm ille modus præsentiæ, licèt permittamus esse naturalem quoad substantiam, cùm tamen non esset debitus naturaliter corpori Christi D. neque vlli alteri subiecto; non esset pariter debita, nec ingenita species eius B.Virgini. Secunda pars eadem ratione probatur; quia licèt ea actio quoad substantiam naturalis sit, quia habet terminum omninò naturalem, nulli tamen termino potest connaturaliter competere: ergo non erit debita species illius ex natura rei, adeoque neque ipsius cognitio.

Dico secundo. Non poterat B.Virgo directè, & per propriâ speciem videre naturaliter entitatem

1036. *Neque poterat per propriâ speciem videre natiua vi entitatem corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia.*

corporis, & sanguinis Christi sub speciebus Eucharistiæ existentem, & ab eis indistantem. Probatur, quia species naturalis, quam habet B.Virgo corporis, & sanguinis Christi, solùm repræsentat corpus, & sanguinem cû præsentia naturali, & extensa; nec debebatur B. Virgini species naturalis repræsentans corpus, & sanguinem Christi, cum præsentia inextensa, cùm talis præsentia sit corpori, & sanguini Christi indebita, & supra naturâ eorum: ergo B. Virgo non poterat videre directè, & per propriam speciẽ entitatem corporis, & sanguinis Christi D. contentam sub speciebus & ab eis indistantem. Quòd si dixeris potuisse B. Virginem media specie naturali videre entitatem corporis, & sanguinis Christi existentem, non tamen præsentem alicubi. Hoc tamen fieri non potest, vt dixi ad libros de anima; de natura enim, & essentia cognitionis intuitiuæ est terminare ad rem alicubi præsentem.

Quod attinet ad transsubstantiationem. Dico tertio nô posse naturaliter à B.Virgine cognosci, tû quia non cognoscit viribus naturæ id quod in illa materiale est; non enim cognoscit existentiam corporis, & sanguinis Christi, vt constat ex dictis: nec productionem substantialem eorum, quia non habet speciem repræsentantem talem productionem cum modo indiuisibiliter existendi; nec illi debita est talis species: tum etiam quia non cognoscit natiua vi substantiam panis, & vini desinere ea vi corporis, & sanguinis Christi succedentium virtute verborum, etiamsi possit naturaliter cognoscere eam desitionem.

Dico quarto. B.Virgo naturali vi poterat cognoscere absentiâ panis, & vini, & negationem modi existêdi in alio quantitatis specierum proprio & 1037. *Poterat B. V. natiua vi cognoscere absentiam panis, & vini in Eucharistia.*
quidditatiuo conceptu; & inde potuisse per discursum naturalem euidenter cognoscere quantitatem panis, & vini esse extra subiectum, sicque conseruari, non tamen habere modum positiuum existendi per se. Prima pars satis constabit ex infra dicendis de absentia subsistentiæ propriæ humanitatis Christi Domini. Secunda pars ostenditur, quia ea absentia illa, & negatione, si non sit sufficiens fundamentum in natura ad aliud suspicandum, vt ponimus; euidenter infertur existentia, & conseruatio quantitatis specierum extra subiectum, non tamen modus positiuus existendi per se, quia sine isto modo existere possunt. Ex quibus elicimus Eucharistię mysterium à B.Virgine, natiua vi cognosci non posse; licèt enim aliqua spectâtia ad hoc mysteriû, quæ sunt secundû substantiâ naturalia, attingebantur ab ea, alia tamen plura quæ vel intrinsecè supernaturalia sunt, vel naturaliter non debita naturis rerum, non poterant ab illa viribus naturæ cognosci. 1038.

Obiectabis: B.Virgo animaduertebat post consecrationem non esse substantiam panis in Hostia consecrata: ergo videbat accidentia existere sine subiecto, atque adeò esse per se subsistentia: ergo iam intuebatur modum illum existendi supernaturalem; vel saltem accidentia illa habere modum existendi supernaturalem, quamuis ipsum modum in se non intueretur; forma enim positiua, & negatio, seu priuatio eius ad eundem pertinent ordinem: vnde substantia panis, & absentia ipsius. Quare sicut substantia panis, quando existebat, naturaliter attingi poterat à B.Virgine per species inditas, ita eius carentia, quando destruitur substantia panis. Idemque argumentum efformari potest de Christi corporea præsentia in Sacramento, quia anima Christi vnita corpori quantitate affecto sunt entia ordinis naturalis: ergo à B. Virgine cognoscibilia actu naturali per species inditas. Optimè enim penetrabat substantiam panis, & vini omninò perire, & accidentia panis, & vini, nulli subiecto assidere, sed prorsus stare sine sustentaculo, quasi attonita, & tantum Sacramentum cultu, ac veneratione suspicientia. Cognitione insuper assequebatur spiritualem modum quo ipsius Filius naturalium omnium donorum, ac supernaturalium comitatu stipatus sub illis accidentibus delitescebat totus in omnibus, & totus in qualibet minima ipsarum particula. Deinde attingebat perfecta cognitione se materiam subministrasse corpori ac

ac sanguini Filij sui, quæ primùm sanguis, ac lac in ipsius venis exstiterat, ac libenti animo hæc alimenta diuina humano generi in omnium fidelium commodum, tanquam Mater piissima offerebat, in quibus accidentibus carnem, ac sanguinem suum summo honore haberi inspiciebat, ac proinde omnes fideles, qui communicaturi erant cum Corpore, & Sanguine Christi, vsque in mundi finem, suum sanguinem, & carnem recepturos, alta mente speculabatur. Rursus euidenter cognoscebat Deipara quantitatem corporis Christi non extendere partes in ordine ad locum: ergo videbat carere modo extendendi partes, qui in cæteris quantitatibus reperiebatur; cùm enim modus ille sit res naturalis, carentia illius erit etiam eiusdem Ordinis, atque adeò intra latitudinem obiecti naturalis: ergo euidenter poterat concludere B. Virgo corpus Christi existere in Eucharistia per aliquem modum supernaturalem, licèt modum ipsum directè, & in se non intueretur.

Respondeo hoc argumento; nullatenus concludi B. Virginem cognoscere actu naturali aliquid supernaturale quoad substantiam. Præterea negari potest illam euidenter cognouisse actu naturali, ibi non esse substantiam panis, illam carentiam in se percipiendo; sed tantùm coniectasse; quia non habebat propriam speciem priuationis seu negationis substantiæ; siquidem negatio nihil est in se: ergo non est per specie̅ repræsentabilis, atque adeo in se, & directè nequit cognosci. Admitto tamen cognosci posse euidenter per aliud, per reflexionem, seu discursum. Nam pereunte substantia panis illam non cognoscebat Deipara, ex quo reflexè aduertere poterat se illam non cognoscere per speciem, per quam antea cognoscebat: Vnde inferebat substantiam panis ibi non esse, sed viribus naturæ non poterat percipere, vtrùm à Deo impediretur, atque adeò iudicium absolutum non poterat efformare, nisi hac conditione subintellecta hoc modo: hic non est panis substantia, nisi fortè à Deo mihi tegatur, poterat enim absolutè ibi in Eucharistia adesse substantia panis, & Deum concurrere cum B. Virgine ad percipienda accidentia solùm, non verò substantiam panis. Neque hinc inferas videndo nos aëtem tenebrosum, non esse certos de carentia luminis, ac semper posse nos in dubium reuocare, an sint illusiones, siue præstigia in quocunque euentu: non enim de effectibus naturalibus euidenter cognitis est eadem ratio formidinis, quia naturali naturæ cursu illi eueniunt, nullaque est ratio dubij aliquo fundamento innixa: quando verò effectus in substantia naturalis, aliquo miraculo, vel modo supernaturali apparet, tunc talis modus nulla ratione attingi potest certò, & euidenter, actu aliquo naturali, vel Angeli, vel B. Virginis.

Rursus tametsi verum sit B. Virginem naturaliter cognouisse euidenter in speciebus consecratis non esse substantiam panis; nego tamen inde inferri aliquid ibi supernaturale factum fuisse quoad substantiam, euidenter actu naturali cognouisse: quia desitio substantiæ, etsi supernaturali modo fiat, in se tamen naturalis est, eiusdemque ordinis, ac forma cuius est desitio; modus autem existendi per se accidentium, & Christi in Eucharistia, est supernaturalis quoad substantiam, ac proinde omnem naturalem vim intellectus cuiuslibet creati prætervolat. Quod à simili probari potest, quia Beata Virgo natiua vi per species inditas poterat videre humanitatem Christi sine propria subsistentia, & tamen actu naturali non poterat percipere habere modum vnionis ad alienum suppositum, alioquin vi natiua perciperet mysterium Incarnationis.

Vlteriùs aliqui docent, Christum sub Eucharistiæ speciebus, oculis corporeis videri posse, nisi a Deo visio impediretur: ita Maior in 4. d. 10. q. 3. quod probabile ducit Gabriel lect. 40. in canon. & verum censet Ochamus in 4. q. 5. vide Vaz. in 3. p. d. 191. Probant, quia in Eucharistia est corpus coloratum cum sua præsentia: ergo poterit producere speciem coloris, si non impediatur: ergo per talem speciem videri poterit oculis corporeis. Sed id falsum omnino est, nam oculus corporeus, nequit attingere colorem vi naturali, nisi cum certa extensione; sed Christus est in Eucharistia modo indiuisibili, & inextenso, neque obiectum producere potest sui speciem, nisi existat cum modo extensionis. Deiu, modus ille existendi, est supernaturalis, quem nequit virtute naturali attingere potentia visus: Ex quo patet ad rationem Ochami; licèt enim ibi sit color cum præsentia, deest tamen conditio extensionis obiecti, & præsentiæ, sine qua visus nequit colorem attingere. Alij id censent impossibile, etiam de potentia absoluta, ac proinde negant id priuilegium B. Virgini: Alensis 4. p. q. 10. art. 3. §. 8. ait, hoc concessum fuisse B. Virgini; ita etiam Luysius Torres in selectis disp. 15 dub. 3. & aliqui viri docti contestantur hanc sententiam traditam à S. Amadæo in suis reuelationibus, aiuntque esse piam, & probabilem, quia decebat Dei Matrem, & rationi valde consentaneum erat, vt in absentia Filij solatium maximum hauriret ex præsentia Christi D. in Eucharistia euidenter cognita oculis corporeis. At dices; iam Deiparam cognouisse Christum sub Eucharistia delitescentem per scientiam infusam supernaturalem, adeòque opus non fuisse vti visione corporea. Sed aio vtrumque priuilegium deferendum Deiparæ. Vnde, & per scientiam infusam, & per oculum corporeum Filium sub Eucharistiæ speciebus percipiebat, ita vt visio sensitiua fieret à potentia visiua, & ab ipso Deo supplente efficacitatem speciei, & concurrente cum ipsa potentia; vel à potentia, & specie producta à Deo, ad id munus. Vlteriùs arbitror Christum D. sub speciebus tectum potuisse alloqui cum Matre virtute supernaturali, & vocem prolatam audire, nihil enim repugnantiæ apparet, vt docet etiam Luysius citatus: Qui subdit circa sensum tactus ad tangendum Christi corpus, non solùm esse opus supplere conditiones necessarias ad naturalem modum tangendi, sed etiam opus esse admittere penetrationem manus tangentis cum quantitate specierum. Quæ omnia verissima reor, & nullam videntur præ se ferre repugnantiam.

Affirmo itaque B. Virginem sæpe vidisse Christum D. sub modo sacramentali Eucharistiæ, non naturali vi oculi corporei, sed miraculosè, & supernaturali actu corporeo videndi: sicut de facto vident sæpè Beati oculis glorificatis; ita Ripalda tom. 1. de ente supernat. disput. 44. sect. 10. num. 16. & 46. Idque explicari potest exemplo

1039. Maior. Gabriel. Ochamus.

Quinam censeant Christum videri posse oculo corporeo in Eucharistia existentem.

B. Virgo per speciale priuilegiũ oculo corporeo videbat Christum in Eucharistia existentem.

Poterat etiã Christus loqui cum Matre ei oculi, & ipsam vocem prolatã audire.

1040. Ripal.

Trausligu

Transfigurationis Domini, vbi Apostoli Christi corpus prospectarunt io gloriæ splendore, diuina virture suffulti; nam splendor ille prout est, videri non porest, nisi ab oculo immortali, & incorruptibili, qualis inerit corporibus Beatorum, ita August. apud Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 47. sect. 6. Vide etiam quæ docet disp. 48. sect. 2. §. *Sed licet.* Huc etiam spectare videntur, quæ adducunt aliqui apud Chartag. lib. 15. hom. 1. in admirando Christi ascensu, vnumquemque iuxta sanctitatis suæ gradum, Christum D altiùs, atque altiùs ascendentem vidisse: quo posito, existimarem B. Virginem omnium fuisse postremam, cuius adspectui se Christus substraxerit: sic Heliotropion flos solaris dicta Hispano sermone, *Gigante de las flores*, innata vi Solis orientis radios, ac gressus insequitur, donec in occasum tendit; ita B. Virgo florum omnium Sanctorum Gigas ob summum sanctitatis, ac dignitatis fastigium, qua reliqoos omnes antecellit, orientem illum Solem semper insecuta, fixísque obtutibus intuita, donec cœleste illud Hemisphærium collustrauit. Hæc ferè prædictus Author.

Suar.

B. Virgo Heliotropion solis Christi radios semper insecuta fuit.

1041. Circa alia mysteria gratiæ censeo primo B. Virginem virtute naturali potuisse euidenter cognoscere absque vlla reuelatione possibilitatem aliquorum effectuum, qui sunt supernaturales, quoad modum extrinsecum, quia fiunt à solo Deo nulla naturali causa illos exigente. Probatur; nam Virgo Deipara rectè nouerat naturali lumine, nullam esse causam naturalem habentem vim restituendi visum cæco, aut sanitatem ægro, aut vitam mortuo, & Deum esse omnipotentem, ac per coosequens posse præstare hos omnes effectus: ergo poterat virtute naturali euidenter cognoscere possibilitatem aliquorum effectuum supernaturalium quoad modum. Deinde istiusmodi effectus sunt res ordinis oaturalis, ac differunt à modo, quo ponuntur extra causas: ergo à B. Virgine videri poterant, non viso modo, quo fiebant; cùm haberet species inditas rerum illarum; tum quia eiusmodi effectus eiusdem sunt rationis, & speciei cum aliis similibus effectibus modo natorali factis, sic visus recuperatus eiusdem est rationis cum visu nunquam deperdito, & homo exsuscitatus cum homine nunquam mortuo. Præterea quando modus est superoaturalis solùm quoad modum, tunc etiam rectè cognosci poterat à Deipara actu natorali propter easdem rationes. Idem admittit in Angelis Suar. lib. 2. de Angelis cap. 50. n. 10.

Poterat natiua vi cognoscere possibilitatem aliquorum effectuum supernaturaliũ quoad modũ.

Suar.

Hinc autem emergit difficultas, videlicet dæmonem callere potuisse virginitatem Deiparæ: Si enim B. Virgo potuit cognoscere effectus supernaturales, quoad modum actu naturali: ergo & dæmon; eadem enim est vtrobique ratio. Potuit ergo dæmon videre virginitatem Mariæ ante partum, cùm scire potuerit viro fuisse incognitam; & in partu; ac post partum claustrum non fuisse violatum: Quod refragari videtur pluribus Patrum testimoniis, vt alio loco monemus. Respondeo nunc ex natura sua totum id verum esse; de facto tamen id non cognouisse dæmonem, quia à Deo prohibitus fuit, ne ad id attenderet, quo sensu intelligenda Patrum doctrina, De quo Suarius in 3. p. q. 29. art. 1.

1042. Censeo secundo B. Virgo non potoit naturæ viribus cognoscere euidenter possibilitatem effectuum supernaturalium, quoad substantiam, qoales sunt Incarnatio Verbi diuini, sanctificatio impij per gratiam, habitus supernaturales, & alia eiusmodi. Probatur quia hi effectus, cùm sint omninò supernaturales secundùm entitatem suam, non cootinentur in principiis, causísve naturalibus, neqoe habent necessariam connexionem cum aliis effectibus naturalis ordinis, neque intellectus creatus potest habere propriam speciem naturalem illorum: ergo nullo ex capite potuit B. Virgo euidenter cognoscere naturæ viribus eorom possibilitatem, antequam fierent.

Non verò poterat vi natiua cognoscere possibilitatem effectuum supernaturalium quoad substantiam.

Quòd si obieceris B. Virginem potuisse natiua vi attingere, mysteria gratiæ non implicare; potuit enim solo lumine naturali omnia dissoluere argumenta, quæ formari possent, contra illorum possibilitatem: ergo potuit natiua vi attingere mysteria gratiæ esse possibilia. Et roborari potest hæc ratio, siquidem B. Virgo rectè nouerat naturali lumine naturam humanam: ergo naturaliter nouerat eam carere posse propria subsistentia, & aliena inniti. Ergo natiua vi attingere poterat, Incarnationis mysterium. Respondeo B. Virginem oaturæ viribus positiuè non potuisse cognoscere, non implicare mysteria gratiæ, neqoe potuisse positiuè ita opposita dissoluere argumenta, vt conuincantur falsum assumere: id namque fieri deberet per principia opposita ostendentia euidenter mysteria gratiæ esse possibilia, qoæ non exstant intra naturæ terminos. Solùm ergo poterat naturali lumine negatiuè cognoscere mysteria gratiæ nullam repugnantiam præ se ferre, quia solùm negatiuè solui possunt argumenta contraria, nempe negando principia ab aduersariis assumpta. Quocirca quamuis euidens esset naturaliter B. Virgini argumenta opposita dissolui aliqua solutione; ipsi tamen non erat natoraliter euidens solui solutione euidenti; ideoque noo erat B. Virgini naturaliter euidens mysteria gratiæ in re ipsa non implicare contradictionem: noo enim quidquid impossibile est, euidenter est impossibile. Ad confirmationem assero, tametsi B. Virgo perfectè cognosceret natiua vi naturam humanam, non inde sequi, iam natiua vi cognoscere naturam humanam carere posse sua subsistentia, quia ad perfectam cognitionem naturalem alicuius rei non est opus cognoscere id, quod secundum obedientialem potentiam in ea à Deo fieri potest. Quid quod licèt B. Virgo probè cognosceret naturam humaoam carere posse subsistentia, non ideò tamen cognoscere potuisse, posse vniri supposito diuino; non enim illi erat euidens naturam humanam non posse subsistere per alienam subsistentiam creatam, vel non posse conseruari sine vlla subsistentia.

Censeo tertio; Nec potuisse B. Virginem solo naturæ lumine clarè, & distinctè attingere mysteria gratiæ; etiam postquam facta sunt. Probatur, qoia entia supernaturalia quoad substantiam sunt superioris ordinis: ergo sunt supra capacitatem oaturalem intellectus creati, qui solùm respicit natiua vi obiecta ordinis naturalis, nec potest habere naturaliter species repræsentantes obiecta supernaturalia, prout sunt in se. Vnde neutiquam cognouit actu naturali supernaturalia dona ipsius, nempe Fidem, Charitatem, & alia eiusmodi. *Si verò asseras* B. Virginem viatricem euidenter expertam fuisse se credere, & amare Deum super omnia: ergo cognoscebat quales essent illi actus, & à quibus habitibus procederent. Experiebatur enim euidenter in se

illos actus, quia erant vitales, & ex eo quod non intueretur clarè illos, euidenter inferebat esse supernaturales: Et quidem omni scientia infusa supernaturali seclusa, & alio quouis principio supernaturali, experiebatur illos actus supernaturales in se elici. *Respondeo* tum temporis B. Virginem dubitaturam, quid causæ esset, cur non intueretur illos actus:, sicut alios; vel quod verius arbitror, etiamsi cognosceret aliquo modo tales actus esse supernaturales, non tamen distinctè, & clarè ob defectum luminis supernaturalis proportionati obiecto. Itaque B. Virgo euidenter experiebatur se credere, & amare, non tamen videbat intuitiuè actu naturali vltimam differentiam actus supernaturalis Fidei, vel amoris. *Dices* saltem abstractiuè B. Virginem potuisse cognoscere suam fidem supernaturalem, & amorem, tum & iustificationem; quia hæc omnia in se ipsa experiebatur, cúmque hos actus non perciperet intuitiuè actu naturali, poterat euidenter inferre illam Fidem, & amorem esse supernaturales. Sed consequenter ad doctrinam superius allatam; *Dico*, quamuis B. Virgo viatrix non videret euidenter actus suos supernaturales actu naturali, illos tamen vidisse actu supernaturali vel reuelatione sibi facta de sui ipsius iustificatione, ac reliquis donis supernaturalibus; si autem relinqueretur suis solùm viribus naturalibus poterat causam ignorare, nempe an actus illi quos intuitiuè non videbat, & tamen in se experiebatur, essent actus alterius ordinis, quam essent actus naturaliter ab ipsa cognoscibiles, vel verùm diuinitus occultarentur sibi propter rationes sibi ignotas, vt supra declaratum est in mysterio Eucharistiæ.

1044. Oppones: B. Virgo naturali vi cognoscebat humanitatem Christi carere propria subsistentia; nam habitus, & priuatio sunt eiusdem ordinis, atque adeò, qui habet vim naturalem cognoscendi subsistentiam cùm præsens est, habet etiam vim cognoscendi carentiam eius cum absens est. Deinde B. Virgo cognoscit naturaliter naturam humanam conseruari non posse sine propria, vel aliena subsistentia, cognoscit item terminari non posse aliena subsistentia creata: ergo ex his rectè poterat inferre, humanitatem Christi carere propria subsistentia: ideoque subsistere per subsistentiam diuinam. Quòd autem B. Virgo attingere potuerit natiua vi humanitatem Christi carere propria subsistentia, inde patet, quia licet illa carentia subsistentiæ propriæ supernaturali modo fiat, seu proueniat ex supernaturali vnione ad Verbum; tamen secundùm se non est aliquid supernaturale, sed merè naturale; quia est solùm negatio eiusdem formæ naturalis. Ergo sicut oculus cæco supernaturaliter restitutus, & lumen absente luminoso à Deo productum, & diuinitus impedita productione luminis præsente corpore luminoso, tenebræ in aëre existentes possent naturaliter cognosci; ita à Deipara posset cognosci natiua vi carentia illa subsistentiæ propriæ in Christi D. humanitate. Nec refert carentiam subsistentiæ prouenire à modo supernaturali intrinseco humanitati, tenebræ verò, & alij effectus relati proueniant à causa extrinseca supernaturaliter operante; hoc enim per accidens se habet in ordine ad cognitionem talis carentiæ Confirmatur, quia si aliqua esset ratio ob quam priuatio formæ naturalis proueniens ex modo positiuo supernaturali, attingi non posset naturaliter; maximè quia in eo euentu cognitio talis priuationis penderet ex cognitione modi illius supernaturalis: at hoc falsum est, Primò, quia priuatio solùm respicit essentialiter formam, quam negat, & subiectum aptum; est enim negatio formæ in subiecto apto: ergo cognitio priuationis solum pendebat ab aliqua cognitione formæ, & subiecti apti, non verò à modo positiuo supernaturali illam causante. Secundò quia non est maior ratio, cur cognitio priuationis prouenientis, à causa supernaturali intrinseca pendeat ex cognitione talis causæ; & cognitio priuationis prouenientis à causa extrinseca supernaturaliter operante non pendeat à cognitione huius causæ: sed cognitio huius priuationis non pendet à cognitione huius causæ extrinsecæ vt admittunt aduersarij: ergo neque cognitio illius priuationis pendebit à cognitione causæ intrinsecæ. Respondere posset quispiam suffultus authoritate Suarij tom. 3. in 3. p. disp. 53. sect. 5. §. *secundo dicitur*; B. Virginem non attingere natiua vi priuationem subsisten- Suar.
tiæ in humanitate Christi, quamuis enim euidenter cognosceret se non videre subsistentiam creatam illius Humanitatis, non tamen inde euidenter cognosceret, se ideò non videre, quia reapse non erat, cùm posset non videre illam, quia impeditur à Deo, vt dici solet de dæmone respectu Virginitatis Deiparæ: Vnde dubitare poterat Deipara, seclusa, omni alia cognitione supernaturali, quam ob causam non videret; quia absentia subsistentiæ non videtur in se directè, & positiuè, vt videntur res aliæ positiuæ.

Melius autem responderi posset argumento opposito, B. Virginem naturali lumine euidenter cognouisse proprio, & quidditatiuo conceptu absentiam subsistentiæ propriæ in humanitate Christi: Inde tamen non potuisse colligere, eam Humanitatem terminatam fuisse subsistentia diuina; non enim erat euidens B. Virgini naturaliter humanam naturam conseruari non posse sine propria, vel aliena subsistentia, & terminari non posse aliena subsistentia creata; id enim spectat ad potentiam obedientialem naturæ creatæ, quæ nota non erat Deiparæ naturali lumine. Aliqui enim docent Humanitatem conseruari posse diuinitus sine vlla subsistentia cum Valentia tom. 1. Valent.
ad tract. de Angelis q. 8. p. 4. Caiet. 3. p. quæst. 4. Caiet.
art. 2. Imò Hurtado Salman. disp. 11. Metaphys. Petr. Hurt.
sect. 9. §. 95. & sect. 8 §. 82. absolutè docet naturam humanam terminari posse diuinitus aliena subsistentia, nempe Angeli, pro qua sententia alios allegat.

CERTAMEN XII.

Vtrùm B. Virgo in actuali cognitione huius, vel alterius obiecti sine interruptione permanserit.

INquirimus hoc loco primùm, vtrùm B. Virgo, 1045.
necessariò esset in aliquo actu secundo intelligendi, an aliquando omnem actum interrumperet. In qua re arbitror Virginem Deiparam, nunquam ab actuali consideratione naturali alicuius obiecti cessauisse. Suadetur primò, quia esse semper in actu secundo intelligendi est perfectio maxima, quam Deus habet per essentiam, & suo modo participant creaturæ rationales, vt Angeli iuxta Suar. lib. 2. de Angelis c. 35. num. 5. Suar.

B. Virgo nunquam ab actuali aliqua cognitione naturali cessauit.

Ergo

Ergo non est denegandaB. Virgini ; siquidem in ea similiter aberant naturalia impedimenta, quæ experiuntur in nobis, & interrumpunt actualem omnem cognitionem, & attentionem , qualis est dependentia à sensibus,& phantasia,scientia enim per se infusa naturalis in B. Virgine , non dependebat ab his,cùm iam haberet species inditas objectorum; nec defatigatio , hæc enim prouenit à cognitione hausta per sensus ; nec somnus , quia adhuc dormiens vtebatur illa scientia , vt alibi probo.

Probatur secundò,quia vt B.Virgo suspenderet omnem actum intellectus,opus erat, vt voluntate libera id faceret : atqui voluntariè non poterat ab omni actu intelligendi cessare : ergo semper fuit in aliquo actu secundo intelligendi. Maior inde probatur,nam postquam B.Virgo actum aliquem intelligendi elicuisset , non opus erat vt actualis voluntas in eo perseueraret ; sed sufficiebat vt non adesset contrarius voluntatis actus, semel enim applicatus intellectus, ipse solus vna cum specie elicit actum , in eodemque durabit, donec à voluntate ab illo cessare cogatur ; cùm enim intellectus sit potentia naturalis , non potest se solo suspendere actum, donec interueniat voluntas imperans suspensionem : loquor de intellectu Virgineo , qui instar Angelici carebat omni impedimento naturali , quod attentionem, & actualem considerationem obiecti interrumpere posset , vt in nobis experimur. Minor probatur , quia intellectus Marianus in cognitione rerum naturalium, quarum species inditas habebat,ad nutum ipsius voluntati conformabatur, cùm non impediretur hac in re à phantasmatibus,sicut noster intellectus : ergo quoties voluntas vellet,vt nullum eliceret,tunc cessaret ab illo, vt supponit contraria sententia, & tamen pro illo instanti ab actu voluntatis non cessaret Deipara ; hinc autem fieret , vt B. Virgo cessaret ab omni actu intellectus, quia ita præcipit voluntas eius;& non cessaret , quia tunc cum adesset volitio non poterat esse sine aliqua cognitione : Supponimus enim illam voluntatem debere esse actum positiuum ; ergo ille supponit actum intellectus;nihil enim volitum, quin præcognitum: sed nequit voluntas eodem actu velle suspendere actum intellectus , in quo ipse actus voluntatis innititur : ergo nequit omnem actum intellectus suspendere.

1046. Dices posse voluntatem velle cessare efficaciter ab omni actu immediatè post hunc , quem modo habet voluntas , atque adeò & cessare ab omni actu intellectus. *Respondeo* id falsum esse, si enim id non præstat voluntas actu efficaci positiuo,quando actu est, multo minus id præstabit cùm cessauit omnis actus voluntatis ; quod enim non est actu nec mouere potest , nec impedire; imò & in nobis verum arbitror : quando autem in nobis cessat intellectus ab omni actuali cognitione,id euenit quia sensus communis , neque ab externis sensibus excitatur , neque ab speciebus internis. Itaque non videtur consonum perfectioni potentiæ intellectiuæ Deiparæ,vt manete posset in actu primo,ad modum dormientis : si enim corporea viuentia nunquam cessare possunt ab omni operatione vitali potentiæ nutritiuæ,rationi consonum videtur, vt B.Virgo, quæ Angelicam superabat perfectionem in modo cognoscendi,etiam cessare non posset ab omni operatione vitali intelligendi,præsertim cùm nullo modo intelligendo defatigaretur , neque ingenij acies aliquo modo obtunderetur : profectò sine idoneo rationis fundamento diceremus intellectum, & voluntatem Deiparæ interdum omnino otiari. Quod ex eo rectè confirmare possumus , quia homo apertis oculis,& in obiectorum præsentia, non potest non videre aliquod eorum indeterminatè,quamuis hoc vel illud determinatè possit non intueri;tum etiam ab imaginatione omninò non possumus auellere omnem cogitationem, licèt quamlibet bene possimus:Ergo pariter B.Virgo licèt posset pro arbitrio à qualibet particulari cognitione cessare,non tamen simul ab omni.

Durandus in 2.dist.3.q.8. & Greg.in 2. dist.11. q.1.docent,hominem in statu Innocentiæ, & naturæ integræ , simul potuisse vti omnibus speciebus,quas sibi in mente Deus indiderat,ac proinde potuisse simul actu omnia obiecta percipere, quæ habitu,vel in actu primo cognoscebat;ex quo rectè inferre poterant, non iudiguisse discursu successiuo , vt omnia obiecta calleret. Innituntur hoc fundamento,quia nunc tarditas, & successio cognitionis nostræ prouenit ex corruptibilitate, & vitio deprauatæ naturæ,quæ impedimenta,neque in Adamo in statu Innocentiæ constituto, neque in B.Virgine Viatrice aderant : iuxta hunc ergo sentiendi modum ; potuit etiam Deipara omnia semper obiecta iugi cognitione percipere,quorum species , & habitus in instanti conceptionis acceperat. *Verùm* displicent ; quia neque Angeli possunt simul in actu secundo obiecta cognoscere,quorum in actu primo species , & habitus habent ; quod tam in Angelis, quàm in Adamo, & B.Virgine non prouenit ex corporis corruptibilitate , siue intellectus defatigatione , sed ex intrinseca limitatione intellectus,qui ad plura cognoscibilia intentus remiorem attentionem in singulis elicit. Durand. Greg.

Secundò. Inquirimus,an B. Virgo esset semper in actuali cognitione naturali Dei:Affirmandum censeo;quia cognitio naturalis Dei est vltima perfectio , & Beatitudo naturalis creaturæ rationalis : Ergo cum nihil impediret iugem hanc attentionem Dei,B. Virgini non est denegunda: Dein, vel B. Virgo interrumperet talem cognitionem Dei sponte sua,vel ab extrinseco coacta:non primum , eo enim B.Virgo se naturali hac beatitudine sponte priuare vellet , præsertim cùm illa actualis cognitio Dei esset perfectio maxima,nec vllum commodum ex ipsius priuatione ipsi resultare posset. Neque ab extrinseco aliquo impedimento illam actus interceptionem prouenire dicendum est , vt patet à sufficienti partium enumeratione;non à somno,cùm illa cognitio oriretur à scientia infusa, quæ non pendet à sensibus, & phantasia ; non à defatigatione intellectus , vt patet in Angelis , quibus hæc cognitio concedi tur absque vlla mentis lassitudine , etiam antequam Deum viderent ; non denique ab aliarum cognitione , qua distrahi poterat , in plura enim obiecta simul intendere poterat ; tum maximè quia ex cognitione aliarum rerum creatarum in Dei cognitionem excitabatur : & quidem de Angelis id concedunt Caiet. Ferrariens. & alij apud Suar.de Angelis lib.2.c.36.n.1. quibus adstipulator ipse num. 3. 1047. *B.Virgo semper erat in actuali cognitione Dei naturali.* Suar.

Probatur secundo ex dictis ; si enim B. Virgo semper actu aliquod obiectum percipiebat in particulari,hoc,vel illud , vel se ipsam , vel Angelos,vel Cœlum,vel terram : ergo semper habebat cognitio

cognitionem aliquam Dei; cùm enim omnia obiecta illa creata dicerent essentialiter dependentiam à Deo, & à B. Virgine actu cognitionis comprehenderentur, necessariò illa cognoscens, Deum etiam actu cognosceret. Maius dubium esse potest de cognitione directa & absoluta, vtrùm illa semper Deum attingeret actu naturali, sine dependentia alterius obiecti? Et quidem supra factæ rationes æquè, vel magis vrgeor, respectu huius cognitionis. Verùm quia actus directus, quo Deus attingitur deposcit maiorem attentionem, & applicationem virtutis intelligendi, quæ facilius interrumpi, & impediri poterat per attentionem, & applicationem virtutis

1048. intellectiuæ ad alia obiecta creata; forsan B. Virgo non semper hac actuali ac directa in Deum attentione collimabat: Mens tamen mea in eam sententiam propendet, quæ asserit B. Virginem Viatricem hac beatitudine naturali semper fuisse potitam; nempe vt Deum cognitione directa, ac iugi contemplaretur. Et quidem si loquamur de iugi in Deum contemplatione, communis Theologorum sententia est, neque somno, neque alia corporis exercitatione, neque quouis vllo sensuum motu fuisse interceptam. Videndi Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 15. sect. 3. Salaz. de Conception. cap. 32. §. 3. & nos id statuimus peculiari disquisitione. At quotiescunque intellectus supernaturali actu Deum contemplatur, actu etiam naturali ipsum Deum, vt naturæ Authorem indagat; præsertim cùm B. Virgo ad suos eliciendos actus naturales intellectus, nulla sensuum, seu phantasiæ ope indigeret, ita vt in contemplationis actus adeò incumberet, ac si prorsus à corporis carcere esset immunis, ac libera, ac nullum cum sensibus commercium intercederet. Si ergo, vt iam communis fert omnium opinio actu supernaturali Deum sine vlla intermissione Deipara contemplabatur; ergo actu etiam naturali, ac iugi, Deum, vt Authorem naturæ rimabatur absque vlla corporis defatigatione, lassitudine, ac molestia; quin aliquo sensuum, siue potentiarum inferiorum actu distraheretur, etiam somno dedita, vel aliquo externo opere distenta, semper inmota persistens; quod innuunt verba illa S. Bernardini tom. 2. serm. 51. art. 1. cap. 2. *B. Virgo etiam dum erat in vtero matris habuit vsum liberi arbitrij, atque lumen perfectum in intellectu, & ratione. Proinde secundum quosdam fuit, tunc in sublimioris contemplationis statu, quàm vnquam fuerit aliqua creatura humana in perfecta ætate. Et licet in vtero matris sua sicut cæteri infantes dormiret; attamen somnus, qui absorbet ac sepelit in nobis rationis & liberi arbitrij actus, & per consequens actum merendi; non credo, quod talia in ipsa fuerit operatus; sed anima sua liberè ac meritoriè actu tunc tendebat in Deum. Unde illo tempore erat perfectior contemplatrix, quàm vnquam aliquis alius dum vigilantis: Vnde & Cant. 5. ait: Ego dormio, & cor meum vigilat; scilicet in contemplatione perfecta, & nulla actione debilitata.* Semper ergo prospero vento, ac iugi contemplatione mentis vela dabat mari inexhausto diuinarum perfectionum. Idem S. Bernardin cit. art. 3. cap. 2. subdit: *Virgo continuè habebat actualem relationem ad diuinam Maiestatem, & ad suam nihilitatem.* Dionys. Chartus. lib. 3. de laud. Deiparæ artic. 17. certum ducit B. Virgini duas inhæsisse cognitiones Dei, & sui ipsius. Hoc duplicis cognitionis axe & Dei, & sui ipsius iugi circumrotatione Marianum Cœlum voluebatur.

Suar. Salaz.

Bern. Sen.

B. Virgo semper in sui ipsius, & Dei actuali considerationo versabatur.

Dion. Cart.

CERTAMEN XIII.

An cognitio huius scientiæ per se infusæ naturalis in Deipara fuerit comprehensiua, discursiua, & iudicatiua.

COmprehensionem naturalem diuido primò 1049.
in exactam, & vulgarem. Comprehensio exacta illa est, quæ fit per cognitionem perfectè attingentem totum obiectum, & ex vi obiecti omnes illius effectus in particulari, qui naturaliter possunt ab eo dimanare. Vulgaris verò fit per cognitionem ita attingentem totum obiectum, vt ex vi eius non attingat omnes indiuiduos effectus eius, sed solùm species effectuum, ac numerum eorum, per quos simul, vel vno quasi tractu successiuo producere potest. Deinde diuido comprehensionem naturalem in actualem, & habitualem, de qua Suar. tom. 1. in 3. p. d. 20. sect. 3. Comprehensio actualis est, cognitio simul attingens omnes effectus, qui in obiecti virtute continentur, quæ exacta, & vulgaris esse potest. Comprehensio habitualis, est facultas ad cognoscendum in particulari saltem successiuè singulos effectus ex vi obiecti cogniti.

Suar.

Dico primò. B. Virgo omnia obiecta naturalia minùs perfecta, sibique inferiora cognitione naturali exacta comprehendebat, quia B. Virgo habebat proprias horum obiectorum species ab omni alio obice corporeo immunes: Ergo illa poterat comprehendere. Confirmatur; id concedunt Angelis plures Theologi, vt attingant obiecta omnia naturalia minùs perfecta cognitione comprehensiua. Ita Suarius de Angelis lib. 2. cap. 31. num. 7. imò & alij id ipsum attribuunt animæ separatæ: ergo potiori iure B. Virgini concedendum.

Deipara cognitione comprehensiua attingebat obiecta naturalia minus præcipua. Suar.

Dico secundò. B. Virgo etiam comprehendere 1050.
poterat comprehensione exacta actuali homines, & Angelos, videlicet eorum naturam, & essentiam; & ea, quæ ipsis naturaliter insunt. Probatur, quia cognoscebat quidquid erat in homine, & in Angelo, id est totam substantiam, quidditatem, potentias, proprietates, & quidquid ab illis fieri poterat de possibili: ergo nihil erat in homine & Angelo, quod B. Virginem lateret. Nec dicas ad comprehensionem opus esse, vt cognoscantur actus interni, & liberi, & cordium occulta rimari. Id enim falsum est; solùm enim est sermo in assertione de comprehensione naturæ, & essentiæ, eorúmque, quæ ipsi naturaliter insunt; non verò eorum, quæ accidentariò, siue ab extrinseco ipsi inesse solent. Sic B. Virgo comprehendebat homines, & Angelos quoad essentiam, & proprietates, quæ ipsis naturaliter inerant, licèt non cognosceret, quid actu vellent, aut cogitarent, hoc enim valde accidentarium erat ad eorum naturam. Cognoscebat ergo quid cogitare, ac velle possent, hoc enim ipsis erat intrinsecum, habensque connexionem cum essentia.

Item naturã & essentiam, & proprietates Angelorum, & hominum.

Instas: B. Virginem non posse comprehendere Angelos, cùm sint superiores ipsi in natura, ac proinde non posse cognoscere eos, quantum cognoscibiles sunt, quod de ratione comprehensionis exactæ est. *Sed* id falsum reor; dupliciter autem sumi potest illud, *quantum cognoscibiles sunt*, vel ex parte obiecti, seu rei cognitæ, & tunc nihil aliud innuit, quàm rem cognosci quoad omnia,

quæ

quæ ipsi essentialiter, vel ex natura rei insunt. Alio modo accipi potest ex parte cognoscentis; sic autem rem cognosci quantùm cognoscibilis est, idé est ac cognosci actu perfectissimo, quo attingi potest. Ad cognitionem ergo comprehensiuam sufficit, vt cognoscatur res priori modo: cùm ergo B. Virgo cognoscat in Angelo, & homine, quidquid est in illis, & ea illis per se, & natiua vi oriri potest, nihil deest ad veram comprehensionem. Quod verò non sit opus ad rationem comprehensionis, vt sit cognitio omnium perfectissima, ex eo patet, quia nullus Angelus, quantumuis superior, comprehenderet rem, quamtumuis inferiorem; quia semper illa res maiori claritate, ac perfectione attingi potest: quare solus Deus omnia comprehenderet, quod est contra commune Theologorum placitum. Ad rationem ergo comprehensionis sufficit rem exactè cognoscere, ita vt nihil in illa, vel de illa cognoscendum supersit, ex his, quæ tali rei ex sua natura competunt, siue essentialia sint, siue cum essentia connexa.

Obiicies: Cognitio comprehensiua postulat adæquationem quandam inter obiectum, & potentiam: sed B Virgo non adæquatur Angelo in natura, neque in ratione obiecti cognoscibilis, neque in ratione potentiæ cognoscentis: ergo B. Virgo non poterat Angelos comprehendere cognitione naturali: quod patet, vel ex ipso Comprehensionis nomine desumpto à rebus materialibus: vt enim vna res aliam comprehendat debet illi secundum æqualitatem commensurari. *Respondeo*, ad rationem comprehensionis non opus esse æqualitate perfectionis inter cognoscentem, & cognitum in ratione specifica entis, & patet in substantia, quæ perfectior est in ratione entis actu intelligendi, & tamen comprehendi potest ab aliqua cognitione. Quare distinguenda est maior illa propositio: requiritur ad rationem comprehensionis adæquatio in ratione potentiæ, & obiecti; verum est: At in genere entis, falsum: nam neque potentia intellectiua Angeli superioris, nec eius cognitio adæquatur substantiæ inferioris Angeli in ratione entis, & tamen quia adæquatur in ratione potentiæ, & obiecti, Angelus superior comprehendit substantiam & essentiam inferioris.

Arguet secundò, quispiam aduersus dicta: Quiuis Angelus potest successiuè producere infinitos effectus, & se ipsum in infinitis locis explicare per distinctos motus locales, & elicere infinitas cognitiones, & volitiones; at B. Virgo, non poterat simul vnico actu cognoscere effectus infinitos, etiam vt possibiles: ergo non poterat Angelum, neque se ipsam, imò neque hominem comprehensione actuali exacta comprehendere. Huic tamen argumento supra satisfecimus: solùm ergo instituimus sermonem in conclusione, de comprehensione naturæ, & essentiæ, & eorum, quæ ipsi naturaliter insunt; non verò eorum, quæ accidentariò, quales sunt cogitationes, volitiones, & motus locales.

1051. De comprehensione habituali asserendum arbitror B. Virginem posse hominem, & Angelum naturaliter comprehendere. Poterat enim B. Virgo saltem successiuè cognoscere naturaliter per varios actus, singulos effectus naturales cuiusuis Angeli, vel hominis: Ergo poterat natiua vi illos comprehendere. Quòd autem Suarius lib. 2. de Angelis cap. 31. num. 13. deposcit ad comprehensionem; vt vno eodemque actu attingantur omnia, quæ rei essentialiter, & naturaliter conueniunt: Existimo id non esse necessarium; non enim apparet ratio sufficiens cur ea pluribus cognitionibus attingentibus omnes formalitates, quæ resplendent in Angelo, non fiat vera, & exacta comprehensio. Accidentarium enim omnino videtur ad rationem comprehensionis, quod per vnam, vel per plures cognitiones attingantur omnia obiecti cognoscibilia, cùm ratio formalis comprehensionis sita sit in eo quod adæquet, & commensuretur cognoscibilitati obiecti, ita vt nihil appareat in obiecto, quod non attingatur à cognitione, siue id fiat per actuum multiplicationem, siue per vnum actum.

Suàr.

Percontaberis, Vtrùm hæc cognitio in Deipara fieret componendo, vel diuidendo, an per simplicem intuitum? Censeo hoc secundum esse verum. Ex eo enim nos componimus, quia communiter loquendo non videmus in subiecto prædicatum, sed vnumquodque per se concipimus: vnde opus est, vt vnum cum alio conferamus, vt prædicatum attribuamus subiecto, & cum illo componamus. Sed B. Virgo per species concreditas vno simplici Intuitu in obiecto quidditatiuè cognito prædicata omnia introspiciebat, hoc est totam rei essentiam, ac proprietates, & id omne quod de tali obiecto poterat enuntiari: ergo B. Virgo in hoc genere cognitionis non egebat compositione; ob hanc causam in visione Beata, & in cognitione Angelica non admittunt Theologi compositionem, quia vno simplici intuitu ostenditur Beato, & Angelo, quidquid in obiecto relucet. Confirmari potest assertum, nempe B. Virginem non vsam compositione, circa ea quæ sola ratione distinguuntur, cùm ea cognoscebat per propriam speciem, quia quodlibet obiectum, quod repræsentabatur B. Virgini, per propriam speciem repræsentabatur illi sicuti est, & Deipara vtens tali specie, proprio, & intuitiuo conceptu illud cognoscebat: ergo non distinguebat per plures conceptus formales, ea, quæ in tali obiecto reipsa non distinguuntur, sed ea simplici intuitu attingebat; ac ideò nihil componebat circa illa. Dixi quando ea cognoscebat per propriam speciem; quoniam si Deipara cognosceret ea, quæ sola ratione differunt in aliquo obiecto per ordinem ad nostram cognitionem, quia illa cognoscimus componendo, & B Virgo illa cognoscebat per species, quas habebat, nostrorum conceptuum formalium, non dubito, quin posset pro libito vti compositione aliqua in eorum cognitione; licèt enim per eandem speciem præsentarentur Deiparæ distincti conceptus formales nostri, poterat tamen ipsa pluribus actibus illos conceptus attingere, ac proinde, & obiecta illorum conceptuum, ideóque vti compositione; connaturalius tamen erat B. Virgini nulla vti compositione circa ea, quæ cognoscebat per vnam speciem, quia connaturalius erat ipsi attingere vnico simplici actu, ea quæ cognoscebat per vnicam speciem: ad compositionem autem non sufficit multitudo obiectorum, nisi interueniat distinctio obiectorum formalium, alioqui etiam Deus cognoscens distincta obiecta, vteretur compositione, quod falsum est. Addiderim, B. Virginem frequentiùs vsam compositione circa ea, quæ cognoscebat per distinctas species, quia tunc frequentius attingebat illa obiecta per distinctos actus: ergo frequentiùs compositione vtebatur;

Hæc comprehensio fiebat in Maria per vnum simplicem intuitum.

connatura

connaturalius enim est B. Virgini cognoscere per distinctos actus ea quæ cognoscit per distinctas species; modus autem connaturalior cognoscendi solet esse & frequentior. Non tamen negatem, potuisse B. Virginem cognoscere vnico actu aliqua obiecta, quæ per species diuersas repræsentantur, quod etiam admitti solet in Angelis. Quòd si obiicias, quamuis B. Virgo cognosceret ea obiecta per distinctos actus, adhuc non vti compositione, sicut sensus communis non vtitur compositione, etiamsi plures actus simul eliciat circa diuersa obiecta sensibilia. Sed dispar est ratio, nam sensus communis quamuis simul plura cognoscat, nequit tamen vnum ad aliud referre, nec vnum cum alio componere, sicut potest intellectus. Quod autem dixi de compositione, intelligenda etiam de diuisione, cùm enim cognoscebat Petrum non esse equum, vel lapidem, si tunc vteretur pluralitate conceptuum formalium, tunc diuisione vteretur.

1052. Eadem ratione cum proportione nobis loquendum de discursu in B. Virgine, ac de compositione, & diuisione. Arbitror ergo B. Virginem nullum proprium, & formalem discursum efformasse circa obiecta naturalia cùm ea cognoscebat per proprias species. Probatur, quia si B. Virgo causam, & effectum, quæ repræsentantur per eandem speciem vnico actu attingeret, vt poterat, certum est tunc non interuenire discursum, quia non erat transitus ab vno ad aliud, sed simplici actu ferebatur intellectus in vtrumque obiectum; si verò B. Virgo causam, & effectum attingeret distinctis actibus per propriam speciem, similiter non erat discursus, quia in eo euentu, nec effectus per causam, neque causa per effectum cognoscebatur; sed tam effectus, quàm causa attingebatur immediatè per speciem propriam, neque cognitio illa effectus pendet à cognitione causæ, sed sufficienter procedebat ab specie. Roboratur, quia species B. Virginis repræsentabant propria obiecta, vt sunt in se: ergo cùm B. Virgo vtebatur suis speciebus, non poterat cognoscere vnum ex vi cognitionis alterius; quia ex vi solius speciei cognoscebatur obiectum vt est in se. Vnde semper deerat aliquid necessarium ad verum discursum in hoc genere cognitionis per proprias species. Verumtamen arbitror B. Virginem ex cognitione causæ naturalis, vt est in se, & per propriam speciem naturalem posse pro arbitratu, deducere cognitione abstractiua effectus naturales; & similiter ex cognitione effectus naturalis in se, & per propriam speciem posset deducere notitiam abstractiuam causæ naturalis, nihil enim prohibebat, quominus B. Virgo vteretur specie ad cognoscendam causam, & non ad cognoscendum effectum, vel è contra: ergo poterat tunc per cognitionem abstractiuam ex priori deductam cognoscere effectum, vel causam; sic ex cognitione naturæ humanæ poterat deducere cognitionem abstractiuam proprietatum eius, & ex cognitione creaturæ deducere cognitionem abstractiuam Dei.

B. Virgo nullum discursum efformabat, cum cognoscebat obiecta per propriàs species.

Quando autem, vnico tantùm actu causam, & effectus cognoscebat, nullo modo vti poterat discursu, vt ostensum est, & amplius confirmari potest, quia B. Virgo poterat dupliciter attingere eiusmodi obiecta naturalia, scilicet, vel cognitione intuitiua, vel abstractiua: in neutra verò vtebatur discursu; non in cognitione intuitiua, quia intuitio cùm includat euidentiam veritatis, non ex causa, vel ex effectu, sed quia clarè res ipsa in se videtur, non potest procedere ab vno in aliud, quod deposcit proprius, & formalis discursus: & patet in assensu primorum principiorum, qui sine vllo discursu ex apprehensione clara extremorum intuetur veritatem immediatam. De cognitione item abstractiua probatur, quia quando B. Virgo cognoscebat aliquam causam naturalem, & per illam effectum abstractiuè, simul, eodemq; actu attingebat vtrumque, propter necessariam connexionem inter causam, & effectum, adeòque attingens clarè causam necessariò attingebat effectum abstractiuè eodem actu, non enim attingebat causam per diuersam speciem, ac effectum, sed per eandem, adeòque & per eundem actum; eademque ratio fieri potest de cognitione causæ per effectum.

Solùm ergo in rerum cognitione, quas B. Virgo non euidenter, sed per coniecturam cognoscebat, 1053.
discursu connaturaliter vtebatur; & patet ex verbis illis Luc 1. *Et cogitabat qualis esset ista salutatio.* Tum ex illis: *Maria autem conseruabat omnia hæc conferens in corde suo.* id est vnum ex alio inferens per verum discursum formalem. Hoc tamen discrimen intererat inter B. Virginem, ac nos, quod illa etiam in cognitione hac coniecturali nunquam decipiebatur, sicut dici solet de Angelis, de quibus immeritò Maloo ait, disput. 6. sect. 1. bonos Angelos, interdum; malos verò sæpissimè decipi: repugnat id statui beatifico; cùm malum quoddam sit deceptio, & maxima imperfectio, quæ etiam in statu innocentiæ procul abesset. Cùm ergo B. Virgo esset prudentissima nulli erroris discrimini exponebatur de rebus ergo ignotis, ac incertis, nullum iudicium absolutum efformabat.

Solùm in rebus non euidenter cognitis vtebatur discursu.

Maloo.

Hinc inferes Logicam B. Virginis in ordine ad actus, quibus obiecta naturalia, & vt in se sunt, per proprias species attingebat; specie distingui à nostra: quia altioris ordinis, & absque vllo discursu proprio, imò & absque compositione, & diuisione, solùm simplici intuitu illa cognoscebat, & per vniuersaliores, & perfectiores species. Forsan verò aliqua partialis Logica admittenda est in B. Virgine eiusdem speciei cum nostra, videlicet in actibus, quibus attingebat obiecta supernaturalia, vel res contingentes, vel cogitationes internas, & secreta cordis aliorum; cùm enim diximus in his vsum fuisse discursû, compositione, & diuisione, similiter ostendi potest hos actus, eandem dirigibilitatem logicam admittere posse, ac nostros, adeòque esse eiusdem speciei, licèt forsan ex nobiliori modo tendendi in obiectum, nobiliorem etiam speciem sortiri possent.

Logica B. Virginis distincta speciei, ac nostra.

Aliqua partialis Logica, ipsius poterat esse eiusdem speciei.

PALÆS

PALÆSTRA XIV.

De scientia per se adquiribili, siue per accidens infusa Animæ B. Virginis.

1054. NIMAM B Virginis instructam fuisse hac scientia, quam homines ministerio, & adminiculo sensuum obseruatione, ac studio possunt naturæ viribus sibi adquirere, ostendi Palæstra X. Aliqui hanc scientiam vocant per se adquisitam: quia tamen hac voce innuitur fuisse adquisitam ab anima B Virginis, per proprios actus, ac proprio marte; ideò hoc nomine consulto eam non donamus. Eam alij rectiùs vocant, per accidens infusam, quia licèt per proprios actus comparari poterat, eam tamen Deus indidit animæ B Virginis. De hac etiam vniuersalissima scientia, ac perfectissima locutus Salomon de Deipara fatur Cant. 4. *Collum tuum, sicut turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quæ verba ad nostrum gustum commentatur Theodoretus: *Habet*, inquit, *collum tuum, quod caput tuum, & faciem sustinet, omnes aliorum doctrinas, quibus tanquam iaculis cunctos aduersarios transfigis. Habet item clypeos, quibus protegeris, & ignita hostis tela extinguis; munita enim spiritus armatura, & facile hostes vulneras, cùm omnibus fortium sagittis abundes, eosque modò per Prophetas, modò per Apostolos redarguis, atque ipsorum retegis imbecillitatem.* Sed notanda est Hebræa phrasis, *letalphiot*, quæ varios in sensus verti potest. Pagninus transfert, *ad suspendendum ora*, quia vt ipse subdit; Virginem Deiparam ore stupido homines, & Angeli attonito similes respiciunt, huiusque Turris fabricam eximiam, structuram admirabilem, pulchritudinem inauditam contueri quidem possunt oculi, non tamen ora eloqui, nec omnigenam ipsius scientiam euulgare. Alij cum D. Hieronymo vertunt, *Documenta in turribus*: Quòd sicut turris alta docet transeuntes viam, ita B Virgo, tanquam turris altissima doceat omnes mundi Viatores Veritatis viam, ne cespitent, & aberrent. Alij legunt, *constructa ad disciplinas*: est enim omnium scientiarum Academia, omnium artium bonarum, & ingenuarum Gymnasium: sicut illa Dauidica turris, quam aiunt Hebræi ita affabrè fuisse per omnem structuram exædificatam, vt peritissimi artifices eò confluerent ad discendum.

Cant. 4.

Theodor. ad eum locum. *Omnigenam B. Virginis scientiam commendat Salomon.*

Pagnin.

Hieron. *Maria omnium bonarum artium, ac scientiarum Academia, & Gymnasium.*

CERTAMEN I.

Quando Deipara habitus, & species huius scientiæ per Infusionem acceperit.

RIPLEX potest esse in hoc litigio sententia. Prima, quæ adstruat Virginem
1055. Deiparam à primo conceptionis suæ instanti hanc scientiam à Deo per infusionem accepisse. Secunda, B. Virginem non accepisse scientiam istam per infusionem, sed eam sibi propriis actibus comparauisse, quod & de Christo D. id asserunt Vasq. tom. 1. in 3. part. disput. 55. Valentia in 3. part. quæst. 9. artic. 4. part. 2. Meratius de Incarnat. disput. 30. Mediam alij viam inire possent si asserant B. Virgini hanc scientiam non fuisse inditam toto tempore infantiæ, bene tamen accepisse per infusionem in adulta ætate, non totam simul, sed temporis decursu prout organa phantasiæ disponebantur ad scientiarum naturalium vsum. Harum sententiarum momenta decursu certaminis expendentur.

Vasq. Valent. Merat.

Nobis autem Prima sententia magis arridet, quia magis congruit dignitati Matris Dei, & doctrinæ à nobis hucusque traditæ, & infra tradendæ de infusione virtutum naturalium B. Virginis ab instanti suæ conceptionis: Nec enim obstat quòd B Virgo in ætate infantili, & in vtero Matris delitescens, cùm non haberet phantasiam aptè dispositam scientiarum vsui, illas exercere connaturaliter non posset, sed quodammodo supernaturaliter. Sed permitto hæc omnia; id enim totum debebatur sublimi dignitati Matris Dei; sicut & vsus virtutum moralium naturalium ab instanti conceptionis fuit debitus voluntati Marianæ, vt infra ostendemus cum Suario; & patet etiam in exercitio scientiæ infusæ naturalis, de quo latè tota Palæstra præcedenti.

Scientia per accidens infusa indita fuit B. Virgini ab instanti Conceptionis.

Quòd autem hæc scientia per accidens infusa secundum entitatem naturalis, sit supernaturalis quoad modum, inde suaderi potest; quia vel infusa fuit B. Virgini in instanti conceptionis, vt dixi; tunc autem certum est esse supernaturalem quoad modum, sicut de scientia per se infusa naturali dici solet: vel fuit infusa statim post infan-

tiam, & etiam fuit in modo supernaturalis: vel tandem si dixeris nunquam fuisse infusam, sed propriis actibus B. Virginis fuisse comparatam, sic autem admittere cogeris hanc adquisitionem fuisse in modo supernaturalem. Habuit enim Deipara vniuersas, & singulas scientias, & artes naturales; tum in extensione, tum in intensione perfectissimas, vt tota hac Palæstra videbimus; quæuis autem illarum in infinitum penè porrigitur, ita vt ad eius vix quidem vni soli per solas naturales vires perfectè adipiscendæ vnius hominis vita longè protracta sufficiat: cùm ergo Deipara eas cunctas sibi proprio marte, etiam longissimo vitę tempore comparare nequiuisset, opus ergo fuit, vt specialibus Dei subsidiis in earum adquisitione iuuaretur, toti humani naturæ indebitis, adeoque quoad modum supernaturalibus.

1056. Præterea oportebat, vt Deipara hanc scientiam non proprio marte sibi adquireret; tota enim vita hisce studiis distracta, contemplationi, ac virtutum exercitio iugi non ita incumbere posset: longè igitur maior perfectio fuit per totum infantiæ tempus exornari tam speciali scientiarum perfectione quam illa toto illo tempore carere, donec propriis actibus illam adquireret. Et firmari potest, quia decuit B. Virginem accipere in momento suæ conceptionis, per infusionem, omnes virtutes morales naturales, vt iam plures nobiliores Theologi admittunt: ergo similiter decuit B. Virginem accipere per infusionem scientias naturales. Deinde decuit maximè B. Virginē instrui gratia habituali, & reliquis virtutibus supernaturalibus in instanti cōceptionis, sine propriis actibus, vt tenent omnes Theologi hodie, quia maior perfectio censetur, quòd Virgo B. eliceret actus supernaturales connaturaliter, ac proinde per habitus infusos in instanti conceptionis, quàm vt hos nancisceretur frequenti propriorum actuum repetitione: ergo etiam maior perfectio censenda est, quòd & actus & habitus scientiarum naturalium haberet ab instanti suæ productionis, quàm eis priuata, postea propriis actibus sibi compararet. Si enim gratia, & virtutes infusæ debitæ iam fuerant B. Virgini propter sublimem suam dignitatem, ad quam assumpta fuerat, & quod earum actus connaturaliter eliceret; ergo & naturales virtutes intellectus & voluntatis. Argumento est, quod iuxta commune Recentiorum placitum, infusæ illi fuerunt virtutes naturales morales à primo sui conceptus momento: ergo ipsius dignitati debitum fuit, vt scientias naturales acciperet infusas in eodem instanti. Dedeceret autem tantam Virginem non accepisse hanc scientiam à principio per infusionē; Si enim dicatur eam sibi comparasse proprio Marte, post infantiæ tempus, vel eam tunc accepisse per infusionem; quidquid dixeris, profectò constitues B. Virginem insigni hac perfectione carentem; vel etiam affirmare debes, virtutes morales naturales, non fuisse infusas ei, nisi post infantię tempus: Si ergo admittis has virtutes morales naturales infusas fuisse B. Virgini, ne tandiu toto bono priuaretur; ergo similiter affirmare teneris de scientia hac per accidens infusa, cùm eadem vtrobique militet ratio: idémque argumentum efformabo, si dixeris hanc scientiam sibi comparasse post infantiam per proprios actus; præsertim cùm quælibet harum scientiarum naturalium ferè in infinitum protendatur, & vt perfectè soli vni incumbas, vix hominis longissima vitę periodus sufficiet, adeóq; intelligi nequit quomodo eas B. Virgo sibi adquirere potuit.

Dicat aliquis: Quamuis infusæ fuerunt animæ 1057.
Marianę virtutes naturales morales, per se acquiribiles, in instanti suæ creationis; non tamen fuisse necessarium, vt ipsi infunderentur scientiæ naturales per se adquiribiles ad exercitium virtutum naturalium: sufficienter enim dirigi poterant per scientiam, & prudentiam intrinsecè supernaturalem, quam per se infusam B. Virgo acceperat. *Contrà* primò, quia iam admittis priuatam fuisse Deiparam hac scientiarum perfectione toto infantiæ tempore, sine vllo fundamento; maximè cùm admittas in instanti conceptionis accepisse Virginem B. virtutes morales naturales, quibus perfectiores sunt virtutes intellectuales: Si ergo illæ propter suam perfectionem infusæ fuerunt B. Virgini ab instanti suæ conceptionis: ergo & scientiæ. Si enim scientias naturales per proprias actus comparare magna perfectio est, & illarum actus in infantia elicere omninò indebitum naturæ censetur: profectò id omne reperimus in exercitio virtutum moralium naturalium. Prętereà scientia siue prudentia supernaturalis non poterat aptè deseruire vsui natiuo virtutum moralium, hæ enim sunt in entitate naturales: ergo petunt dirigi à principio sibi proportionato, nempe à scientia, & prudentia intrinsecè naturali, licèt autem vtcumque virtus naturalis dirigi posset per scientiam supernaturalem, non tamen naturaliter, sed supernaturaliter, saltem quoad modum. *Replicabis*, virtutes illas morales naturales rectè dirigi posse, saltem per scientiam per se infusam intrinsecè naturalem, qua de re egimus Palæstra superiori. *Respondeo*, illam scientiam per se infusam quoad entitatem naturalem, non esse eiusdem rationis, quàm illa, quæ est per se adquiribilis, & quæ per proprios actus comparari potest; sed est eadem cum ea, quæ infunditur animæ rationali, in instanti separationis à corpore: ergo huius scientiæ vsus concedi non potuit animæ B. Virginis coniunctæ cum corpore in instanti suæ creationis, nisi supra debitum naturæ, adeóque quoad modum fuit supernaturalis: sed non alio modo supernaturalis fuisset in illo instanti infusio scientiæ per se adquiribilis, quam nostris actibus comparare possumus, & eiusdem scientiæ vsus; tum hæc scientia magis proportionata videtur ad directionem actuum virtutum moralium: ergo si virtutes morales, quas propriis actibus nobis comparamus, fuerunt B. Virgini tunc infusæ, etiam hæ scientiæ naturales.

Demum roboratur nostrum Placitum, quia 1058.
scientia hæc per accidens infusa, per se adquiribilis, fuit indita Adamo in momento productionis suæ: ergo eadem infusa fuit animæ Virgineæ in momento creationis suæ. *Occurres*, esse disparem rationem: Adamus enim conditus fuit in ætate adulta, & perfecta; vnde potuit connaturaliter illis habitibus vti: cùm autem fuerit caput, ac Dominus rerum omnium naturalium, oportuit statim harū scientiarum vsum exercere. At B. Virgo condita est in ætate infantili inepta vsui, & exercitio horum actuum. *Contrà* primò, Quòd enim B. Virgo in ætate infantili condita fuerit, nihil prohibebat, quominus actus scientiarum eliceret, sicut & virtutum Moralium naturalium, cùm iam acri polleret ingenio, vsuque rationis, vt diximus. Dein, si dignitas illa capitis in Adamo, ac rerum omnium Domini postulabat, vt scientias has naturales acciperet per infusionē in primo suæ formationis

mationis instanti;ergo dignitas multò sublimior Matris Dei,ac rerum omniū, & ipsius Adami Induperatricis deposcebat,vt easdem scientias naturales , eodem supernaturali modo reciperet.

Opponitur demum contra nostrum Assertum: Deipara vt quid scientiam haberet in qua ætate nullos eius actus exerceret?At in infantia nullos elicojt actus;sed in adulta ætate sensim,ac successiuè, dum phantasiæ organa disponebantur : ergo in hac ætate , non verò in instanti suæ formationis , hanc scientiam habuit à Deo , vel per proprios actus.Et confirmari potest,quia B.Virgo reliquis hominibus in eo omninò simillima fuit, quòd scilicet nō exerceret operationem aliquam humanam,nisi dependenter ab organis,& reliquis naturalibus dispositionibus:Vnde neque pedibus suis gradiebatur , donec sicut reliqui pueri,crura obfirmata, ne tuosque aptè iam dispositos haberet ad gressum,nec verba articulabat , quousque organa loquendi idonea essent ad efformandas voces : ergo similiter nullas operationes humanas phantasiæ proprias exercuit,antequam huius potentiæ organa ad eiusmodi actus aptè disponerentur:vnde neque actus huius scientiæ, quæ non minus dependet a phantasmatibus, quàm hæc ab organis , & dispositionibus phantasiæ aptè compactis ad suos actus.

1059. *Deipara adhuc infans exercebat actus scietia per se infusa naturalis, & scientia per accidens infusa.* Hęc autem non multùm vrgent;quia sicut Anima B. Virginis infantili corpori coniuncta exercebat actus scientiæ per se infusæ intrinsecè naturalis proprios animæ separatæ, eique soli connaturales, adeoque illos non omninò naturaliter exercebat corpori affixa , sed supernaturaliter quoad modum:ita etiamsi aliquos B.Virgo infans actus eliceret huius scientiæ per se adquitibilis,& per accidens infusæ , illos solum exerceret supernaturaliter quoad modum , videlicet Deo infundente species in instanti conceptionis Marianæ, cum & habitus producente si hi requiruntur,deinde illas species excitante ad eliciendos actus cognitionis eiusdem speciei cum illis,quos in ætate adulta ipsamet Deipara elicere posset : ergo nihil obstat,quòd hęc scientia infusa fuerit animæ Virgineæ à principio suæ creationis. Quod sic denuo firmari potest ; Vel enim ex eo id aliquis inficietur,vt admittat omnes actus cognoscendi intrinsecè naturales exercitos fuisse à B.Virgine connaturali modo, quod falsum est ; non enim illos ita exercuit,qui proprij sunt animæ separatæ,nempe actus scientiæ infusæ per se in entitate naturalis; vel ex eo,vt defendat B.Virginem exercuisse connaturali modo omnes actus intelligendi intrinsecè naturales , qui proprij sunt hominis , vt sic: hoc autem liberè dicitur; nam si Anima B.Virginis corpori annexa exercuit actus intelligendi proprios animę non connaturali modo,sed supernaturali,cur etiam Deipara non exercuerit actus intelligendi proprios hominis, non connaturali modo,sed supernaturali.Perperam igitur denegabitur B.Virgini in infantili ætate operatio intellectiua propria ætatis adultæ: cùm admittatur in anima eiusdem corpori vnita operatio intellectiua propria animæ separatæ.Si enim hæc operatio defertur B.Virgini, quæ propria est solius animæ separatæ ; licèt sit quoad modum supernaturalis multò ante quàm status separationis adueniret propter dignitatem Maternitatis Dei:Ergo etiam operatio intellectiua propria ætatis adultæ deferenda est B.Virgini infanti,licèt sit quoad modum supernaturalis,propter tātę dignitatis excellentiā.

CERTAMEN II.

Vtrùm B. Virgo cum speciebus huius scientiæ, habitus etiam acceperit per accidens infusos.

IN hac scientia per accidens infusa,& per se adquiribili,sicut in aliis,& reperitur aliquid se tenens ex parte potentiæ,nempe habitus;& aliquid se tenēs ex parte obiecti,nempe species.Quòd infusæ fuerint species huius scientiæ B. Virginis, quotquot eam in Deipara admittunt affirmare tenentur,quia eiusmodi species dant simpliciter facultatem ad eliciendos actus huius , & cuiuslibet scientiæ,imò plures denegant infusos fuisse habitus huius scientię,quia non sunt simpliciter facultas ad operandum,sed facilitas;ideoque plures affirmant,hanc scientiam per accidēs fuisse infusam Christo D.quia infusas accepit solas species,quarum adminiculo elicuit actus, & his mediis habitum. Verùm hoc congressu ostendam huius scientiæ habitus fuisse etiam infusos per accidens B. Virgini,sicut & species. Vestigamus ergo,an sicut à Deo inditæ sunt species intelligibiles impressæ intellectui Mariano huius scientiæ per accidens infusæ ab instanti suæ conceptionis,sic etiam fuerint concrediti habitus per se adquiribiles , per accidens autem infusi, vt connaturaliùs , ac faciliùs actus eliceret circa obiecta naturalia, qui habitus dici solent Scientia per accidens infusa.

In qua lite triplex est opinandi modus:Primus, negantium tales habitus,vtpote non necessarios, neque ad substantiam actuum , neque ad facilius illos eliciendos;non ad primum , quia sufficiebat virtus potentiæ intellectiuæ instructæ speciebus impressis , alioquin non esset potentia completa, & integra intellectus Virgineus,sed solum inchoata,vt dici solet , respectu scientiæ supernaturalis infusæ : Vnde hoc reperitur discrimen inter hos habitus intrinsecè naturales,& species impressas; quod hæ requiruntur ex parte obiectorum , licèt potentia intellectiua sit omninò completa ex parte sui ; at hi habitus solùm deseruiunt ad reddendam faciliorem potentiam, quam iam supponunt sufficienter completam ad eliciendos actus ordinis naturalis. Quòd verò non requirantur hi habitus in Virgine ad faciliùs operandum,suaderi potest ; quia lumen intellectus Virginei instructum speciebus inditis, absque vlla difficultate veritates naturales attingere poterat : ergo opus non erat habitu reddente faciliorem potentiam. 1060. *Quidam denegant habitus huius scientia per accidens infusa, sed solū admittunt species impressas.*
Firmatur hæc sententia : Ideò plures Theologi denegant in Angelis habitus in ordine ad cognitiones euidentes , quia nullum adest impedimentum in cognoscendis rationibus assentiendi, quas per species possunt clarè cognoscere : ergo neque in B. Virgine concedendi sunt habitus in ordine ad cognitiones euidentes rerum naturalium. Videndus Suarius de Angelis lib.2. cap.38. num.3.& tom.1.Metaphys. disp.1. sect.4. num.14. & disp 44.sect.3. num.7. vbi negat Angelis habitus naturalium scientiarum præter species. Nunc sic : Ex eo natura intellectualis non coniuncta sensitiuæ non indiget habitibus ad eliciendos actus euidentes , quia ibi cessant omnia impedimenta , quæ oriri solent ex coniunctione cum corpore,& sensibus externis , atque internis , sed licèt hæc omnia adessent in B.Virgine,tamē cùm scientia illa infusa per accidens non dependeret Suar.

ex consortio phantasmatum, præcipuè in ætate infantili Mariæ;ergo neque necessarij erant eiusmodi habitus scientiarum, cùm neque ex parte obiecti,neque ex parte potentiæ intellectiuæ difficultas aliqua adesse posset in B.Virgine ad claré cognoscendas veritates naturales. Quis enim dicat ad videnda obiecta externa oculis corporeis opus esse habitu facilitante potentiam visiuam: Atqui ea facilitate, & promptitudine poterat intellectus obiecta naturalia percipere mediis speciebus inditis,si vellet voluntas, quâ potentia visiua instructa lumine, & specie impressa obiecti: ergo sicut potentia visiua non indiget habitibus ad videnda obiecta; neque intellectus ad cognoscenda obiecta naturalia euidenti cognitione, quorum habet species inditas.

1061. *Ex hoc opinandi modo infertur non esse admittendas quinque virtutes mētis in intellectu Mariano.* Ex quo opinandi modo infertur in B. Virgine non distingui oportere ab ipsius intellectu quinque virtutes mentis,videlicet Intellectus,Sapientia,Scientia,Prudentia,& Ars. Quia cum hæ virtutes sint principia euidentia, eadem debet militate ratio in illis,atque in reliquis cognitionibus euidentibus reliquorum obiectorum materialium. In nobis verò,cùm in vsu, & exercitatione illarum virtutum soleat reperiri difficultas, opus est habitus admittere, qui inclinent ad similes actus, quique reddant potentiam faciliorem, ac promptiorem, superéntque difficultates occurrentes in vsu illarum virtutum; vt in Prudentia, difficultas, quæ occurrere potest in vsu actuum ipsius,vel oritur ex defectu imperfectæ cognitionis alicuius obiecti, & quia claré, & euidenter non attingitur; vel ex praua dispositione voluntatis,vel appetitus sensitiui:ex nullo autem capite in B. Virgine locum poterat habere hæc difficultas;non ex defectu cognitionis, cùm ostenderimus,B. Virginem claré, & euidenter obiecta naturalia,& per proprias species congenitas ab initio percepisse;multo verò minùs ex aliqua praua dispositione vtriusque appetitus, quæ nulla vnquam exstitit: ergo in vsu prudentiæ, quæ vera virtus mentis est,nulla fuit difficultas reperta,adeoque superuacaneus erat habitus in B.Virgine. Idem dicerem de Arte,omnis enim difficultas quę reperiri potest in vsu huius virtutis, vel prouenit ex parte imaginationis difficultatem aliquam concipientis, vel ex parte alicuius potentiæ executiuæ siue organorum,siue membrorum non ita expeditorum ad artis opera: hæc tamen difficultas,qualiscumque sit,à B.Virgine omninò aberat; omnis enim imaginatio ipsius obiectum percipiebat, vti erat in se, neque vnquam fallebatur; item potentias omnes executiuas, organa item omninò expedita,& ad agendum facilia experiebatur,vt dici solet de Adamo in statu Innocentię: ergo cum nulla appareret difficultas in vsu Artis, quæ virtus mentis est,nihil opus erat habitibus, qui difficultatem aliquam superarent.

Alij in extremè oppositam viam abierunt;dari nempe habitus ad res quascumque etiam euidentes, quos Angelis attribuunt aliqui cum Molina 1.p.q.58.art.1.eadémque ratione admitti possent in intellectu Mariano, quia in nobis ponuntur habitus etiam primorum principiorum;atqui intellectus noster ita propensus est ad assensum primorum principiorum,sicut intellectus Marianus ad omnes euidentes veritates, imo sine vlla difficultate intellectus noster assentitur his primis principiis: ergo similiter B. Vir[illegible], licèt nullam experiretur difficultatem circa obiecta naturalia,euidentia,habitus tamen per accidens infusos huius scientiæ habuit. *Molin.*

1062. Mediam alij ineunt viam cum Suario de Angelis cit.qui asserit Angelos circa ea obiecta,quæ euidenter cognoscebant nullum habuisse habitum; circa veritates autem, quæ attingebantur solum per media probabilia, illos habitibus indiguisse: idémque dici posset de B.Virgine, videlicet eam circa ea, quæ euidenter cognoscebat, nullum habuisse habitum, nec per accidens infusum,nec per proprios actus adquisitum,quia omninò superfluus videretur, vt satis ostensum in confirmatione primæ sententiæ. Et quidem B. Virgo faciliori negotio has euidentes veritates assequebatur,quàm nos assequimur veritates primorum principiorum: vnde licèt admittamus in nobis habitus adquisitos ad assentiendum primis principiis, propter aliquam difficultatem, quam intellectus noster in percipienda connexione terminorum experitur, saltem in pluribus primis principiis: At B.Virgo, vt erat perspicaci ingenio,summa facilitate,& absque vllo impedimento,quod moram aliquam, siue difficultatem ingereret,veritates euidentes perspiciebat. Si verò loquamur de aliquibus veritatibus, quæ à B.Virgine attingebantur per media tantùm probabilia, tunc adquirebat habitus intellectuales inclinantes ad similes actus, ac reddentes intellectum promptiorem, ac faciliorem ad illos eliciendos, vt patet in nobis; & de Angelis idem docet Suar. cit.Et ratio est,quia quando potentia non est satis determinata in aliquam partem, tunc habitus adquisitus inclinat,& promptam, ac facilem reddit potentiam,vt aliquam partem eligat;sed quando B. Virgo attingebat aliquas veritates per media tantùm probabilia, non erat determinata ex se ad hunc potius assensum,quàm ad alium: ergo poterat sibi comparare habitus, per quos intellectus magis determinaretur, ac promptior redderetur ad eiusmodi assensus.Confirmatur:Ideo noster intellectus indiget habitibus, quia manet indifferens in his rebus, quæ solum per media probabilia cognoscit, mediis enim habitibus magis propendet,& faciliori modo, in alteram partem; sed illa indifferentia etiam reperiebatur in intellectu Virgineo in ordine ad assensus veritatum solùm ea mediis probabilibus haustatum: ergo similiter habitus adquirebat, quibus faciliùs in alteram partem propenderet.

1063. *Admittendi sunt habitus per accidens infusi huius scientiæ in intellectu Mariano.* Ex his tribus opinandi modis plus mihi arridet secundus. Quare censeo in intellectu Mariano admittendos esse habitus per accidens infusos, qui potentiam inclinarent in obiecta, & faciliorem redderent. Probatur, quia scientia per accidens infusa in B. Virgine fuit eiusdem rationis specificæ cum ea,quam nos viribus naturæ comparare possumus: sed hæc continet habitus, & propensiones facilitantes;ergo, & scientia per accidens infusa B.Virginis.Confirmatur,ideò in nobis admittuntur hæ propensiones, seu habitus, propter indifferentiam, vel difficultatem potentiarum in agendo,ratione cuius indigemus aliqua qualitate,qua determinemur,hęc autem aliqua ex parte locum habere potest in intellectu Virgineo, non solum circa veritates ineuidentes, sed etiam circa euidentes, quia intellectus B. Virginis in præbendo assensu, aliquam habere poterat indifferentiam, quando non tendebat simpliciter in rem,vt quando excitabatur ab specie, quæ plura obiecta repræsentabat, & solum vnum apprehendebar

debat obiectum; sed mouebatur à ratione assentiendi, à qua poterat magis, vel minus excitari, vel ob maiorem, aut minorem aduertentiam: ergo vt fieret expeditiut ad percipiendum obiectum, & hæc indifferentia tolleretur, requirebat habitum. Confirmatur, quia nullum est obiectum adcù manifestum, cuius veritas aliqua ratione nonnihil latêre posset B. Virginem, etsi perspicacissimi intellectus; negari enim non potest communissimorum etiam principiorum terminos aliquando remissè, aut cum minori aduertentia cognosci posse à B. Virgine: ergo tunc ad assensum promptior, & facilior reddi posset per habitum. Imò licèt admittamus, B. Virginem per hanc scientiam per accidens infusam nullum discursum effurmasse formalem; poterât tamen illi habitus inseruire ad facilè assentiendum alicui veritati, cùm non ita facilè posset conclusionem resoluere in principia prima, quando ea longissimè distabant, nec posset omnia simul eadem semper specie cognoscere, vel nollet conclusionem resoluere in prima principia, etiamsi facilè posset, quia vult pluribus aliis rebus, & considerationibus attendere, quæ secum non patiuntur perfectam tot principiorum contemplationem, & ita intellectus Virgineus non esset determinatus ad assensum, tunc autem habitus conducere posset, vt promptius assentiretur. Nec obstat, quòd intellectus sit potentia naturalis, & non libera: nam inter potentias naturales quædam habent, quasi reflexum actum, id est mouentur ob aliam rationem cognitam in obiecto, quales sunt potentiæ appetitiuæ, & iudicatiuæ, & istæ capaces sunt habituum; quia cùm illis variis modis proponi possit ratio motiua, & pro varia dispositione variè ab illa moueri possint, quamuis necessariò, & naturaliter operentur; aliquam habent indifferentiam, quæ per habitum auferri, vel minui possit. Nec obstat, quòd hæ potentiæ naturaliter operentur: nam licèt ita sit, non semper applicant totum suum conatum, & ita per habitum magis applicari queunt: quamuis ergo intellectus sit potentia naturalis, non fertur semper toto naturæ impetu circa obiecta euidentia, ita vt augeri nequeat impetus ille per habitum. Aliæ verò sunt potentiæ naturales, quæ simpliciter ab obiecto excitantur, & habent actum simplicem, hoc est, non elicitum ob aliquam rationem motiuam, sed simpliciter tendentem in obiectum materiale; quales sunt potentiæ rerum inanimatarum, omnes sensus externi, potentiæ sensitiuæ animalium, imò intellectus noster cùm simpliciter apprehendit; non egent habitu, quia sunt ad obiectum simpliciter determinatæ. Per quæ patet ad rationes primæ & tertiæ sententiæ, quatenus nostræ aduersantur.

CERTAMEN III.

B. Virgo litterarum Humaniorum peritissima constituitur.

1064. HActenus de hac scientia per accidens infusa in genere actum est: modò de ipsius obiecto in particulari agendum. Et quidem supponimus obiectum huius scientiæ naturalis per accidens infusę, & per se adquiribilis, nihil aliud esse, quàm aggregatum ex omnibus obiectis omnium scientiarum naturalium, quas sibi comparare possent homines in statu naturæ integræ acri ingenio præcellentes; non est enim solum Physiologia, aut Mathematicæ, aut Metaphysica, sed omnium scientiarum cumulus, quæ homini naturaliter competunt; omnes enim B. Virgini debebantur ratione excellentissimæ dignitatis Matris Dei, tum ratione intellectus, secundum differentiam indiuidualem, & organorum dispositionem longè præstantissimi, & ad intelligendum aptissimi; ac demum ratione gratiarum, ac priuilegiorum, quæ Maternitatem Dei comitantur, & iustitiam Deiparæ originalem consequuntur longè præstantiorem illâ, quâ primi Parentes in prima sui formatione decorati fuêre. Quocirca scientias omnes naturales obtinuit Deipara, quæ Adamo, & Salomoni præ cæteris deferri solent, vt rationes adductæ rectè euincunt.

B. Virgo sub Spiritus Sancti magisterio edocta in omnibus scientiis.

Disquiro primùm, Vtrùm B. Virgo edocta à Deo fuerit in Alphabeto Hebræo, Syriaco, Græco, & aliis, tum & in arte litteras efformandi, tum & in Grammatices præceptionibus. Respondeo affirmando. Primò, quia ita decebat tantam Virginem, videlicet ne aliquid reperiretur, quod sub scientiæ alicuius rationem caderet, cuius illa perfectissima cognitione non instrueretur à Deo; nec enim congruum erat, vt alter præter Deum, illius, quæ Sapientiæ omnis Mater, atque omnium Doctorum Doctrix erat nuncupanda, se Ludimagistrum profiteretur, ac gloriaretur. Aptissimè in hanc rem S. Laur. Iustin. serm. de Natiuitate Virginis hæc habet: *Illam profectò adhuc in matris vtero decumbentem adamauit Verbum, sibique in Genitricem elegit, vtpote superabundanti benedictione preuentam, eámque sancti Spiritus magisterio deputatam.* Cùm ergo hæc omnia, Ars, inquam, legendi, scribendi, perfectaque Grammatices cognitio sint quasi basis, ac fundamentum, quibus reliquæ Artes, ac scientiæ innituntur; oportuit primùm in illis à tanto Magistro perfectissimè edoceri. Secundò, quia id ipsum de Salomone probat Pineda noster de rebus Salomonis lib. 3. cap. 11. ergo potiori iure id de B. Virgine asserendum.

S. Laur. Iust.

Pineda.

1065. Sed illud quispiam obiiciat: Nam verba illa B. Virginis in suo Cantico: *Sicut locutus est ad Patres nostros Abraham, & semini eius.* Quoniam coniunctio, *&*, similes casus adnectit: quod hic non præstitit B. Virgo. Respondeo tamen verba illa incongruæ grammaticæ argui immeritò, vt bene defenditur à Maldonato & Salmerone tom. 3. tract. 15. §. *Videtur autem.* Imò etiam Verbum Græcum λαλέω similiter S. Lucas cum Accusatiuo coniunxit, & Datiuo, sicut verbum Latinum, *Loquor*, cum eisdem casibus construitur. Græcus textus sic se habet. *ἐλάλησε πρὸς τοὺς πατέρας ἡμῶν τῷ Ἀβραάμ, καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ.* Et quidem rectè dici potest, loquor ad te, & fratri tuo, cùm vtrumque casum postulet verbum, *Loquor*. Similem constructionem reperies in Cantico Zachariæ in verbo, Memoror. *Ad faciendam misericordiam cum Patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti; Iusiurandum, quod iurauit ad Abraham.* vbi verbum Græcum, quod *memorari* significat, coniungitur cum Genitiuo, & Accusatiuo: eandémque constructionem seruauit Latinus Interpres.

Luc. 1.

Deipara grammatices peritissima.

Maldon.

Salmer.

Luc. 1.

1066. Elocutionis autem virtute, & arte præditam fuisse B. Virginem certum arbitror, si enim perfecta eloquentia in eo sita est, vt quis parem orationem suæ mentis conceptionibus, ac dignam

rebus ipsis cogitationem concipiat, inficiari nemo potest id totum in Virgine Deipara absolutissimè repertum. Si ergo Salomon de se ipso profert Sap. 7. *Mihi dedit Deus dicere ex sententia, & præsumere digna eorum, quæ mihi dantur.* Id de B. Virgine potioribus titulis proferendum. Quidquid eloquentiæ magnum, ac sublime in aliis Oratoribus, laudibus extollitur, multò felicius in B. Virgine extollendum. Pro ingenti priuilegio, ac dono ait Eccles. 17. collatam fuisse Protoparentibus eloquentiam: *Disciplina intellectus replenit illos.* Lectio Tigurina habet: *Dedit illis sermonem operibus suis explicandis, vel interpretandis efficacibus operationibus ipsius.* Id est interpretandi energia, & quæ eo inseruiebat, vt idoneè explanaret verbis Dei Opt. Max. operationes, creaturarumque virtutes. Pondera autem verba illa: *Repleuit illos.* Adamum scilicet, & Euam, itaque non solum Adamum, sed Euam elocutionis scientia ornatam videmus, ex eo proculdubio, quia eloquentissimæ Deiparæ vmbra fuit: donum ergo Euæ collatum, cur B. Virgini non collatum fuisse arbitrabimur? præsertim cum quidquid sine hac elocutione, scitur, aut loquitur, aut turpe, aut fœdum, aut prorsus inutile, ac inane, & sine suasionis fructu profertur. Hinc illud Prouerb. 15. *Lingua sapientium ornat scientiam.* Hoc est speciosam, ac iucundam reddit. Viri ergo sapientis est disertè, & cum verborum ornatu, & elegantia sermonem habere. *Os autem,* subdit Sapiens, *fatuorum ebullit stultitiam.* id est fatuorum sermones, indecori, & inelegantes proferuntur.

Sap. 7. — *Eccles. 17.* — *Primi Parentes eloquentiæ arte praditi.* — *Prouerb. 15.*

Nec fieri potuit, vt Deipara plenissimam Scripturarum cognitionem nancisceretur sine Rhetorices præsidio; nec aliter Moysis narrationem, orationis maiestatem præ se ferentem, modò poëticas amœnitates redolentem, modò dulci verborum lenocinio pellicientem, modò terrore concutientem penitus penetrare potuisset. Iobus modò verborum flosculis legentem allicit, modò in sententiarum grauitatem assurgit, Oratorum acrimonia accenditur, descriptionum amœnitate vernat, variis troporum coloribus dictionem depingit. Dauid, & Salomon intonare, fulgurare, fulmina intorquere in sceleratos videntur, modò suaui, ac mellita dictione emolliunt adamantina pectora, saxea perrumpunt corda. Reliqui Prophetæ classicum canunt, homines à damnatorum pœnis auocant terrifico, & aculeato verborum pondere ad cœlestia flectunt.

Sacra volumina elocutionis figuris, & floribus scatent.

1067. De B. Virgine quidquid Cicero lib. 3. de orat. de summis illius qui Oratoribus laudum in vnum congessit, id totum absque vlla imperfectione efferendum. Pollebat ergo B. Virgo in dicendo suauitate cum maiestate coniuncta: dilucida subtilitate, & acumine magno præstabat; vernabat varietate, ac verborum, sententiarumque profluentia, semper fuit in dictione sui constans cum acrimonia, & verborum pondere grauida. Siue ergo de cæli natura, ac pulchritudine, siue de terræ, eiúsque bonorum inconstantia dissereret: siue de Deo immortali, ipsius prouidentiæ operibus, siue vt homines ad arduum, ac per difficilem virtutum cliuum impelleret, siue à prauarum voluptatum tramite auocaret, siue vt eos æternis æui venturi suppliciis deterreret; siue vt animos in Dei amorem inflammaret, semper tali verborum eloquentia dictionem efformabat, vt auditorum mentes, ac corda quocumque vellet blanda, efficaci tamen, vi, alliceret. Vnde quæ de Salomone ait Scriptor sacer 3. Reg. 4. *Veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salomonis,* id de B. Virgine consultiùs affirmari posset; cùm Primi Doctores Ecclesiæ ad B. Virginem, Apostoli, inquam, tanquam ad Oraculum, & sapientiæ omnigenæ Gymnasium de Fidei veritatibus informandi conueniebant. Quæ eloquia pulchritudinis proferebat, & quidem opportunius, quàm Nephthali, de quo Genes. 49. dicitur, *Nephthali dans eloquia pulchritudinis,* id est sermones eloquentes, ac rectè compositos. Ab ipsius ore pulcherrimo pendebant Apostoli, ac Domini Discipuli suauiùs, ac feliciùs, quàm ab Herculis ore, de quo Lucianus: *Catenulis aureis confertissimam hominum multitudinem trahens, omnes auribus vinctos, & quidem neque de fuga cogitantes, nec omnino pedibus in diuersum renitentes, sed sponte festinantes, innexis tamen catenulis summa Dei lingua perterebrata & quamuis durissima corda, eloquio pollens ad sua vota trahit.* Huc spectant verba illa sponsi ad B. Virginem: *Labia tua, sicut vitta coccinea*: verbis enim suis, tanquam funiculis aureis auditores vinciebat. In quæ verba ait Theodoretus de Maria: *Nam eloquium tuum eos demulcet, & retinet.* Hinc eloquentiæ candidati, ac sacri Verbi præcones hanc eloquentiæ præceptricem sibi potius deoinciant, melius, ac fortunatius, quàm perantiqui Oratores, & prisci sæculi sapientes suam Ioue natam Mineruam, aut Palladem, Deámve Calliopen, & tanquam Patronam, ac Tutelarem sibi conciliare studeant; quò maximos in promouendis animis fructus experiantur. Ideò Concionatores statim in exordio à Virgine Deipara auxilium implorant, & meritò, vt verbis diuinæ eloquentiæ profluentibus auditorum animos à vitiis auocent, ad virtutem alliciant. At quis verbis explicare poterit quot homines ad meliorem frugem hac sua eloquentia reuocauerit; ideò vittæ coccineæ labia eius rectè etiam comparantur, vbi ad vittam coccineam Rahab alludi plurium sententia est, vt innueret Sponsus, Mariæ verba salutem mundo inuexisse. Ideo præfata verba sic expungit Ambrosius: *Sicut vesticula coccinea labia tua: In cocco species ignis, & crucis Dominica sanguis irrutilat, &c. Per vesticulam igitur vinculum persuasionis agnoscimus; per coccum, vel cupiditatis ardorem, qui scintillat in animis audientium.* Itaque verba Virginea funiculi coccinei Rahab speciem referunt: vt sicut Rahab per funiculum coccineum vitæ discrimen euasit, tanquam per salutis notam: ita etiam per vocem *Maria*, & Ioannes liberatur à peccato originali, & alij plures delinquendi periculum euadunt. Aptè Rupert. lib. 3. in Cant. ait: *Ecce Rahab, & quilibet peccator dulcis eloquij tui vittam coccineam in fenestra sua ligauit, signum suæ fidei, quod nuncios Iosuë, siue Iesu susceperit, atque saluauerit: dum Ecclesia quondam idololatria meretricio sordida, dulce eloquium tuum, quo magnificauit anima tua Dominum, pignus suæ salutis iugiter personat.* Ergo qui noet hoc suæ salutis æternæ signo, ac tessera iuuari, Marianam vocem sitientibus auribus auscultet, ipsius dictis acquiescat, mandata exequatur, ipsiusque nutui obtemperet. Vel si mauis, quia qui eloquentiæ vi pollet, loquax, ac garrulus solet esse, præcipuè autem hoc vitium in fœminis reperitur; ideò cùm dixerit labia tua; sicut vitta coccinea, id est silentio prudenti conclusa cum opus est; addit, *& eloquium tuum dulce*, laudibus efferens eloquentiam Marianam, simulque tempestiuum ipsius silentium commendans. Manca, ac diminuta esset eloquentia

B. Virgo eloquentia & Rhetorices arte floruit. — *3. Reg. 4.* — *Gen. 49* — *Lucian.* — *Cant. 4. 3.* — *Virgo Deipara verbis suis tanquam funiculis aureis auditores alliciebat, ac vinciebat.* — *Theod.*

quentia Mariana, nisi, & dicendi suauitate floreret, cuius dictionis decor mellitus, totúsque de apum fauis instillatus videretur. Hinc

Cant 4.11.

de illa adiicit sponsus: *Fauus distillans labia tua, mel, & lac sub lingua tua.* Aptius de Maria diceres, quod olim de Iuditha c. 9. Iudith. *Capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ.* Vbi Iu-

Iudith. 9.

dith labia deposcebat fauos, ac mella stillantia, vt Holofernum caperet, vt ait Serarius ibi. Quod B.Virgo fæliciùs nacta est, vt peccatores caperet, & ad vitam æternam reuocaret, imò, vt Verbum diuinum è sinu Patris ad nos alliceret. Erat igitur B. Virgo fandi dexteritate prædita, vt orationem omni melle, ac sacchara dulciorem de illius lingua effudisse videretur, comiter, & mansuetè in auditum semet inserentem; vt etiam illa loqui desinente, verba audita iucundo murmure tinnirent in auribus, ita vt verè di-

Ansel.

xerit D. Anselmus opusculo de forma, & moribus B. Virginis: *Eloquentiam eius homines mirabantur.* Sed pende Mariana verba non componi cum melle, sed cum fauo, nec sine arcano: fauus enim non solum mel exhibet palato, sed ceram ad lumen administrat; eiusmodi fuêre Virginea verba, quæ elocutione, & elegantia plena, ac proinde auditui suauissima; deinde ceram suppeditarent ad lumen; nam audientium mentes diuino lumine illustrabat, ipsorúmque corda ad virtutem accendebat.

1068. Mariana hæc elocutio præcipuè in suo Cantico *Magnificat*, emicat; quod ab ipsa stante

In Cantico Magnificat, emicat præcipuè eloquentia tropi, & figuræ.

pactum fuit; in cuius singulis verbis sua pondera, & emphasis latent; dictio profectò sublimior, quæ phrasim communem vincat, excedat supremam, scatet tropis, Rhetorices abundat figuris, diues locutionibus, elegantia vernans

Salm.

varia, vt bene expendit Salmeron tom. 3. tract. 11. Quis non miretur gradationem, qua vsa fuit, dum priùs beneficia commemorans, & pro eis gratias referens, ab illis gradum facit ad supremum omnium beneficium; Verbi scilicet Incarnationem extollit verbis illis: *Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Hanc

Gerson.

Virgineam eloquentiam ritè expendens Gerson super *Magnificat*, ita fatur: *Sunt alia beneficia Dei magna valdè, pro quibus psallat iuuencula nostra in hoc psalterio decachordo, magnificans in anima Dominum cum exultatione Spiritus in Deo salutari suo. Magnificat quòd respexerat humilitatem ancillæ suæ; quod Beata diceretur per omnes generationes, quod fecisset ei magna, quod ad magnitudinem Dei in se, & ad singulare beneficium collatum in Mariam pertinebat, procedebat consequenter ad insinuationem aliorum sub generali narratione beneficiorum sub varia tropica antithesi iungens tum misericordiæ morem seueritatis, cum dispersione, & depositione superborum, humilium exaltationem, cum esurie satiante saturitatem inanem. Tandem omninò conclusit, vt oratrix peritissima per hoc verbum: Suscepit Israel puerum suum.* Quid dilucidius ad nostram thesim firmandam produci posset? itaque oratio in hoc Cantico contenta sublimem continet dictionem, & quæ troporum, ac figurarum lenociniis luxuriet, & grauitatem quandam præ

Maldon.

se ferat singularem. Obseruat item Maldonatus in Luc. 1. nunquam Mariam in suo Cantico Deum nominasse, sed figura quadam oratoria, quæ maiorem habet Emphasim, Deum descripsisse, atque honorificis epithetis eum innuisse. Vnde non asserit; *Quia fecit mihi magna Deus*, quod licèt breuius diceretur, minus tamen efficax fuisset oratio, minúsque ad ornatum orationis, & elegantiam idoneum; Ideo ait: *Quia fecit mihi magna, qui potens est*, per periphrasim. De Maria-

Prou. 31.

na eloquentia fatus Salomon Prouer. 31. ait: *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua eius* LXX. vertunt: *Os suum aperuit attentè, & legitimè*: ita vt nihil excideret à B.Virginis ore, quod non antè summa iudicij lance ponderaret. Ideò in Amoris cantico c. 4. prius capilli, hoc est cogitationes laudantur, postmodùm dentes, ac labia verborum instrumenta. *Capilli tui sicut greges caprarum. Dentes tui sicut greges tonsarum, labia tua sicut vitta coccinea.* Vt addisceremus, Virginem Deiparam priùs attentè cogitasse, quàm verbum vllum proferret.

B.Virgo priùs attentè cogitauit, quam verbū vllum proferret.

Cant. 4.

1069. Nec dicas dedecere tantam Virginem eloquentiæ flores Rhetorum ornamenta, & lenocinia, omnemque pictuatum sermonem, sicut grauem Matronam pigmenta dedecent. Phalerata enim, & lenocinantia verba ad theatra potiùs, quàm ad diuina mysteria conducunt, vt benè lamenta-

Naz.

tur S. Nazian. orat. de laudibus Athan. & orat. 26. *Pietatem nostram simplicem priùs, artisque expertem fucauerunt, & nouum quoddam politices genus effecerunt à foro ad Sancta translata, & à theatris ad abdita Sacra, prophanisque oculis minime inspectanda, Vt si audacius loqui liceat, duæ iam scenæ sunt hæ discrimine inter se disiuncta, quod illa omnibus pateat, hæc quibusdam; illa rideatur, hæc honore floreat; illa denique theatrica, hæc spiritualis nominetur.* Vbi ingeniosè, ac grauissimè huius æui oratorum aliquorum vitia carpit. Plus illos

Virum grauem, & prudentem quomodo deceat Rhetorum ornamenta, & elocutionis lenocinia.

Chrysol.

perstringit S. Pet. Chrysol. ser. 5. dum illos cum filio Prodigo componit: *Hinc est quod luxuriosus per desideria sæcularis eloquentiæ, & per scholarum lupanaria dissipauit Dei Patris, dementi dispensatione, substantiam.* Hinc notanter Christus D. Patri gratias habuit, quod arcana diuina sapientibus, & eloquentibus abstrusa, ac recondita, solis paruulis reserauerit. Quinam autem paruu-

Ambr.

lorum nomine veniant? explicat inibi S. Ambros. in 10. Luc. *Paruulum hic accipiamus, qui se exaltare non nouerit, & phaleratis sermonibus artem suæ iactare prudentiæ.* Ideo bene monet S Gregor Mag.

Greg.

in Epist. præfat. ad Leandrú in lib. Iob. c. 5. tom. 2. *Quasi autem, vt huius operis dicta percurrens in his verborum folia non requiras, quia per sacra eloquia ab eorum tractatoribus infructuosa loquacitatis leuitas, studiosè compescitur; dum in Templo Dei nemus plantari prohibetur. Et cuncti procul dubio scimus quia quoties in foliis male iacta segetis culmi proficiunt minori plenitudine spicarum grana turgescunt. Vnde & ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, seruare despexi. Nam sicut huius quoque Epistolæ tenor enunciat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem deuito, situs, motusque propositionum, casusque seruare contemno, quia indignum vehementer existimo, vt verba cœlestis Oraculi, restringam sub*

Hieron.

regulis Donati. Quam priùs sententiam Hieronymus pronunciarat in Epist. ad Damas. quæ incipit, *Postquam Epistolam tuæ Sanctitatis accepi*, tom. 3. *Scio*, inquit, *hæc molesta esse lectori, sed de Hebraicis libris disputantem non decet Aristotelis argumenta conquirere, nec ex flumine Tulliane eloquentiæ ducendus est riuulus, nec aureis Quintiliani flosculis, & Scholari declamatione mulcenda. Pedestris, & quotidianæ similis, & nullam lucubrationem*

 redolens

redolens oratio necessaria est, qua rem explicet, sensum edisserat, obscura manifestet; non qua verborum compositione frondescat. Vbi Doctor Maximus, me iudice, dum eloquentiam abiurat, sui impugnator existit; siquidem eloquenti calamo, cultuque sermonis, & elucubratis dictionibus verborum cultum & elegantiam prædicat abiurari, vt dixit Ennodius lib. 2. Epist. 17. *Quisquis sui impugnator est, qui elucubratis sermonibus linguæ prædicat abiurari.*

Ennod.

1070. Hæc autem, & alia, quæ proferri possent, sermonem nimis artificiosè cultum, ac cerussatum meritò damnant, non verò eloquentem, limatum, & sine affectatione comptum carpunt; qualis fuit Mariana elocutio: non enim Rhetorica, & eloquentia Christiana ingenio, & acumini eleganti renunciauit, aut valedixit; si enim quæ ingeniosè concepisti, rusticis proferas verbis, agrestis, & rusticus apparebis, imò indoctus; solum enim ornatus doctos ab indoctis discernit; non solum mente, sed ore, rusticus à literato discriminatur. Hoc etiam facundiæ elaboratæ stylo eloquenti floruerunt summa cum laude Chrysostomus, Cyprian. Leo Magnus, Ambros. Ennodius, Lactantius, Chrysologus, Aldelmus, & alij quamplurimi sanctitate, ac virtute conspicui; neque enim virtus est inelegans ac rudis, sed sublimis, & acumen ingenij præse ferens, sermonis splendorem afferens. Hinc Dei verbum aptè dicitur acutum, & limatum. Ezechielis 21. *Hæc dicit Dominus Deus, loquere, gladius exacutus est, & limatus.* Addit autem: *vt cædat victimas, exacutus est, vt splendeat, limatus.* De hoc autem gladio inquit Apostolus. *Gladius est verbum Dei*; Bene igitur sermo diuinus, qui est verbum Dei, acuitur, vt cædat, vt mactet peccata: nec solum acuitur per subtilia sensa per sensus sublimes, per conceptiones selectas; sed bis ad limam applicantur verba; limatur sermo, vt splendeat; cùm autem Dei Verbum, ac sermo diuinus acuitur, & lima elocutionis elaboratæ politur, ac splendet, perterrefacit peccatores, illos punctim cædit, & detriumphat: Virilitas quidem sermonis venusta, ac neruosa elocutione obarmata, quoscumque peccandi licentia effrænes cicurat, captiuat, & ad virtutis obsequium ducit. Vis autem robusta quorumcumque conceptuum, eneruato, ac elangui sermone exarmatur protsus. Nec his sisto, iterum ad limam voco dictionem illam: *Limatus vt splendeat.* Hinc addisces in die Pentecostes, cur apparuerint illis *dispertitæ linguæ tanquam ignis.* Notanter non linguæ igneæ, sed tanquam ignis, videlicet splendentes, vt ignis. Itaque linguæ è cœlo missæ lucidæ splendorem vibrantes, oculorum obtutus perstringentes. Ideo Verbum diuinum vocatur candor lucis æternæ, & in splendoribus Sanctorum progenitum: deinde primam vocem à Deo prolatam ad extra, lucem dedit mundo, splendorem inuexit, *Fiat lux*, Gen. 1. Lucem igitur Deus primò locutus est, vt innueret sermonem oportere esse pellucidum, splendentem, non obscurum, non fuscum, non lucifugum. Ex his solues verbutum illorum nodum Exod. 20. *Cunctus autem populus videbat voces.* Quæ verba premens Ambros. in Proœmio ad Lucam, sic subdubitat: *Neque enim videtur vox, sed auditur, vox enim, quid est nisi sonus, qui non oculis cernitur, sed aure percipitur?* Quæstionem tandem decidit: *Verùm altissimo ingenio volens declarare Moses, quia vox videtur Dei.* Vox Dei non solum auditur, sed videtur, & ad visus obiectum spectat, tum quia Dei voces non verba euanida sunt, sed facta, & opera, quæ videri possunt: tum præcipuè & ad rem nostram, nempe quia Dei verba, lucida, splendoremque eiaculantia dicuntur; vt & hinc percipias sermonem diuinum, qui à Deo est è luce compingi, & formari, hoc igitur sit signum, & quasi nota characteristica sermonis, & linguæ cœlestis, ac à Deo prouenientis, quòd sit instar lucis, nitida, pellucida, ac splendens. Quando autem verba nitida, ac clara proferuntur, vel ipsa elementa commouebunt, non solùm efferos homines cicurabont. Nonne de Arethusæ fonte refert Cassiodorus cum aliis lib. 8. Epist. 32. *Cum ibi tacitus homo aquas fontis irrigui reperit sic quietas, vt in morem stagni non tam currere, quàm stare videantur. At vbi sermo clarior fortasse sonuerit, nescio qua vi statim aqua ibidem concita prosiliunt. Noua vis, inaudita proprietas, aquas voce hominum commoueri, & hominum sermonibus prouocatas.* Instar miraculi est, quod ad voces nitidas, ad verba clariora, ad stylum pellucidum, etiam muta elementa commouentur, & insipientes lymphæ indolem mutent. Tandem si longiorem responsionem propositæ obiectionis desideras, adi Caussinum, vbi abundè, & ad nauseam, bene loquendi artem, & Patrum exemplo, & sacrorum voluminum elocutione, tum & rationibus prouehit, & sustollit.

Ezech. 21. Gladius Verbi Dei & acuitur vt cædat, & limatur vt splendeat.

Lingua è cœlo delapsæ in die Pentecostes, ignitæ, & splendorē vibrantes.

Gen. 1.

Exod. 20. Ambros. Verbum diuinum quod candor est lucis æternæ in splendoribus SS. progenitum.

Prima vox à Deo prolata lucem dedit mundo. S. ergo sermo noster pellucidus.

Dei verba dicuntur splendere, quia lucida, splendorem eiaculantia.

Cassiodo. Ad verba clariora, & ad stylū pellucidū etiā elementa cōmouentur.

1071. Sciscitaberis, vtrùm B. Virgo non solùm in soluta oratione, sed etiam in metrica eloquens fuerit, ac proinde Poësis, ac Musicæ gnara fuerit? Affirmo cum pluribus. Vtrumque suaderi potest ea Cantico *Magnificat*, ab ipsa compacto metrica dictione, quod etiam voce sonora pepigit: neque enim quid indecorum, & maiestate augusta tantæ Virginis, in vtraque arte apparet indignum, cùm plures ex Scriptoribus sacris poësis, ac musicæ peritissimi fuerint. Solymæus rex Psalmographus, Salomon, Moyses, Ieremias: videndus Pineda lib. 3. de rebus Salomon. c. 13. Præterea Maria soror Moysis, & nostræ Virginis vmbra, & plures aliæ fœminæ, inter quas tanquam primæ numerari solent Sybillæ in componendis, & pangendis carminibus celebres extiterunt. Cur ergo hoc priuilegium tantæ Prophetissæ denegabimus? vt Deum scilicet, & soluta oratione, & metrica, laudibus eueheret, multisque modis suspiceret. Canticum igitur *Magnificat* modulatis pepigit metris, Prophetissæ munere functa, stylum Prophetarum assecuta est; & ab Spiritu sancto edocta, metrica poësi composuit verba, & carmine dedit. Hinc factum, vt dicendi modis vsa fuerit non communibus, ac vulgaribus, sed plurimo schemate, ac tropis exornatis; siquidem diuino afflata spiritu Virgineis labiis numerosa, ac poëtica dictione Canticum à se compositum pepigit; ingeniosum profectò Poëma, Heroïcum, acumine plenum, grauitate ac suauitate dispunctum, perspicuitate dilucidum, sententiarum pondere augustum, quod denique elocutione, maiestate ac suauitate omnium Poëtarum prophanorum, ac Prophetarum carmina obscurauit. Nec sine illustris artis poëticæ cognitione Psalmorum sensa, ac plures Scripturæ libros rectè calleret. Subiungit Alber. Mag. super *Missus est*, c. 143. Musicam artem probè fuisse cognitam à Deipara, qua Psalmos, & alios sacræ Scripturæ Rythmos suaui, ac melliflua

Pined. B. Virgo poësis, ac musices gnara fuit.

Alb Magn.

pangebat

pangebat voce, de qua Sponsus: *Sonet vox tua in auribus meis.* His cantibus Iesu lacrymas, doloresque leniebat, mœrorem repellebat, ac tristitiæ nubila procul abigebat, diuina beneficia in se, & in homines collata celebrabat, Dei magnificentiam ingeminabat, potentiam, bonitatem, ac cœtera attributa laudibus euehebat, Deique cultum promouebat, & ab Spiritu sancto erudita sonos varius, tonorum genera, interualla, constitutiones, mutationes, & melopœias dispungebat, ac fælicissimè in praxim redigebat. Huic sensui suffragatur regius Psaltes Psal. 44. vbi verba illa: *Adducentur regi Virgines post eam.* S.Hieronymus sic transfert: *Adducentur regi.* Quia ipsa B.Virgo, tanquam chori ductrix præcinet, atque præcedet: aliæ animæ succinent. Ex quo infert Bern. ser.2. de Annunc. nouum Canticum illud Apoc. ipsam Virginem cum cœteris, imò prima inter reliquas esse canturam. His adstipulatur S.Damascenus orat. de de natiu.Virg. Vbi vocat Mariam Spiritus sancti Citharam, ipsique inhæsisse virtutem ad abigendos dæmones, quia peccatum originale à Ioanne propulsauit. Et quidem cum Maria Elisabetham inuisit ad pulsum huius citharæ, Ioannes infans choreas egit, dum saltibus, & tripudiis præ gaudio exilit. *Exultauit infans in gaudio*, &c.

1072. Dixi indecorum non esse, nec dedecere Virginem Deiparam cantum, cùm Christum D. plures Doctores aliquando cecinisse affirment. Quam quæstionem docto, ac erudito calamo versat noster Ieremias Drexelius p.1. de Christo moriente c.1.§. 4. Quod suaderi posset ex verbis Matth.26. *Et hymno dicto exierunt in montem Oliueti.* Quæ verba premens S. Aug. in Psal.39. ait: *Non est Hymnus, etsi laus sit, & Dei laus, si non cantetur.* A quo sensu visus est non deflectere Hieron. in c.5. Amos, & in c.5. Epist. ad Ephes. vbi ait: *Hymnus est Canticum in honorem Dei.* Quibus subscribit Chrysostomus hom. 83. in c.6. Matth. vbi de Christo ait: *Gratias egit, postea quam dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoque similiter faciamus.* Vbi perstringit, & sugillat eos, qui cibis saturi, ac vino madidi à mensa non in diuinas laudes assurgunt: *Audiant*, inquit, *omnes, qui quasi porci cum iam comederint, euersa calcibus mensa, temulenti consurgunt, cùm agere gratias debeant, & in hymnum à mensa deuenire.* Cùm autem audis Christum, ac Deiparam cecinisse, non per clamores inconditos id factum fuisse suspiceris, sed tantum submissum, vt moris est in aliquibus Regularium familiis, tum in Odæo, tum cùm è mensa acturi gratias assurgunt. Quod placitum confirmare possumus ex Paulo Burgensi asserente Hebræos ex ritu gentis suæ absoluta Agni Paschalis cœnâ, aliquos Psalmos decantasse: scimus autem Seruatorem nostrum gentis illius ritus ferè in omnibus obseruasse; sic plures ex Interpretibus peritissimi Christum D. non more nostro ad mensam sedisse, sed pro Hebræorum more in lectulis quibusdam accubuisse. Roboratur hæc sententia ex textu Græco Marci, & Matthæi. Ambo enim conspirant in hæc verba: vt Vatablus transfert: *Et cum hymnum cecinissent, exierunt.* Vides perspicuis verbis cantum adstrui: sed proh ingentem Christi in homines amorem! nam imminentes tormentorum nimbos, nempe fœda sputamina faciem cœlestem obnubilantia, sæua prætorij lora, horrentes paliuros capitis, formidabilem totius corporis carnificinam, & exundantem cruciatuum cataclysmum animo versans, non vt ad cruentam tragœdiam, sed vt ad omnigenæ lætitiæ theatrum properabas ad Crucem, velut ad iucundum conuiuium, ad tormenta, & tanquam ad choreas carmina pangens lætus ibas! Si ergo cantus non dedecuit Christum: ergo neque Deiparam.

Drexel. Matth.26. Aug. Hieron. Chrysost. Matth.26. *Christus aliquando cecinit.* *Christus ad Crucem tanquam ad choreas lætus carmina pangens properabat.*

1073. Quod autem Canticum *Magnificat* compositum fuerit à Virgine Deipara carmine, non verò soluta oratione, ipsum nomen Cantici satis ostendit, est enim musica seu consonantia sine vllius instrumenti pulsu; vel vt alij volunt carmen triumphale significat, vel insignem, & memorabilem concentum. Alij vocant hoc Canticum, Marianam Citharam perfectissimè temperatam. Ioan. Gerson. tract. 2. in *Magnificat*, dicit esse Psalterium decachordum. Canisius ex Beda, primum noui Testamenti hymnum. Quæ omnia epitheta Canticum hoc Marianum carmine fuisse pactum demonstrant. Maximè cum ad pulchritudinem, & venustatem Cantici valde conducebat, vt carmine, non soluta oratione pangeretur. Hinc D.Aug. ser.10. de Sanctis, vocat Deiparam Tympanistriam: *Audite quomodo Tympanistria nostra cantauerit, ait enim, Magnificat anima mea Dominum.* Quod confirmat Rutilius Benzonius Episcopus Lauret. lib.1. super *Magnificat*, c. 8. aiens hoc Marianum Canticum tanta fuisse metri varietate compositum, vt omnium carminum diuinorum quasi anacephalæosim contineat. Vnde meritò, tanquam omnis diuinæ Poësis potissimum & præstantissimum carmen habeatur, & quidem propter multiplicem rationem. Prima sumitur ex circumstantia loci, quippe in montana priùs conscendit, poëma istud decantatura. Secunda, ex circumstantia Authoris, nempe omnium creaturarum nobilissimæ. Tertia, quia continet quidquid alia cohibent Cantica. Quarta, ex nouitate. De qua videndus Salmeron tom.3. tract.11. Quinta, ex suauitate instrumenti concentus. Quas omnes rationes ritè expendit Carthagena tom.2. hom. lib.6. homil.9. Nunc rem finiat S. Tho. Archiep. Valentin. in Conc. de Visitat. Virginis. *Sileant*, inquit, *omnes Musæ, sileant Gentilium celebratæ Camœnæ: sileat Sybilla furens: sileat lasciuiosa Poesis: sileat Syrena dulcis, garrula etiam philomela conticeat; Sileat omnis hominum auiúmque harmonica laus. Cithara Regis sonat, Deipara Virgo canit, sed iam ipsam Virginem canentem audiamus. Magnificat anima mea Dominum. Quàm venustè, quàm pulchrè seruieris cognata palinodiam canis, quàm piè, quàm humiliter impensas sibi laudes in bonorum omnium largitorem Deum detorquet, repleta gaudio, feruore spiritus inflammata suauem Domino cecinit cantilenam: Virgo, inquam, illa, cui etiam loqui rarissimum erat, præ magnitudine Spiritus resonare, & cantare compellitur.* Vbi quidquid de cantu, & carmine Mariano diximus in summam redigit, nostræque sententiæ eleganter applaudit.

B. Virgo Canticum Magnificat, carmine composuit. Gerson. Canis. Aug. Rutil. Benz. Tho. Arch.

CERTAMEN IV.

B.Virgo absolutissimam Dialectices, ac rerum philosophicarum cognitionem hausit.

Dialecticam, tanquam bonam sapientiæ partem percalluisse optimè B. Virginem, certissimum 1074.

certissimum arbitror; hæc enim docet, verum à falso discernere, multumque iuuat ad rerum diuinarum cognitionem, veritatémque vestigandam inter plurimos errores latentem. Plures autem sacræ Scripturæ libri scatent propositionibus, & illationibus, plures etiam vtuntur definitionibus, diuisionibus, argumentationibus in quibus passim à sacris Interpretibus subtilitas in inueniendo, in disputando vis, & energia decantatur; opus fuit in Deipara facultas Dialectica, vt ea omnia in Scriptoribus sacris perciperet optimè: quam scientiam appellat Augustinus lib. 5. contra Academicos, disciplinarum Disciplinam. Et Plato lib. 2. de rep. disciplinarum Apicem. De hac inquit Clem. Alex. lib. Strom. prope finem: *Cum sit autem vera Dialectica Philosophia permista veritate res considerans, facultatesque & potestates examinans, transcendit ad præstantissimam omnium essentiam. Merito ergo Scriptura tales nos esse volens Dialecticos, sic hortatur: efficiamini probi trapezita: alia quidem reprobantes, quod autem bonum est, tenentes.* Clemens item Romanus 1. const. c. 6. auertere volẽs Christianos à Philosophorum Gentilium libris ait: *Nam quid in lege Dei desideras? siue enim Historias legere cupis, habes libros de Regibus; siue Sophistica, id est, qua argutè ad sapientiam referuntur, & Poëtica, habes Prophetas, Iob, Prouerbia, in quibus plus acuminis, quàm in omni Poesi, & sapientia Sophistarum reperies; quòd is, qui solus sapiens est, illa effatus est.* Si ergo in sacra Scriptura plura ad Dialecticam spectantia repetiuntur: ergo vt sacrorum voluminum sensus penitius introspiceret, opus fuit, vt à Deo optimè Dialecticam edisceret. Deinde vt Sophistarum, & Hæreticorum sui temporis paralogismos, ac Sophismata discerneret; edoceretque primos illos fideles, ac penitus errores propulsaret, necessarium erat, vt apprimè omnes Dialecticæ partes, Sophisticam scilicet, Topicam, ac Demonstratiuam calleret. Imò ipsa Sapientia de seipsa ait, & per appropriationem B. Virgini aptatur: *Scit versutias* (Græcè, Strophas,) *sermonum, & dissolutiones argumentorum.* Quæ ad partem Dialecticæ Topicam attinet; Stropha enim est fraudulenta lis, vt cùm aliquis variis se versat modis, vt aliquem fallere possit: sumitur etiam pro captiosa quadam argumentatione, quæ ad Elenchorum libros spectat; & iuxta hunc sensum, illorum verborum sententia hæc erit: Si B. Virgini aptare velimus, quòd videlicet B. Virgo Strophas, & cauillos rectè sciuerit, non vt alios deciperet, sed vt sui alumni docerentur de veritate nec falli, aut in errores induci ab aliis possint. Et iterum Sap. 7. ait sibi datum, vt sciret *cogitationes hominum*, alij transferunt Dialogismos, qui ad Logicam spectant, quæ etiam humanum cogitationes regulat, ac dirigit, ac ratiocinationis modum, formamque in rectum argumentandi modum præscribit: rectè igitur lectio Tigurina, & Nanius loco *cogitationum*, vertunt ibi *Dialogismos*, qui propriè significant dubiam quandam disceptationem, qua homo vltrò secum, citroque sillogizat cum dubitatione quadam, quem sillogizandi modum Virgini Deiparæ attribuit sacer Textus Luc. 1. *Cogitabat*, id est, cum dubitatione quadam sillogizabat, *qualis esset ista salutatio.* Nam idem verbum reperitur Matth. 15. *Cogitationes malæ.* Id est, Dialogismi iniqui, nempe machinationes, & disceptationes aduersus proximum. Hanc igitur sapientiæ partem habuit B. Virgo per Dialecticam.

Aug. Plato. Clem. Alex. B. Virgo Dialecticam apprimè calluit. Clem. Ro. Sap. 8. 8. Sap. 7. Luc. 1.

1075. Huic nostræ sententiæ libens adhærescit Venerabilis Beda in cap. 2. Luc. vbi ponderat Mariam in corde suo, & conseruasse verba, & contulisse. *Maria autem conseruabat verba hæc conferens in corde suo*, ait Textus sacer: in quæ verba subiungit Præfatus Doctor: *Debuit dicere, considerabat in corde suo, & conseruabat; sed quia sanctas Scripturas legerat, & sciebat Prophetas, conferebat ea, quæ secum sunt acta de Domino, cum his, quæ nouerat à Prophetis scripta de Domino, & collata ad inuicem cognouit instar cœlestium Cherubim socia sui vultus luce concordia. Dixerat enim Gabriel: Ecce concipies in vtero, & paries Filium: Prædixerat Isai. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium: Prædixerat Michæas, Filiæ Sion, in turre gregis aduenturas, & potestatem primam tunc esse venturam. Dicebant Pastores superna sibi Ciuitatis in turre gregis apparuisse cohortes, quæ natum canerent Christum. Legerat Maria; Bos cognouit possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Videbat in præsepi Dei Filium vagientem, qui homines saluat, ac iumenta, & in his singulis, atque huiusmodi conferebat, quæ legerat & comparabat his, quæ audiebat, & videbat.* En tibi, quomodo ex antecedentibus præmissis illationes inferebat tanquam optima argumentatrix, cuius argumentandi dexteritatem nobis ante oculos S. Ambrosius ad imitandum proponit apud Maldonatum in c. 2. Luc. ad illa verba: *Conferens in corde sua*, ait ergo; *Discamus sanctam Virginis in omnibus castitatem, quæ non minus ore pudica, quàm corpore, argumenta fieri conferebat in corde.*

Beda. Luc. 2.

1076. Rerum physicarum cognitionem, quæ sub nomine Philosophiæ continentur, attigisse perfectissimè B. Virginem, vel ex eo colligi potest, quòd Moyses, Adamus, Salomon, & alij plures ex Hebræis non tam ab aliquo præceptore, quàm Spiritus sancti gratia edocti fuerunt in Physiologia, vt tradit Eusebius lib. 11. de præparat. cap. 5. Deinde quia, vt Diuus Paulus docet, perfectissima rerum naturalium cognitio, valdè conducit ad absolutam Creatoris cognitionem: *Inuisibilia enim Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* A cognitione ergo rerum omnium creatarum præcipuè comprehensiua, qualem diximus fuisse B. Virginis cognitionem rerum naturalium; in cognitionem diuinarum perfectionum, Bonitatis, Sapientiæ, Prouidentiæ, Omnipotentiæ, & aliorum attributorum, veluti gradibus quibusdam conscendebat. Apprimè ergo dignoscebat hoc Vniuersum non casu factum, nec temerè circumferri; cœlos non à se ipsis iugi circumrotatione volui; sydera non à se ipsis, sed à Patre luminum, lucem, ac splendorem ebibisse; ipsorum præterea cœlestium orbium incorruptibilitatem, numerum, magnitudinem, mundialis sphæræ circulum, ac diametrum, & quidquid ad perfectam mundi compositionem spectat, clariori super omnes Philosophos cognitione penetrabat. Rursus totius Vniuersi ordinem, & dispositionem, rerum principia, causarum seriem, elementorum virtutes, animantium facultates, vnumquodque dignoscebat ex propria differentia; carentias, & priuationes, formarum accidentia, proprietates, & qualitates rerum, qua ratione à substantia differant, alioquin mysterium Eucharistiæ um valdè obscurè, & in confuso solùm cognosceret,

Deipara perfectissimè omnem Physiam attigit. Rom. 1. 20.

primarum

primarum qualitatum dissidium, rerum dissimilium inter se coëuntium mirabilem harmoniam, & concentum, rerum sublunarium vicissitudines, corruptiones, generationes, virtutes, rectè callebat. Quare scientia Deiparæ, Platonis, Aristotelis, aliorumque omnium, qui humano studio, ac inuentione, vel per infusionem scientias adquisiuêre; longe superauit. Quippe Deiparæ scientia non ex accidentibus, externisque affectionibus, & effectis hausta solùm, sicut cæterorum hominum, nec sensuum ope comparata fuit; sed ex propriis rerum speciebus, & ex propria cuiusque rei quidditatis notione deducta fuit. Quotus quisque igitur erit, qui cum Deipara scientiâ conferri possit? Quocirca absolutissimam omnium liberalium artium cognitionem, nullo adhibito Doctore, proprio marte, sibi excogitare poterat, quia illarum omnium principia comprehendebat, quibus facillimè vniuersas illationes percipere posset, ac omnia subinde longè præstantiori modo penetrare, aliisque tradere, quàm ab orbe condito, à quibusuis hominibus, vel inuenta, vel tradita fuêre. Ex quo infert S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 19. §. 2. cum Alb. Mag. B. Virginem omnium liberalium artium peritiam perfectè calluisse.

Antonin.

1077. Imò illam Philosophiæ partem, quæ Historia naturalis nuncupatur perfectiùs quàm Salomon, Adamus, ac alij rerum naturalium indagatores consequuta est. Vnde animalium, arborum, florum, lapidum, herbarum virtutes, ac mirabiles proprietates mente complectebatur, reptilium naturas, belluarum ferociam, cicurum ingenia discernebat: ea namque cognitio multùm conducebat ad cauendum à venenatis animalibus, & quæ ad absolutam mundi ornatus, & varietatis cognitionem valde iuuabat. Volucrum etiam, quæ sicut origine prius, ita etiam dignitate, & loco aliis præstant, naturam perspectam habuit; ex quarum cognitione voluptatem maximam capiebat. De huius scientiæ vtilitate, & commodo ad alias scientias, eleganter disserit Vlysses Aldobr. initio suæ ornithologiæ. Piscium etiam species, & magnitudinem; mineralium, lapidum, gemmarumque absconditas naturas penitiùs introspiciebat, quàm Adamus, Salomon, & alij quicumque harum rerum peritissimi; quia rerum harum cognitio ad cognitionem diuinæ omnipotentiæ, eiusdemque laudes commendandas maximi ponderis erat. Quæ omnia rectè complectitur S. Amadæus in suis reuelationibus c. 9. §. 23. Vbi verba faciens de scientia B. Virginis in primo creationis instanti, hæc habet sub persona Gabrielis: *Nouerat tunc Grammaticam, Dialecticam, Rhetoricam, Poeticam, Arithmeticas, tam puras, quam mixtas, tam superiores, quam inferiores; nouerat Physicam, & Metaphysicam, & quæcumque sunt sub illis scientiis: nouerat optimè Theologiam, & omnes artes, quas Mechanicas dicitis: nouerat demum omnium regiminum, & vnius domus, & Ciuitatis, & regni regulas, & iura, nihilque tunc latebat animum illum sanctum.* In hunc sensum interpretantur aliqui verba illa Cantic. *Quia decolorauit me Sol.* Iuxta Philonis Carpatij sensum, qui ita transfert: *Quia circumspexit me Sol.* In primo enim conceptionis puncto scientiarum encyclopedia fuit circumornata, earumque luce superfusa. Hinc Bernardus ser. 2. in *Salue Regina*, vocat Mariam *Oceanum fontium, & fluminum Mare, ac scientiarum scientiam.*

Historiã rerum naturaliũ intimius penetrabat, quam Adamus, Salomon, & alij.

Amad.

Cant. 1. 6.

Philo. Carp.

Bern.

Medicinam illustrem Philosophiæ partem percalluisse B. Virginem, vel ex eo facilè dignosci potest, quòd hæc scientia in tuendam, & conseruandam hominis rectam constitutionem collimat, eiusdemque hominis naturam cognitam præmittit: cùm verò B. Virgo, vt paulò ante docuimus, herbarum, lapidum, metallorum virtutes præcognosceret, quomodo opportunè, & cum salutis vtilitate illis vtendum esset, probè sciebat; tum calidorum, frigidorum, siccorum, & humidorum naturas, quod multum, & ad tuendam corporis sanitatem cum recta humorum constitutione, & ad temperantiæ virtutem, quæ in gradu summo in B. Virgine insuit, multùm intererat: nec adduci possum, vt credam, plures artis medicæ peritissimos penetrare potuisse hanc, vel illam herbam, huic morbo curando prodesse, vel fellis Hyenæ proprietates, leonini adipis, sanguinis taurini, carnis vipereæ, & sic de aliis, & Virginem Deiparam hæc omnia ignorauisse. Præsertim cum ex harum rerum cognitione, in diuinæ prouidentiæ, & omnipotentiæ laudes insurgeret, nec periculum subiret obliuionis illius in Deum: cuius meminit Eusebius de rege Ezechia verba faciens: *Libros ait, Salomonis, qui scripti erant de Prouerbiis, & odis, in quibus tractabatur de natura plantarum, & de omni genere animalium, & de curatione omnium morborum, de medio sustulit Ezechias, propterea quod morborum medelas inde accipieret populus, & nihili faceret à Deo petere curationes.* Quamuis ergo herbarum naturas, & innatas rerum virtutes probè nosceret, haudquaquam tamen in herbis spem ponebat, neque in humanis consiliis, & curationibus sospitatem; tametsi enim medicina à Domino legatur constituta, ipse tamen sanos efficit, qui vitam sine fine concedit. 1078.

Medicinam illustrẽ Philosophiæ partem ritè percalluit.

Euseb.

Ex his etiam facilè est statuere B. Virginem magiæ naturalis gnaram fuisse, quia exactissimè rerum naturas, vires, proprietates, virtutes, sympathias, & antipathias notas habebat. Perperam autem Origenes reprehenditur à Theophilo Alexandrino, quod hanc speciem Magiæ laudat; de quo Salmeron tom. 2. tract. 38. §. *Ex quibus verbis*; qui rectè ibidem probat Magiam aliquando in bonam partem sumi. Quare mirifica quædam ab huius artis peritissimis patrata, quæ rerum causas, & virtutes ignorantibus, vel prodigia, vel miracula, vel præstigiosa quædam opera videri possent, Virgini Deiparæ effectus naturalium causarum videbantur. De quibus ait Eusebius lib. 4. c. 1. *Miracula, quæ simulacris attribuebantur, natura rerum fieri potuisse: Multa enim herbarum genera sunt, multa lapidum secreta, & multis ignota naturâ insita, morbos depellentia quosdam, & alios inducentia; alia enim contrahere atque densare, alia distrahere, & rarificare, tendere, aut omninò mutare, aut saluare nata sunt. Multa enim lucem Lunæ ita sequuntur, vt simul cum ea crescant, atque decrescant. Animalia igitur nonnulla, plantæ, lapides, aromata magnas virtutes insitas sibi naturâ possident, atque ad omnia positio quoque locorum multùm conducit.* Licèt autem B. Virgo in his omnibus scientiis præstantior omnibus esset, illa quidem effecta naturalia non patrabat, vel quia inutilia, & plerumque ad vanam ostentationem conducentia. 1079.

Nec Magiæ naturalis ignara fuit Deipara.

Salmeron.

Eusch.

Postremò, potissimam sapientiæ naturalis partem, Metaphysicam tenere, in confesso est apud omnes Philosophos, qua quidem non fuisse destitutam 1080.

Metaphysica multo excellentiori modo, quam in aliis sedem fixit in Maria.

stitutam B Virginem; ex eo ostendi potest, quod res omnes per altissimas causas contemplabatur. Item ea quæ ab omni materia seiuncta sunt rimabatur; causam præcipuè primam tanquam omnium nobilissimam, à qua reliquæ omnes causæ virtutem, vim, & efficaciam in operando haurirent. Angelicas Hierarchias, ordines, proprietates, perfectiones, profunda mentis vestigatione indagabat; inter ens creatum, & increatum perspicaci ingenij acumine spatium infinitum interesse percipiebat. Eiusque increatum, eiusque attributa ab omni creatorum entium serie, & cathegoria arcebat, seriemque omnino diuersam constituere à rebus creatis meditabatur: sciebat enim esse Magnum in substantia, quia Deus dicitur à Damasceno *Pelagus infinita substantiæ:* Magnum etiam in quantitate, quia omnia potest, & implet: Magnum qualitate, quia summum bonum: relatione Magnum, quia Filius Dei: Magnum in temporis, siue præteriti, siue futuri duratione, quia æternus à parte ante, & à parte post: Magnum in prædicamento Vbi, quia cœlum, terramque, imò & spatia imaginaria complet: Magnum situ, quia vt ipse ait; Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: Magnum habitu, quia *Dominus regnauit decorem indutus est:* & Paulus: *Habitu inuentus vt homo, amictus lumine, sicut vestimento.* In actione supremum, *Quia in principio creauit Deus, cælum, & terram. Et Pater vsque modo operatur.* Magnum denique, passione; quia *Nouissimus virorum, & Vir dolorum, & sciens infirmitatem.* Vnitatem demum, bonitatem, veritatemque in vnoquoque ente creato inhærentem, ab vnitate, bonitate, & veritate vnius Dei summè boni, ac veracis secernebat. Hæc igitur sapientiæ pars potissima longè excellentiori modo in Mariana mente sedem fixit, quàm in primo Parente, Salomone, & aliis Philosophorum omnium sapientissimis. De qua ait
Sap.7. Sapiens Sap.7. de B.Virgine sermonem attexens. *Est enim in ea Spiritus subtilis.* Quod de hac sapientiæ parte præcipua, nempe de Metaphysica Virginis Deiparæ capiunt plures nouiores Theologi.

CERTAMEN V.

Reliqua scientiarum naturalium supellex indita fuit B. Virgini.

1081. ABsolutam Astronomiæ, Arithmeticæ, Geometriæ, Cosmographiæ, Geographiæ, Hydrographiæ cognitionem Virgini Deiparæ indi-
Alb Magn. tam fuisse affirmant Albert.Mag. super *Missus est,*
Antonin. c.144.& 145.& 146. S.Antoninus 4 p.tit.15.c.19. Et ratio esse potest, quia sine harum scientiarum adminiculo plura Scripturæ loca rectè intelligi
Aug. nequeunt, vt monet S.Aug.lib.2. de Doct. Chri-
Cassiodo. stiana c.30.& Cassiodorus lib.de diuin.instit.cap.
Villalp. 25.26.27. & benè probat Villalpandus tom.3. super Ezechiel. Neque enim Arca Noë, nec Tabernaculum, nec templum Salomonis, nec plures Ezechielis visiones, nec Ciuitas Dei, de qua habetur in Apoc. nec aliæ mensuræ sacræ rectè comprehendi possunt ea proportione, & perfectione, quà par est, sine Geometria; nec plures mensuræ, quæ in Scriptura reperiuntur, nec pondera, id est amphoræ, modij, talentum, [illegible] di, caph, bati, cori, ephi, sati, go[illegible], in quibus constituendis, & [illegible] vendis, sicut magna Reipublicæ moderandæ [illegible], ita earum rerum scientia pernecessaria: de quo Villalpandus citatus in proœmio ad tractatum de ponderibus. Oportuit autem, B. Virginem in his scientiis fuisse excultissimam, vtpote Sapientiæ domum, scientiarum omnium Academiam, & errorum omnium peremptricem.

Situs insuper Paradisi, eiusque fontium, Gentium diuisiones post diluuium, Israelitarum egressus ex Ægypto, mansiones per spatium Quadraginta annorum, Patriarcharum itinera, Prouinciarum dispositio, Christi D. Apostolorumque peregrinationes, & alia eiusmodi, neque rectè intelligi, nedum comprehendi queunt sine Geographia, & Cosmographia. Qui autem posset Virgo Deipara sine Astrologia perfectam illius loci Isai. cognitionem attingere, vbi agitur de horologio Achaz? neque annorum supputationes, mensium numerum, dierum, & horarum diuisiones; Solis, ac Lunæ cunctationem tempore Iosue, Paschatis celebritatem, veteris Testamenti festiuitates apprimè calleret sine eiusdem adminiculo; plura demum Scripturæ loca, quæ agunt de pleniluniis, temporum, ac mensium ratione, ac supputatione perspecta habere non posset Huius ergo scientiæ cognitione præuidebat eclypses, solstitia, futuras tempestates, annorum vbertatem, vel sterilitatem, astrorum benignos ad pectus, cursus, influentias. Præterea cùm cœli causæ sint vniuersales mistorum, ac similium effectuum rerum inferiorum; ergo ad exactam harum rerum scientiam Astronomia pernecessaria fuit B. Virgini: tum quia licèt inferiorum rerum cognitio ad vsum, & conseruationem corporalis [illegible] magis necessaria sit: ad contemplationem autem Creatoris; ipsiusque laudes decantandas, cœlorum cognitio permagno conducit: atqui Deiparæ præcipuè collata fuit scientia, vt in rerum omnium Conditoris laudes assurgeret; quod innuit Sapiens verbis illis Ecclesiast 17. dum de primis Parentibus ser- Eccles.17.
monem habet: *Et disciplina intellectus repleuit illos. Creauit illis scientiam Spiritus, sensu impleuit cor illorum: & mala, & bona ostendit eis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, vt nomen sanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius.* Dicat aliquis cum Caiet. in Gen.2. ad illa verba: *Adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Vbi ponderat Adamum indidisse nomina brutis, non verò astris, quorum cognitio soli Deo reseruanda; iuxta illud Psal. Psal. 146.
146. *Qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Vnde nec B.Virgini, nec cuiquam alteri cœlorum scientiam fuisse collatam: falsum tamen est cœlorum notitiam solius Dei esse, cùm Salomon fateatur illam à Deo hausisse, Sap.7. *Noui etiam vicissitudinum permu-* Sap.7.
tationes, & commutationes temporum, anni cursus, & stellarum dispositiones. Si ergo Salomon exactam cœlorum notitiam hausit: ergo potiori iure Deipara exactiorem Astronomiæ cognitionem à Deo accepit. Hac etiam scientia excelluêre Ægyptij, & inter Chaldæos Abrahamus; Moyses etiam, vt attestatur S Stephanus, Act.7. ait enim: Act. 7.
Eruditum Moysem omni sapientia Ægyptiorum. de quo Philo Iudæus lib.1. de vita Mosis. *Numeros, &* Phil. Iu.
Geometriam,

1082. *Virgo Deipara omnium scientiarum Mathematicarum egregiè perfectissima prædita fuit*

Geometriam, vniuerſamque Muſicam, Rithmicam, harmonicam, metricam, ſiue contemplatiuam, ſiue per inſtrumenta, voceſque promentem ſe modis variis accepit ab Ægyptiis Doctoribus, & inſuper occultam Philoſophiam deſcriptam litteris, vt vocant, Hieroglificis, hoc eſt notis animalium, quæ ipſi venerantur etiam pro Numinibus. Reliquas liberales artes Græci docebant. Ex propinquis autem regionibus euocatis Aſſyrij ſuas litteras, Chaldæi ſyderalem ſcientiam hanc, & ab Ægyptiis didicit, Mathematica cum primis deditus, obſeruanſque quid vtriſque conueniat, in quo diſcrepent, intactus à contentionibus veritatem quærebat, quippe nihil præter eam admittebat. De ſapientia autem Salomonis illuſtre exſtat D. Ambroſij teſtimonium apud Pinedam de rebus Salom. lib. 3. c. 21. *Tam locuples poſſeſſor ſapientiæ Salomon cùm omnia cognouiſſet, quæ in arcanis abditarum diſpoſitionum tenebantur abſconſa, nouerat mundanæ diſpoſitionis introitum, qualiter eſſet hoc cœlum, omne quod cernimus, ardua ſublimitatis ſuſpēſum; quemadmodum fieret aeris iſtius circumiectus, & fuſus, æquo moderamine libratus in medio, quibus modis pigro ad imum dilapſa pondere terra ſubſiſteret; qua ratione inter certas littorum metas, liquidi elementi impatiens fluctus lapſus exæſtuet: quod principium rerum, quis finis, & quæ ſunt media: Quem iſtorum diuiſiones, & mutationes temporum non latebant; qui comprehenderat qualiter ſibi annorum mutua viciſſitudo redeunte orbe ſuccederet: Quæ cauſa varios ſtellarū ageret curſus, præcedendo ſe nonnunquam, aut ſubitò ſubſequendo: Vnde earum eſſet ortus, aut obitus, & alia multa, quæ Sapientia docente cognouerat.* Quidquid ergo Adamus, Moyſes, Salomon, & omnes ſimul Aſtronomi cognitione complexi ſunt, vel à Deo per ſcientiæ infuſionem, vel vigili induſtria, iugi labore, ac multiplici obſeruatione de Cœlis, aut elementis; id totum per Aſtronomiæ notitiam B. Virgini à Deo inditum fuit; & quidem longè excellentiori modo: quod innuit Sponſus Cant. 7. *Oculi tui, ſicut piſcinæ in Heſebon, quæ ſunt in porta filiæ multitudinis.* Quæ verba capit Rabbi Salumō de Aſtrologiæ cognitione. Sic enim interpretatur: *Sapientes tui, qui ſedent in portis Hieruſalem vrbis habentis populum multum, occupātur in ratione reuolutionum, & ſyderum. Sapientia enim, & eruditio ſunt oculi populorum.* Quod cōfirmat Chaldaica Paraphraſis. *Scribæ pleni ſunt ſapientia, ſicut piſcina aquarū, & ſciunt conſtituere rationes embolis mēſium, & annos intercalant, & ſignant principia annorum, & menſium in porta domus Conſilij magni.* Marianæ igitur mentis obtutus multo fœlicius quàm reliqui Mathematicarum artium peritiſſimi aſſecuti ſunt ſtellarum magnitudinem, poſitiones, influxus, ſyderumque motus, coniunctiones, eleuationes, vim ac virtutem in corpora ſublunaria. Hinc forſan omnia cœlorum ſydera tantæ Virgini exornandæ ſubſeruiunt, nempe Luna ſub pedibus, Sole circumamicta, ſtelliſque redimita viſitur à Ioanne, vt oſtenderet ſyderalem ſcientiam cognitione ſua perfectè complexam fuiſſe. Demum harum omnium ſcientiarum cognitio plurimùm iuuat ad Philoſophiam naturalem perfectè aſſequendam: qua de re ſcripſit ſapienter Montanus in ſuo apparatu quem deſcribit Poſſeuinus in ſua Bibliotheca, & bene docet S. Greg. Nyſſen. de vita Moiſis, *hæ veluti prophanas ſcientias non eſſe contemnendas à viro ſapiente, nempe moralem, naturalemque Philoſophiam, Aſtronomiam, Geometriam, Muſicam, Dialecticam, cæteraſque ſcientias, quibus alieni ab Eccleſia florent.* Eædem ergo rationes, quibus alibi oſtendimus fuſiori calamo rerum omnium ſcientiam in Beata Virgine, æquè probant de Aſtronomia, Arithmetica, Coſmographia, Geographia, Hydrographia; & eſt optima congruentia deſumpta ex dignitate Matris Dei; tum ex parte rerum naturaliter ab homine cognoſcibilium; tum ex parte Dei conferentis illam plenam ſcientiarum cognitionem; ſiquidem ipſius beneficia in B. Virginem omnibus ſuis numeris abſoluta fuerunt; tum denique ex parte capacitatis intellectus Virginei recipientis, quæ ſine dubio grandis erat; ex parte etiam finis, in quem ſcientiæ omnes conferebantur; Actionis videlicet, & Contemplationis, in vtramque enim multum harum rerum cognitio, præcipuè cœlorum conducere poterat. Deinde Artis Geometricæ peritia indiguit, vt ad amuſſim plures ſacræ paginæ textus intelligeret; Geometriæ enim ſcientiam depoſcit cognitio menſuræ, & quæ de Tabernaculo, ac Templo latiùs diſſeruntur circa lineas, triangulos, circulos, magnitudines: quare arbitror Geometriam Deiparæ diuinitus fuiſſe collatam: Cum Geometria maximam coniunctionem habet Architectura, ab illius enim lineis, angulis, & menſuris hæc ortum habet. Huius artis ignari quamplurima Leuitici loca, Paralipomenon, librorum Regum, Ezechielis, Apocalypſis, vbi ſermo eſt de ſtructura Tabernaculi, Templi, Sanctuarij, ac cœleſtis Hieruſalem nulla ratione percipient, ne ergo horum locorum cognitionem effugiſſe dicamus B. Virginem huius facultatis notitiā ipſi deferimus. Idemque dixerim de Coſmographia, cuius tres ſpecies ſub ſe contentas agnouit, nempe Geographiam, quæ terram dimetitur; Hydrographiam, quæ aquarum tractus conſiderat; Topographiam, quæ in particulari, cuiuſque regionis ſitus delineat. Deipara ergo non ſolum Palæſtinam, Ægyptum, Iudæam, Idumæam, Meſopotamiam, quas omnes prouincias ſuis ſacrauit plantis, optimè quoad ſitus, magnitudinem, ordinemque cognouit; ſed etiam marium diuerſorum tractus, Aſiæ, Africæ, Europæ, Americæ regiones, pro plurium ſacri textus locorum notitia, & intelligentia noſcebat. Q[illegible]am Orientem reſpicerent, quæ ad Occaſum vergerent, quæ Meridiei reſponderent, quæve Septentrionem ſpectarent. Ad quem terræ tractum promiſſa terra pertineret, quas prouincias fluuij paradiſiaci fœcundarent; montium ſitus, vrbium, oppidorum, collium, imo totius orbis regiones, ac tractus per infuſam Coſmographiam agnouit.

Cant. 7.

Ciuilis etiam doctrinæ peritiſſimam fuiſſe B. 1083.
Virginem probat illud Prou. 8. vbi ipſa ſic fatur: *Meum eſt conſilium, & æquitas*: videlicet conſilia, quæ de rebus gerendis, de legibus ſanciendis, promulgandis, obſeruandis à Iudicibus, & Magiſtratibus, & Conſiliariis ineuntur decreta, & ſalutaria ſtatuta ipſi naturæ, atque iuſtitiæ conformia, mea ſunt; item, *mea eſt prudentia*, vt nihil niſi cum ratione decernatur: *mea eſt fortitudo.* Hæc enim omnia ſunt ornamenta optimi Imperatoris, ac virtutes neceſſariæ ad condendas leges, ipſarumque obſeruationem, ad ius dicendum, & conſtituendū, quod cōiungi maximè oportet cum prudentia, & cōſiliis; cū fortitudine, & acri, ac forti obſeruātia: ad arcēda, & puniēda ſcelera, ad ſubditos cōpeſcēdos, & omnes in ſuo officio continendos. Ideo, ait

Prou. 8.

B. Virgo vtriuſque iuris naturalis, & ſcripti, peritiſſima fuit.

Prou. 8.

iterum eadem B.Virgo Prouerb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: per me Principes imperant, & Potentes decernunt iustitiam.* Et quidem creditu difficillimum est, Adamum, Moysem, & Salomonem, sicut cæteris scientiis, ita & iurisprudentia mortalium omnium fuisse peritissimos; & negare B.Virginem, quæ tā longo interuallo, & scientia, & cognitione, aliisque animi dotibus, ac priuilegiis illos superauit; illos etiam in iurisprudentia, non longè antecelluisse?

Ex principiis igitur illis iusti & æqui solo naturali lumine cognitis, rectè inferebat, ac plenè penetrabat speciales omnes iuris, & æqui seruandi canones, ac leges, quouis tempore, & occasione opportunas, humanæ vitæ transigendæ. Quod quidem permagni intererat tantæ Virginis omnium sapientissimæ, quæ primos illos Doctores Christianæ Reipublicæ, Apostolos inquam, specialiter Petrum Ecclesiæ caput, de sacris Canonibus, statutis salutaribus, ac legibus condendis, & ferendis erat instructura: quam, tanquam quoddam ius Ciuile, & Canonicum (sic vocat Deiparam Ioannes Geometra, *Salue ius Ciuile dirimens lites.*) viuum ac verum illam consulebant; iuxta cuius consilium dubia decidebantur, componebantur lites, difficultates exortæ superabantur, noua decreta stabiliebantur, sanciebantur Canones, decernebantur statuta, quò meliùs illa parua Respublica Christianorum in iusto, & æquo contineretur; in bono proficeret, & sceleratos compesceret, ac puniret. Huc reuoco illud Ioannis Geometræ dictum, cuius tituli sensus eruendus est ex contextu ipsius Auctoris. Recenset enim ille quamplurima Deiparæ in homines beneficia, victorias perplures in bello partas; dispulsos, ac profligatos hostes; euersas moles horrificas aduersariorum muros quatientium; auersa naufragia; ostensum in salebris iter; solutos compedibus captiuos. Post hæc subiungit: *Ius dirimens lites.* Eos scilicet, qui lites agunt, subsidia in B.Virgine reperire: quæ vna versipellium Causidicorum ius aduersæ partis nequiter impetentium technas dissoluat, & Iudicibus adsit, ne innocentem, & innoxium opprimi, iuréve suo deturbari sinant. Quasi B. Virgo ius quoddam Cæsareum, & Canonicum viuum esset, & animatum, vt de Christo D. dixerat D. Petrus apud Clementem Alexandr. lib. 1. Stromat. inducens, vt cuique, quod suum est, obtingat, & omne iniquum iudicium procul exulet, si B.Virgo in hunc finem ab homine, penes quem ius est, interpelletur.

Geometra. Virgo Deipara est ius dirimens lites.

Et sane quæ pro humanis causis negotiatrix
1084. curialissima futurā erat, Iurisprudentiæ scientissimam esse opus fuit; sed enim ob industriam, dexteritatem, ac solertiam diligentis patroni, sæpe desperatæ causæ non causa cadunt, sed victoriam adsportant. S.Bern. se[rm]. 1. de Assump. ait: *Maria nobis facta dicitur Aduocata, quæ apud Deum salutis nostra negotia efficaciter pertractet.* Et S.Bonauen. in specu. Virg[inis c.] 7. vocat Mariam. *Consistoriū, & causarum domum.* Quot, bone Deus, rei flagitiis obruti causa cecidissent, nisi eorum Aduocatæ munus [o]biisset. Cuius rei vmbra præcessit in Rebecca. Isaacus benedictionem meditatur impertiri Esau venationis illecebris addicto. Ex aduerso mater Rebecca Iacobum dilectum benedictione Primogenito debita adimplere peroptabat; ac piis technis, & fraudibus ab Isaaco, Filio Iacobo benedictionem extorquet. Quis victor euasit Isaacúsne, an Rebecca? quæ negotiatione sedula, [a]c sanctè fraudulenta benedictionem Primogenito à natura debitam præripuit, & Iacobo impertiendam contendit. Belle in Mariam flectit rem hanc Pet. Damian. ser. 27. *Et illic ergo carnalis uxor, & hic spiritualis sponsa, nempe Maria viris suis in propria sententia diuersitate præualuit.* Adumbrata itaque Rebecca Maria tam solerter nobis benedictionem Dei Patris negotiatur, vt quasi piis fraudibus, & insidiis à Iustitia diuina cœlestem benedictionem nobis extorqueat. Hinc Augustinus apud Bonauen. in speculo c. 6. ait. *Unam ergo, ac te solam pro nobis in cœlo fatemur esse sollicitam.* Vna Maria pro nobis sollicitæ Aduocatæ, & Procuratricis solertis officio fungitur. Quàm verò sit peritissima in Iurisprudentiæ doctrina; in allegationibus producendis, tanquam solers, & perita Aduocata pulchrè fatetur Arnoldus Carnot tract. de laudibus Deiparæ. *Diuidunt, ait, coram Patre inter se Mater, & Filius pietatis officia, [&] miris allegationibus muniunt redemptionis humana negotium.* Grande profecto nostræ salutis emolumentum, quod scilicet nostra Redemptio, tantæ Virginis aduocatione, & allegationibus firmetur, muniatur, ac negotietur: nulla profecto poterit esse repulsa, vbi interuenit, & exorat tantæ Matris virtus, ac potentia. Oportebat autem, vt leges omnes diuinas, naturales, ac positiuas optimè sciret, quæ iam à primo conceptu suo Aduocata hominibus destinabatur, & quidem in causis desperatissimis: vnde quæ ad Aduocati munus spectant, plenissimè percallere opus fuit; ac proinde sapientissima, & totius eloquentiæ, facundiæ, & Iurisprudentiæ peritissima meritò decantatur, sic allegandi, & patrocinādi munus rectè semper obiuit, hominū iniquitates auertens, expūgēs peccata, merita adaugens, causas sollicitans, ne causā cadant clientes.

Maria curiosissima Aduocata pro nobis sollicitè suum munus obiit.

Bern.

Bonauen.

Pet. Dam.

Aug.

Arnol. Car.

In Oeconomia demum, rerumque domesticarum scientia, quæ Matrem fami[li]as omnibus suis 1085.
numeris absolutam compon[it], ac perficit, fuit dubio procul omnium M[a]tr[um] familias perfectissima: de qua ait E[piph]anius Presbyter Constantinopolitanus i[n vit]a B. Virgini[s]: *Erat docilis, & amans do[ctrinam], non solum in sacris Litteris, sed etiam i[n] lana, & lino, serico, & bysso laborabat: erat præterea in sapientia, & intelligentia super omnes illius [aetatis] adolescentulas cunctis admirationi, quæ, & verè consueuit ea, quorum vsus erat in Templo sacerdotibus.* Et Beda lib. de locis sanctis c. 15. ait: *Linteum in Ecclesia illa veneratur, quod fertur a S. Maria contextum, duodecim Apostolorum, & ipsius Domini continens imagines, vno latere rubro, [&] altero viridi.* Et quidem hanc curam [...] in rebus domesticis, totam mulieris Philosophiam esse volebat Démóst[h]enes, dum ait: *Fœminarum tota Philosophia est Oeconomia.* Hæc decet in primis, reliquæ autem scientiæ mi[n]um [n]on est si non dedecent. Qua de re agit Paulus ad Titum c. 2. Vbi int[er] muliebris prudentiæ partes enumerauit hanc Oeconomiam, ait enim: *Ado[lescentulas], vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, sobrias, castas, domus curam habentes.* Cùm ergo B.Virgo exstiterit vxoratis omnis pr[ob]itatis exemplar, totius Christianæ Oeconom[i]æ [f]orma, ac regula, proculdubio scientiā hāc Oeconomicā in gradu summo fuit assecuta. Vnde [...] tor per hanc sciētiā infu[s]ā per [...] B.V[...], muliebriū artiū notitia[m] à Deo [...]. Rite Aristoteles lib. 2. œconomicorum c. 1. [...] proba m[...] te ha[...] oeconomiam in primis exoptat, dum ait *Probam*

Maria artis Oeconomicæ præ omnibus fœminis absolutissima exstitit.

Epiph.

Beda.

Demosth.

Tit. 2.

Arist.

Ars Oeconomica quasi animo [...] infusam.

mulierem

mulierem omnibus, quæ sunt intus, dominari oportet; curámque habere omnium, secundum scriptas leges, &c. Sic igitur seipsam his virtutibus instruet mulier, nimirum, quæ ad Oeconomiam conducunt, pergatque laudabiliter rebus domesticis præesse. Vbi Oeconomiam quasi animam informantem probam mulierem esse dicit: sicut ergo corpus, anima decedente, truncum fædum, sine sensu & vita, atque adeò fætidum omninò manet; sic mulier vxorata sine hac scientia: idcirco monebat Sapiens Prouerb. 14. *Sapiens mulier ædificat domum suam.* Id est prudenti rei domesticæ administratione domum attollit. Et Moyses Gen. 2. *Et ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Hoc est in modum ædis fœminam compegit, & extruxit. Verùm cur ædium meminit in formatione fœminæ. Vt ipsam intra ædes futuram, & domesticas solum res curaturam significaret; ait ibi Eucherius. Vbi vides hanc Oeconomiam esse quasi partem essentialem mulieris.

Prou. 14. — Gen. 2. — Eucher.

1086. In cuius rei confirmationem inquirit S. Ambros. lib. de Noë, & Arca c. 13. cur sacer textus de generali totius orbis cataclysmo verba faciens, ait pluisse quadraginta diebus, & quadraginta noctibus; siquidem sufficienter verbis illis, quadraginta diebus, omnium viuentium submersio propalabatur? Respondet autem per illos quadraginta dies imbrium, hominum destructionem innui, fœminarum autem quadraginta noctium imbre: Itaque dies hominem adumbrat, nox autem fœminam repræsentat. *Ille*, inquit S. Doctor, *homo clarior publico, ista nempe fœmina obscurior, tanquam domesticis clausa parietibus, & nocti proxima.* Bene per diem homo innuitur, qui patentior est, ac negotia sollicitet: aptius fœmina per noctem adumbratur; nec quamlibet, sed nubibus obsitam, cui solitudo, ac silentium consecratur; quia omnibus ignotam oportet esse; & Christus D. pronuntiauit. *Simile esse regnum cælorum grano synapis, quod acceptum homo misit in hortum suum.* Alibi autem: *Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farina satis tribus*: Vbi S. Petrus Chrysol. ser. 90. ita fatur: *Vir in agro synapis granum serit, domi mulier fermentum procurat*: Aptè quidem homo agri curam gerit, forensia negotia tractat, aptiùs mulier domesticarum rerum munia subit. *Quia virum*, subdit Chrysologus, *foris spectat labor, intus mulierem domesticæ cura constringit.* Idemque seruator Dominus hominum virtutem componit cum accensis facibus. *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Luc. 12. at verò fœminarum virtutem cum lampadum luce confert. *Simile est regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, &c.* Iuxta Augustini, & Hieronymi interpretationem; faces accensæ nullis ventorum flatibus, quantumuis per vicos, & plateas adsportentur extingui possunt; at lampadis lux foras egressa, qualibet, vel tenui aura discrimen subit. In hominibus virtus in vniuersum constantior, & stabilior instar facis accensæ in vicis, ac compitis non periclitatur; at fœminarum virtus, & honos est instar lampadis accensæ, quæ nisi parietibus clausa contineatur facilè extinguitur, quamuis nacta occasione lucem amittit, & obscura, ac tenebricosa domum redit. *Paradisus es tu Virgo, Euam caue*: monebat Ambrosius Virgines alloquens. Sicut ergo, an modò sit paradisus, & vbinam situs sit, prorsus ignoratur: sic prorsus nesciri oportet, vtrùm sit in rerum natura talis Virgo, nec vbinam sit.

Homo per diem, fœmina per noctem adumbratur, & quidem nubibus obsitam. — Amb. — Luc. 13. 19. Matt. 13. 33. *Fœminarum secessus commendatur.* — Chrysol. — Luc. 2. Matth. 25. 1. — Amb.

1087. Mulier dum perditam dragmam amittit, domum euertit, ait Luc. 15. vt illam inquirat. Bone Deus! cur domi solùm illam quærit; oporteret illam inquirendo varia lustrare loca, vbi hominum concursus confluere solet: non sic Pastor, dum ouem amissam quæritat, per montium, ac collium prærupta oberrans lustrat loca omnia. Verùm meritò iste cuncta perlustrans peruadit; alioquin suo munere non functus: mulier etiam meritò domi solùm deperditam dragmam inquirit, nullibi enim, nisi domi suæ, fœminam suo munere functam aliquid deperdere oportet, non in locis publicis, & in hominum confluxibus, quos nunquam adire conducit, sed semper se domi continere. Hinc Angelus adolescentis formam induens, ac Mariam alloquens, vt omnem turbationem ab illa propulsaret, eam proprio nomine compellauit. *Ne timeas*, inquit, *Maria*; statimque timorem omnem dispulit; cur ita audito Mariæ nomine sedatur, nempe, ait Petrus Chrysologus: *Hoc Maria nomen Prophetia germanum est.* Scilicet cum Prophetia consanguinitatem habet. Hunc igitur discursum efformauit B. Virgo: equidem sum omnibus ignota, cuiusque nomen omnes latet, domique contenta, vix vnquam hominum oculis patui: Adolescens hic meo me nomine vocat: ergo Angelus è cœlo missus, à Deo dilapsus. Hinc ergo omnis perturbatio abacta, timor omnis euanuit. Nomen itaque honestæ Virginis soli Deo notum, vel cui ipse illud reuelauerit, tanquam aliquid propheticum oportet esse. Idcirco Mulierem fortem, ac in virtute constantem describens Sapiens, Prouerb. 31. omnia eius munia ait esse solùm domestica, vtpote nere, texere, assuere, omnemque domus supellectilem curare: *Digiti eius apprehenderunt fusum, quæsiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum, stragulatam vestem fecit sibi.* At mariti munera recensens meminit forensium negotiorum, ait enim: *Nobilis in portis Vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ.* Itaque Oeconomicum vniuscuiusque domus regimen bene Circino comparabis, è cuius duplici extremo, alterum centro semper affixum inhæret; dum alterum, circulum efformat, ac peripheriam torat. Dum enim Vir externa sollicitat, forensia agit, negotia pertractat; mulier centro domus inhærens domestica curat, interna prouidet, domus angulos omnes circumspicit, denique tanquam in centro conquiescit. Talis erat illa, nomine Claudia, cuius Epitaphium illud exstat: *Nomen parentes nominarunt Claudiam, domum seruauit, lanam fecit: dixi. Abi.*

Luc. 15. *Fœmina deperditam dragmam domi quærit, non per vicos, & plateas.* — Chrysol. — Prou. 31.

1088. Nec enim semper orationi, & Ecclesiæ, ac precibus insistere opus est Matrem familias, sed pernecessarium fore, si curis domesticis studeat, domui inuigilet, liberorum educationi vacet, famulantium curæ incumbat. Hinc monebat Sponsus Virginem Deiparam Cantic. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Vbi innuit Sponsus Matremfamilias, non semper secessui, & orationi vacandum, nam inopportuna etiam diuinarum rerum contemplatio, iugisque secessus, sponsum abigere cogunt; non quòd huius vitij discrimen subire Virgo Beata, sed vt aliis esset documentum, ne videlicet nimium se Theoriæ dederent, & ab actionibus,

Materfam. non semper orationi, & [illegible] vacet, sed curis domesticis inuigilet. Cant. 6. 4.

nibus, & muniis domeſticis arcerentur. Itaque Mulieris fortis honos, & elogium nulla ratione conſiſtit in affectatæ virtutis oſtenſione, in raptuum, ac mentis abſtractionum publicatione, ac rerum diuinarum propalatione, aut euulgandis, & in conſpectum omniũ producendis alterius mundi viſionibus; nihil horum in longa laudum Matronæ illius fortis ſerie, & catalogo recenſetur; quia, vel plerumque illa omnia dolis, ac technis dæmonum patent, vel quia Materfamilias pluris habere debet ea virtutum exercitamenta, quæ ad ſuum ſtatum ſpectant, ſibique magis conducunt, quàm cum Angelis colloquia miſcere, raptus pati, & alia eiuſmodi. Sara enim nobiliſſimi Abrahæ vxor panem fermentabat, cibos coquebat, menſæque miniſtrabat, vt ſacer Scriptor memorat. Rebecca item Iſaaco nupta florente inuenta, aquam ex puteo hauriebat camelis epotandis, ac ſuper capitis verticem hydriam aquæ geſtabat, ac marito ſeni miniſtrabat, ciboſque condiebat; otium quippe tribulos, & vrticas producit in anima, veluti in agro otianti, & culturæ indigo. At, inquis, terrena tractantem inquinari neceſſe eſt, nec fieri poteſt, vt de ſordentium contactu ſordes non contrahantur. Sic Deus, ipſe quodammodo præiuit, quaſi digito periculum demonſtrans. Ait enim

Pſal. Pſalmographus Pſal. 44. *Dominus regnauit decorem indutus eſt; indutus eſt Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe.* Quæ verba orbis creationem innuunt; & Pſalmi titulus id oſtendit, videlicet: *Laus Cantici in die quando fundata eſt terra.* Deus igitur cùm ad rerum viſibilium conditionem accedit, laſciniosæ, ac prolixæ veſtis ſyrma colligit, & præcingit, ac ſi vereretur, ne terrenarum rerum contactu aliquid puluerulentum veſti hæreat; quid non vereantur homines terreni? Verùm id philautia obiectare ſolet, amor & vitæ ſedentariæ. Amant enim nonnullæ latêre, non vt fugiant ſordium pericula, ſed vt dulci otio, cui aſſueuêre vacent. Plerumque ergo amor ſui, non Deo vacandi eſt. Hos ergo nunquam puto magnum aliquid præſtituros, nec inter Eccleſiæ proceres, quibus illa multùm debeat adnumerandos; nunquam ituros per annalia ſacra. Chriſtus D. ſeceſſit aliquando à turbis, locorum ſolitudines quærens, ſilentio, & contemplationi vacaturus, vt doceret, quibus artibus initiandi eſſemus, ad animarum negotia, & lucra; poſtmodum excedens è montium iugis, ac ſolitudinis otio, quaſi refectis cibo viribus immiſcebat ſe turbis, vt ſæpè non tangeretur modò, ſed comprimeretur, & obrueretur: quo nos docebat exemplo, & propter Deum turbas relinquendas, & eo aliquando relicto, id eſt contemplationis otio, turbas adeundas, vt eas lucremur Deo. Imò nunquam Deus firmiùs tenemus, ac tenaciùs ipſi adhæreſcimus, quàm dum vnuſquiſque proprio muneri incumbit, nec enim minùs Paulus Deo placuit cùm diceret: *Permanere mihi in carne neceſſarium propter vos,* quàm cùm dicebat: *cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto.*

Ex rerum viſibilium attactu plerumque ſordeſcimus.

1089. Aptè Materfamilias Luna vocatur, ſicut & Paterfamilias Sol; quia Luna ſplendorem ſuum à Sole mutuatur. Præeſt rebus humidis, ac præcipuè in infantes dominatur, quia liberorum educationi maximè ipſa intendit. Luna nocti præſidet, ſicut Sol diei, quia Vir lucem foris exhibet; vxor domui lucem præfert: quando verò Parentes horum luminarium vices gerunt, liberi, ac famuli, quid mirum ſint ſtellæ ſcintillantes. Ideò iubetur Abraham oculos in cœlum attollere, ac ſtellas enumerare: *Suſpice cœlum, & numera ſtellas, ſi potes, ſic erit ſemen tuum.* Gen. 12. Gen. 12.
Vbi liberorum multitudinem adumbrat, & ſplendorem, famamque poſterorum, rebus præclarè geſtis partam ſubindicat. Talis exſtitit Iacobæa familia, cuius filij ſub ſpecie ſtellarum à Ioſepho ſunt viſi. Pater, ac Mater ſub ſpecie Solis, ac Lunæ. Gen. 27. *Vidi per ſomnium, quaſi Solem, & Lunam, & ſtellas adorare me:* Inquiebat aliquando Ioſeph. Verùm rectè Ambroſius adDubitat lib. de Ioſepho Patriarcha c. 2. videlicet nuſquam, ac nullibi Solem, Lunam, ac ſtellas conueniſſe adoraturas aliquem, niſi in domo Deiparæ Virginis. *Quis eſt ille, quem parentes, & fratres adorauerunt ſuper terram, niſi ſolus IESVS, quando cum Ioſeph, & Maria, & Diſcipuli adorauerunt, de quo ſolo dictum eſt: Laudate eum Sol, & Luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen.* Nulla quippe familia in terris aderat, in qua ſponſus eſſet Sol; Luna, Mater; fratres, ſtellæ; niſi domus Deiparæ: Diſcipuli ſtellæ, Sol Ioſephus, Luna Maria IESVM flexo poplite adorauêre. Ne ergo tempus terat Sapiens in perueſtiganda muliere forti, dum ait: *Mulierem fortem quis inueniet?* Hæc enim nullibi inuenitur niſi in domo Ioſephi: alij transferunt loco mulieris fortis; *Mulierem exercitus.* Et rectè conſonat illi alteri loco: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Quia aſſimilatur mulier œconomicæ huius artis peritiſſima, caſtrorum legionibus, & integro exercitui; fortis, ideſt in gubernandis domeſticis præcellens, ſtrenua, attenta, omnibus exculta dotibus, in cultu minimè mollis, aut delicata.

Gen. 27.

Ambroſ.

Illa familia laudem meretur, cuius Pater eſt Sol, Mater Luna, Filij ſtellæ.

Prou. 31.

Fœmina œconomica artis peritiſſima aſſimilatur integro exercitui.

CERTAMEN VI.

B. Virgo perfectiſſimam vniuerſæ Theologiæ cognitionem adipiſcitur.

IN totius Sapientiæ apice, ac ſcientiarum faſtigio Theologia ſedem fixit, vt propinquius Deo iubar; de quo habemus Sap. 8. *Vapor virtutis Dei, emanatio quædam claritatis omnipotentiæ Dei, & imago bonitatis illius.* Quæ omnia non incongruè aptantur Theologiæ noſtræ, iuxta Pinedam de rebus Salomonis lib. 3. c. 26. n. 4. At poſt ſapientiam increatam, nulli melius, & aptius, quàm B. Virgini, eiuſque claræ cognitioni accommodari poſſunt: nam poſt Chriſtum, clarior, & perſpicacior cognitio rerum Theologicarum, inter omnes ſapientiſſimos Theologos, ſoli B. Virgini adaptatur. 1090.

Sap. 8.

Pined.

Cenſeo ergo primo, ſacram Theologiam B. Virgini inditam fuiſſe, illam inquam, quam Scholaſticam dicimus. Quod luculenter oſtendunt D. Bernardus Hom. 4. in *Miſſus eſt.* D. Bonau. in lib. de laud. Virg c. 7. D. Anſel lib. de excel. Virg. c. 7. & in hom. ſuper Euangelium Luc. 10. vbi hæc habet: *Chriſtus, vt dicit Apoſtolus, eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, & in eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei; eſt Chriſtus in Maria: ergo omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei ſunt in Maria.* Alb. Magn. lib. de B. Virgine c. 96. docet, B. Virginè ſimul cum habitu fidei habuiſſe actū, *quo perfectius, quàm Adam in ſopore, & quàm Ioannes ſuper pectus Domini, & quàm Paulus in raptu cognouerit myſteria ſupernaturalia.* Deinde inter

Bern.
Bonau.
Anſel.
B. Virgo in Theologia Scholaſtica floruit.

alta

alia Deiparæ priuilegia, quæ ad plenã cognitioné
contulit Deus, hæc duo assignat, quod sanctissimæ
Trinitatis, & mysterij Dominicæ Incarnationis
notitiam fuerit assecuta. Et quidem si hac cogni-
tione caruisset in Gabrielis aduentu, quo pacto
Luc 1. illud ipsius responsum percepisset: *Spiritus sanctus
superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:
ideóque, & quod nascetur ex te sanctum vocabitur Fi-
lius Dei.* In quibus verbis totum Trinitatis my-
steriũ perstringitur, vt patet; de quo B. Virgo iam-
pridem edocta, nihil amplius sciscitatur. Deinde
teste D. Thom. Adamus à Deo edoctus fuit in co-
gnitione mysteriorum supernaturalium, qua pos-
set posteros informare: Vnde iuxta D. Epiphan.
mysterium Trinitatis calluit; item Incarnatio-
D.Thom. nis, vt author est D. Thom. 2. 2. quæst. 2. art. 7.
D.August. item mysteria Christi, & Ecclesiæ, vt ait D. Au-
gust. lib. 9. super Genes. ad literam, cap. vlt.
D.Prosp. eiusque Sacramentorum, vt docet Prosper c. 1. de
promissionibus: item Luciferi, & aliorum Ange-
lorum ruinam; Bonorum beatitudinem, vt osten-
Pereira. dit Pereira lib. 5. in Genes. Catharinus in 1. Gen.
Cathar. Cùm ergo Adamus maximus Theologus exstite-
rit; nemo, vt reor, audebit affirmare, B. Virgi-
nem ipsi inferiorem fuisse in cognitione Theo-
logica.

1091. Præterea aliqui Doctores non sine graui fun-
Sapientissimos quosq; Theologos Theologica cognitione superauit. damento asserunt omnes Patriarchas, & Pro-
phetas, qui Christum Dominum adumbraue-
runt, saltem in aliquo mysterio floruisse singu-
lari eiusdem cognitione plenaque intelligentia,
vt Iobus, & Dauid, quia singularis tolerantiæ
in passione & Christi opprobriis figuram præ se
tulerunt, mysteria Passionis, ac Resurrectionis
Christi alta mentis cognitione penetrarunt. Io-
sephus similiter venditionis triginta argenteis.
Abrahamus in filij oblatione, Christi Domini
Sacerdotis summi sacrificium in Crucis ara.
Samson mundi triumphum, Dæmonum, ac
peccatorum, Christi cruce partum, & sic de aliis:
Ergo B. Virgo cùm omnes Patriarchas, ac Pro-
phetas, & prophetiæ dono, & sapientia supe-
rauerit, pari modo in hac Theologica myste-
riorum fidei cognitione, illos longè antecelluit;
illustriori igitur fidei lumine illustrata fuit sola
Deipara, quam omnes simul Prophetæ, Docto-
res, & alij omnes Theologi sapientissimi, &
omnium mysteriorum reuelatione perspicaciori
prædita, tum & cognitione sublimiori circa sa-
pientiam increatam collimauit; plura de æterna
generatione attigit, plurima de Diuinitate, de
Spiritu sancto de sacræ Triados arcano, de Eu-
charistiæ sacramento: quod patet quia Beatitu-
do respondet fidei habitæ in via; sed Beatitudo
Deiparæ superat omnem Beatitudinem simul
sumptam omnium Beatorum: ergo, & fides
mysteriorum; at cognitio Deiparæ perfectior
fuit omni Theologia omnium Prophetarum, &
Sapientium in via. Ex mysteriis ergo fidei con-
clusiones Theologicas eliciebat, quibus voluntatem
magis in Dei amorem accenderet, & virtutum
maiora in dies incrementa adaugeret, & Fideles
omnes in Fidei mysteriis magis erudiret, ad pie-
tatemque excitaret.

Contemplabatur Vnius Dei essentiam, cùm
exclamauit: *Magnificat anima mea Dominum*: col-
lata in se priuilegia, ac singularia dona dum ait:
Quia fecit mihi magna, qui potens est. Singularia,
ac generalia in mundum vniuersum beneficia ab
ipso Deo proficiscentia stupebat, dum cecinit: *Et
misericordia eius à progenie, in progenies timentibus
eum:* Incomprehensibilia Dei iudicia admiraba-
tur verbis illis: *Deposuit potentes de sede, & exalta-
uit humiles:* Decreta ipsius, ac consilia sibi à Deo
reuelata innuebat per verba illa: *Sicut locutus est
ad Patres nostros Abraham, & semini eius in sæcula.*
Oeconomiam Incarnationis profundè rimaba-
tur, dum protulit: *Suscepit Israel puerum suum re-
cordatus misericordiæ suæ.* De quo vidẽdus Salmerõ
tom. 3. tract. 13. & Dionys. Rikelius lib. 2. de Ma- Salmeron.
riæ præconio, & dignitate ar. 17. fusè nostrũ placi- Richel.
tum confirmat, ait enim: *Ex quo Deus quod Maria
erat assumpsit, & induit; ipsi, ni fallar, quod suum est
rependit. Assumpsit autẽ ex ea naturam, gratiamque
refudit. Clementissimus itaq; Creator, qui à principio
Angelos, ac demum homines electos, tam gratuitò, &
misericorditer, ac supereffluẽter illustrauit, & docuit,
à quibus vtiq; nihil suscepit, quorum nondũ eguit, quid
illuminationis, & gratiæ ei præstitisse credendũ est, cu-
ius sibi substantiã induit, cuius lacte nutritus, cuius in-
super diligentia educatus consistit; cui se tam incom-
parabiliter obligauit. Decebat prorsus, si nõ nimis de-
cipior, neque Vatem, neq; Apostolũ Dei ipsius coæquari
Genitrici, vt tanta cordis sapientia Incarnationis ma-
teriam, atque mysterium, Christi naturas, ac personali-
tatẽ, & item proprietates cognosceret, quemadmodum
illa, cui tam ineffabilis, immensaque gratia impertita
est, vt per eam Prophetarũ implerẽtur vaticinia, Regẽ
quoque Apostolorum, ac sæculi Saluatorem effunderet.*
Vbi & nostrum assertum perspicuè tuetur, & va-
lidissima ratione propugnat, si huius Doctoris
verba bene perpendas.

Hinc dicitur, Mariã excessisse sapientiã Ange- 1092.
los: hincque dirimit quæstionẽ Theodor. Studita *Ex Mariæ magisterio didicit Baptista verè clausum Incarnationis mysterium.*
orat. de natali Baptistæ; cur scilicet S. Ioannes ag-
nouerit intra maternã uluã adstante Maria eius
præceptrice Incarnationis sacramentũ, olim An-
gelis forsan occlusum: *Numquid ergo*, ait Studita,
*ô Ioãnes super terrena ascendisti, ad cælestia prouectus
es, Angelicos & primo operãtes ornatus transcendisti?* Theod. Stud.
*Quomodo eorum es fortius ordinem, & dignitatem, &
quod eis est à sæculis obscurũ, & quod minime didi-
cerunt, statim; tanquam post Deũ traiecisti, & nobis
annunciasti? Idque cùm adhuc esses in maternis visce-
ribus.* Vbi huius mysterij propalatione adscribit,
nõ cælo Empyreo, sed cælo nouo Mariæ, in quod
cælum raptus Ioannes in Visitatione Mariæ, non
solùm arcana verba auscultauit, vt Paulus, sed
arcanũ, abstrusumque Verbum carne vestitũ di-
dicit in gymnasio vteri Mariani: Addit S. Theodo-
rus: *Qui est super omnia, è sinu Patris, nescientibus* *Baptista doctior euasit in mariano cælo, quam Paulus in cælo edoctus.*
*aliis igneis eius ministris, tãquam ad cælum ingressus
in vtero semper Virginis Mariæ seipsum patefecit, &
hæc mihi talia exposuit mysteria.* Doctior ergo euasit
Ioannes nondũ natus ex magisterio B. Virginis,
quam Paulus in gymnasio cæli Empyrei edoctus.

Ad hæc perfectissimè nouerat, ea omnia, quæ
ad actus humanos spectant; vim liberi arbitrij,
quibus egeat auxiliis, vt ea quæ præter naturam
sunt, ac naturalé superant captum, vltimumq; re-
spiciũt finẽ, consequatur; quo ordine, quáve dispo-
sitione, cum diuina gratia coniungatur, qué ipse
famulatũ exhibebat, quæ in singulis actibus ob-
seruare debeat, vt semper recti metã teneat, & nũ-
quam à recto tramite, nec transuersum vnguem
deflectat. Item vniuersa, quæ ad virtutum, vi-
tiorumque scientiam Theologicam pertinent
absoluta cognitione comprehendebat; tum &
supernaturalem ordinem, quo homo ad Deum
refertur, eaque omnia, quæ ad gratiam diuinam

præuenientem, adiuuantem, & cooperantem, & ſubſequentem, ipſiuſque gradus, ſpecies, munia, neceſſitatem efficaciam, & effectus. Nam horum omnium cognitio ipſi valde neceſſaria fuit ad perfectam finis vltimi conſecutionem. Introſpiciebat etiam vniuerſa, quæ Deus extra ſe operatur, ac proinde, quæ ad rerum productionem, conſeruationem, ac prouidentiam attinent, æternam Dei diſpoſitionem, circa hominum genus, quorum cauſa vniuerſus orbis conditus fuit, ac ſubinde hominum electorum prædeſtinationem, reprobationem, lapſum, reſtaurationem, cauſarum ſeriem, ipſarumque connexionem.

1093. *B. Virgo ſacrarum litterarum intelligentia ipſos ſacros Scriptores ſuperauit.* Vinc. Naz.

Si verò ſermo ſit de Theologia poſitiua, certiſſimum cenſeo ipſos ſacros Scriptores ſacrarum litterarum intelligentia longo interuallo ſuperaſſe. S. Vinc. Ferrerius ſerm. in natali Domini ait: *Virgo Maria melius ſciebat Biblia ſacra, quàm Propheta.* Et S. Greg. Naz. relatus à Franciſco Ximenez Patriarcha lib. 2. cap. 23. hæc habet: *Calluit demum optimè ſcripturarum ſacramenta recondita, & abſtruſos ipſarum nodos ſcientia claui reſerauit; præmicantia Synai fulgura, vibrata fulmina, fulminantes procellas mente cognouit; quo modo Erithræum mare ſe Iſraelitis panderet, Ægyptiòſque vndis ſubmerſerit, & ſic de alijs Scripturarum oraculis.*

Ioan. 6. Isai. 55.

Quòd autem in Theologia Poſitiua omnes ſacræ Scripturæ Interpretes ſuperauerit, probari poteſt. Siquidem Apoſtoli cùm Spiritu ſancto repleti ſunt omnem ſacrarum litterarum ſenſum hauſerunt; ita habetur Ioannis 6. *Spiritus ſanctus docebit vos omnem veritatem:* Quæ verba ſaltem de ſacræ Scripturæ veritatibus capienda ſunt, cùm ſit propoſitio vniuerſalis: Atqui Virgo Deipara ab inſtanti ſui conceptus longè abundantiùs Spiritu ſancto repleta fuit: ergo ab inſtanti ſui conceptus maiorem, & quoad extenſionem, & quoad intenſionem nacta eſt illarum veritatum intelligentiam. Firmatur aſſertum, nihil ab Spiritu ſancto dictatum fuit, quod ab aliquo ſaltem non perciperetur, quod ſubindicatur verbis illis Iſai. 55. *Verbum quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum:* Si autem aliquis abſtruſiſſima ſacræ Scripturæ arcana reſerauit, difficiles nodos diſſoluit, cuinam potiori iure ſpecialis hæc prærogatiua congruet, quàm Deiparæ; de qua verius, quàm de Auguſtino illud proferes; legi, vel ſacræ Scripturæ deeſt quidquid à B. Virgine contigerit ignorari. Nullum autem eſt dubium, quin in ſacris voluminibus profunda Theologiæ arcana lateant, & abſtruſiſſima ſacramenta, difficultates reconditæ circa Chriſtum, & Eccleſiam, in quarum veſtigatione Doctores, ac Patres multùm deſudarunt, ac Theologi plurimùm temporis inſumpſerunt: quæ tamen omnia vnius Virginis mentem non latebant, imò ea altè penetrabat, & quidem profundiùs ipſo D. Paulo, reliquis Apoſtolis, ac omnibus Scriptoribus ſacris, vtpote quæ non ab hominibus, ſed ab ipſa Dei ſapientia in illis fuerit edocta. Huius ſententiæ eſt Origenes hom 6. in Luc. Auguſt. ſerm. 9. de tempore, Chriſtophorus Caſtro lib. 2. de vita Deiparæ c. 9. imò ipſa B. Virgo perfectiſſimam cognitionem experimentalem nacta eſt circa adimpletionem multiplicis prophetiæ; quippe in ſe, & in Filio veteris Teſtamenti promiſſa adimpleri videbat; & vt habet communis Interpretum conſenſus, plura de Infantia Saluatoris dictauit D. Lucæ, & aliis Euangeliſtis, & ab ea in rebus dubiis, & difficultatibus circa res Fidei, & ſacræ Scripturæ intelligentiam, verum ſenſum ebibebant. Et in Concilio primo ab Apoſtolis cógregato, in quo, quæſtio circa legis cæremoniarum obſeruationem exagitabatur, iuxta ipſius Deiparæ ſenſum ac iudicium dirempta eſt, cuius ductu, & conſilio tam hæc, quàm aliæ difficultates deuictæ, ac ſancitæ plures veritates, ac dogmata, quæ vſque in hodiernum diem in ſuo robore permanent.

Origen. Auguſt. Caſtr.

Quæri etiam poſſet, vtrùm prædita fuerit Theologia morali? Sed arbitror optimè hanc etiam Theologiæ partem calluiſſe: Hæc enim eſt admodum neceſſaria ad actionum moralium operationes iuxta præſcriptum legis naturalis poſitiuæ diuinæ, & Eccleſiaſticæ: tum etiam, vt poſſet in illis pleniùs Apoſtolos, ac reliquos fideles erudire, ac difficultates, ac dubia exorta in executione rerum moralium dirimere. Et quidem de hac Theologia morali dubitandum non eſt, ipſi B. Virgini inditam fuiſſe, nam agendorum omnia rectè inſtructa fuit, & omnia quæ fugienda, quæve amplectenda; quæ reſpuenda, quóve pacto, quibus circumſtantiis, quo tempore perfectè cognouit. Quod perſpicuè tradit S. Bernardin. tom. 3. tract. de B. V. ſerm. 7. a. 3. c. 4. vbi hæc habet: *Ex prima ſui ſanctificatione in vtero matris ſuæ tantam recepit gratiam, quod omne peccatum etiam minimum veniale vitare potuit, & omninò vitauit, quod quidem fieri non potuit, niſi maximam ſapientiam acceperit omnium agendorum, & vitandorum, & amandorum, & odiendorum, atque credendorum, & non credendorum.* Pleniſſimā etiam virtutum omnium ſupernaturalium, ac naturalium cognitionem hauſit, tum & præceptorum, ac vniuerſæ Legis naturalis, & ſcriptæ; quæ enim ſupra omnes vniuerſa Legis præcepta cuſtoditura erat, ſupra omnes etiam morum, ac præceptorum diſciplinam nacta eſt. Hinc Arca Teſtamenti, quæ B. Virginem præfigurabat, Legem continebat, vt addiſceremus Deiparam vniuerſam Legem, ac præcepta & aſſeruaſſe, & perfecta cognitione comprehendiſſe. Si verò ſermo ſit de Theologia myſtica, certo certiùs videri debet in B. Virgine in gradu omnium ſupremo reſediſſe; vt latè probat Chriſtophorus Caſtro in vita Deiparæ Hiſpano idiomate lib. 2. cap. 9. & nos alibi oſtendimus.

1094. *Theologiam, quam dicimus, moralem optime calluit.*

S. Bernard.

Chryſtoph. Caſtr.

CERTAMEN VII.

Virgo Deipara, ceu ſacer Scriptor ab Spiritu ſancto edocta fuit.

1095. VEſtigari iure quidem poſſet, vtrum quidquid B. Virgo loquuta fuit, tanquam verba ab Scriptore Canonico prolata cenſenda ſint. In qua re cenſeo, Virginem Deiparam, ceu Scriptricem ſacram ab Spiritu ſancto fuiſſe edoctam. Ita Sanctus Germanus Archiepiſcopus Conſtantinopolit. orat. in natiuit. Beatæ Virginis; vbi Beatam Virginem ſalutans ait: *Salue Legis, atque Gratiæ Mediatrix; veteris, nouique Teſtamenti ſigillum; totius prophetiæ clariſſimum ſupplementum, ſumma diuinitus inſpiratæ veritas Scripturæ, quæ Dei, ac Verbi ſpirans, ac*

Germ.

puriſſima

puriſſima pars, in qua ſine voce, & ſcriptura ipſe ſuſcriptus Deus, & Verbum per diem legitur. Pende verba illa, *Prophetia ſupplementum.* Quaſi omnia Mariæ verba Scriptoris ſacri nomen, & numen ſortiantur. Imò ſuper omnes Prophetas Mariana ſcientia extollitur, quod bene innuitur verbis illis Cantic. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Vbi meritò inquirat nonnemo, cur ſponſa non ſponſo, eiúſque ſodalibus primum loquendi locum concedat; præſertim cùm dedeceat fæminam inter viros ſermonem ordiri, niſi forſan ex tam propera B. Virginis locutione ipſius ſublimior inter omnes Prophetas ſcientia propaletur.

Cant. 1.
Mariana ſcientia ſuper omnes prophetas extollitur.

Do huius cogitatus authorem Philippum Abbatem bonæ ſpei lib. 1. in Cant. cap. 1. *Quærendum occurrit*, ait, *cum in hoc dramate quatuor velut Perſonæ alloquentes inuicem inducantur, Sponſus, & ſodales ſponſi, Sponſa, & quæ ſecum adoleſcentulæ comitantur; cur in principio ſponſa feſtinatior proſilit ad loquendum, cum ſponſo digniori videatur id eſſe muneris concedendum? Verùm per hoc innuitur, quia Virgo ignorantia non caligat, ſed erudito ſpiritu verba Prophetarum præcedentium inueſtigat; & ſicut tam Salomonem, quàm cæteros conſtat futura præuenisse.* Qua de re videndus Suarius tom. 2. in 3. part. diſputat. 20. ſect. 1. §. *Et ex hac concluſione*; tum & Nouatinus in vmbra Virginea excurſu 29. Quod ſuo calculo confirmat S. Anſelmus lib. de excell. Virginis, dum ait: *Nam etſi Apoſtoli per reuelationem Spiritus ſancti edocti ſint in omnem veritatem; incomparabiliter tamen eminentius, ac manifeſtius ipſa Virgo B. per eundem Spiritum veritatis huius profunditatem intelligebat, quæ in ſe non ſolum ſimplici ſcientia, ſed ipſo effectu, ipſo experimento didicerat.* Ideò Leo Imperator homil. 6. vocat Mariam *Elegantiſſimum Scripturæ diuini Verbi Volumen.*

Philip. Ab.
Suar.
Nouat.
Anſel.
Leo Imp.

1096. Suaderi poteſt noſtrum Aſſertum robuſtiſſimis coniecturis, nam S. Lucas B. Virgini multum addictus, ex eius ore pulcherrimam Euangelij partem, quæ Chriſti Domini infantiam, ac pueritiam tradit, ebibit; vt ex plurium ſententia docet Caniſius lib. 4. de Deipara cap. 9. & lib. 5. cap. 1. §. *Quanquam.* Subditque nonnullos D. Lucam B. Virginis Notarium, ſeu Actuarium appellare. Subiungit Euſeb. Emiſſ. in Enang. de feſto Aſſump. *Ab ipſa, nempe Maria, Apoſtoli audierunt, & ipſa dictante ſcripſerunt, nobiſque legenda mandarunt. Quis igitur Euangeliis non credat? Quis eis contradicere præſumat? Quæ aut Matris, aut Filij authoritate muniuntur.* Vbi parem fidem dictis B. Virginis vult exhiberi, ac Chriſti Domini. Concinit Rupertus in cap. 2. Matth. *Vbi venit*, inquit, *Spiritus veritatis omnem veritatem docuit, ſed & ipſa Virgo teſtimonium ſuæ vocis adhibuit, & taliter locuta eſt auribus fidelium, vt proinde rectè dicat Dilectus eius: Fauus diſtillans labia tua, mel, & lac ſub lingua tua; emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum, fons hortorum, puteus aquarum viuentium.*

B. Virgo ſeu ſacer Scriptor ab Spiritu ſancto edocta fuit.
Caniſ.
Euſeb. Emiſſ.
Rupert.

Secundò, Eadem veritas fulciri poteſt ex illo Actor. 15. *Cùm autem magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos, &c.* Nam iuxta aliquorum Interpretum ſenſum, illa conquiſitio, nodus, ac difficultas à B. Virgine deciſa fuit, quia D. Petrus illam conſuluit, tanquam Spiritus ſancti Oraculum, vt rem certam ſtatueret, ſtabilirétque: mox verò ab ipſa edoctus rem prorſus definiuit, tanquam verum Eccleſiæ Caput. Rem tetigit Rupertus in illa Cantic. 1. verba: *Iudica mihi quem diligit anima mea. Tua vox*, inquit, *vox illis fuit Spiritus ſancti; quidquid ſupplementi opus erat, eiſdem mortalibus, vel teſtimoniis ad confirmandos ſingulorum ſenſus, quos acceperant ab eodem Spiritu, ex religioſo ore tuo perceperunt inſtructo ad loquendum. An quia c. 15. Actor. vbi facta ſeditione propter cæremonias Iudaïcas, conuenerunt Apoſtoli, & ſeniores, &c. Imò, & illic, & in cæteris agendis, tu Princeps omnem ſoluiſti quæſtionem.* Ex quo elicies Virginem Deiparam fuiſſe Spiritus ſancti organum: vnde aptè vocatur ab eodem Ruperto lib. 2. de operibus Spiritus ſancti cap. 23. *Prophetiſſa nulli Prophetarum comparanda, cuius in ſacrarium pectoris Spiritus ſanctus prophetias omnes connexerat:* Imò Mariam, non incongruè Spiritus ſancti Academiam dixeris, quam Spiritus ſanctus erexerit, vt in ea poſſent Apoſtoli recolere, & penitius penetrare ſcientiam à Spiritu ſancto in die Pentecoſtes traditam, vt colligi poteſt ex verbis Ruperti: *Vox tua, vox illis fuit Spiritus ſancti:* Quæ vox illos ſolidaret, quo quidquid veritatem labefactare, vel infirmare poſſet, eluderent. Maria ergo tanquam Gymnaſium extructum à Deo eſt ad omnem politiorem eruditionem, tum ad Angelos, tum ad homines erudiendos.

Actor. 15.
Rupert.
Maria Gymnaſium à Deo extructum ad omnem politiorem eruditionem

1097. Plus auſus fuit S. Ildelphonſus lib. de B. Virgine Maria; dum ait: *Sub Maria diſciplina infans Deus verſatur.* An ne Infans Ieſus Auditor Mariæ fuit? An Marianam ſcholam repetiuit? Non quidem vt aliquid de nouo diſceret, ſed vt Marianam Sapientiam, ac magiſterium hominibus commendaret. Quemadmodum Ieſus duodennis adiit Legis Doctores, à quibus plurima ſciſcitabatur; ſub cuius typo dicitur Prou. *Verba Samuelis Regis, viſio, quæ erudiuit eum Mater ſua.* Quæ verba recentior Interpres optimæ literaturæ, de Chriſto, déque eius Virgine Matre interpretatur; quaſi Puer Ieſus in hac Mariana ſchola addiſcens verſaretur, vt ſpecie tenus inſtrui ab hominibus appareret. Quare immeritò ſubmurmurarunt Iudæi Matth. 13. *Vnde hic, Sapientia hæc, & virtutes? Nonne Mater eius dicitur Maria?* Imò hinc inferre oporteret: Quid mirum ſi hic ſapientia tanta præfulgeat, cum ſit Mariæ Filius, ac proinde Mariani Gymnaſij, hoc eſt diuinioris Sapientiæ quaſi ſcholaris, & auditor. Sophronius in ſerm. de Aſſumpt. Mariam vocat *Formam diſciplinæ Chriſti*, id eſt ſpeciem, ac pulchritudinem Chriſtianæ omnis eruditionis; ita vt in dubium vocari poſſit, an Chriſtiana Sapientia, ac diſciplina pulchrior, ac formoſior videretur in Mariæ opere & exemplo, quàm in Chriſti Domini verbo, ac voce: cùm Matth. 5. *aperiens os ſuum docebat eos.* Et quidem in ore Chriſti omnis Chriſtiana eruditio, dum homines erudit, verba ſunt, ac voces: at María opere, & exemplo eandem Chriſti doctrinam exprimit, & inſtillat: Vnde quodammodo elegantiorem formam præ ſe fert, in Deipara Chriſtiana ſapientia, dum moribus inſculpit in cordibus, quàm dum à Chriſto Domino ore, ac voce ſuggerit, ac exprimit.

Ildeph.
Prou. 31.
Quomodo infãs Ieſus ſub Maria diſciplina verſatus fuerit.
Matth. 13.
Sophr.
Matth. 5.

Tertiò, Noſtrum placitum ampliùs firmari poteſt, quia voluit Chriſtus verba B. Virginis haberi tanquam infallibili certitudine prædita, ac fide ſancta, nec in leuis dubitationis diſcrimen vocari. Quod probari poteſt ex eo, quòd

renuerit Christus, ne prior Deipara sacram ipsius Filij Anastasim Apostolis euulgaret, ne matris authoritas aliqua audientium hæsitatione minueretur. De alijs enim mulieribus ait Lucas 24. *Et regressæ à monumento nunciauerunt hæc omnia illis vndecim, & cæteris omnibus, erat autem Maria Magdalena, & Ioanna, & Maria Iacobi; & visa sunt ante illos deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.* Vnde timendum erat, ne B. Virgini eadem annuncianti credere detrectarent, ac proinde ipsius verba pari infidelitatis nota fœdarent: Voluit ergo Christus Dominus suæ Genitricis verba ab omni incredulitate libera, & indemnia seruare. Rem benè perpendit Rupert. lib. 7. de diuinis officiis cap. 25. *Numquid illam, nempe resurrectionem, nunciare decebat, vt verba eius, tanquam deliramenta viderentur ante Apostolos; si enim extranearum verba fœminarum visa sunt eis, tanquam deliramenta; quomodo non magis Matrem Filij delirare crederent?*

Luc. 24.

Rupert.

1098. Infero ex dictis; verba omnia, quæ Maria protulit vsque adeò vera esse, vt Lingua Fidei meritò nuncupari possit. Hinc meritò S. Ildeph. serm. 2. de Assump. nos ad hanc Marianam scholam frequentandam inuitat. *Audite*, inquit, *Matrem Prophetissam Dei; Prophetissam dico, imò, vt ita dicam, Euangelistam.* Et Suarius tom. 2. in 3. part. disput. 20. sect. 1. probat B. Virginem, ceu Scriptorem Canonicum ab Spiritu sancto inspiratam ad Canonicum illud Canticum dictandum. Vnde si certò constaret, Epistolam illam, quam apud se habere iactat Florentia, esse B. Virginis, tanquam Scriptura Canonica ab Ecclesia reciperetur: tenor autem epistolæ sic se habet: *Florentiæ Deo, & Domino Iesu Christo Filio meo, & mihi dilecta, tene fidem, insta orationibus, roborare patientia, hic enim sempiternam salutem apud Deum, & apud homines gloriam consequeris:* Ita Canisius lib. 5. de Deipara cap. 1. Idem esto iudicium de altera epistola, quam Respublica Messanensium in Sicilia à B. Virgine missam in scriniis magna reuerentia asseruat: Si ergo constaret B Virginem aliqua protulisse verba, vel etiam scripsisse, ea quidem tanquam à Spiritu sancto dictata ab Ecclesia Catholica haberentur, quia in B. Virgine exstitit maxima participatio diuinæ veracitatis; quare in his, quæ locuta fuit, non fuit hallucinata, nec alios fallere potuit: ergo cum proportione loquendum de verbis Deiparæ, ac de Christi Domini. Verba igitur, quæ referunt Euangelistæ fuisse locutam, non solùm fide tenendum est, ea protulisse Deiparam; sed illa verba de fide tenenda [illegible], quasi ab Spirito sancto dictata. quod non est dicendum de verbis, quæ reperiuntur in sacris voluminibus: plurima enim non sunt prolata ab Scriptore Canonico sit exemplum in Iobi amicis, qui plura protulerunt, quæ non sunt de fide, nisi aliàs ab aliquo Scriptore Canonico proferantur; ne[illegible] enim est de fide cœlos esse ære fusiles, quod ta[illegible]en amicus Iobi ita protulit, vt latè ostendi ad libros de Cœlo, cum Patre Botto in lib. de cœlo: solùm ergo est de fide illud protulisse pronunciatum, illum Iobi amicum; quod autem verbis illis continetur, non est de fide [illegible] credendum, cum vtraque pars vt probabilis solum à Doctoribus propugnetur. Item D Petrus, dum dixit: *Domine, faciamus hic tria tabernacula*: errauit; ait enim Euangelista: *nesciebat quid diceret.* Itaque tunc non vt [illegible] locutus

Ildeph.

Suar.

Si certò constaret epistolam aliquam esse B. Virginis, tanquam scriptura canonica ab Ecclesia reciperetur.

Canis.

Omnia quæ protulit verba B. Virgo apud Euangelistas, non solum de fide est, ea fuisse locutam, sed etiam de fide tenenda, quasi ab Spiritu sancto dictata.

Plura verba quæ reperiuntur in Scriptura non sunt prolata ab Scriptore Canonico.

Matt. 17. 4.

ceu Scriptor Canonicus. Obiectabis, etiam Beatissima Virgo dum Filium alloquitur: *Fili, quid fecisti nobis sic; nam & Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te*: Ergo sicut ibi Petrus errauit, ita & B. Virgo hic, neque vt Scriptor Canonicus fuit allocuta. Respondeo negans omninò consequentiam, nihil enim protulit Deipara quod rectæ rationi, & veritati ipsi dissentaneum esset, verba autem Christi alium sensum habent, vt alibi nos ostendimus; de quo agit Salmeron tom. 3. de infantia Saluatoris. Indò subdit Canisius lib. 4. de Deipara cap. 19. §. *errat sanè*, Culmanicum hæreticum sugillans: *Quemadmodum in rebus creditu necessariis non errauit Maria, & quoniam eadem in gratia Spiritus sancti fuit confirmata, nec potuit quidem errare: Sic nec Deus Ecclesiam, cuius ipsa typum gerebat, in necessariis errare sinit, præsertim cùm diuinus ille Spiritus, vt antea Mariam, sic nunc etiam Ecclesiam doceat omnem veritatem.* En attribuit Canisius B. Virgini infallibilem veritatem vt Theologi assolent Scriptori Canonico, & Ecclesiæ deferre. Quod etiam confirmari potest ex eo, quòd Canticum *Magnificat* post Domini in cœlos ascensum B. Lucæ dictauerit, quod ab Apostolis, & vniuersa Ecclesia receptum fuit tanquam infallibilis veritatis Oraculum, & Spiritus sancti verba, solùm propter vnius Virginis Mariæ testimonium.

Luc. 2

Salmer.

Canis.

Ait Maria Canticor. 5. *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea Sponsa.* Ergo ostium erat occlusum, cum Sponsus pulsaret. Sed quod ostium, quod ab Sponso pulsatur, & clausum dicitur? illud profectò, de quo fatus Dauid ait: *Pone domine custodiam ori meo; & ostium circunstantiæ labiis meis.* Eiusmodi igitur ostium, nec Christo Domino aperiebatur, quin priùs ipse pulsaret, & inspiraret verba, quæ locutura erat: ideircò os Marianum oculos Sponsi ad se allexit, quia omnibus aliis occlusum erat. Scitè Ambr. lib. 3. de Virgin. *Ianuam tuam disce temporibus obserare nocturnis, non facilè quispiam patentem reperiat: Sponsus ipse vult clausam esse, cum pulsat? Ianua nostra os nostrum est, Christo propemodum soli debet aperiri, nec aperiatur, nisi antè pulsauerit Dei Verbum.* Vtpote qui est vnicum Dei Verbum, illi displicent plura verba, præcipuè vana, & futilia, quæ semper in multiloquio reperiri solent. Septies in Euangelio reperies Beatissimam Virginem allocutam fuisse; de quibus sic fatur Richardus de S. Laurent. lib. 4. de laudibus Virg. *Septem illa verba B. Virginis composuit cœlestis artifex Spiritus sanctus, & sunt sicut septem dona Spiritus sancti.* Format Spiritus sanctus Virginis Deiparæ verba, qui Dei Verbum in hominem efformat in eiusdem vtero.

Cant. 5.

Omne verbum à Maria prolatum ab Spiritu sancto efformatum fuit.

Ambr.

Richar. de S. Laurent.

Nemini ergo mirum videri debeat, quod Apostoli hoc Marianum Gymnasium frequentauerint, tanquam ipsius discipuli: quamuis enim Apostoli per Spiritus sancti reuelationes, omnem fuerint veritatem edocti, incomparabiliter tamen eminentiùs, ac manifestiùs Maria per eundem Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem callebat, adeóque plurima eisdem per Mariam patefiebant, quæ in se non solùm simplici scientia, sed ipso effectu, ipsóque experimento didicerat. Erat ergo B. Virgo Spiritus S. Vicarius interpres, quæ Spiritus S. doctrinam clariùs, & elegantiùs inst[illegible]rarct. Et quidem Apostolos, tres coperimus frequentasse, scholas, siue Gymnasia; 1099.

primum,

primum, medium, ac supremum. Presidebat primo Gymnasio, siue classi Verbum, diuina ęterni Patris sapientia, tanquam Præceptor, à quo tanquam rudes prima Theologiæ rudimenta ebiberunt; postmodùm, ad mediocrium scholam assumpti, per Spiritus sancti Magisterium, orbis Magistri, Gentiumque Doctores constituti sunt, igneisque linguis supra eorum capita rutilantibus, tanquam laurea Doctoratûs donati: Iamque omnem Christianam eruditionem edocti ad supremam classem euehuntur, cui Virgo Deipara præest, tanquam Præceptrix, ac omnium Magistra, quæ eos in omni scientia, & sapientia imbuat, perficiat, ac elegantiori eruditione perpoliat, vt iure exclamet Rupert. *O B. Maria Magistra Magistrorum, id est Apostolorum.* Cui opinationi adfauet Lucius Dexter in suo Chronico ad ann. Christi 134. n. 7. vbi hæc habet: *Sacra Virgo consilio, luce doctrina, & mirabili vita exemplo præsidet Collegio Apostolico, nihilque graue gerunt illi, quod non eius consilio, ductuque gerant.* Plus ergo de nobis benemerita est Virgo Deipara, quàm Doctores omnes, ac sacri Verbi præcones, ait Guarricus serm. 1. de Assumpt. *Paulus genuit nos Verbo veritatis, quo regenerati sumus prædicando; Maria autem longè diuinius, atque sanctius Verbum ipsum generando.* Idem Guarricus ser. 1. in Annunc. vocat Mariam, Christi Cathedram: *Ex ipsa,* inquit, *Sapientia ædificauit sibi domum, vt & domus sit ei, ad quiescendum, & Thronus ad iudicandum; quæ primò Tabernaculum ei fuit ad pugnandum, & Cathedra ad docendum.* S. Anselm. in illa verba: *Intrauit Iesus in quoddam Castellum:* Quid, inquit, de Deo non sapiebat, in qua Sapientia Dei latebat. In hac Mariana schola didicit Ioannes Theologus, diutiùs enim sub eius Magisterio vixit: ea verò, quæ à Maria ebibit, in mortales deriuauit, cum omnium admiratione, ac plausu: Paulus verò in cœlo eruditus audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui, quæ autem Ioannes à Maria hausit arcana loquitur, & euulgat: vter ex duobus plus didicit? Origenes sententiam dicit pro Ioanne, ait enim: *Non erat Ioannes homo, sed plusquam homo, quando & seipsum, & omnia, quæ sunt, superauit.*

Maria Gymnasium supremum in quo Apostoli politiori eruditione perpoliti sunt. — Rupert. — Dexter. — Guarr. *Vna Maria plus de nobis benemerita quam omnes Doctores, & Verbi diuini præcones.* — Anselm. — Orig.

1100. Et vt rem hanc finiam, subiungo plus Virginem Deiparam adhuc dormientem diuinioris huius sapientiæ hausisse, quàm alij dum vigiliis insistunt: *Virgo,* ait S. Bernard. Senens. tom. 1. ser. 61. & tom. 2. serm 51. *magis in contemplatione Dei excessit dormiendo, quàm aliquis alius vigilando, sicut ipsa testatur: Ego dormio, & cor meum vigilat.* Dum somno vacabat Maria; adeò eius facultates expeditæ, & vigiles ad res diuiniores concipiendas, vt eas tunc profundè, ac feliciter penetraret: ita vt de somno Deiparæ pulchrè affirmare possemus cum Clemente Alex. lib. 2. Pædag. cap. 9. *Gymnasium somni.* Somnus itaque Marianus Gymnasium erat subtilioris Sapientiæ, vbi sublimior doctrina addiscebatur: & vbi alij dediscunt, diu comparatam Sapientiam, *ad tempus; Virgo B. plus erudiebatur, & sapientior prodibat, & ad omnem eruditionem consummata. O quàm sapientioris litteraturæ exornata decantabitur dum vigil est, cui somnus Gymnasium omnis eruditionis erat!

Maria dormiens plus diuinioris sapientia hauriebat, quam alij vigiles. — Bern. Sen.

1101. Nunc inquires primò, Vtrùm laboriosè has scientias, sine labore diuinitus acceptas exercuerit, de quibus hucusque meminimus? Respondeo cum attentione quadam, ac iucundissima mentis intentione, ac voluptate siue labore, ac defatigatione in illis se exercuisse, sine vllo capitis dolore, ac virium lassitudine, aut tædio. Quod sane maximum in Deipara priuilegium agnoscimus; nam iucunditate quadam ex omnium scientiarum veritatibus fruebatur sine vllo salutis dispendio, aut mentis defatigatione, vel stomachi debilitate; quæ omnia ex ipsarum veritatum vestigatione homines litteris incumbentes sibi adsciscere solent. Ait enim Salomon Sap. 7. in persona Virorum litteratorum: *Super salutem, & speciem, dilexi eam;* nempe Sapientiam. Hinc de Philosophorum principe Aristotele scribit Laërtius: *Ventriculi dolore propter nimias vigilias, & studiorum frequentiam, eius calorem natiuum extinctum ferunt.* Ex infatigabili ergo elucubrationum studio frequentes in studiosis hominibus ægritudines obortæ. Hos malè cocti cibi cruditates suffocant, & excrementosæ pituitæ perimunt. Insuper assiduæ vigiliæ stomachum debilitant; perennè studium vires eneruat, exhaustis vitæ spiritibus, dum ille libris incumbit, pene dissoluitur, & euaporatur, deliquia patitur, torpescit hepar segnius, & tardius elaborando sanguini insistens. Oculi lachrymosa lippitudine caligantes, & tenebrescunt; pectus repetita tussi, ac sibilatione defatigatum obdurescit, vellicat vrina, vultus decoloratur, caput distillationibus innatat, vel sæuissimè hemicrania torquetur; humidum radicale vitæ nutrimentum paulatim exsiccatur, ac calor naturalis, tot hostibus impetitus pedetentim extinguitur; ita vt Sapientiam, non mortis meditationem dixeris cum Platone; sed veriùs mortem ipsam inferentem, vitámque abscindentem nuncupaueris.

Maria sine labore, & tædio se in his scientiis exercebat. — Sap. 7. — Laërt.

Quæres secundò. An sicut cæteri homines sapientia præditi possunt illius obliuisci, ipsamque deperdere; ita etiam de B. Virgine asserendum sit? 1102.
At censeo diuerso modo sentiendum de Deipara: cùm enim fuerit per se infusa, vel per accidens, non erat iisdem difficultatibus, quod ad corruptionem attinet, obnoxia; sicut reliquorum sapientium scientia. Itaque neque per desuetudinem B. Virginis scientia deperdi poterat, neque per Phantasiæ vitium aliquod impediri, nullum enim vnquam in B. Virgine Deipara, repertum fuit; neque scientia per se infusa à phantasmatibus dependebat; nec demum hæc Mariana scientia potuit per errorum actus corrumpi; sicut enim erat à Deo infusa, ita solùm per subtractionem concursus diuini auferri poterat. Quibus autem modis in aliis hominibus deperdatur sciẽtia, tractat Suarius tom. 2. Metaphys. disput. 44. sect. 12. qui omnes à B. Virgine procul abfuerunt. Idem statuit Abulens. in 3. Reg. 4. q. 11. pro Salomone, & quidem habituum corruptiones, & decrementa contingunt ex ablatione causarum à quibus pendent; at scientia infusa solum à Deo dependebat: ergo solùm per subtractionem diuini concursus deperdi poterat. Idem statuo de scientia per accidens infusa, licèt enim humanis sit obnoxia casibus; at in Deipara nunquam deperdita, nec imminuta fuit, nec vnquam B. Virgo obliuionem alicuius rei cognitæ passa fuit: Nam obliuio est quidam morbus animæ iuxta Philonem: Si ergo à Virgine Deipara omnem corporis morbum arcemus, quia illam dedecebat, ergo multo magis animæ morbos ab ipsa procul abigemus, cum magis dedeceant Dei Genitricem scientiarum omnium Matrem.

Maria nec scientiarum obliuisci poterat, nec illas deperdere. — Suar. — Abul.

Percontaberis tertiò. Vtrùm B. Virgo auxerit acceptam

acceptam a Deo scientiam, vsu, & exercitatione?
D.Thom. Eandem quæstionem mouet S.Thom. 1.part.q.58. art.3 quoad Adamum. Affirmandum censeo B. Virginem in accepta à Deo scientia nihil profecisse, neque quoad numerum intelligibilium, neque quoad modum sciendi, quia Virgo Deipara habuit cognitionem eorum omnium, quæ ab homine cognosci possunt: quæque ad suum statum pertinere poterant, & forsan omnium indiuiduorum actu existentium. De perfectione autem intensiua huius scientiæ, aiunt D. Bonauent. Alex. Alens. & Ægidius potuisse Adamum proficere, non quoad nouum habitum, sed quoad perfectiorem intelligendi habitum, & quoad maiorem agilitatem, ac promptitudinem: ex frequenti enim intellectione promptior, ac facilior fieret Adamus ad efficienda iudicia rerum earum, quarum cognitionem, & scientiam per habitus, & species congenitas habebat. Verùm quidquid sit de Adamo, displicet hæc sententia in Virgine Maria; nam habitus intendi nequeunt, nisi per intensiores actus; atqui habitus infusi in Deipara fuerunt intensissimi in summo: ergo difficile videri possit, elicuisse Deiparam intensiores actus ipsis habitibus: ergo quoad habituum intensionem non potuit crescere scientia infusa in B.Virgine. Si autem aliqua maior promptitudo, ac facilitas ex vsu illius scientiæ intellectui Virgineo augebatur, prouenire poterat ex côiunctione, & vsu experimentalis cognitionis, ac notitiæ.

PALÆSTRA XV.

De Scientia Experimentali B.Virginis.

CERTAMEN I.

Qualis fuerit experimentalis Scientia in Maria.

1103. STENDIMVS suprà scientiam experimentalem admittendam esse in B. Virgine; cùm enim esset verè homo, veras etiam sensuum humanorum functiones exercebat; præsentia enim obiecta visu percipiebat, sonos audiebat, & sic de aliis. At operationes humanorum sensuum statim in intellectum inducunt intellectiones intuitiuas suorum obiectorum, quæ dicuntur experimentales, quia experientia comparantur. Nacta fuit ergo B. Virgo hanc scientiam experimentalem, in qua nouos auctus decursu temporis faciebat: tum quoad species, quas in dies sibi comparabat, tum quoad habitus, qui ex repetitis actibus augebantur, vel ex longa rerum visibilium consideratione, vel ex iugi sacrarum Litterarum prælectione.

Solùm opponi posset: Virgo Deipara prædita fuit speciebus a Deo inditis materialium obiectorum, vt docuimus: ergo species ab ipsis obiectis acceptæ omnino superfluæ videbantur; atque adeo denegandæ videntur in B. Virgine. In rem
D.Thom. hanc faciunt verba S.Thom. apud Suar. de Angelis lib.2.cap.6.num.19. *Si Angelus abstrahere posset species a rebus materialibus, non tamen abstraheret, quia non indigeret eis, cùm habeat species intelligibiles concreatas.* Verùm quidquid sit de Angelis assero in B.Virgine admittendas esse species ab obiectis haustas, non enim erat in potestate B.Virginis species ab obiectis præsentibus non accipere, esset enim omninò contra naturam, vt oculi aperti lumen non ebiberent, seu obiectum lucidum.

Instabis ergo species B.Virgini congenitæ non fuerunt necessariæ, cum posset ab obiectis materialibus illas haurire: quæ ratio in Angelis non militat; cùm enim careant sensibus, & sint substantiæ spirituales, non possunt ab obiectis materialibus huiusmodi species haurire; res enim materialis nequit agere in spiritum, cùm nullam habeat cùm illo proportionem requisitam inter agens, & patiens: nec potest materiale obiectum natiua vi formam spiritualem producere, cùm sit ordinis superioris, & vltra suam sphæram. Quamuis ergo in Angelis species congenitas obiectorum materialium admittamus, id in Deipara non fuit necessarium. *Respondeo* decuisse maximè B. Virginem in omni scientia, ac sapientia perfectissimam condi, sicut de Angelis, & de Adamo docent Doctores; cuius rei non est leue indicium, quod B. Virgo in instanti sui conceptus perfecta fuit quoad corporis perfectionem, & membrorum organizationem, vt alibi ostendimus: sicut ergo simili ratione ducti Doctores, & Interpretes admittunt in Angelis, & in primis Parentibus species rerum materialium congenitas, quia in primo conditionis instanti perfecti conduntur omni perfectione naturali sibi debita: licèt ergo reliqui homines paulatim perficiantur in rerum naturalium cognitione, sicut & in aliis ad naturam spectantibus; tamen Deipara omnino perfecta in actu primo condita fuit, sicut Adamus: atque adeo cum speciebus congenitis materialium obiectorum; id enim multò potiori iure debebatur ei, quæ futura erat Mater Dei, Angelorum Induperatrix, primorum Parentum corredemptrix vnà cum Filio, totiusque naturæ reformatrix.

Triplicatas ergo habuit Deipara species eorumdem obiectorum materialium, nempe, & congenitas à Deo per scientiam naturalem per se infusam; & per scientiam per accidens infusam, per se adquisitam; & à rebus ipsis haustas. De primis in superioribus latè disseruimus: de secundis res est comperta, cùm enim esset sensibus prædita, sensu etiam communi, ac intellectu agenti, sicut cæteri homines, inficiari nequit, illam percepisse obiecta materialia præsentia, quæ sub sensus cadunt. Nec enim eiusmodi species haustæ ab obiectis materialibus erant incompossibiles 1104. *Habuit Maria triplicatas species eorundem obiectorum materialium.*

sibiles cum speciebus inditis eorundem obiectorum materialium, imò vtræque erant in B. Virgine; Primæ, quia necessariæ ad perfectam cognitionem obiectorum materialium actu existentium, vt monitum à nobis est: Secundæ, quia id postulabant sensus externi ipsius. Quod nullam nouam difficultatem ingerit in B. Virgine, quæ non sit etiam superanda in Christo Domino, in primis Parentibus, & in Salomone, qui etiam species inditas suscepere. Nec ideò admitti debent duæ formæ eiusdem rationis in eadem potentia in ordine ad idem omninò obiectum: Quia species indita à Deo, & ab obiecto hausta, non sunt eiusdem speciei: species enim indita vniuersalis est; hausta vero ab obiecto, singularis, deseruiens solùm ad vnius obiecti perceptionem.

D.Thom. At Obiectabis cum S.Thom. 3. p. q.9. artic.4. Vbi iuxta communiorem opinandi modum, ait, scientiam experimentalem non differre à scientia per accidens infusa, & per se adquisita; imò ipse Sanctus Doctor scientiam per se adquisitam vocat Scientiam experimentalem. *Respondeo* ita eam vocare, quia experimento sensuum duci potest intellectus ad eam adquirendam, non quod hæ duæ scientiæ inter se confundantur, quia ea eiusdem S. Thomæ ratione constat, has duas scientias esse distinctas in Christo D. ait enim, Christum, non omnes veritates naturales experum fuisse, idémque cum proportione de B. Virgine dici posset; sed per scientiam per accidens infusam, vtrque vel omnes, vel plurimas cognouit, quæ per scientiam experimentalem non attigit: ergo scientia per accidens infusa, & experimentalis differunt re ipsa inter se in Virgine Deipara.

Inferes deinde, non fuisse scientiam experimentalem incompossibilem cum scientia per accidens infusa, etiam actuali: Neque enim duæ cogitationes eiusdem obiecti si specie inter se distinguantur in eadem potentia, simul esse repugnant. Imò adderem duas cogitationes, solo numero distinctas posse viribus naturæ in eodem intellectu reperiri, nam in aëre medio huius cubiculi recipiuntur quatuor species impressæ, quæ solo numero differunt, quatum vnaquæque repræsentat vnam ex quatuor albedinibus horum quatuor parietum; tum etiam, si in eodem medio, duo specula è regione collocarentur, tunc in eodem aëre intermedio duplex species impressa inesset eiusdem numero albedinis, licèt ad diuersum munus; cùmque idem obiectum vtriusque speciei beneficio visitur, quasi in diuersis locis existeret; tunc ergo admitti debet duplex eiusdem obiecti visio solo numero differens; ideoque in intellectu duæ intellectiones consurgent intuitiuæ solo numero distinctæ eiusdem prorsus obiecti.

1105. Percontaberis: An Virgo Deipara in infantia hanc scientiam experimentalem obtinuerit: In quo primùm, tanquam certum statuo, B. Virginem, sicut & reliquos infantes in illa ætate obiecta sensibilia debitè approximata sensibus visus, auditus, ac cæterorum percepisse. Hoc autem non erat sufficiens, vt diceretur, scientiam experimentalem nactam fuisse, vt patet in reliquis infantibus; quorum sensationes non sufficiunt ad veram scientiam experimentalem. Deinde iuxta consequentiam nostræ doctrinæ de perfecto rationis vsu, ac reliquarum potentiarum in B. Virgine adhuc infante, affirmandum est obtinuisse Deiparam in infantia hanc scientiam experimentalem. Probatur, quia ex eo in reliquis infantibus intellectiones, quæ interuentu sensationum excitari solent non sunt, nec dicuntur scientia experimentalis, quia ex defectu dispositionis organorum, adhuc incapaces existunt, vnum cum altero conferendi, & comparandi, ac reflectendi; qua collatione, & reflexione dicitur constitui, ac compleri eiusmodi scientia experimentalis. Hæc autem ratio deficit in B. Virgine infante, cuius organa interna erant iam aptissimè disposita ad vsum internarum potentiarum, atque adeo ad operationes omnium naturalium scientiarum: Vnde poterat B. Virgo intellectiones habitas sensationum externarum interuentu, conferre inter se, ac supra illas reflectere, ac prorsus perfectam scientiam experimentalem nancisci.

In calce huius certaminis addiderim Patrem Vasq. in 3.p.disp.119.cap.4.opinatum fuisse, præter species impressas intellectus, species etiam phantasiæ Virginis Deiparæ ab instanti suæ Conceptionis fuisse inditas: quia eiusmodi species ad fidei notitiam, quam B. Virgo in illo instanti habuit, valde conducebant. Fides autem diuina, vt ipse opinatur, per scientiam, & species suapte natura infusas haberi nequit; sed per species tantum adquisitas, quæ pro statu Viatorum ab vsu phantasmatis necessariò dependentiam ducunt, vt intelligentiam moueant: Vnde censet fidem Deiparæ exhibitam, & phantasmatis vsum, & interni sensus opem comites habuisse. Vasq.

Verùm arbitror, has species ex phantasmatibus depromptas in instanti sui conceptus non fuisse B.Virgini necessarias, sed sufficere species intelligibiles per se infusas, siue per accidens ad actum fidei diuinæ eliciendum: Sicut neque in Angelis necessariæ fuerunt, qui tamen actum fidei diuinæ elicuerunt. Quidquid ergo species phantasmatum præstare potuissent species illæ infusæ, rectè exhiberent absque vllo sensus interioris adminiculo, cùm idem de Angelis censeat communis sententia, quibus nulla adsunt phantasmata, neque sensus internus. Hæc secundum se vera esse censeo; inspecta tamen diuinæ Sapientiæ dispositione, ac ordine, quo medio ab inferioribus potentiis ad superiorem gradum facimus, iuxta naturæ præscriptum: Affirmandum alicui iure videri posset B. Virgini in primo suæ formationis momento, vnà cum speciebus infusis intelligibilibus, species etiam, quæ mediis phantasmatibus adquiri solent, à Deo etiam inditas fuisse; non quia sine illarum interuentu fidei actus elici non possent, sed quia naturali intelligendi modo Viatorum aptissimæ; non ita tamen, vt actus intelligendi per species intelligibiles infusas ab eis aliquo modo dependerent.

CERTAMEN II.

An hæc Scientia experimentalis in B.Virgine fuerit obnoxia errori, aut deceptioni.

Quæstionem hanc iam alibi à me decisam memini aduersus grunnientia hæreticorum pecora. Hoc tamen congressu in eadem sententia persistentes ibi dicta dennò confirmabimus; & irritos aduersantium conatus eludemus. Quod 1106.

ergo

ergo Virgo Deipara decipi potuerit in cognitione rerum naturalium; his quispiam rationibus suffultus affirmare posset. Nam B Virgo nun introspiciebat euidenter obiecta contingentia futura, imò forsan, neque cuncta actu existentia, vel saltem occultas cordium cogitationes non penetrabat, vt monuimus suo loco, & tamen poterat de his omnibus iudicium efformare aliquod: ergo in eo hallucinari interdum poterat: ea enim, quæ euidenti notitia non attinguntur, coniecturis verisimilia fiunt: Interdum autem homo ducitur his iudiciis, vt prudenter agat, & in rebus humanis se gerat; ergo nihil oberat, quominus B.Virgo iudicium aliquod circa res eiusmodi efformaret, in quo actu nulla imprudentia, nec defectus aliquis reperitur; est enim operandi modus naturę humanæ, circa res agendas, valde appositus, ac fere moraliter necessarius. Quis enim eat inficias, B.Virginem in rebus practicis, tum & in speculatiuis, capacem fuisse opinionis, cùm non rerum omnium essentias, ac proprietates, nec vt in se sunt, nec semper euidenti cognitione calleret, sed multa probabili solum coniectura perciperet; tunc autem solum iudicium opinatiuum eliceret, ac subinde aliquando hallucinaretur, cùm iudicium opinatiuum falsitati subiaceat. Tandem quia potuit Adamus ante lapsum decipi, iudicium efformans falsum circa rem aliquam sibi non certam,
Bonau. quod probabile putat S.Bonau. in 2.dist.23.art.2. q. 2. imò de facto deceptum arbitrantur aliqui,
August. Magister. cùm existimaret non futurum grauem lapsum, licèt cibo vetito vesceretur, ne vxori displiceret, vt iudicat August. lib. 14. de Ciuit. c. 11. & lib. 11. in Genes. ad lit. cap. vltimo. Magister in 2. dist. 22. Et quidem de Eua adhuc in statu Innocentiæ certum
Gen. 3. est, cùm ipsa asserat *serpens decepit me.* Genes. 3.

1107. Verùm enim verò adeo erat constans B.Virginis scientia, & integra, vt nunquam aliqua, vel minimi erroris, seu deceptionis ruina fatisceret. Quare censeo nunquam B. Virginem iudicium aliquod elicuisse, quo in deceptionem veniret. Probatur assertum, quia B Virgo quoad hanc partem priuilegio status innocentiæ gauisa fuit, vt fusè alibi ostendimus; sed primi Parentes dum illo fœlici statu potiti sunt, nunquam fuerunt decepti, nec iudicium falsum protulerunt: ergo nec
D Thom. Aug. *In statu Innocentiæ nulla fuisset deceptio, nec iudicium falsum.* B.Virgo. Minor constat ex D.Thom. 1. part. q. 94. art 4. & q 18. de veritat. art. 6. & ex D. August. lib. 3 de libero arbitrio cap. 18. vbi hæc habet: *Approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* & lib. 1. retractationum cap. 9. asserit ignorantiam, & difficultatem esse pœnas primi peccati: quæ nam ignorantia peior errore, & hallucinatione? Tum etiam in Enchirid cap. 1 . laté probat quemcumque errorem, etiam in materia leui, ... inter mala huius vitæ annumerandum. Deinde lib. 11. Genes. ad lit. cap. 30. docet, Euam, à serpente nunquam decipiendam iri nisi prius se superbiæ peccato maculasset. Hæc sententiam fusé, & eruditè propugnat Suarius de opere 6. dierum lib. 3. c. 10.

Suar. *B Virgo nullam passa est deceptionem.* Ostenditur ergo veritas nostri Pronunciati, quia deceptio est quędam inordinatio intellectus humani ex phantasia procedens, vel aliquo alio inferiori impedimento; hæc autem inordinatio dedecebat B Virginem, sicut dedecoit inordinatio appetitus inferioris contra superiorem. Dupliciter autem contingere potest hæc deceptio; primò inuoluntariè, & hæc semper oritur ex sensuum defectu. Secundò voluntariè, quando sine vlla sensuum hallucinatione, quispiam sciens, & volens iudicium efformat de re, quam nouit esse incertam. Vtraque autem deceptio B. Virginem multùm dedecebat. Prima, quia cùm gauderet priuilegio status Innocentiæ, oportebat, vt superior potentia non impediretur ab inferiori, nisi per peccatum, cuius erat incapax Virgo Deipara: Siquidem ille error, seu deceptio voluntaria necessariò ex voluntatis affectu prouenire; at voluntas inferior potentia est intellectu, ideoque ad deceptionis malum inducere non posset, quin priùs culpa interueniret, esserque inordinatio, ac deformitas magna, dedecens innocentiæ statum, adeoque & B.Virginem. Secunda deceptio est ingens quoddam malum pertinens ad malum culpæ ac pœnæ; quamdiu autem culpa non interueniret, neque huiusmodi deceptio: Virgo autem B. ab omni culpa immunis fuit: Sicut ergo habuit Deipara naturæ integritatem, quoad subiectionem appetitus ad voluntatem absque vllis inordinatis, & effrænibus motibus; ita vt nullum malum ab inferiori appetitu pati posset: ergo eandem integritatem in intellectu habere oportebat, vt errare non posset inuita.

Si autem scire exambis, quo pacto Deus præseruauerit B.Virginem, ne vnquam vel in leuissimum errorem prolaberetur. Censeo in primis habitus scientiæ, ac species infusas, ad id non suffecisse, vt patet in primis Parentibus: siquidem post lapsum illa omnia dona habitualia scientiarum retinuit Adamus, & tamen potuit in errorem induci, & de facto deceptus est: ergo habitos scientiarum infusi, & species etiam infusæ non poterant B.Virginem ab omni errore immunem seruare. Deinde solùm vtimur habitibus, cùm actu cognoscimus, dum autem actu non intendimus ad obiecta, inconsideratio, & inaduertentia obrepere nobis potest, ex qua inaduertentia plerumque deceptio contingit circa aliquod obiectum: ergo similiter in Virgine Deipara fo... habitus, & species ad omninò tollendam hanc deceptionem non sufficerent; imò nec habitus voluntatis; licèt enim intellectus volun... subsit, vt iudicium inceuidens proferat, ac ideo voluntas continere possit intellectum, vt iudicium suspendat; cùm tamen voluntas libera sit, pro libito potest nolle intellectum continere à ... iudicio efformando; quæ omnia etiam ante lapsum primi hominis locum habebant; imò efformatio illius iudicij non erat per se mala, ac poterat coloneflari ex causis occurrentibus: ergo necessariò asserendum est præter habitus, opus fuisse in B Virgine speciali Dei prouidentia, ac extrinseca protectione, qua in omni euentu omnis errandi occasio arceretur. 1108.

Per hęc fundamenta partis oppositæ facilè conuelluntur. Negandum enim est potuisse B.Virginem assentiri rei incertæ, & per sola coniecturalia signa verosimili iudicio firmo, vel infirmo, cùm posset tale iudicium pro libito continere: aliud ergo est præbere iudicium de re ipsa, an ita sit, vel non sit; aliud verò præbere assensum de apparentia, ac verosimilitudine, quam coniecturalia signa exhibent; & an rem probabilem efficiant, vel probabiliorem; an verò solum suspicionem leuem inducant, siue grauem, siue vehementem; quippe circa hæc omnia iudicare rectè poterat Deipara ex coiecturis omni secluso erroris periculo; ille enim assensus omninò est euidens, quamuis enim coniecturæ rei euidentiam non efficiant, euidentiam tamen probabilitatis rei ostêdunt. Nihil ergo oberat,

erat, quominus B. Virgo hunc poſteriorem aſſenſum eliceret, cùm nullum erroris periculum ſubeſſet, nunquam tamen aſſenſum efformare poterat de veritate ipſa, firmiter ipſi adhærendo, quia deceptionis periculo exponeretur imprudenter, quod longè à B. Virgine remouendum eſt.

Ad res autem agendas ſufficere poterat hic aſſenſus, de rei probabilitate, ac veroſimilitudine; præſertim cum Virgo B. ea gauderet animi compoſitione, ac moderatione, vt nihil ex præuenienti motu aliquo prauo, ſeu inordinato, vel minus prudenti appeteret, ſed recta ratione in omni re agenda ducebatur, ac intellectus à voluntate nullo modo cohiberi poterat, ne in aſſenſum opinatiuum, cui falſum ſubeſſe poterat, prorumperet. Ex parte ergo coniecturarum, quę in obiecto relucebant poterat B. Virgo cognitionem opinatiuam elicere, & cognoſcere obiectum, vt probabile iuxta coniecturas; non tamen ita vt iudicando opinaretur; id enim deceptioni erat obnoxium.

Vrgebis, hæc omnia ſolùm probare Deiparam potuiſſe nõ errare, nec decipi, non tamen euincũt, non potuiſſe decipi, cùm eſſet libera, ad eliciendũ aſſenſum illum opinabilem ſi vellet. *Reſpondeo* tamen Virginem Deiparam ingenti prudentia floruiſſe ex alio capite, ille aſſenſus ad res agendas, vel rimandas, nec vtilitatem, nec neceſſitatem induceret; imò falſitati, & deceptioni eſſet obnoxius: ſufficiens adeſt ratio, vt aſſeramus nunquã potuiſſe talem aſſenſum elicere Moraliter, quia eſſet cum diſcrimine alicuius mali, & inordinationis, quod dedeceret perfectionem, & integritatem tãtæ Virginis; imò talis aſſenſus alicui leni culpæ coniungeretur, quę ad imprudentiam ſpectaret. Opus autem fuit ad huius rectitudinis complementum, vt Deus B. Virginem aliqua extrinſeca, & peculiari protectione moniret ad vitandam præcipuè inuoluntariam deceptionem, ſiue præueniẽs, ne ſenſibus, & phantaſię aliquid occurreret, quod erroris anſam præbere poſſet; ſiue rationem excitans ad pleniorem aduertentiam, ſenſuumq; correctionẽ, ac veritatis internotionem: tum etiã ad vitandam voluntariam deceptionem, ipſius intellectum illuminãs in his omnibus, quę opportuna eſſe poſſent, ne deciperetur, ac voluntatem ipſius Deiparæ in omnibus dirigens, vt in his omnibus iudicijs prudenter ſe gereret, nullumq; aſſenſum eliceret, qui non eſſet rectæ rationi, ac veritati valde cõformis,
D.Thom. quod mirum videri non debet; cùm S.Tho. 1.p.q. 94.a.4 idem de primo homine affirmauerit, quòd ſcilicet ei diuinitus ſubuentum foiſſet, ne deciperetur in his, quorum ſcientiam non habebat.

1109. *B. Virgo decepta non fuit, cum filium in comitatu fuiſſe exiſtimauit.* Suar. Molin.

Quapropter denegandum omninò eſt, B. Virginem fuiſſe deceptam cùm Filiũ in comitatu fuiſſe exiſtimauit; vt latiùs rem tractat Suar. tom. 2. in 3. p. diſp. 19. ſect. 6. Nunc iuuat pauca verba magni illius Doctoris Ludouici Molinæ de opere ſex dierum diſp. 26. referre, quæ mirè noſtram theſim confirmant, & ad præſens intentum valde conducunt: Ait ergo: *Sunt qui ducti teſtimonio illo Luc. 1. Exiſtimantes illum eſſe in Comitatu: arbitrantur B. Virginem Dominam noſtram habuiſſe iudicium falſum, deceptamq; fuiſſe, abſque vlla tamen ſua culpa, nec id vllum abſurdum reputant; cùm tamẽ abſurdum omnino ducant homines in ſtatu Innocẽtiæ potuiſſe induci in deceptionem: Ego verò nulla ratione credo Dominã noſtram, iudicium habuiſſe falſum, fuiſſeque deceptam: nec enim verba illa Lucæ ſignificant Virginem Matrem habuiſſe hoc iudicium abſolutum, & falſum: (Puer Ieſus eſt in comitatu.) Sed illis verbis exprimit Lucas Dominam noſtram egiſſe iter non dubitando illum eſſe cum Ioſeph in comitatu, vt veroſimiliter, quiuis prudẽs non dubitaret, cùm tamen neutrã in partem iudicium tulerit: in communi namque vſu loquentium, qui ita ſe habet, poſteaque inuenit rem longè aliter accidiſſe, ſine vllo mendacio dicit: Contrarium ſum arbitratus. Lucas verò iuxta communem loquẽtium vſum affectum Virginis Deiparæ, & Ioſeph expreſſit. Dum etiã illum requiſiuerunt inter cognatos, & notos non formauerunt iudicium falſum, quod inter eos eſſet; ſed meritò id veriſimile arbitrantes, vt reuera veriſimile erat, inter eos prudenter requiſierunt.* Hæc omnia Molina.

Quod autẽ Adamus ante lapſum non fuerit ſeductus, nec deceptus, atteſtatur Paolus 1. Timot. 2. Nec S. Aug. lib. 11. de Ciu. & lib. 11. de Gen. ad litt. obſtat, explicari enim poteſt, ita vt non ſenſerit Adamum poſitiuum iudicium efformaſſe de leuitate illius culpę, ſed quod negatiuè tantum ſe habuerit non animaduertens actuali cogitatione culpę, ac tanti mali molẽ, cui ſe vltro ſubijciebat: vel ſi tale iudiciũ efformauit, dicẽdum eſt iã ex verbis Lucę, aliquã elationẽ, ac inordinatũ propriæ excellẽtiæ affectum animo concepiſſe, quod indicat S.Tho. citatus eodem fermè modo dicendum Euam fuiſſe deceptam, quia priùs interiori affectu peccauerit, vt ait Auguſtin. citatus, & D.Thomas. August. S.Thom.

Subiungo cum Maldonato in Luc. Deiparam, quamuis ab Angelo diligẽter edoctam, antequam Chriſtum conciperet, quantus futurus eſſet Chriſtus; tamen admirari potuiſſe iuxta illud Luc. 2. Mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo, nempe à Simeone, quamuis admiratio non niſi rei nouæ, & ignoratæ, ab eo, qui admiratur, eſſe ſoleat. Itaque Deipara non ſingulas Myſterij Incarnationis circunſtantias ab Angelo, ſeu à Deo edocta fuit; id enim non erat neceſſarium: Vnde creſcebat B. Virgo reipſa, non ſolum hominum opinione, ſicut Chriſtus, ſapientia, & ætate: Veruntamen Chriſtum D. viſum fuiſſe ignorantiam Deiparæ, & Ioſephi reprehendiſſe; ſed non fuit vera reprehenſio, ſed ſolum Chriſtus reſpondet Matri reprehendentis ſpecie: Itaque non vt argueret, vt inquit Maldonatus, ſed vt doceret, reprehendentis perſonam induit; quidquid cauilletur Caluinus, qui auſu temerario Mariam à Chriſto meritò reprehenſam dicit: Chriſtus ergo arguentis habitum ſuſcipit, quòd ea ignorarent, quæ ſcire eos oportebat. Verùm nulla ratione id ſcire potuerunt, non ex Angelis, non ex Simeone, neque etiam Deus id eis patefecit per reuelationem aliquam; alioquin, neque dolentes tanta diligentia requiſiuiſſent eum: Itaque bene ſciebat B. Virgo verum Deum, & hominem ſaluaturum mundum veniſſe; Lumenque futurum ad reuelationem Gentium fuiſſe propoſitum; ſed ſcire nequiuit, qua ratione puer duodennis relictis parentibus ſe ſubduceret cum Doctoribus in Templo diſceptaturus; ideoque in admirationem ducebantur Deipara, & Ioſephus. Cùm autem ſubdit Euangeliſta: *Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad eos*: intelligendus eſt, ita vt non de Ioſepho & Maria, ſed de alijs auditoribus, de quibus iam dixerat: *Stupebant ſuper prudentia & reſponſis eius.* Vel ſi de Chriſti parentibus hoc dictum ſit, ſolùm intelligendum de Ioſepho, non de Maria: Vnde diſplicet Euthymij interpretatio, qui putat nec Mariam, nec Ioſephum intellexiſſe verbum illud. Maldon.

CERTAMEN III.

Vtrùm B. Virgo aliquid didicerit ab hominibus.

1110. *Quinam cenſeant B. Virginem litteras Hebraas ab hominibus didiciſſe.* Iren.

MIſſos hîc facio Gnoſticos, & alios Hæreticos, ita infenſos Chriſto, ac Matri, vt finxerint eum, ſub quodam anonymo præceptore litteras, adeóque ipſum Alphabetum didiciſſe, Irenæo teſte lib. 1. contra Valent. c. 27. Idemque potiori iure dicerent de Virgine Deipara. Quærimus ergo vtrùm B. Virgo dum Templum incoleret, alicui tanquam cuſtodi, ſeu Nymphagogo, qui illius curam ſuſciperet, fuerit tradita. Aliqui enim in hac ſunt ſententia, vt aſſerát, id munus obiiſſe Zachariam Sacerdotem, Ioannis Baptiſtæ parétem, quod innuunt Greg. Nicomed. & Germ. Conſtantinopolit. vterque in oratione de oblat. Deiparæ dum aiunt Zachariam accepiſſe ſacram puellam, & in intima Templi penetralia manuduxiſſe, ipſiuſque curam geſſiſſe deinceps, ſiue quoad victum, ac Templi cæremonias, & ritus addiſcendos; ſiue, vt alij dixerunt ad literas Hebræas, ad ſacram Scripturam pleniùs intelligendam. Huic ſententię adhæret Georgius Cedrenus in compendio Hiſtoriæ, docens de Deipara, litteras Hebraicas ſuperſtite etiamnum Ioachimo didiciſſe, & Dion. Carthuſ. lib. 1. de præconio Virginis, & dignitate art. 12. *Decentiſſimum,* ait, *fuit vt in Templo inſtrueretur litteris Sanctis.* S. Anſelmus in vita Virginis. *Maria,* ait, *Dei genitrix didicit Hebraicas litteras:* Idemque ſtatuit Epiphanius Presbyter Conſtantinopolitanus.

(Greg. Nic. Germ. — Cedren. — Dion. Carth. — Anſelm. Epiph.)

Arbitror autem nullum hominem fuiſſe tantæ Virginis cuſtodem; ſolum Spiritum ſanctum extitiſſe huius ſacræ Virgunculæ Nymphagogum, cuius ſolius intererat hanc in ſponſam vario virtutum decoramento exornare, gratiarum vnguentis ſuaue-olentibus delinire, omnium donorum ornamentis perpolire, omniúmque ſcientiarum ſupellectili condecorare. Quod placitum perſpicuis verbis tradidit S. Laur. Iuſtin. ſerm. de Nat. Virg. vbi hæc habet: *Illam profectò adhuc in matris vtero decubantem adamauit Verbum, ſibique in Genitricem elegit, vtpote ſuperabundanti benedictione præuentam; iamque Sancti Spiritus Magiſterio deputatam.* Subſcribit Gloſſa in cap. 2. Eſther. ad illa verba: *Vt tradant eas in manu Egai, qui eſt Præpoſitus mulierum regiarum:* Vbi ait per Eſther deſignari Virginem Deiparam, & ſubdit: *Et tradita eſt ſub diſciplina Spiritus ſancti, à quo cuſtodita eſt dicta B. Virgo vncta chariſmatibus, & variis virtutibus adornata.* Adſtipulantur Georgius Nicomed. citatus: *Diuino,* inquit, *conſilio puellam mirabiliter ſeruante, ac gubernante, vt illa non temerè ad opus Dei maximum inde ab initio deſtinari, ac ſingulari ſtudio præter illius ætatis conſuetudinem præparari videretur:* Et S. Ioannes Damaſcenus lib. 4. de fide Orthod. cap. 19. rem noſtram facit verbis illis: *Maria in domo Dei plantata, & per Spiritum ſanctum ibi nutrita, inſtar oliuæ fructiferæ virtutum omnium domicilium efficitur:* Si autem virtutibus omnibus exornatur à Spiritu ſancto: ergo & ſcientiis. Sophronius ſer. de Aſſumpt. ait de B. Virgine: *Conuerſatur cum Senatoribus cæli intra curiam Paradiſi, ſub Spiritus ſancti diſciplina, & & magiſterio diuinæ Maieſtatis.*

(Laur. Iuſt. — Gloſſa. — Georg. — Damaſc.)

Pro comperto igitur ſtatuo nihil Virginem Deiparam ab hominibus didiciſſe: & quidem ſi ſermo ſit de ſubſtantia Myſteriorum fidei, & perfecta eorundem cognitione, id docet Suarius tom. 2 in 3. p. diſp. 19. ſect. 2. Si verò ſermo ſit de aliquibus circumſtantiis, deque alicuius loci ſacræ Scripturæ intelligentia, vel de aliis ſimilibus, pari ratione arbitror, nihil à puro homine didiciſſe: non enim erat rationi conſonum; vt quæ ſingulariter ab Spiritu ſancto edocta fuerat, eratque futura Apoſtolorum, ac Doctorum omnium Magiſtra, ab hominibus edoceretur. Non igitur ab hominibus fuit erudita, ſed partim ab ipſo Deo immediatè, partim mediatè iuxta S. Bern. hom. 4. ſuper Miſſus eſt: *Decuit,* inquit, *vt ab Angelo potiùs, quàm ab homine Myſterium ediſceret; Ne Mater à conſiliis Filij aliena videretur; & vt ipſa rerum tempus, & ordinem melius tenens, Scriptoribus, & Prædicatoribus Euangelij reſeraret veritatem, quæ & plenè de omnibus à principio cælitus fuerat inſtructa Myſteriis:* Tũ quia mater Sapientiæ futura erat, oportuit eam omnium eſſe Sapientiſſimã, ita vt Angelos etiam ipſa aliquando erudire, & inſtruere poſſet; eiuſque Sapientia, inſipientiam Euæ decrptæ in Antidotum verteret. Solùm ergo inſtructorem Spiritum ſanctum habuit, ac Verbum Dei. Quòd ſi amicorum eſt ſecreta pandere, quid non Matri chariſſimę reuelaret? Quòd ſi Angelos Deus, & primos Parentes, à quibus nihil erat recepturus omni ſcientia ac ſapientia cohoneſtauit; quanto pleniori ſcientiarum omnium lumine illuſtraret Parentem ſuam, à qua carnem erat hauſturus, quámque in vniuerſalis redemptionis comitem, & cooperatricem erat aſſumpturus. 1111. *B. Virgo nihil ab hominibus didicit.* Suar. Bernard.

Ad hæc roborari poteſt noſtrum intentum ex his, quæ docent Patres de Ioanne Baptiſta, quod ſcilicet aliis Magiſtris non indiguerit, ſed cœlitus eruditus ſit, aduerſus Magdeburgenſes Centuriatores, qui adſtruebant Ioannem in prima ætate fideliter in ſacra doctrina imbutum fuiſſe, & feliciter in ea progreſſum eſſe; Deinde fuiſſe veroſimile in bonorum virorum ſchola litteratum ſemina percepiſſe. Ait ergo Chryſoſtom. hom. 12. in Ioan. tom. 3. *Ita igitur Ioannes cum omnibus ſe ſenſibilibus exuiſſet, aliis Magiſtris non indiguit, ſed cœlitus eruditus eſt:* Subſcribit Bernardus ſerm. in natiuit. S. Ioan. Baptiſt. *Ioannes in ſpiritu tanquam Angelus eruditur. Nimirum tanto propinquior Deo, quanto vox Verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris ſonet oporteat intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, ſed inſpiratio docuit, quem repleuit ſpiritus in vtero Matris ſuæ.* Nec enim tantæ authoritatis, & dignitatis fuiſſet eius doctrina; ſi humana induſtria eam ſibi comparauiſſet, vel per Magiſtrorum miniſterium fuiſſet inſtillata: Si ergo S. Ioannes Baptiſta nullo hominum Magiſterio inſtructus, ſolùm ab Spiritu ſancto legendi, ſcribendi, & prædicandi gratiam conſecutus eſt; imò id ipſum aliis conceſſum fuiſſe, veterum Annalium monimenta tradiderunt: ergo eadem prærogatiua Marię multò meliori iure deferenda; neque expediebat hominum Magiſtram, & doctricem hominibus erudiendam tradi: quare Spiritu ſancto Doctore Hebraicam linguam, & Syriacam, imò & linguarum donum hauſit cum Scripturarum perfectiſſima intelligentia: Vnde cùm ſingulis Sabbathis in ſynagogis Iudæorum, Sacerdotũ verba audiret, ſiue cum in Templi adytis puella commoraretur, ſiue cum Simeonis, & Annæ propheti ſſæ paſtorum, ac regum geſta, & ſermones audiebat, & quaſdam non 1112. *Ioannes Baptiſta nihil ab hominibus didicit, ſed à Deo.* Chryſoſt. Bern.

non sibi cognitas veritates concipiebat: hæ potiùs à Deo per reuelationem infundebantur, vel fælici discursu, eas penetrabat: quod innuit S. Lucas cum ait; *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Denuò firmatur assertum. Percrebuit fama apud Hispanos, Alphonsum, vulgo Tostatum nuncupatum, absque Magistro aliquo liberales artes didicisse diuinitus; & quidem huius sapientiæ diuinitus instillatæ euidens apparet indicium, breuissima huius viri vitæ periodus, quæ 40. solùm annorum spatio terminata fuit, & quod tot sint eius opera illustrissima quidem, ac fælici iouentinne concepta, & vigilanti calamo conscripta; cùm tamen, quod magis mirere, esset à Consiliis regis Hispaniarum Referendarius, eodemque tempore Philosophiam, Theologiam, ius Pontificium, ac Cæsareum apud Salmanticenses traderet. Quis ergo mirabitur, si de Virgine Maria protulerimus, quæ omnium sæculorum ingenia facilè superauit, & obscurauit, eam nihil vnquam ab hominibus didicisse. De qua S. Antonin. 4. p. tit. 15. c. 22. asserere non veretur, eam plus homines docuisse, quàm ipsas Scripturas sacras: *Maiora*, ait, *ostensa sunt in Maria, quàm in Scriptura per Deum: nam Scriptura dedit, vt Deum loquatur; Maria contulit, vt per eam Christus pandatur: ibi eum multiplex tegit figura; hic vestit eum Maria caro pura: ibi pronunciatur; hic ostenditur: ibi latet in mortua charta, hic patet in carne monstrata.* S. Aug serm. 9. de tempore docet, nihil sacræ Scripturæ fugisse Deiparæ mentem: *Reuolue Maria propheticam lectionem, neque enim te scientia diuinorum potest præterire librorum.* Aptiùs ergo de Maria proferes, quod de eodem D. Augustino à suis Alumnis proferri consueuit in Hymno ad Laudes.

Percrebuit apud Hispanos opinio Abulensem sine magistro aliquo liberales artes diuinitus didicisse.

Antonin.

Aug.

Hic omne quod in litteris,
Quod Artibus in liberis;
Et quidquid in scientiis,
Nullo tradente, concipit.

Si verò aliquis opponat illud Luc. 2. Vbi Simeon visus est Virginem Deiparā docuisse, dum ait: *Ecce hic positus est in ruinam, &c.* Et c. 1. loquit Euangelista: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Ex quibus verbis pronum est deducere, Virginem Deiparam plura didicisse, ex his, quæ de Christo dicebātur. Verùm Simeon non vt Mariam instrueret, sed vt alios erudiret tanquam Propheta, verba illa protulit; licèt specialiter illa ad Mariam direxerit. Quòd autem obseruaret verba, & inter se conferret, non probat eam aliquid ab hominibus didicisse; solùm inde ansam sumebat, vt in dies magis, ac magis in diuinorum mysteriorum abriperetur arcana. Non ergo decuit, nec oportuit, Virginem Deiparam à puro homine aliquid ediscere, non solum in substantia Mysteriorum, vt ait Suarius cit. sed nec in aliquibus circumstantiis, vel alicuius rei futuræ prædictione, vel in alicuius loci Scripturæ sacræ intelligentia: in quo displicet Suarius oppositum docens; nam B. Virginis sapientia, eiusdémque progressus ab Spiritu sancto Doctore ortum duxit; post Christi verò incarnationem ab ipso Filio specialiter fuit instructa, vt probat Rupert. lib. 1. in Cantica: & confirmat Ambrosius lib. de institut. Virginis, c. 14. verbis illis: *Verè autem alius illa Maria crater tornatilis, in quo erat sapientia, qua miscuit in cratere vinum suum, indeficientem piæ cognitionis gratiam. Diuinitatis sua plenitudine administrans.* Id etiam sonant verba illa Anselmi in Homil. super Euangelium Luc. 10. *Intrauit Iesus in quoddam Castellum: Christus,* inquit, *vt dicit Apostolus 1. ad Corinth. 1. & ad Coloss. 2. est Dei virtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientia Dei, & Christus est in Maria: ergo omnes thesauri sapientia, & scientia Dei sunt in Maria.*

Rupert.
Ambros.

Anselm.

1113. Plus audent aliqui affirmare, neque ab Angelis B. Virginem Mysteria aliqua didicisse; nec sine Patrono: id enim innuit Bernardus hom. 4. super *Missus est*: Vnde Gabriel rogatus à B. Virgine: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* id est, quomodo opus Incarnationis fiet? Angelus totum negotium in Deum retulit: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Ac si diceret, ait Bernardus, *quid à me requiris, quod ipsa in te mox experieris? Scies, scies, & fæliciter scies, sed illo Doctore, quo & authore; ego enim missus sum nunciare Virginalem conceptum, non creare.* Vbi illud, *obumbrabit*, accipit, pro ad aurem suggeret, vtpote rem omni Angelicæ naturæ abstrusissimam. Iterum rem inculcat epist. 77. dum ait: *Modum illum tam incomprehensibilem, quem & Virgo sollicita requisiuit; vnde quæso docere queam, Angelis fuisse præcognitum? Mihi verò videtur, nec ipsi quidem (vt pace eius dixerim) qui nunciabat. Quod & ipse fatetur, si eius verba diligenter aduertimus. Respondens quippe, Spiritus sanctus superueniet in te; nonne apertè mittit ad Magisterium Spiritus sancti, cuius vnctione doceatur, quorum ipse sibi non præsumit scientiam.* Quod vt plenius patescat, notanda est duplex reuelatio, seu Mysteriorum manifestatio. Altera est de rebus secundum se naturam non excedentibus; ac proinde ad hanc non opus est nouis speciebus, sed solum requiritur nouus præexistentium specierum vsus; neque desideratur nouum aliquod lumen supernaturale, sed sufficit naturale reuelantis ope roboratum, vt cum discipulorum intellectus in scientiis addiscendis magistrorum opera informantur. Altera verò est manifestatio, seu reuelatio de illis rebus, quarum species non habemus, nec ad illarum penetrationem sufficit lumen naturale, sed desideratur lumen aliquod nouum supernaturale, & nouæ species. Primam reuelationem docet Thyrræus lib. 4. de Apparitione intellectuali cap. 12. fieri posse ab Angelo immediatè, quia non excedit Angeli vires, ideoque licèt Deo attribui soleat, tamen vtitur Deus Ministerio Angelorum. Verùm Suarius lib. 6. de Angelis cap. 16. num. 10. negat id fieri posse ab Angelo directè, & immediatè hominis intellectum mouente, quia hoc modo nequit Angelus in intellectu humano aliquid operari, bene tamen indirectè, & mediatè, excitando priùs, & regulando phantasmata, ex quibus in intellectu talis cognitio eliciatur, vt docet idem Suarius cit. num. 7. Hæc tamen reuelatio est purè intellectualis; hæc enim ortum non habet à sensibus: Ex quo vlteriùs elici potest, Angelum non potuisse esse authorem alicuius reuelationis purè intellectualis, quando ad illam nouæ species, nouúmque lumen requiritur; sed à solo Deo immediatè proficisci; ac proinde præcipuas Incarnationis circunstantias, & idem dicendum de aliis reuelationibus similibus, nempe non ab Angelo, sed immediatè ab ipso Deo B. Virgini instillatas fuisse.

B. Virginem neq; ab Angelis aliquid didicisse existimant aliqui.

Bernard.

Bernard.

Thyrr.

Suar.

CERTAMEN IV.

Virginis Deiparæ Magisterium proponit, eamque Doctricis laureolâ insignit.

1114. *Maria fidelium omnium Doctrix proclamatur.* Euseb.

COmmuni Sanctorum Patrum suffragio Virgo Deipara Apostolorum Magistra, ac fidelium omnium Præceptrix proclamatur: quod hoc congressu ostendemus, ac proinde Doctorum aureolam fuisse consequutam. Primum ergo tanquam certum statuunt Euseb. Emiss. serm. 2. de Natiuit. Dom. *O Mater*, exclamat, *Sapientissima! ô sola talis Filij dignissima! quæ omnia verba hæc in corde suo ideò conferebat, nobisque conseruabat, & memoriæ commendabat, vt postea ipsa docente, ipsa narrante, & nuntiante scriberentur, & in vniverso mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nuntiarentur: ab ipsa hæc Apostoli audierunt, & ipsa dictante scripserunt, nobisque legenda mandauerunt.* Sophronius serm. de Assumpt. *Eximius*, ait, *Apostolorum chorus post Domini Ascensionem non deseruit eam, inter quos ipsa post resurrectionem intrant, & exiens, familiariùs contulit de Incarnatione tanto si quidem verius, quanto ab initio plenius per Spiritum sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis vniuersa.* Sed D. Bernard. luculentiùs rem tractat homil. 4. super *Missus est*, vbi ait: *Ideo potius conceptus Elisabeth Mariæ nunciatus est, vt dum nunc Saluatoris, nunc Præcursoris edocetur aduentus, rerum tempus, & ordinem tenens ipsa meliùs postmodùm Scriptoribus, ac Prædicatoribus Euangelij reseraret veritatem, quæ & plenè de omnibus à principio cælitus fuit instructa mysteriis.* Quod confirmat S. Ambrosius lib. de Instit. Virginis cap. 7. *Mirum*, ait, *non esse præ cæteris Ioannem locutum fuisse mysteria diuina, cui præsto erat aula cælestium Sacramentorum.* Rem perspicuè edocet S. Antonin. 4. part. tit. 15. cap. 22. §. 9. & 3. part. tit. 31. cap. 3. §. 3. Quare meritò S. Ignat. epistol. ad Ioannem, vocat B. Virginem nostræ Religionis, & pœnitentiæ Magistram. Reticeo Anselmum, Rupertum, & alios, quos in superioribus congressibus retulimus. Ideò per tot annos, post in cœlum ascensum Filij superstes apud nos remansit, vt plenè fideles instrueret, ac solatij esset in absentia Filij; cuius verba adeo ad suadendum efficacia in omnem virtutem, & ad fideles auocandos ab omni vitiorum turpitudine, vt asserat Rupertus: *Taliter B. Virgo locuta est post Ascensionem Filij auribus fidelium, plurima illis enarrans, quod rectè dicat Dilectus eius Cant. 4. Fauus distillans labia tua; emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, fons hortorum.* Sed pleniùs rem hanc edisserit in illud Cant. 5. *Qualis est dilectus ex dilecto. Opportuna*, inquit, *percontatio, si respiciamus ad illa tempora; quando tu dilecta propter Euangelium Dilecti præsens aderas, & in corpore detinebaris Magistra necessaria, & testis valde idonea contra Iudæos blasphemantes, & Hæreticos Christianam veritatem corrumpere laborantes. Pulsandum igitur erat ad ostium Veritatis, & consulendum Oraculum Spiritus sancti, scilicet Secrarium pectoris tui, vt viua voce omnem necessariò tenendam demonstrares regulam fidei cum testimonio Scripturarum, quas memoriâ tenebas.* Quod pulchrius testimonium in nostri instituti confirmationem afferri potuit? Accipe nunc Lucium Dextrum authorem perantiquum, & optimæ notæ Historicum ad annum Christi 41. num. 4. vbi hæc scribit: *Rediens Iacobus Gallias inuisit, ac Britannias, ac Venetiarum oppida, vbi prædicat; ac Hierosolymam reuertitur de rebus grauissimis consulturus B. Virginem, & Petrum.* In rebus igitur dubiis Apostoli Deiparam consulebant, tanquam communem Magistram, ac Spiritus sancti Oraculum: Richardus de S. Laurent. lib. 12. de laudibus Virginis, *Est*, inquit, *Doctrix disciplinæ Dei, ipsa enim amicos Dei, & Prophetas, id est sapientes constituit.* Supra verba illa Sponsi ad Virginem Mariam Cant. 4. *Collum tuum, sicut turris Dauid, mille clypei pendent ex ea.* Ex Hebræo legimus, quæ constructa est ad disciplinas: vel cum Xanto Pagnino, Quæ ædificata est ad docendum: nunc disquiro, quid sibi velint verba illa: *Mille clypei pendent ex ea.* Propugnacula igitur Gymnasia sunt ad docendum exstructa: sed quæ communio, ac cohærentia reperiri potest inter cymbala, auditores ad Gymnasium pulsantia, cum lituis, ac buccinis ad prælium, & congressionem cum hostibus conclamantibus; inter prælia, & scholas; inter lanceas, & calamos; inter scuta, & libros; inter confusas bellantium, ac digladiantium voces, & argumentorum clamores, & plausus? Maxima profectò, quia literarum, ac liberalium artium, tum præcipuè Theologiæ studia, militares sunt disciplinæ, quæ homines Doctos omni armorum genere, optimarumque rationum robore instruunt, vt Ecclesiæ Catholicæ aduersarios adoriantur, & expugnent. Memini me alibi discussisse, cur cùm Incarnatio Verbi, quæ opus fuit totius Trinitatis, potiùs Spiritui sancto attribuatur, iuxta illud: *Spiritus sanctus superueniet in te.* & Matth. 1. *Inuenta est de Spiritu sancto.* Quare ergo hoc Mysterium Spiritus sanctus singulariter sibi arrogat. Nunc aliam rationem exhibeo: nimirum Verbum diuinum, quod est Sapientia Patris, Mariæ infundendum erat, ac proinde Spiritui sancto adscribatur, qui præesse solet Doctoribus, & Ecclesiæ in quæstionibus dirimendis: vnde Spiritus sanctus iam tunc Doctricis Laureâ insigniebat Mariam, & suæ scholæ, ac doctrinæ præficiebat Magistram vniuersalem. Iaque Spiritus sanctus cum videret Mariam Dei sapientia grauidam, suæ scholæ, & Academiæ moderatricem constituit. Quisquis ergo amas scientias omnes addiscere, oportet vt fias huius Doctricis, ac Magistræ studiosus scholaris. Luculentiùs autem explicat hoc Deiparæ magisterium sub Spiritus sancti disciplina S. Anselmus de excellentia Virg. his verbis: *Erat vtilis & necessaria fidei nostra conuersatio sua post Ascensionem Christi Domini inter Apostolos eius: quia licèt ipsi per reuelationem Spiritus sancti edocti in omnem fuissent veritatem; incomparabiliter tamen eminentiùs, & manifestiùs, ipsa per eum Spiritum veritatis, virtutum profunditatem intelligebat; & per hoc multa ei, per hanc reuelabantur, quæ in se non solum simplici sciens actu, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat de mysteriis eiusdem Domini Iesu Christi:* Vnde non sine graui fundamento dicere nonnemo posset, verba illa Christi Domini Ioan. 14. *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis.* ita esse intelligenda, vt adimpleta fuerint, & per ipsum Spiritum sanctum, & per ipsam B. Virginem, tanquam per sui Vicariam, eius vices agentem.

Marginalia: Sophr. — Bernard. — Ambros. — Antonin. — Rupert. — Dexter. — Richard. de S. Laur. — Cant. 4. — *Gymnasia ad docendum sunt propugnacula ad præliandum.* — Luc. 1. — Matth. 1. — *Maria Spiritus sancti Vicaria præficitur Magistra vniuersalis omnium Doctorum.* — Anselm. — Ioan. 14.

S. Bernar

[Bernard. *Maria Sapiẽtia cuius domus.*] S. Bernardus ser. 9. ex paruis, de Maria capit verba illa Prou. 9. 1. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Hanc autem domum, ait [Prou. 9. 1. Optat. Mil.] Optatus Mileuitanus, fuisse Sapientiæ domum, quam erexerat Salomon; in qua septem Gymnasia erant cum septem suggestibus, qui vocantur Columnæ, quia ad modum columnæ erant exstructę, iuxta illud Psalmi: *In columna nubis loquebatur ad illos.* Alij vertunt: *in Cathedra nubis.* In hac Mariana Vniuersitate reperiuntur virtutum Collegia. [Chrysol.] Chrysologus vocat Mariam, *Collegium sanctitatis.* [Petr. Dam.] Petrus Dam. *Virtutum Conuentum* Maria itaq; fuit omnium prima erecta Academia, reliquarum omnium Pareos, earundemque Doctrix, & Magistra; [Bonau. Prou. 8. 12.] sic eam compellat D. Bonau. Imò ipsa id ipsum ingenuè fatetur, Prou. 8. 12. dum ait: *Ego erudiuis intersum cogitationibus.* Vel vt alij transferunt: *Sapiẽtibus consilia suggessi.* Quæ verba Rup. de B. Virgine interpretatur; quę in pluribus Apostolos erudiuit. Alij sic legunt verba illa: *Eruditorum consilia innouaui.* Ac si diceret: Doctores omnes in consilium coëgi, vt suis suffragiis honorem meum ab Aduersariorum calumniis tuerentur, & meæ existimationi prospiciant. Item verba illa: *Collum tuum sicut turris Dauid* Idem Optatus de Academia, seu Gymnasio Salomonis accipit. Illud autem: *Omnis armatura fortium*, de rationibus irrefragabilibus capi potest, quibus rebelles mentes in obsequium fidei colla submittunt.

Ergo Deiparens Virgo ab Spiritu sancto fuit edocta, vt esset communis Magistra, ac Doctrix ad instruendos omnes Christi fideles in rebus fidei. [Zachar. 4. Anast. Syn. Rupert. Cyril. Alex.] Hinc Zacharias c. 4. n. 2. vocat eam, *Candelabrum aureum*, de quo videndus D. Anastas. q. 53. ideo etiam eam Rupert. lib. de oper. Spiritus S vocat eam, *Sanctam Religionis Magistram*, & D. Cyril. [Greg Thau.] Alex Hom. 6. contra Nest. *Ecclesiæ fundatricem.* Cõcinit S. Greg Thaumat. serm. de Annunc. cum ait: [Bern. *Tres Reges Magi à B. V. in rebus fidei edocti.*] *Per te, ò B. Virgo Deipara, substantialis Trinitas mũdo innotuit*, vt bene explicat D. Bern. hom. 4. super *Missus est*, per hæc verba: *Decuit vt ab Angelo potius, quàm ab homine mysterium disceret, ne Mater à consiliis Filij aliena videretur; & vt ipsa rerum tempus, & ordinem melius tenens, Scriptoribus, & Prædicatoribus Euangelij referaret veritatem, quæ & plenè de omnibus à principio cælitus fuerat instructa mysteriis.* Ex quibus non incongruè eliciat quispiam Reges illos tres Magos, qui Christum recens natum, pręeunte stella, adoraturi venerant, à B. V. de fidei nostræ mysteriis edoctos fuisse, nempe de arcano sanctæ Triados mysterio, de Incarnatione, de Passione, ac Christi morte, Anastasi, & Ascensione, ac de aliis mysteriis ad salutem necessariis. Valde enim expediebat, vt Magi qui apud suos Christi D. aduentum ac fidem disseminaturi erant, eiusdem fidei cognitionem necessariam priùs haurirent, à quo autem melius, ac facilius edoceri possent, quàm à B. Virgine, quæ fidei Doctrix, & Apostulorum Magistra à Patribus nuncupatur. De quo videndus Baptista Nouatus de eminentia Virginis cap. 15. quæst. 3.

1115. Hinc quispiam non sine aliquo, & rationis, & [*B. Virginem primo Apostolorum Cõcilio præfuisse, quinam censeant.*] authoritatis fundamento inferre posset, Virginem Deiparam primo Apostolorum Concilio pręfuisse; de quo habetur c. 15. Actuum. Pro qua parte stare videtur Rupert lib. 1. in Cant. vbi hęc habet: [Rupert.] *An quia in actis Apostolorum nullã tui*, nempe Mariæ, *mentionem Scriptura fecit, idcirco putandum est, quod Conuentus ille omiserit, & sanctum de tuo pectore, & de tuo ore scriptum non consuluerit? imo, & illic, & in cæteris agendis, tu Princeps omnium soluisti quæstionem.* Canisius itẽ huic sententiæ adhærescere vi- [Canis.] sus est lib. 5. de Deipara c 15. *Quid quod*, vbi ait: *Si B. Virgo rexit Apostolos, & primũ illũ credẽtium cœtum, vt sanè videtur cõsentaneũ, non tã inter fuit, quàm præfuit priuatis, & publicis cõuentibus, in quibus tẽpore illo difficillimo maximis de fidei negotiis Apostoli, aliiq; seniores subinde consultarunt, atque definierunt:* Quod vt confirmet, allegat Ruperti verba nuper allegata. Alibi dedimus Luciũ Dextrum hanc sen- [Dexter.] tentiam satis perspicuis verbis exprimentem ann. Christi 34. ait enim: *Sacra Virgo consilio, luce, doctrina, & mirabili vita exẽplo præsidet Collegio Apostolico, nihilq; graue gerunt illi, quod non eius consilio, ductuque gerant.* Viuar. autem eius Cõmentator verbũ [Viuar.] illud *præsidendi*, ita interpretatur quòd scil. B. Virgo nõ fuerit Caput Ecclesiæ, solum enim D. Petro dictũ fuit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum.* Innuit itaque Dexter maximã Apostolorum erga Mariam Virginem reuerentiam, & obseruantiam, vtpote, qui nihil difficile sine ipsius consilio, ac directione sancirent. Videndus hac de re Pater Inchofer de epistola Beatæ [Inchofer.] Virginis ad Messanenses cap. 1. §. *Decuit autem.*

Verius tamen arbitror B. Virginem nulla ratio- 1116. ne præfuisse illi primo Apostolorum Concilio. Ita [*Verior est sententia Mariam non præfuisse prædicto Cõcilio.*] Rutilius Benzonius super *Magnificat* lib 1. c. 14. & 13. & acriter pro hac parte decertat Viuarius in commentario Lucij Dextri com. 6. ad annum Christi D. 34 Huius sententiæ est Cornelius à La- [Rutil. Viuar.] pide in cap 15. Actuum, vbi ait cum Rupert. cit. B. Virginem quasi Magistram Apostolorum, quęstionem illam Legalium soluisse: non quòd ipsa, ait Cornelius, illi Concilio Apostolorum Hierosolymæ coacto interfuerit; sed quòd priuatim consul- [Cornel.] ta ab Apostolis, Prima sententiam hanc pronunclauerit, ac definiuit. Huic ergo Concilio Apostolorum solus Petrus, tanquam Christi Vicarius, & totius Ecclesiæ Caput præfuit, post cuius sententiam, quæ primùm B. Virginis fuit, suffragium suum tulit Iacobus, eandem Petri, ac B. Virginis sententiam confirmans, vtpote, quia Iacobus erat Hierosolymorum Episcopus, vbi Concilium fuerat coactum. Subditque Cornelius falsò docuisse Abulẽsem in c. 17. Matth. q. 13. cui consentit Cal- [Abul.] uinus, Iacobum præfuisse huic Concilio, & quasi maiorem Petro definitiuam pronunciasse sententiam. Rupertus autem, & Lucius Dexter intelligendi sunt iuxta explicationem Viuarij suprà positam: quòd videlicet solum intendant, Apostolos consuluisse in rebus dubiis Virginem Deiparam, cuius sententiam amplectebantur, tanquam ab Spiritu Sancto promanantem.

De hac Deiparæ Magisterio agens Dionys. [Dion. Cart.] Carthus. in 1. sentent. dist. 16. q. 2. ait eam non solum sapientia, & scientia floruisse, prout sunt habitus, seu dona, vel gratiæ gratis datæ, vt vocantur; sed etiam quatenus sunt actus secundi, quia ipsa plures viros, ac fœminas, modò verbis ad fidem, ac rectam viuendi rationem instituit; modò scriptis, nempe per Epistolas, vt statim ostendam. Meritò ergo ore pleno eam vocat [Aug.] D. Augustinus sermon. 6. de tempore, *Gentium Magistram*; sed enim B. Virginis Magisterio immediatè, vel mediatè per Apostolos, plures ad rectum viuendi modum conformauit. Hinc Ecclesia hanc eandem veritatem edocens Mariam alloquitur illis verbis: *Gaude*

S.Brigit.

Maria virgo cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso mundo. Concludit rem totam S. Brigitta in ser. Angelico c. 19. *Ascendente filio ad suum regnum, Virgo Maria in hoc mundo ad bonorum consolationem, & errantium correctionem remanere permissa est; erat enim Magistra Apostolorum, confortatrix Martyrum, doctrix Confessorum, clarissimum speculum Virginum, consolatrix Viduarum, in coniugio viuentium saluberrima monitrix, atque omnium fide Catholica perfectissima roboratrix: Apostolis namque ad se venientibus omnia, quæ de suo Filio perfectè non nouerant, reuelabat, & rationabiliter declarabat.*

1117. Maximum autem Magisterij, atque doctrinæ argumentum semper fuit, scripta posteritati commendare: neque hoc defuit in Maria, non solùm quia, vt vidimus, plurima de infantia Saluatoris Lucæ Euangelistæ dictauerit, & Canticum *Magnificat* composuerit; sed etiam quia plures Epistolas conscripsit, vt referunt grauissimi Doctores, quorum primus est Lucius Dexter variis in locis ad an. Christi 76. n. 11. hæc profert: *Apud Messanenses celebris est memoria B. Virginis Mariæ, quòd missa ipsis ab eadem fuerit Epistola.* Qua nihil venerabilius apud eius ciues, nihil traditione antiquissima apud ipsos receptius, quam à B. Virgine Epistolam fuisse missam ad eorum Maiores, dum adhuc ipsa vitæ huius superstes esset, adeoque tanti beneficij memores Ecclesiam Metropolitanam, *la Madona de litria,* nuncuparunt, id est *Domina nostra de Littera*, vel Epistola, quam in scriniis eiusdem Templi, magna cum reuerentia, vsque modò asseruari ferunt. De qua ait Canisius lib. 5. de Deipara c. 1. *Apud Siculos exstat insignis Respublica Messanensium, quæ Epistolam ab eadem Virgine Matre missam prædicat, atque, vt audio, reuerenter in scriniis asseruat.* Et Franciscus Arias in suo spirituali profectu, tract. de Imitatione B. Virginis, eam recipit; idem Lucius Dexter ad ann. 430. n. 7. iterum mentionem faciens eiusdem Epistolæ, ait: *Eodem tempore in Tabulario Messanensi reperta est quædam Epistola Hebraicè exarata à B. Virgine ad eosdem ciues Messanenses, & maximi ducitur.* Bis ergo eius Epistolæ mentio fit à Dextro; semel, quando recens scripta cœpit diuulgari ad ann. Domini 76. & iterum quando in ærario publico reperta est. Præter Franciscus Viuarius in Comment. Lucij Dextri ad an. 76. n. 11. affirmat transcriptum huius Epistolæ à se repertum idiomate Hispano in Bibliotheca Cœnobij S. Bernardi *De spina* nuncupato. Huius autem Epistolæ tenor sic se habet: *MARIA Filia Ioachim, de Tribu Iuda, de domo Dauid, humillima Mater Iesu Christi crucifixi, omnibus Ciuibus Messanensibus salutem, & benedictionem æterni Patris. Nouimus vos misisse magna fide nuntios, & oratores confitentes plena recognitione Filium meum esse hominem simul, ac Deum vnigenitum æterni Patris: & similiter, quòd post eius gloriosam resurrectionem ad cœlum ascenderit; agnoscentes in omnibus certam veritatis semitam mediante doctrina, & prædicatione Pauli Apostoli nostri. Quapropter vobis, & huic nostræ Ciuitati impertimur benedictionem; & promittimus vos semper sub nostra protectione, & defensione habere.* Alibi etiam memorauimus Florentiam cohonestatam fuisse alio simili honore Epistolæ B. Virginis, cuius tenorem ibidem dedimus; cuius rei testis est Hieronymus Sauanarola in concione habita ad Florentinos die 25. Octobris ann. 1495. & inter eius opera legitur. Plurium etiam Epistolarum à B. Virgine ad S. Ignatium Martyrem rescriptarum meminit idem Lucius Dexter ad ann. 430. n. 6. tanquam rei certissimæ, & suo æuo celeberrimæ: *Epistola, inquit, B. Virginis ad S. Ignatium, & eiusdem ad sanctissimam Virginem manibus fidelium nunc teruntur.* Constat igitur ex Dextro, plures suo tempore exstitisse Deiparæ Epistolas ad S. Ignatium, quæ temporum incuria periêre, si demas hanc vnam quæ sic se habet: *Ignatio dilecto discipulo, Humilis ancilla Christi Iesu. De Iesu, quæ à Ioanne audisti, & didicisti, vera sunt, illa credas, illis inhæreas, & Christianitatis votum firmiter teneas, & mores, & vitam voto conformes. Veniam autem vnà cum Ioanne, te, & qui tecum sunt, videre. Sta, & in fide viriliter age, nec te commoueat persecutionis austeritas, sed valeas, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Amen.*

B. Virginem aliquas scripsisse Epistolas plures docent.

Dexter.

Canis.

Arias.

Dexter.

Viuar.

Transcriptū Epistolæ ad Messanenses ponitur.

Sauanarol.

Dexter.

Transsumpta Epistola B. Virginis ad B. Ignatium

1118. Nec me mouet quod apud aliquos eiusmodi Epistolarum fides suspecta habeatur; inter quos recensetur Christophorus de Castro in Hist. Deiparæ toto c. 23. vbi variis rationibus contrariam sententiam tuetur, nullam videlicet Epistolam à B. Virgine fuisse conscriptam. Horum Doctorum præcipuum argumentum negatiuum est, nempe quia S. Hieronymus, dum de S. Ignatio agit in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, harum Epistolarum non meminit. Verùm neque operum S. Dionysij vllam facit mentionem, & tamen ab omnibus recipiuntur, tanquam vera, & germana ipsius opera. Quid quod si S. Hieronymus illas silentio præterit: illarum tamen sæpè meminit Lucius Dexter S. Hieronymi coæuus: item D. Bern. & plures alij grauissimi Doctores illas Epistolas tanquam à B. Virgine conscriptas suscipiunt, atque suspiciunt, nempe Æn. Sylu. Sixt. Sen. Dion. Carthus. Marius Victor, Symphorianus Clamperius, Pet. Canisius cit. Franciscus Arias, quos refert, & sequitur Viuarius in Dextrum ad ann. 116. n. 4. Videatur Melchior de Inchofer in vindicatione Messanensis Epistolæ. Tutatur & eas, quæ ad S. Ignatium Martyrem scriptæ habentur, noster Halloix Apologia pro scriptis S. Ignatij c. 12. Placet Canisius in hac re dum ait: Hæc veluti Marianæ charitatis symbola dixerim, quibus talem tantamque Matrem, de multorum etiam absentium, longèque dissitorum salute non parum sollicitam fuisse res ipsa declarat. Tanquam oliua fructifera in domo Domini, & velut communis Mater nouæ, sanctæque familiæ, vt omnes lucrifaceret, omnibus ex animo sese accommodauit, aliquando verbis, & scriptis, nonnunquam per Apostolos, sæpe fida precatione suam erga proximum charitatem ostendit, labantes erexit, stantes confirmauit, humi iacentes sustulit, contritos curauit, torpentes animauit. Et Vignerius in institutione de Mysterio Incarnationis c. 20. §. 9. ait, complures, qui eam per se consulere nequibant, per literas instituti perfectioris mandata capessere satagebant; quibus dubio procul per Epistolas etiam rescribebat. Qua de re videndus Hadrianus Lyræus lib. 2. modo 26. Vbi plures Doctores citat, & alias Epistolas ab eadem Deipara conscriptas exhibet.

Luc. Dex.
D. Bern.
Æn. Sylu.
Six. Sen.
Dion. Cart.
Mar. Vic.
Sym. Clamp.
Canis.
Fran. Arias.
Viuar.
Inchofer.
Halloix.

1119. Cùm ergo Virgo Deipara Doctorum omnium Magistra; ac fidelium Doctrix constituatur; affirmandum est Doctorum laureola fuisse insignitam. Probatur, quia ad hanc laureolam opus est, & sufficit, Doctrinam Fidei, & ad bonos mores attinentem aliis communicare, licèt id

non

D. Tho. Suar.

non fiat media prædicatione: ita S. Th. in 4. d. 49. q. 5. art. 5. Suarius tom. 2. in 3. p. d. 21. s. 4. vbi ait ad hanc laureolam promerendam necesse non esse publicè docere, aut concionari; sed satis esse veritatem Fidei in alios diffundere: ostendimus autem ex Patribus, singulari & excellentiori modo fuisse fidei Magistram, ac Doctorum Doctricem, ac Fidei Doctrinam pluribus tradidisse, & per se immediatè, & mediatè per Apostolos, & alios Ecclesiæ Doctores, per quam Doctrinam plurimos ab erroribus auocauit, à vitiorum castris ad virtutem allexit: ergo sibi Doctricis laureolam comparauit. Deinde docet S. Th. citatus, Scriptoribus sacræ Doctrinæ exhibendam laureolam Doctoris, tum & Prædicatoribus, ac sacrarum litterarum Interpretibus, iuxta eundem in 4 dist. 33. q. 3. Atqui Virgo Deipara, ceu Scriptor sacer ab Spiritu sancto edocta fuit, vt ostendimus Palæstra superiori, congressu 7. tum & verum sacrarum Scripturarum sensum aliis reserabat: ergo tanquam sacer Scriptor, ac diuinarum litterarum Interpres Doctoris laureola redimiri debet.

Suppl. Gab.

Imò author supplementi Gabrielis in 4. dist. 49. art. 3. dub. 2. docet, Virginem Deiparam excellentiori Doctorum Laureola esse decorandam præ aliis omnibus Doctoribus: & optimam rationem exhibet

Suar.

Suarius tom. 2. in 3. p. d. 20. sec. 1. §. *Ex hac vere*; quippe quia Apostolos, & Theologos omnes, qui in Ecclesia Dei exstiterunt sola B. Virgo longè in Dei cognitione superauit. Ob hoc, ait author sup. cit. *Christo ascendente in cælum, ipsa ad tempus in terris pro fidelium consolatione & Magisterio est derelicta, & pie tenendum est, quod ipsa diaboli suggestiones plus omnibus aliis detexit, & eneruauit; discipulos Domini, & Ecclesiæ Magistros informando, & erudiendo, & sacratissimis morum disciplinis instituendo, in veritate Euangelica illustrando, & Fidei secreta pandendo.*

B. Virgo Doctorum Laureola insignita fuit.
Cant. 4.

Hac Doctricis laureola redimitur B. Virgo ab Sponso Cant. 4. *Veni de Libano coronaberis de capite Amana:* idest, ait Delrius, in florida Mariana, ad festum Assumptionis: *Coronatur Deipara de præcipua medulla veritatis, ac sapientia, & de sublimiori Doctrina fidei.*

Hugo Card.
Baruch. 5. 1.

Et Hugo Cardinalis verba illa versans: *Indue te decore, & honore.* capit de B. Virginis laureola, quæ tantùm Martyribus, Virginibus, ac Doctoribus debetur.

Eccles. 24.
Carthag. lib. 1. hom. 1.

Plus addit Recentior quidam, verba illa Ecclesiast. 24. explanans: *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.* Ait id intelligendum de Doctorum laureola, qua decorandi sunt, qui B. Virginem elucidant, scriptis in ipsius laudes euulgatis.

Pelbar.
B. Virginis Clientes singulari quodam stemmate in cælis ornandi.

Et quidem Pelbartus de Temesuer in stellario B. Virginis lib. 12. p. 1. art. 3. non solùm ait, B. Virginem habituram laureolam, sed etiam ipsi præcipuo animi affectu addictos, singulari quodam insigni in cælis ornandos, quo à reliquis Beatis facilè dignosci possunt; sicut in aula Regia gaudent Regij Proceres, & Optimates claui aurea, qua à reliquis dignoscuntur. Verba illius Doctoris, cui subsidiari videtur Spinellus in suo Throno c. 34. refert, & sic habent: *Sicut serui Regis & Reginæ in curia regia certis notabilibus clenodiis deaurati procedunt, per quæ agnoscuntur esse serui regis, vel reginæ, & speciali purpura vestiti incedunt; ita in curia cælesti serui Virginis speciali ornatu, & gloria, qua præ aliis dignoscuntur, quòd serui sunt Mariæ, fulgebunt; iuxta illud*

Prou. 31.

Prouerb. 31. Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus.

CERTAMEN V.

Virgo Deipara omnium errorum Debellatrix, cunctarum hæresum interemptrix decantatur.

HÆc Mariana Doctrina, ac Magisterium ex 1120.
dicendis hoc certamine amplius roborabitur, siquidem hac multiplici B. Virginis sapientia omnis hæretica prauitas debellata est, & obtruncata, subministrauit enim arma Ecclesiæ Doctoribus, quibus hæresum monstra debellarent, errorum Sphynges decapitarent, & calamis tanquam venenatis sagittis, seu iaculis emissilibus transfoderent. Celebre huius rei symbolum habes in impio Rege Balthazare, quando temerario ausu vasa Deo sacra in prophanos vsus conuertit. Ritè describitur Daniel 5. his verbis.

Dan. 5.

In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, & rex adspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est, &c. Itane quia manum adspexit scribentem in pariete, sic horripilat, ac totis artubus contremiscit?

B. Virgo Doctorum manus mouet, ac calamos regit, quibus errorum, ac vitiorum monstra debellat.

si Leonis terrorem incutientis vngues hamatos, aut alterius trucis feræ terrificum vultum vidisset, non miraret; sed solam hominis manum, quid tantus Rex metuat? Deinde quodnam telum manus illa euibrabat? Nullum profectò, nisi calamum, quo scripta dabat. Itane ad scriptorium calamum expallet imperio potens rex? ac si tergeminam cataphractorum lanceam euibrare, romphæam Cherubicam euaginare, ignita iacula displodere, aut alicuius Gigantis Goliath fundam rotare vidisset. Sola igitur scriptoria penna tantæ formidinis, ac tam insoliti pauoris causa fuit? Manum scribentem vidit, & quasi hasta confossus, vel romphæa obtruncatus, siue ignito globo transfixus iacet rex. Profectò manus illa Scriptorium calamum apprehendens, sacræ Scripturæ Interpretes, Doctores, & sacri Verbi Præcones adumbrabat; quorum manus, ac calamos mouet quotidie Virgo Deipara, vt nouos sacrilegos Balthasares debellent & obtruncent, quorum pennæ scripta posteritati commendantes, instar emissilium ignitorum hæreses omnes expugnent, & instar tormentorum bellicorum, errorum monstra decapitent, & quasi puluere tormentario in minutos cineres redigant.

Bernard.
Eccles. 24.

Huc adspiciebat S. Bernardinus tom. 3. ser. 11. art. 1. c. 3. cùm verba illa Eccles. 24. in B. Virginem flectit; *Superborum & sublimium colla propria virtute calcaui.*

Pluribus autem ex capitibus dicitur B. Virgo 1121.
hæresum interemptrix; quasi ipsa sola cunctas hæreses interemerit. Primò, quia Christum iustitiæ Solem attulit mundo, qui omnium errorum tenebras dispulit.

Epiph.

S. Epiph. hæresi 78. contra Antidicomarianitas ita habet: *Tanquam Leæna inuictum illum Leonem de tribu Iuda hæreticæ prauitatis domitorem genuit.* Tum quia fuit Apostolorum Magistra, è quorum scriptis optimè commentitia omnium hæreticorum opinamenta refelli possunt. Deinde quia Doctoribus, ac Patribus strenuè, ac fortiter contra hæreses insurgentibus præsto est, auxilium ad pugnam præbens, vt patet in S. Dominico contra Albigenses decertanti. Præterea, quia suis meritis, ac precibus, Hæreticorum

ticorum audaciam frænat, in cuius rei robustam confirmationem permagni interest celeberrimum illud portentum relatum à Gerardo Lorich in compendio Glossæ Ordinariæ in 3. Reg. 13. de quodam Hæresiercha nomine Hermanno, vel alio nomine, Guido de Lacha; cuius corpus à Ciuibus Ferraræ, cultu, ac veneratione habebatur, qui ementita sanctitate plurimos in errorem perduxit, cuius dolis detectis, ac erroribus damnatis, à sacræ fidei Quæsitoribus, corpus eius igni tradi iubetur, renuente plebe, ac reclamantibus pluribus, qui ei patrocinium ferebant. In medium igitur rogum ossa proiiciuntur, sed in altum sublata mirandum in modum lucem à se, splendoremque eiaculabantur, absumptisque flammis, rogoque extincto, ossa incombusta super cineres remanserunt. Quo portento, atque prodigio fideles attonito similes, Iudices stupore perfusi, hæretici insolentia tumidi populum aduersus fidei Quæsitores commouerunt. Qui agnitis in iudicio contradictorio Heresiarchæ flagitiis, ac erroribus, prudenter consilio Deum consuluerunt, ac fidei Patronam, & tutelarem Mariam Dei Genitricem iugi rogatu, ac instantibus precibus exorarunt, vt rem illam detegeret; ostenderetque omnibus se verissimè omnium hæresum esse interemptricem, quam quò melius suborna[...]ent, rem sacram in ipsius honorem peregerunt. Res mira! vix verba illa Introitus: *Salue sancta Parens*, &c. decantata fuerunt, cùm protinus hæ voces insonuerunt per aëra: *O Guido de Lacha, nos te defendimus, quantum potuimus, sed in cassum*; quibus auditis, iterum ossa in rogum proiecta, in cineres redacta sunt: Quo facto fideles edocti B. Virginem esse Antidotum contra hæreses, hæreticorum hostem acerrimam, firmissimum Fidei columen proclamarunt.

Ger. Lor.

Doli ac technæ Guidon. de Lacha hæretici, detecta B. Virginis interuentu.

1122. Quod Iamdiu perspexerat Ioannes Apocalip. 12. *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* Quæstat quispiam cur splendidiorem Planetâ videat sub pedibus eius, quæ minus micantibus stellis redimitur in capite, Aptè Bernardus in præsata verba respondet, quia Luna Draconem stolidissimum Luciferum adumbrat, quia stultissimos omnium, vt Luna mutatus fuit, splendoremque minuit, ac B. Virginis pedibus protectitur, ac pessum-it: adeòque Luna sub pedibus conterenda meritò à Ioanne conspicitur: *Ipsa est*, inquit Bernard. *quondam à Deo promissa Mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede contritura, cuius planè calcaneo in multis versutiis insidiatus est; sed sine causa: sola enim contriuit hæreticam prauitatem. Alius enim non de substantia sua Christum edidisse dogmatizabat. Alius parum[...]um non peperisse, sed reperisse sibilabat. Alius vel post partum viro cognitam blasphemabat. Alius Dei Matrem audire non sustinens, magnum illud nomen Theotócos sugillabat. Sed contriti sunt insidiatores, conculcati supplantatores, confutati derogatores, & Beatam eam dicunt omnes generationes.* Meritò ergo Hieronymus, vel Sophronius ser. de Assumpt. dicat: *Hæc est Virgo, quæ sola interemit hæreticam prauitatem, sola post Deum, quæ nos confirmet in omni veritate.* Nihil ergo mirum si in Deipara omnis offendat hæresis, si in hanc insurgat coluber tortuosus pedibus tantæ Virginis protritus. Nihil mirum, si hanc multiplici conatu adoriatur stulta turgidus spe Draco, irrito licèt voto, cùm huius Virginis potenti

Apoc. 12.

B. Virgo sub Lunæ typo omnē proculcat hæreticā prauitatem.

Bern.

Sophr.

brachio omnis corruat errore. Quippe nullus flagitiosus vindicem manum amauit, nullus ensem, quo ruit iugulatus, nemo pedes osculatus sub quibus iacuit infœlicem euomens animam. Huc spectat dictum illud in Hym. Græcan. apud Buteonem p. 117. vbi Virgo Deipara dicitur *Firmamentum dogmatum Christi*: quia aduersus ingruentes hæreses Ecclesiam firmat interuentione sua, ac precibus, quibus à Deo extorquet idoneorum ministrorum Euangelij columina, quæ labentem Ecclesiam, siue ab hæresibus, siue à corruptis moribus, qui etiam in errores ire solent, fatiscentem suffulciant, ac sustenrent. Quod libet illustrare ex his, quæ suse versat Alcazar in c. 12. Apoc. vers. 1. not. 2. Vbi mulierem illam Sole amictam, & Lunam sub pedibus, tanquam fundamentum, quo innitatur, habentem; ostendit esse Ecclesiam, quæ Luna sustentatur, id est Deipara iuxta interpretationem Cardin. Petri Damiani ser. de Assumpt. & ser. de Natiuit. & Innocentij III. ser. 2. de Assump. Aptè cum Luna plena componitur Virgo Beata ab Anastasio Synaita lib. 4. Exam. Luna vocatur cœli Regina à Ierem. c. 7. quæ vulgatissima est B. Virginis notio. De Luna ait Plinius lib. 2. cap. 9. eam fuisse Magistram eorum omnium, quæ in Cœlo prænosci potuerunt: quod rectius in Deiparam flectes, quæ est Basis, ac firmamentum, cui Ecclesia innititur, potiori iure, quàm Apostoli, ac Ecclesiæ Doctores; de quibus ait Hieronymus & Gregorius esse Bases terræ, iuxta Iobum c. 2. *Incuruantur, qui portant orbem.* Et illud Annæ, *Domini enim sunt cardines terræ*, 1. Reg 2. 8.

Ecclesia innititur Mariæ tāquā basi, ac fundamento.

Synai.

Plin.

Iobus 9.

1 Reg. 2. 8.

Firmior multo basis Ecclesiæ est B. Virgo, quia firmat Ecclesiæ dogmata, ne qua hostili fraude, aut malæ Doctrinæ vi conuellantur. In hanc rem opportunè expendit Beda in c. 1. Gen. aquas ab aquis discretas per Firmamētum, id est, vt ille explicat mystico sensu, Catholica dogmata ab Hæreticorum erroribus discreta per Ecclesiam, & iuxta Honorium initio sigilli B. Virginis per ipsam Deiparam, quæ est Firmamentum omnis veritatis. Vel dicitur etiam sola cunctas hæreses interemisse, propter eximiam eius sapientiam; ne inpe quia suæ inconcussæ fidei clypeo, sapientiæ ac Doctrinæ, quo Apostolos protexit, ac instruxit, singulari modo ad exstirpandos errores cooperata fuit: Tum quia fides Virginea præ omnibus illustrior, quæ non modò mundum, sed etiam hæreticorum perfidiam superauit, in qua tela nequissimi ignea extinguuntur; fides sedenim constans Deiparæ omnium hæreticorum cauillationes, mendacia, oblatrationes robustè atterit, dispellit, protrudit.

Beda

Aliam rationem exhibeo ex Richardo de S. Laur. lib. 12. de laudibus Virginis; quòd post Deum, Virgini Deiparæ tribuendum, quòd sacra Scriptura pura, ac sincera ad nos vsque deuenerit ab hæreticorum mendis expurgata: ait ergo Richard. *Resina eius cedri, quæ de intus erumpens, exterius apparet in cortice, & significat munditiam Virginitatis, & Cedria appellatur, libros conseruat a vetustate, & tineis, si inde perunguntur, quia sacram Scripturam conseruat B. Virgo a tineis, idest hæreticis; & vetustate, quia gratiam largitur, vt in dies melius intelligatur, & multiplicetur scientia: Daniel. 12. Ipsa enim reuelat profunda de tenebris, Iob. 12. Et cum sit Doctrix disciplina Dei, amicos Dei & Prophetas, id est sapientes constituit, & ita non permittit veterascere sacram Scripturam* 1123.

Ric. à S. L.

B. Virgo Cedria nuncupatur, quæ à tineis conseruat Scripturam sacram.

piwam. Quare meritò nuncupatur noui, ac veteris Teſtamenti ſigillum a S. Germano ſer. de Natiuit. B. Virginis; ſunt enim ſacra volumina veluti arculæ, quibus pecunia diuina commiſſa eſt, proindeque ad tutelam, & cuſtodiam rectè dicuntur ſigillo muniminis Deiparæ obſignari. Nam ſicut ipſa inuigilat muniendæ, & ſeruandæ in orbe fidei Catholicæ, ita etiam ſacra ſcrinia cuſtodit, è quibus fures hæretici regulas, id eſt veritates aureas inſtar ſacrilegi Achanis ſubripere moliuntur: Sola B. Virgo, hæc ſacrorum librorum ſcrinia, & arculas tutela ſua, velut annulo ſignatorio communit, ne eiuſmodi ſacrarum Veritatum expilatores aliquid in ſuum reprobum ſenſum expilent, ſed ſua tantùm chimærica, & euanida commenta è ſuo cerebro confingant.

Germ.

1124. Si verò ſcire aues in indiuiduo, quonam modo hæreſeon monſtra Virgo Deipara debellauerit? animaduertere oportet, plures hæreticos in Deo Quaternitatem appinxiſſe, quam primi ſuggerente Dæmone ſub colubri forma ambiuére Protoparentes, dum arrectis, ac patulis auribus verba illa aconito plena ebiberunt: *Eritis ſicut Dij*. Quod fieri non poterat, niſi Quaternitas in Deo admitteretur. Hinc Deus ad Adam: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt?* Grande piaculum, Quaternitatem ſacræ Trinitati ſuperimponere. *Adam*, inquit Ruper. lib. 3. in Gen. c. 8. *quaſi vnus ex nobis factus eſt, vt iam non ſimus nos Trinitas, ſed Quaternitas*. Quam hæreſim exſuſcitarunt Blaterones quidam hæretici, qui inde Quaternarij dicti; quos omnes profligauit Deipara: cùm Dei Filium humanitate circumamictum edidit, non Quaternitatem in Deo inuehens, ſed Trinitatem propalans, olim ſub obſcuro ænigmate deliteſcentem; non perſonam nouam in Diuinitate adaugens, ſed Verbum diuinum cum humanitate copulans ſub eodem ſuppoſito, & perſonalitate. Affirmabant Manichæi, Quaternitatem in Deo confingentes; ex eo Verbum diuinum non potuiſſe carnem aſſumere, quia Quaternitas in Diuinis admitteretur: obſtruit ora blaſphema Manichæorum magnus Athanaſius Epiſtola ad Epictetum. *Trinitas, ait, Verbo corpus ex Maria aſſumente, in ſuo Ternario permanſit, nullum in ſe recipiens auctuarium, aut diminutionem; ſed perfecta ſemper eſt, & in vna Deitate Trinitas agnoſcitur*. Ex eo igitur quòd Verbum caro factum eſt ex Maria, nulla Quaternitas inuehi poteſt in Diuinitate; caro quippe, ſeu humanitas Chriſti ex Maria non eſt eiuſdem naturæ cum Diuinitate: & quamuis ad vnionem Hypoſtaticam fuerit aſſumpta, ſemper tamen caro, & humanitas eiuſdem naturæ, & eſſentiæ cum noſtra permanſit: vnde ſacra Trias omne Quaternitatis augmentum à ſe longè reſpuit. Cur autem, inquit Cyril. Hieroſolym. Catech 15. cùm Filius Mariæ duplici gaudeat natura, duplici intellectu, voluntate duplici, gratia duplici, & duplici operatione, non etiam diſcretam à Verbo perſonam importet? Vtique, ne Quaternitas in Diuinis inducatur. Ita rem decidit Proclus in ſerm. de natiu. tom. 1. Concil. in actibus Epheſini cap. 7. *Si alius eſt Chriſtus, & alius item Dei Verbum, iam non Trinitas in diuinis erit, ſed Quaternitas? nam & Chriſtus quoque Deitatis expers non eſt*. Noſce vim rationis in verbis Procli latitantis. Si Chriſtus à Verbo diſtinctam perſonam conſtituat, ergo in Diuinis neceſſariò appingenda eſt Quaternitas, cùm Verbum Diuinum iam cum Patre, ac Spiritu ſancto Trinitatem compleat: ſi autem Chriſtus diſtinctam inuehit perſonam à Verbo, ergo neceſſariò quartam nouam perſonam diuinam adauget; ſiquidem Chriſtus nuſquam ſine diuina Hypoſtaſi aut eſſe, aut concipi poteſt, neque ab immaculata Beatæ Mariæ virginitate potuit proles aliqua in lucem edi, quæ Deus non eſſet.

Maria hæreſim Quaternitatem in Deo inuehentem diſpulit.

Gen. 3.

Rup.

Athan.

Cyr. Hier.

Proclus.

Inſuper Marcion, & Valentinus Filium Dei in 1125.
phantaſmate non in carne fuiſſe contendebant; Corpus, inquam, Chriſti D. phantaſmaticum, & apparens non verum, & phyſicum comminiſcebantur: in quem errorem illos adegit myſterij Incarnationis granditas, infinita vtriuſque naturæ diuinæ, & humanæ diſſimilitudo, ac diſtantia; autumabant igitur fieri nulla ratione poſſe vt reapſe in vnum coirent; ſed ſolùm phantaſiæ adminiculo. Deitas enim, & humanitas in infinitum diſtant, ergo homo Deus, res chimærica, & opus phantaſiæ, non res vera dicenda eſt. Obiectabunt enim iuxta D. Th 3. p. q. 1. art. 1. quæ in infinitum diſtant, fieri non poteſt vt in vnum copulentur: inde monſtrum fictitium, ac chimæricum dictitamus compoſitum ex homine, leone, & equo, cùm tamen inter ſe non ita diſſideant homo, Leo, & equus; ſicut inter ſe diſtant Deus, & homo. O mirabile, & inauditum diuini amoris prodigium! ſiquidem ex amplitudine myſterij Incarnationis, ſtupidi ac fatui hæretici, illius impoſſibilitatem arguebant, ac tantum Diuini in nos amoris oſtentum in Incarnationis myſterio exhibitum phantaſma quoddam commentitium, ac figmentum chymæricum arbitrabantur. Sed en Oedipus in Sphingem, Virgo nempe Deipara; Hercules in Hydram, nouus Bellerophon in Chimæram; quæ horrendum huius hæreſeos monſtrum iugulauit, cùm Verbum diuinum, quod Logos, ſeu Ratio eſt, concepit, ac peperit: Si autem ratio eſt, ergo non phantaſma; omnis autem rationis, rectæque intellectionis obiectum, veritas eſt, non chimæra, vel aliud fictitium commentum, quod primum ſedem habet in phantaſia ex confuſione ſpecierum per ſenſus hauſtorum, rerum, ac naturarum diſſimilium. Virgo igitur Deipara Patris Æterni Verbum, ſeu rationem aluo concepit virginea, Diuinitatem, & humanitatem ſumma cum ratione, ac ſapientia coniungens: ſi ergo Chriſtus ſapientia eſt Dei Patris, ergo phantaſma non eſt. Aſſenſum præbuit Angelo Maria; & Verbum caro factum eſt; aſſenſus autem actus eſt intelligendi, qui fortè inſtrumentaliter influxit ad Incarnationem; ex quo etiam capite dici Chriſtus poteſt Ratio, quia terminus, & effectus productus ab aſſenſu intellectus Virginei. Non ergo phantaſma dicendus Chriſtus à B. Virgine efformatus. Opportunè ſatis in rem noſtram Theodoretus Dialog. 2. *Voluit, inquit, poſt ſancta Virginis aſſenſum ſibi ex ipſa Templum arcana ratione ædificare, & id ſibi ipſi ex ipſa conceptione vnire, non cæterum ex ſua ſubſtantia cœlitus allatum corpus, ſed id ex noſtra ſubſtantia maſſa, hoc eſt de Virgine Maria ſument, & ſibi vniens, non viſum, aut phantaſma apparens, ſumptas noſtra natura primitias ſibi vniit*.

Ex granditate myſterij Incarnationis, hæretici, ens rationis chimericum eſſe dictitabant.

Maria nouus Bellerophon in hanc Chymæram.

Chriſtus eſt ratio, & ſapientia Patris, ergo non eſt phantaſma chimericum.

Theodor.

Hoc eodem mucrone ex Mariani partus ar- 1126.
mamentario deprompto transfodit, ac perimit S. Leo Mariomaſtigas ſer. 4. de natiuitate. *Æqualis per omnia Patri, dignatus eſt eſſe vnus mortalium,*

S. Leo.

electa

electâ sibi matre, quam fecerat; qua salua integritate virginea, corporea effectantum ministra substantia, vt humani seminis cessante contagio, nouo Hominis & puritas inesset, & veritas. Qui enim verus est Deus, idem verus est homo, & nullum est in vtraque substantia mendacium. Arguit ergo S. Pontifex ex eo quod Virgo B. salua integritate claustri Virginei Deum hominem conceperit, vtriusque naturæ veritatem; siquidem si Deus in humanitate non subsisteret, intemerato pudore Virgineus venter non gigneret: si autem Christus Deus homo non esset in vtero corporeo B. Virginis, circumscriptiuè ambiri non posset. Quocirca dum salua Virginitate prolem concipit Maria, Christum Deum esse probat, veramque humanitatem sibi copulauisse, quia vtero circumscribitur corporeo: si enim solùm corpore phantasmatico appareret, nullo physico loco circumscribi posset: quæ enim fictitia solum, & chimærica substantia confinguntur, nullum verum, & physicum locum occupare possunt. Vlterius pergit Tertullianus lib. 3. aduersus Marcionem c. 8. fictitiam in Christo humanitatem adstruentem: & ea fictitia humanitate asserta, Deitatem pariter fictam inuehere opus esse contendit; ita vt si Christi corpus phantasma esse arbitretur, etiam Deum chimæricum esse fateri teneatur. Argutè igitur Tertullianus Marcionem sugillat: *Caro nec caro, homo nec homo: proinde Deus Christus, nec Deus: cur enim non etiam Dei phantasma portauerit? An credam ei de interiori substantia, qui sit de exteriori frustratus? quomodo verax habebitur in occulto, tam fallax repertus in aperto,* perpende quam robustè aduersarium premat meus Afer; ac si diceret: si Christus quoad corpus, & animam phantasma solum sibi assumpsit, non veram humanitatem; ergo meritò quis suspicari posset, fictitiam solùm & chimæricam Diuinitatem sibi etiam assumpsisse, non veram: quia qui publico omnium conspectui fictitium, & phantasmaticum se dedit, profectò multo magis in occulto commentitius, & chimæricus meritò haberi posset.

1127. *Incarnationis opus adeo grande, vt phantasma quoddam ob-mentientium appareat. Zach 9.*

Verùm patrocinabitur Marcioni aliquis, & Valentino aduersus nostram Catholicam veritatem, argumento desumpto ex Zacharia c. 9. *Quid enim bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* hoc est, Deus homo sub panis, ac vini speciebus delitescens. Subdit autem immediatè pòst, cap. 10. *Petite à Domino pluuiam in tempore serotino, & Deus faciet niues, & pluuiam imbris dabit eis.* Vel iuxta LXX. Interpretum translationem, *Dominus faciet phantasias.* Christus ergo ibi promittitur nomine Vini virgines germinantis, Imbrisque serotini, vel pluuiæ descendentis; iuxta Hieronymum: *Petite, ait, à Domino vt det vobis pluuiam, vt Christus, qui promissus est, veniat.* Modò sic efformari potest argumentum: Christus sub imbre, & pluuia è cœlo descendente promittitur; dum autem Deus Christum mundo spondet, se phantasias facturum pollicetur: ergo Verbum diuinum homo factus, non verum corpus, sed phantasticum assumpsit, ac proinde nostræ præfatæ rationes omninò corruunt.

Hieron.

Eò autem loci Zacharias nihil nobis aduersatur, neque LXX. Interpretes, qui ibi phantasias transtulerunt, aliquo modo aduersariis subsidiantur, quia phantasiæ ibi solùm adsignificant Apparitiones, vt noster adnotat Sanchez in cit. lo-

Sanchez.

cum Zachariæ per hæc verba: *Sunt autem Apparitiones illæ, seu phantasiæ, coruscationes, aut fulgetra, quæ emicant è nubibus, quæ fere esse non solent sine pluuia, & cum his plerumque contingit imber serotinus.* Cui explicatui adsauet Theodoretus: *Etenim, ait, ipse pluuiæ author, & aliarum rerum opifex; quæ timori esse solent hominibus, fulgura etiam in pluuiam fecit. Hæc eiusmodi Phantasiam appellauit, nempe exterrentia homines.* Inibi ergo *phantasia* idem sonant quod *fulgura*, siue *spectra*, quæ timorem hominibus incutiunt. Ac si diceret luculentiùs Propheta; eo modo B. Virgo Dei Verbum hominem concipiet, & in lucem edet, sicut nubes fulgurantem splendorem, ac splendentem fulgetram edit, ac parturit. Nisi eò deflectas Zachariæ locum, vt velit granditatem beneficij Incarnationis, & excellentiam Eucharistici mysterij explicare, nubisque proponere tantum amoris diuini prodigium, tanquam impossibile, quod nec intellectus noster excogitare posset, nisi ens rationis confictum efformando.

Theodoret.

Prodigium amoris Christi in Eucharistia, nec ab intellectu excogitari potest, nisi efformando ens rationis.

Nec omnino aberrauerit à veritate, qui sub *phantasia* nomine, quo eleganter Septuaginta Interpretes hoc loco vsi sunt, Christi scientiam experimentalem intelligat, quam adeptus fuit per ordinem ad phantasmata, haustis priùs speciebus rerum à sensibus externis; de qua inquit D.Th. 3. p. q. 9. art. 4. *Oportuit autem quod etiam secundum hunc respectum anima Christi impleretur, non quin prima plenitudo menti humanæ sufficeret secundum se ipsam, sed oportebat eam perfici etiam secundum conformationem, & phantasmata.* Quare dum Verbum diuinum se induit humanitatis amictu, phantasmata effecit, id est per scientiam experimento adquisitam phantasmata speculabatur, dum phantasiæ operationibus vtitur, eiusdemque actus elicit. Zacharias ergo mysterium Incarnationis subodorans alloquitur, dum ait: *Petite à Domino pluuiam in tempore serotino.* Id est iuxta LXX. Interpretes: descendet sicut pluuia in vellus tempore præfixo, & Dominus faciet phantasias, hoc est Verbum Diuinum in Ventre Virgineo sibi intimè humanitatem associans, scientia experimento parta florebit, qua vtatur per conuersionem ad phantasmata; atque obedientiam, sufferentiam, animique demissionem addiscet ex his, quæ experimento præceptore patietur. 1128.

D. Thom. Scientia experimentalis Christi innititur à Zacharia.

Alium tramitem ingreditur S. Hieronymus, quem paulò antè subindicaui. Sic ergo explicat S. Doctor locum Zachariæ iuxta præfatam LXX. lectionem, *Et Dominus faciet phantasias. Vt Christus qui promissus est, veniat, & tribuat vobis rores, & niues, pro quibus nescio quid volentes Septuaginta Phantasias interpretati sunt; nisi forte magnitudinem gratiæ, admirattenemque donorum nomine Phantasiæ voluere describere.* Phantasma communi vulgi idiomate spectrum quoddam naturæ terminos superans, siue figura, aut forma, siue proceritate, ac mole corporea, siue diuersarum naturarum coalitione adsignificat. Ea igitur est immensa Diuini mysterij Incarnationis, siue Eucharistiæ magnitudo, vt apte nequeat exprimi, nisi Phantasiæ voce, totius naturæ, & gratiæ terminos supergredientis: Et quia nullum vocabulum reperitur in rerum creatarum syllabo, quo supereacellens hoc beneficium declarari possit, Phantasiæ nomine à Septuaginta Interpretibus designatur. His concinit Tertullianа eloquentia in Apologetico c. 21. cum recon- Sept.

ditum

ditum Incarnationis arcanom sub cuiusdam fabulæ typo gentibus ethnicis euulgat: *Iste igitur*, ait citatus Afer, *Dei radius, vt retrò semper prædicabatur, delapsus in virginem quandam, & in vtero eius caro figurata nascitur homo Deo mistus. Recipite interim hanc fabulam, similis est vestris, dum ostendimus quomodo Christus probetur, & qui penes vos eiusmodi fabulas æmulas ad destructionem veritatis istiusmodi præministrauerint.*

Fabula vocatur à Tertulliano Verbi Incarnati Sacramentū.

Fabulam vocat arcanum Verbi Incarnati sacramentum; sicut Septuaginta. Phantasiam ob rei insolitam nouitatem, & amoris Dei in homines portentum; quod vix, ac ne via quidem à quopiam excogitari, vel fingi posset. Nec nouum alicui videri debeat Fabulæ nomen ad rem mirabilem, quæ audientium, vel prospectantium animos ingentem stuporem incutiat.

Deuter.28.

Habemus enim Deuter. 28. *Eris perditus in Prouerbium, ac fabulam.* Alij vertunt apud Delrium tom. 1. Adag. 134. *in ænigma*: de re, quæ nec verbis explicari, nec mente vix concipi potest.

1129. Ex eadem etiam generatione Christi io vtero Virgineo stupida Eunomij hæresis, veluti ariete quodam impetente corruit. Stultè denegabat Eunomius generationem Verbi diuini ex supero Patre, ne alicui affectioni, siue passioni Patrem æternum obnoxium redderet. Nunc sic: Vterus Virgineus absque affectu aliquo inordinato Verbum incarnatum progenuit; ergo à fortiori Pater æternus, qui totus Spiritus est, potuit Verbum diuinum generare, quin alicui inordinatæ affectioni subderetur. Sic Eunomium perstringit S. Greg. Nyss. orat. 3.

Greg.Nyss.

Quare in hoc falsa Eunomij corporalis generationis physiologia, id est naturalis disputatio redarguitur; siquidem aliquis corporis partus affectum non habens inueniatur, &c. Quomodo igitur in carne manifestatus est Deus? Per partum profectò dices: cuius igitur, an meministi? perspicuum quòd Virginis; & quod in ea genitum ex Spiritu sancto erat. Deinde generationem ex Maria affectu puram credis esse; si credis? Diuinam, & incorruptam ex Patre non admittis, ne in generatione affectum animo concipias? Ea Mariana ergo pharetra spicula in hæreticum intorquet Nyssenus, ac vna B. Virgo pro Patre diuino in arenam prosilit vindex puritatis diuinæ, hæreticum impium decapitatura. Ipsa enim omnis inordinatæ affectionis expers gignit Filium; quid ergo mirum, si supernus Genitor virgineè progignat Verbum diuinum. En hæresis Eunomiana vnius Virginis ictu perempta: & simul Arius, tardum sane, ac stupidum animal, confossus, teste magno Athanasio disput. contra Arium;

Athan.

Si, inquit, *mirabiliter ex Virgine contra rerum naturam & incorruptibiliter creditur natus, quanto magis ex Patre credendus est incorruptibiliter genitus; si enim substantialis natura Virginis, quæ ex se ipsa vtique corruptibilis natura conditione passioni, & corruptioni potuit subiacere, intemerata pudoris integritate, & infractis virginalibus claustris, mirabili incorruptionis integritate Filium genuit; cur non magis, vt dixi, incorruptibilem Deum genito ex se incorruptibiliter Filio corrumpi non potuisse credamus, &c. Volente igitur Deo, corruptibilis natura Virgo sine vllo pudoris damno Filium generauit, & ipse qui incomparabiliter cunctis naturis incorruptibiliter permanet, hoc sibi præstare non potuit, vt de sua substãtia Filium incorruptibiliter generare potuerit?* Vides quomodo, quóve ingenio Virgo Deipara Eunomianæ, & Arianæ hæresis expugnatrix existat; tum & aliorum errorum interemptrix: ita vt ei meritissimo iure omnis applaudat Ecclesia, eique decantet triumphum verbis illis: *Gaude Maria Virgo, tu sola omnes hæreses interemisti in vniuerso mundo.*

CERTAMEN VI.

Vna Deipara doctior cunctis rationalibus creaturis.

1130. PEr plures disceptationes Marianam encyclopædiam explanauimus, multiplicem ipsius scientiam, ac sapientiam fusiori calamo exposuimus, & incrementa in omni eruditione, & doctrina recensoimus. Quid ergo mirum si de Maria profe
ramus, omnem rationalem creaturam scientia, ac sapientia longè superauisse, cùm ipsa scientiarum omnium dispensatria sit; omnisque intelligentiæ aquæductus. *Plenus equidem aquæductus*, ait Bernar. ser. 2. de natiu Mariæ; *vt accipiant cæteri de plenitudine.*

Bern.

Non sat fuit in Maria scientiarum plenitudo in ordine ad se, nec sua potuit esse contenta intelligentia, sed opus fuit, vt in omni scientia superflueret ad salutem vniuersorum, vt tanquam communis magistra, & omniscia, in omnes Doctores scientiarum riuulos effunderet, ac scientiarom indigos in omni sapientia erudiret, ita vt affirmare aosim, breuiori temporis interuallo, queroque sapientiorem, ac in omni doctrina eruditissimom euasurum, qui hanc communem Magistram instructricem habet, eiúsqoe scholam frequentat, quam qui ipsum Verbum diuioum.

Plus addiscet & breuius in Gymnasio Marianæ quam si Verbi diuini scholam frequentet.

Io cuius rei typum, columna illa, quæ Hebræorum populum ductabat, vias illis ignotas aperiens, quadraginta annorum curricula emensa fuerunt, antequam Hebræos terram Promissionis edoceret, notitiamque semiplenam de Deo præmiatore ipsis instillaret: Stella verò, quæ Magos peregrinantes ad Dei recens nati cognitionem perduxit, paucorum dierum intercapedine, arcanum Dei Incarnati mysterium illos edocuit: cùm tamen igneum illud suggestum, siue in modum columnæ Cathedra Dei magisterium innotet, iuxta illud Deuteron. 32. *Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi: Dominus solus dux eius fuit.*

Deut.32.

Ast Magorum sydus fulgentissimum Deiparæ Cathedram, & magisterium adumbrabat, teste Petro Damiaoo ser. de Epiph.

Pet.Dam.

Erat stella in aere, stella in terra, Sol in præsepio; stella in aere, corpus illud lucidum; stella in terra, Virgo Maria; Sol in præsepio Christus. Et tamen breuiori compendio instruit Marianum lumen Arabiæ Optimates in Dei Incarnati notitia, quàm Dei lux infinita docentis in Cathedra ignitæ columnæ, Hebræos, in cognitione Dei aliquo modo beantis, quasi in vmbra illius regionis lacte, & melle manantis: quod discrimen inter Columnam illam, ac sydus Magorum assecutus est S. Maximus hom. 1. de Epiph.

Maxi.

Ecce, inquit, *fratres ad quærendum Regem regum vna Chaldæos stella pertraxit; Iudaicum verò populum, nec ignea quendam potuit Columna conuertere.*

1131. Scalam quondam vidit Iacob sub dio dormiens, & Dominum innixum scalæ: *Cùm euigilasset de somno, ait: verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam*, Gen. 26. Res equidem admiratione digna,

Gen.28.

digna, quòd modo Iacob, vel dormiens Deum ſcalæ innitentem agnoſcat; qui aliquandu cum illo colluctans, brachiiſque complectens eum prorſus ignorat: ait enim Textus ſacer.c.32.Gen. *interrogauit eum Iacob, dic mihi quo nomine appellaris?* Cum tamen ſatis ſuperque ſe ipſum manifeſtauerat Deus, cum dixerit: *Si contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra homines prævalebis.* Et tamen ab ipſo Domino edoctus adhuc non plenè eruditus eſt, & quem amplexu ſuo tenebat, ac manibus contrectabat, non agnouit. Itaque Iacob vel dormiens eruditior euadit ad pedes Scalæ, quàm vel vigilans, & manibus prehendens ipſum Deum. Reſpondeat aliquis huius rei cauſam eſſe, nimirum quia in Scala vidit Dominum plurium cœleſtium aulicorum ſatellitio comitatum aſcendentium, & deſcendentium per ſcalam: at dum cum Domino colluctatur, abeſt comitatus, cumque omni ſatellitio nudum videt, vel Deum ipſum ignorat. Verùm reconditiori ſacramento in lucta euigilans Dominum ignotat, quem vel ſomno ſemiſopitus agnouit, quia hinc aberat Mariæ magiſterium per Scalam adumbratum; at ſub Scala exiſtens, quæ Mariam referebat, ſub Mariæ magiſterio addiſcens Iacobus ſtatim in Dei cognitione eruditur, licèt nondum plenè expergefactus: dum ſydus Marianum affulget omnis ignorantiæ caligo diſpellitur, errorum tenebræ propulſantur. *Te, ſanctiſſima Virgo*, inquit Methodius hom. de Purific. *tanquam die clariſſima mundo affulgente, iuſtitiæque Solem illum producente, odioſus tenebrarum horror depulſus eſt, vniuerſuſque terrarum orbis veritatis puriſſima eſt luce perfuſus.* Quod autem per Scalam illam Iacobæam adumbraretur Maria, docet D. Bernard. ſerm. de aquæductu: *Hæc*, inquit, *peccatorum Scala, hæc tota ratio ſpei meæ.* Et Cardin. Petrus Dam. hom. in natiu. B. Virg. *Tabernaculum Dei, ſtella maris, Scala cœleſtis, per quam ſupernus rex humiliatus ad ima deſcendit, & homo qui proſtratus iacebat ad ſuperna exaltatus aſcendit.* Itaque Iacobus vel ſomno deditus ſub Mariano magiſterio, quod per Scalam innuebatur edoctus, mox Deum agnouit, quem vel manibus prehendens in luctamine ignorauit; quia aberat Doctrix Maria, cuius ſcholá frequentans mox in Dei cognitione eruditior euadit. Sanaturus Dominus cæcum Ioan. 9. lutum cõficit ex puluere, & ſaliua, & ad ſontem Siloë illum remiſit, vt plenè lucem, & viſum accipiat. Nonne Chriſtus poterat illi ſtatim viſum reſtituere? ita ſanè; ſed voluit nobis pellucidam venam lucis aperire, ac digito demonſtrare, nempe Mariam, quæ fons lucis compellatur, quæ mentium tenebras abigit, oculorum nubes depellit, viſumque reſtituit, iuxta Idiotam *reficit laſſos, illuminat cæcos.*

Gen. 32. *Iacobus ſub Maria magiſterio adhuc ſomno ſopitus eruditior euadit, quã Deum prehenſens.*

Method.

Bern.

Card. Dam.

Ioan 9. *Maria fons lucis qua viſũ reſtituit.*

Idiota.

1132. Vis iterum aſſumptum probem: ad Thaboris verticem te aduoco, vbi Chriſtus ſolaribus radiis viſus circumamictus, vt Sol iſte naturalis à Sole flammantium, æternorumque ſplendorum, edisceret emicare. Hinc Moyſes, illinc Elias luce circumfuſis Chriſto adſtabant. Exagitabatur quæſtio de humani generis redemptione per crucis tormenta, ac mortem. *Loquebantur*, inquit Textus, *de exceſſu.* Vbi Interpretes de morte exponunt: circa hunc autem articulum reclamabat Petrus, ſuffragiumque tulit de non moriendo Chriſto, cuius ſententiæ ſemper tenax fuit: *Abſit à te Domine: non erit tibi*; aſſeruit iterum. Sed Petrum Chriſtus tanquam rei ignarum, & erroris ſuffragatorem longè à ſe diſpulit per illa verba: *Vade poſt me retrò Satana, ſcandalum mihi es.* Et Euangeliſta de eodem Petro affirmauit: *Neſciebat enim quid diceret.* Quippe dum de Chriſti morte communi omnium conſenſu decernitur, ſolus Petrus refragatur, & ad tabernacula conſtruenda, vbi Chriſtus cum ſociis æternùm viuat, ſermonem transfert. Sed diſquiro, cur Petrus tam ſupinè errauerit in ferendo ſuffragio, quando Moyſes veræ ſententiæ firmiter adhæſerit, ac Chriſto aſſenſus fuerit: nonne oportebat, vt Petrus in ſchola Chriſti edoctus pene per trium annorum curricula, veræ ſententiæ aſſentiretur, nec in tantum errorem prolaberetur circa præſentem diſceptationem? Erunt qui reſpondeant, ex eo Moyſem ab ſcopo non aberraſſe, quia iam in mortis Gymnaſio edoctus clariores lucis radios ebiberat. Sed ego aliò deflecterem, ac dicerem, Moyſem eruditiorem, ac doctiorem prodiiſſe, quia Deiparam quondam præceptricem habuit, licèt ſolum ſub vmbra ſenticoſi cuiuſdam dumeti; & à tantæ Doctricis magiſterio plus intelligentiæ, ac ſcientiæ hauſiſſe, quam Petrum, qui Chriſtum præceptorem habuit, & in cuius ſchola triennij curriculum emenſus eſt. Rubus autem, quem vidit Moyſes incombuſtum, Deiparam delineabat; De quo ait S. Greg. Nyſſ. Rubum flammis illuſtrem, luxiſſe ſimul, & docuiſſe. *Cum igitur*, inquit, *in medio, claroque die, alia præſtantior, quam ſolaris lux circa oculos effulſiſſet: vidi arbuſtum ardens, cuius tamen rami continua quaſi irrigatione vireſcebant: natura verò eius lucis in duorum obiecta ſenſuum diuiſa, ſicut oculis effulgebat ſplendore radiorum; ita inauditum immortale dogmatum intonabat.* Et S. Damaſcenus orat. 2. de Aſſump. Moyſem meditatus ad præſentiam ardentis rubi, Legiſlatorem, Principem, ac Doctorem Hebræi populi inaugurari ſic oſtendit. *Per ſimulachrum quoddam, & vmbram Mariæ tamen Legiſlator, & Princeps creatus eſt.* Vidiſtine Moyſem huius omniſciæ Magiſtræ aculeatum lumen admirantem ſub typo rubi tot aculeis mentem pungentis, quot radiis ſplendentibus intellectum acuentis, & illuſtrantis. *Videbat*, inquit Exodus c. 3. *quòd rubus arderet, & non combureretur.* Inuaſit Moyſem cupido tantum Sacramentum ediſcendi, dumque adire parat Oraculum, à quo ſolutionem hauriat grandis illius arcani: tunc autem è medio ſpineti has voces dedit Oraculum: *Ne appropies huc; ſolue calceamenta de pedibus tuis; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Sed quid opus eſt nudipedem Moyſem incedere, vt aculeatam Præceptricem adeat, ab eáque myſterij reſerationem hauriat? niſi forſan, quia qui tantæ Doctricis, nempe B. Virginis in rubo adumbratæ magiſterio ſe dedere ſatagit; in primis neceſſe eſt, omnium inordinatarum affectionum calceamenta deponere, ſi velit Deiparæ magiſterio vti; tantáque nitere puritate, quanta ipſi immortales Angeli; & in ſpirituum ire conſortium: qui enim calceamentis de pellibus mortuis operitur, veluti quadam mortalitate afficitur, hæc autem mortalitatis indicia præcipitur abiicere ille, qui acuminoſo Deiparæ magiſterio operam nauare ſtudet; ac opus eſt, vt ſecum ferat omnes affectus cœleſtes. Sic ex aculeata hac, & flammanti Mariæ ſchola acumina hauriet Concionator, aculeatáque verba, quibus doctos erudiat, populum in Dei amorem accendat, ac peccatorum pectora transfodiat

Luc. 9. 31.

Matt. 16. 22.

Moyſes Doctior euadit ſub magiſterio Mariæ, quam Petrus ex Gymnaſio Chriſti D.

Greg. Nyſſ.

Exod. 3.

Qui Mariæ magiſterio ſe dedunt terrenarum affectuum calceamenta deponant.

diat: ex eadem Doctor acuminata spicula vibtabit, & in Hæreticorum nefanda dogmata contorquebit, quibus illa io nihilum redigat. Io quem sensum traherem Bernardi verba alibi data. *Cuius*, nempe Mariæ, *omnia tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed nec tepidum quidem aliquid vt quantum sine personali vnione creatura conditio patiatur, luci illi inaccessibili videatur immersa: meritò quidem admiraris Moyses sancte & curiosius desideras intueri:* Ideo Apostoli tanto destituti præceptore scilicet Christo, nō est quod conquerantur, subeunte tanta præceptrice vices magisterij, sub qua nobili pædagogia, omniscia erudirione instructi prodiêre. Bellè Collum nuncupatur Maria, quia per illam scientiarum esca ad reliquum Ecclesiæ corpus, videlicet ad Apostolos, Doctores, Prophetas, Concionatores transfusa fuit. Sapienter Idiota lib. Contemplationis de Beata Virgine, capite tertio *Species columbæ consistit in simplicitate columba, oculorum pulchritudine, colorum mutatione, & varietate circa collum: sic tua species ò Beatissima Virgo consistit in humilitate, pulchritudine sanctarum cogitationum, & doctrina varietate quæ in collo intelligitur; quia Doctrix fuisti Doctorum, & Magistra Apostolorum.* Et Richardus de S. Laurentio, lib. 2. de laudibus Mariæ: *Maria*, inquit, *Apostolorum magistra facta est, qui nostri postea magistri facti sunt; & ascendente Domino docuit nouum Testamentum, quod ad docendum nos iidem Apostoli conscripserunt.*

Bern. — Idiota. — Ric. de S. Laur.

1133. Te igitur Alma parens aduoco, tuum auxilium deposco, tuum magisterium exambio, ô Doctorum omnium magistra, totius Encyclopediæ armarium, disciplinarum omnium thesaure! Te vna difficultates omnes, hoc in inuio tramite, superabo: Te Cynosura per vastum tuarum laudum pelagus securus, & incolumis euadam. Tuo omnipotenti patrocinio, quidquid discriminis, quidquid periculi sese occurrerit deuincam. Nec mirum, ait enim Christus Dominus Apostolis, dum misit eos per totum terrarum orbem: *Nihil tuleritis in via, nisi virgam tantum, non peram, non panem, neque as in zona.* Marci 6. Itane, vbi ergo, & vnde cibi parandi? quis vestimenta suppeditabit? vbi hospitio excipientur? quis necessaria ægrotantibus subministrabit? Anne vna virga ipsis victus, vestitus, nommi, solatium, quies, hospitium, & medela erit? Anne vna virga pro his omnibus subrogabitur? Et meritò quidem, ait Richard. de S. Laur. lib. 12. de laudibus B. Virginis. *Maria*, inquit, *Virga prædicationis, videlicet, quæ sola datur prædicatoribus ad portandum in via; vnde Marci 6. dixit Dominus duodecim Apostolis: Nihil tuleritis in via, nisi virgam tantum. Qui enim habere posset hanc Virgam comitem in via vitæ præsentis, non deesset ei gratia, non doctrina, vel aliquid necessarium.*

Marc. 6. *Sola Virga Maria asportanda est in via à concionatoribus Euangelicis, vt nihil desit.* — Ric. de S. Laur.

1134. Sed iam iuuat certaminis præsentis titulo respondere. Aio igitur vnam B. Virginem antistare scientiarum omnium cognitione, ac plenitudine, Aligerorum spirituum choris, & humani generis indiuiduis omnibus simul sumptis. Cuius effati pars prima sic ostenditur, quia vna B. Virgo reliquos Angelos gratia, ac virtutum omnium decoramento excellit; ergo & scientia: vbi enim maior, & intensior gratia infusa resplendet, maior etiam scientia infusa, ac sapientia affulget: sicut ergo dignitate Maternitatis, excedit Angelos; ita & virtutum intellectualium cognitione micat inter omnes. Quod contestatur Ioan. Apoc. 12. vbi B. Virgo Sole perhibetur amicta, ac supra Seraphim euecta. Itaque non solùm Solis æterni radios innotis luminibus contuita fuit, verùm ab ipso Sole vndequaque cincta; cùm tamen videas apud Isai. c. 6. Solem hunc super sublime solium, tanquam in epyciclo radiantem, ac fulgentem, cui Seraphim circumstantes fulgorum viciniam sustinere nequibant, ideóque pennas explicant, distendunt alas, Domini faciem, pedesque obuelaturi, ne oculorum suorum acies infiniti luminis splendore perstringeretur. Vna Deipara luminis immensitatem sustinere potest, vnius Virginis B. oculorum acies ad infinitum Dei fulgorem non caligat, nec hebetatur, sed fixis oculis radiantem, ac fulgentem Solem infiniti iubaris contemplatur; quod disces ab Epiphanio Constantin. serm. de laudibus Mariæ. *Virgo plurium nominum, & multocula effecta est Seraphim incomprehensæ visionis, quæ inuenta est velamentum quoddam intellectuale corporis vniuersalis Cherubim transcendens; illa enim auertuntur, cùm nequeant spiritualem ignem Diuinitatis fixis oculis intueri; hæc autem apertis oculis intuens incomprehensibilem, & somni expertem oculum Christi cum desiderio, & osculo salutabat.* Eo tibi quomodo B. Virgo scientiarum splendore supra omnes Angelos coruscet: sic sydus illud Magos ad præsepe ducens, ac B. Virginem adumbrans luce, ac splendore reliquas stellas superabat, Soli tantùm primas deferens, imò Sole fulgente fulgebat, nec radios occultabat, vt bene ponderat Chrysostomus hom. In Matth. *Neque enim nocte solùm cernitur, sed lucente prorsus die, ac Sole fulgente; quam lucendi vim, non modo stella vlla, sed nec ipsa quidem Luna sortita est, quæ licèt multò clarius omnibus coruscet astris, continuò tamen ortu Solis absconditur.* Vt vel hinc discas Sydus Marianum scientiarū splendore omnibus cœlestibus luminibus anteire; solúmque intelligentiæ fulgore, infinito Christi Iubari primatum deferre. Quòd verò Signum illud magnum à Ioanne perspectum, sapientiam Marianam subindicaret; D. Bernardus ser. 1. de natiu. luculenter edocet. *Iure, ait, Maria Sole perhibetur amicta, quæ profundissimam Diuinæ sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum: candidissimus sanè huius mulieris amictus, cuius omnia, tam excellenter irradiata noscuntur, vt nihil in ea, non dico tenebrosum, sed obscurum, vel minus lucidum.* Iam verò statim explicat quomodò Sydus hoc sapientiæ splendore, matutina cœlestium spirituum astra deuincat, Soli dumtaxat æterno inferius; subdit enim: *Vt quantum sine personali vnione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa: illo nimirum igne Propheta labia purgantur; illo igne Seraphim accenduntur: longè verò aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis vndique, & circumfundi, & tanquam ipso igne concludi.*

Vna Maria omnes Angelos scientia, ac sapientia superat. — Apoc. 12. Isai. 6. — *Maria fixis oculis intuetur solem infiniti luminis, cuius splendore Angelici obtutus perstringuntur.* — Epiph. — Chrysost. — Bern.

Nec insolens videri debet, quòd Mariam scientia, & cognitione Angelis prætulerimus; siquidem de S. Ioanne Baptista, idem docent aliqui supponunt enim, Angelos temporis decursu, & post editum Saluatorem de quibusdam circumstantiis Incarnationis edoctos fuisse, quæ ab initio beatitudinis eos latuerunt: ideo enim Psal. 23. & Isai. 63. quasi ignari, & instructionis cu- 1135.

Ioannes Baptista in vtero Matris doctior Angelis.

pidi introducuntur, vt videre est in D.Th.1.p.q. 57.art.5. Quam sententiam tenuisse Chrysostomum arbitror apud Metaphr.hom.1.de natiu.Baptistæ.

Chrysost.

O res, ait, admirabilis, & quæ superat opinionem! quæ in Cœlo ignorauerunt Angeli, cognouit Ioannes, qui gestabatur in vtero; Thronos latuit, & eum, qui erat in matrice minimè præteriit: celauit dominationes, & ei, qui erat in ventre reuelauit mysterium susceptæ carnis œconomia. His similia habet Antipater apud eit. Metaphr.

Antip.

Etenim, inquit, *antequam esset natus Deus apertè tradidit gratiæ mysterium, gratiæ thesauros apud eum deposuit, & ea, quæ ignorarunt in cœlo choros ducentes Angeli, Ioannes discebat, qui in Matris gestabatur vtero.* Imo de altero Ioanne Euangelista, inquit Pet.Dam.ser.2.

Pet. Dam.

Quid enim Diuina sapientia quæris, quod apud Ioannem reperire non possis? Quid necessarium in doctrinis, quod Ioannis volumina sacrosancta non teneant? in speculanda summa Diuinitatis essentia præcedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, Apostolos superat. Postremo totius humanitatis transcendit ingenia, & illuc vsque mentis aciem tendit, quo vix Angelica valet attingere creatura. Ex roborari potest ex Alb.Mag. relato à Salaz. de concept.c.32.n.41.

Alb.Mag.

Potestas, inquit, Albertus, *incomparabiliter imperialis est super omnem potestatem ministerialem, sed potestas virginis est imperialis, omnium autem Angelorum potestas ministerialis est, ergo potestas eius est super omnem Angelorum potestatem; sed in perfecte ordinatis ad maiorem potentiam sequitur maior scientia, & ad maiorem scientiam maior operatio, ergo & hæc in Beatissima Virgine fuit in summo.* Huc faciunt eximia de Deiparæ scientia encomia à S. Antonino decantata 4.p.tit.15.c.17. §.1.

Antonin.

Cognitio, ait, *B.Mariæ excessit omnem cognitionem, & modum cognoscendi, quem habuit aliqua creatura in tribus gradibus, nempe eleuata puritate, qua excessit omnem viatorem; medij eleuantis improportionabilè quantitate, videlicet gratiæ plenitudine, cui æqualis nulla alia in purè creatura esse potuit, & eleuantis Dei scilicet charitate, qua illam præ omnibus dilexit, ac præ omnibus secum copulauit.*

Quæ verò sapientiæ lumine Angelis præit,
1136. multo potius de iniquis, ac superbientibus spiritibus, ingenij acumine, rerumque intelligentia triumphauit: quantumuis enim veternosus serpens dolis, ac technis calcaneo Mariæ insidiari non destitit; attamen oculata Virgo versipellis caput contriuit, calliditatem superauit, ingenij sui acumine dolos dissoluit, technas ad nihilum redegit, ait Bernardus hom. 2. super Missus est.

Maria longè sapientior dæmonibus.

Bern.

Cui hæc victoria seruata est, nisi Mariæ? ipsa procul dubio caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni suggestionem, tam de carnis illecebra, quam de mentis superbia deduxit ad nihilum. Hæc autem victoria parta fuit à B. Virgine, quando à culpa originali euasit immunis; tum alias sæpissime astutia, ac fraudibus in homines delusis ab ipsa: Nihil enim ita subtile excogitari potuit à Dæmone in hominum perniciem, quod mentis Virgineæ aciem præteruolauerit, quodque intellectus sui perspicacia non dissoluerit, quod non eluserit, quod patrocinante Maria non in nihilum redactum fuerit. Decepit præterea serpentem astutum Maria cum desponsatur Iosepho; partum enim Virgineum arbitrabatur Dæmon fœtum esse communem, sicut sūt reliqui, qui ex coniugatis habentur: in quem sensum plures Patres coëunt, vnum subiiciam Bernardum hom. 2. super Missus est.

Bern.

Et quanquam, ait, *illud aliter, quando vellet perficere potuisset; placuit tamen eo potius & modo, & ordine, hominem sibi reconciliare, quo nouerat cecidisse, vt sicut Diabolus prius seduxit fœminam, ita prius à fœmina virgine seduceretur. Sic igitur versipellis ars, & gigantes in fraudem pellicere assueta, à Maria hebetata est.* Quid venustius in rem præsentem excogitari potuit.

Plus addam eâ esse sapientiâ præditam Mariam, vt si sub eius magisterio subderetur Dæ- 1137.
mon, quasi vereretur Iobus, quod tandem mentis suæ obcæcatæ caliginem depellere posset, & in veram lucem adspicere.

Iob 3.

Expectet, inquit Iobus c.23. *lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ.* Per noctem de qua hic Iobus sermonem in-serit, innuitur, iuxta Pet. Damianum mox citandum, Dæmon; imprecatur ergo Iobus, vt Dæmon Auroram Mariam non videat, quasi pertimescens futurum, vt si Dæmon Auroræ radiis fulgentibus perfunderetur, posset quodammodo cæcitatis tenebras exuere, errorumque caligine nudari, vt posset in veritatis lucem mentis oculos intendere: scitum est Diabolum noctis illius vmbra delitescentem, ita in malo obcæcatum, & obduratum, errorique adhærescentem, vt nulla luce, nullis splendentibus radiis tanta errorum caligo, tantaque tenebrarum comprehensio vel dispelli, vel imminui possit: quod probe nouerat S.Iobus; verum imprecatur, ne huius Auroræ Mariæ, vel tremulam lucem adspiciat, quia talis est eius splendor, vt si aliquo collyrio Dæmonis cæcitas visum recuperare posset, & ad veræ lucis radios intendere, depulsis errorum tenebris, de lucidissimo Auroræ magisterio id nancisceretur.

Si damō Mariana luce perfūdi posset, quodammodo cæcitatis tenebras exuere posset.

Id suspicatus fuit Cardin.Petrus Dam. ser.41.de Assump.

Pet.Dam.

Hæc est, ait, Aurora, quam ille non vidit, qui vidit omne sublime, & orat B. Iob, vt ei multa suppressione claudatur, dicens. Non videat ortum surgentis auroræ, &c. Nam sicut aurora terminum noctis, Diei principium adesse testatur, sic & Virgo noctē expulit sempiternam. Lux fulgurans Auroræ Marianæ quancumque pertinacem tenebrarum densitatem procul amandat, & obstinatissimam mentis caliginem depellit, ita vt si ipse Dæmon aliquo lumine veritatis collustrari posset, ac mentis cæcitatem deponere, vtique huius Auroræ micanti iubare fieret, & ex Mariano magisterio erudiretur.

Ab Angelis ad singula humani generis indiui- 1138.
dua, non solùm separatim sumpta, sed simul etiam coniuncta, gradū faciamus. De quibus assero siue omnigena rerum naturalium cognitione, siue supernaturali sapiētia, illa omnia ab vna B. Virgine superata fuisse. Itaque Adamus, Salomon, aliíque, qui omnium scientiarum cognitione floruerunt, ac reliquos antecelluerunt, vni Deiparæ inferiores esse fatentur. Item Petrus omnium Theologorum apex, Ioannes coriphæus eorundem, Paulus, qui in cœlorum Gymnasio plene eruditus est; adeoque & Angelorum magister constituitur ad Ephes.3. teste Chrysostomo prologo in Ioan. Hi omnes, ac reliqui in diuinarum, ac naturalium disciplinarum intelligentia Primores, ab ipsius Deiparæ magisterio omnem sapientiam hausisse fateantur, necesse est; ac proinde ipsi in omniscia rerum cognitione primatum deferunt, vt ipsorum quispiā pleno ore fatetur.

Maria singula hominum indiuidua coniunctim sumpta sapientia antecelluit.

Prou. vlt.

Multæ Filiæ cōgregauerūt diuitias, tu supergressa es vniuersas. Prou. c. vlt. Quæ nō solū de voluntatis priuilegiis ac donis intelligūtur, sed etiā de intellectus; quæ in perfecta rerū cognitione sita sunt. *Licet enim*, ait Bernardus,

siue

Bern. ſiue alius ipſius nomine hom. de B. Virgine: *in parabolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apoſtolis nota faceret vt amicis, quædam tamen credendum eſt Matrem ſuam, quemadmodum ita propenſius erudiſſe, ſic quædam ſecretius intimaſſe: frequenter enim ad montem myrrhæ & ad collem thuris ſublimauit, in cellam vinariam occultauit, ſui prout nouit gloriam Deificam, & ſupercœleſtem reuelauit notitiam.*

Ex eo autem aſſeruimus Angelorum, & hominum ſcientiam, & intelligentiam ab vnius Deiparæ ſapientia deuictam fuiſſe, Tum quia Mariæ ſapientia longè vniuerſalior, & intenſior, tum quia ex modo tendendi in obiecta longè perfectior erat, & quidem non ſolum in his, quæ naturæ captùm præteruolabant, ideoque illatum rerum cognitio ſupernaturalis erat, & ad vltimum finem aſſequendum valde conducens, ſed etiam in his, quæ ad ſcientias naturales attinent, & remotè ſolum ad vltimum finem ſpectabant: nec ſolum hoc pronunciatum intelligendum comparatione vniuſcuiuſque indiuidui, ſiue Angelicæ naturæ, ſiue humanæ diuiſiuè, & ſeparatim ſumpti, ſed etiam reſpectu totius naturæ Angelicæ, & humanæ: nam eædem rationes, quæ militant ad aſſerendum à B. Virgine ſuperatam fuiſſe ſcientiam, atque ſapientiam vniuſcuiuſque indiuidui, ſiue Angelici, ſiue humani, æque probant de tota indiuiduorum collectione vtriuſque naturæ; ſicut alibi oſtendimus de gratiæ, & beatitudinis primatu ſuper omnes creaturas rationales ſimul ſumptas. Quemadmodum ergo plures Doctores ex peritioribus illud effatum de gratiæ, & gloriæ cumulo in Deipara ſuper omnes conſtanter ſuſtinent, eodem pacto de ſcientia Deiparæ ſuper omnes Angelos, & homines pronuncient, neceſſe eſt.

Alb. Mag. De hac Mariana ſapientia in communi ait Alb. M. in Mariali c. 98. *In ſapientia eſt quidam guſtus ſpiritualis primæ veritatis: in guſtu autem tria ſunt; immediata coniunctio rei guſtatæ cum guſtu, diſcretio guſtabilium, & delectatio ſenſus. Sed in his omnibus excelluit virgo omnes viatores.* Poſtea conferens hāc ſapientiam Marianam cum reliquorum omnium ſapientia ſubdit: *Igitur eſurire, & ſaturari, medium eſt comedere; ſed vnum extremum ſcilicet eſurire, ac ſitire Deum, eſt proprium viatorum: ſaturatum eſſe, eſt proprium comprehenſorum; ergo comedere, & guſtare quod eſt medium inter duo extrema, ad Mariam ſpectat.* Vbi profundè vocat cæterorum ſapientiā, ſi conferatur cum ſcientia Mariana, Eſuriem, ac Sitim Dei; ergo aliis viatoribus ſitientibus, & eſurientibus Deum, ſolum Deipara per cognitionem perfectiſſimam illum comedit, & ebibit. Ac ſi diceret omnis humana, ac viatrix ſapientia, ſi æqua lance cum Mariana ſapientia ponderantur, mera ignorantia eſſet dicenda. Vide S. Antoninum 4. p. tit. 15. c. 18. §. 1. Eadem de ſapientia B. Virginis repetentem. Meritò ergo Bernard. in *Salue Regina*, ait: *Virtutum auctrix, & ſcientiarum ſcientia ſanctarum Maria, quia ſicut Sol vniuerſa cœli lumina præcellit prærogatiua claritatis eximia, ſic totam rationalem creaturam poſt Filium excellit ſplendore virtutis, & ſcientia.* Quid illuſtrius ad noſtram theſim confirmandam?

Reliquorum ſapientia cū Mariana cōfertur, e[illegible] ritis eſt, & ſitis Dei.

Bern.

1139. Cant 6. Et hominum igitur, & Angelorum captum vna Deipara facile ſuperabat, quod innuebat ſponſus Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipſi me auolare fecerunt.* Quaſi diceret: mentis obtutum collige, te enim auſcultante, & perpendente, neceſſariò oratio in ſublime euolabit, ſtylus ſuperiora petet; doctrina altiora, ac profundiora rimabitur, quod in damnum reliquorum, ſiue hominum, ſiue Angelorum verget; qui non captu ſuo tam ſublimia ſenſa, tamque abſconditos, & abſtruſos cogitatus penetrare poterunt. Hunc ſenſum amant verba Ambroſij in præfata verba incidentis: *Vult ergo,* inquit Amb. *auertere illam oculos, ne eam conſiderans, quod iam ad ſuperiora ſequi poſſit, eleuetur, & cæteras animas derelinquat.* Pergitque in illo ſimili declarando, de Doctore aliquo occulta, ac recondita mentis ſenſa aperiente, qui attemperat ſtylum, ac vtitur ſermone minus compto, ac ſimplici; ſi vero auditor ingenio pollens aſſiſtat, illum monet, vt æquo animo ferat, quod ſe ſtyli genere rudioribus aptet, quo illum capere poſſint. Amb.

Vna Deipara doctior omni rationali creatura ſiue Angelica, ſiue humana.

Huc igitur properate ſcientiarum Candidati, 1140. huc accurrite ſapientiæ amatores, ac riuales; ad Mariam gradus conuertite, tanquam ad ſapientiæ ſedem, ſcientiarum domum, liberalium Artium emporium, omnis eruditionis diſpenſatricem: quod innuebat Ioannes Apoc. 4. cum ait: *Et de Throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, & ſeptem lampades ardentes ante Thronum.* Apoc. 4. Quem Thronum eſſe Mariam, multis probat Spinellus: Ex quo tanquam ex Cathedra voces, & tonitrua proſiliunt, nempe diſputationes, difficultatum enodationes, rationum momenta, argumentorum robur, quibus quiſque hæreſis ſphingem ænigmaticam, melior Oedipus effectus diſſoluit, errorum monſtra decapitauit, ſophiſmata, ac Dæmonum technas, tanquam fulgure quodam in nihilum rediget. Apte ergo, è Throno, tanquam è nube fœta, & fulgura, & tonitrua egrediebantur, lampades etiam, & vociferantium clamores, tanquam è ſuggeſtu quodā audiebantur, quia in hoc Mariano Gymnaſio grandium, & arcanorum myſteriorum reſeramenta didicit Ioannes, qui quo pacto Verbum erat in principio apud Deum, & quomodo in principio, id eſt in eodem Verbo cuncta Deus condidit; & qua ratione idem Verbum homo factum eſt, orbi palam fecit: hic profectò in Maria fulgurare, ac tonare, tanquam Tonitrui Filius edoctus eſt. In hoc Throno, qui Eccleſiaſtis officio fungitur, addiſcet ignitam dicendi vim, dum de extremo Dei iudicio verba faciat, quo ſermone, tanquam fulgure, ac tonitru præclara peccatorum pectora, adamantina corda Deo ſubiiciat, & emolliat. Qui verò ſcripta prælo committit in omnem poſteritatem, vt hæreticorum ora cōſtringat, inſipientes erudiat, abſentibus ſolatio ſit, nōne tanquam ſplēndida pharus, ac radioſa fax totum orbem illuſtrat, tenebras diſpellit, ac ſicut lāpas accenſa ardet, & lucet, at à qua magiſtra ardere ſimul, & lucere didicit, niſi ab hoc Mariano Throno? vniuerſi igitur Doctores, ac ſapientes ab hoc vno lucis fonte ſcientiarum latices hauſerunt, quibus vniuerſum orbem irrigarunt: ab hoc fonte Cryſtallinas ſapientiæ vndas epotarunt; huic ſcholæ quidquid doctrinæ acceptum, quidquid eruditionis, & ingenij, & acuminis nacti ſunt rependere operę pretium eſt, niſi furti dānari velint. Rem diſertè proponit Bernardus verus, vel fictus ſupra cit. ſer. de laudibus Mariæ: Bern. *De throno procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, quia Maria Mater Filij Ieſu Chriſti parabolas, ænigmata legalia, & mirifica geſta, dicta, opera auidius ebibit, fidelius credidit, ſincerius, luculentiuſque aliis tradidit.*

A Maria omnes Doctores, & ſcriptores ſuam ſcientiam, ac ſapientiam mutuati ſunt.

Nec dixeris Chriſtum D. ſolum eſſe ſapientiæ fontem, de quo Apoſtolus: *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Sicut ſolus Sol

lucis huius, quam oculis prospectamus causa, ac principium, & fons est, à quo & Luna, & reliqua sydera lumen mutuantur, quo luceant. Sed apte quidem Christus cũ Sole componitur, sicut enim ante Solis ortum semper aurora radiat, nec Solis fulgore potieris, quin prius argentea auroræ luce perfundaris, per hanc enim, & non aliter itur ad Solem, sic qui splendidis amat sapientiæ radiis Solis Christi illustrari, prius auream Mariæ lucẽ ebibat necesse est, Marianum Gymnasium frequentet, hanc scholam adeat, temperatiori, ac suauiori hac luce perfundatur, Mariam roget, Virginem deprecetur. Huic se totum deuoueat; fieri enim nulla ratione potest vt Solis fulgore irradieris, quin prius te aurora collustret, huc reuoca veriori stylo, quæ S.Zeno de Sole, & Aurora protulit: *Sol denique quamuis mira alacritate alternas mundi metas illustrat, tamen nunquam dilectam, verecundamque anteuertit auroram.* Itaque semper aurora Maria præcedat necesse est; & exemplar omnis sapientiæ nobis à Deo propositum. Doctè, & eruditè Cornelius noster in c.24. Ecclesiastici docet: *Deum B.Virgini in eius conceptione maiorẽ, quàm vlli Angelo, vel homini indidisse sapientiam, quam deinde ipsa singulis momentis augendo, & duplicando continuè per annos septuaginta duos quibus vixit, mirè auxit, adeo vt ipsa sit Idea omnis sapientia, & sanctitatis hominum, & Angelorum; ipsa enim post Christum participauit sapientiam Dei, eiusque quasi exemplar nobis à Deo est proposita.*

Zeno.

Cornel.

1141. Nullam ergo tuæ imbecillitatis excusationem prætendas, ac in diuinum obsequium teporis, ac erga tantam reginam: quippe Marianum sydus nõ solum per superos cœlestium orbes sua lumina spargit, sed etiam ad sublunaria sui splendoris radios submittit, & eiaculatur, non solum virtute præstantium mentes illustrat, sed eorum etiam, qui terrestribus, ac sublunaribus inhiant, dummodo eam sibi precibus, & obsequiis deuinciant, ac interpositum delictorum obicem tollãt; quo sublato huius luminosæ Helices radij libere totam mentem peruadent, ac luce sua perfundent, depulsis ignorantiæ tenebris. De quo sydere fatus Bernardus hom. 2. super Missus est, ait; *Nec syderi radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem: ipsa est igitur nobilis illa Stella ex Iacob orta, cuius splendor, & præfulget in superis, & inferos penetrat.* Id est imperfectarum virtutum mentes. Hinc Ecclesiasticus 24. oliuam vocat Mariam in campis, consitam omnibus obuiam. Oliua autem scientiarum Hieroglyficum fuit, semper apud veteres, Palladi scientiarum Deæ sacrata. Vera igitur Pallas Maria, artium, & disciplinarum præses; melior Minerua omnis sapientiæ ductrix, à qua sicut ab Oliua lux prodit; in campis autem eam sitam esse demonstrat, non in topiario progenitam, non in hortis natam, non in viridariis excultam; sed in campis, vt omnibus pateat, vt oleum, & lumen ab ipsa accipiant vniuersi. Est igitur Maria sapientiæ domicilium, scientiarum vniuersitas omnibus patens, ideoque oliua in campis sata, quia gratia, miseratio, ac lux ipsius omnibus est communis.

Bern. *Maria Oliua speciosa ex qua oleum, & lumen accipiunt vniuersi Doctores.*

Eccles.24.

1141. *Maria scientiarum præsidi meliori iure extruẽdum templũ ex apium cera, quã Apollini.* Apollon.

Liceat ergo huic scientiarum Præsidi, potioti iure, quam Apollini, musarum Numini, templum ex volucrum plumis, & apium cera extruere, vt author est Apollonius lib.6. c. 6. videlicet omnium sapientium volumina, scriptorum elucubrationes, Doctorum vigilias, oleum, ac ceram redolentia monimenta; item calamos, quibus libros exarant, ac instar Aquilarum prope sydera euehuntur, Virgini Deiparæ dicare: Equidem has qualescunque elucubratiunculas quomodolibet a mei ingenij tenuitate elaboraras, Tibi, O Virgo sacra, scientiarum omnium Numini lubens offero, & ex illis fauum tanquam ex apum cera, volucrumque pennis construo, quo tuum Numẽ adorem, ex eoque alij te suspiciant, ac venerentur. Tu ceram, ac lucem ministras quo Doctores luceant, tu calamos aptas, & acuis, quibus ad æthera efferantur, & scripta multo acumine, ac pipere exacent, & in lucem edant: nec mirum coram subministret, cuius eloquium, sicut fauus distillans, fauus autem & mel, & ceram exhibet; mel vt verba, ac scripta condiantur, ac dulcorentur, & suadeant: iuxta illud Psalmographi: *Audient verba mea quoniam potuerunt.* Alij transferunt, *quoniam dulcuerunt.* Alij: *quoniam munita sunt satellitibus;* ac si verba dulcia, ac sacchato condita, sint potentissima, & instar satellitum ad trahendos animos, & corda emollienda in rem virtutis. Ceram item exhibet fauus, vt verba, & scripta luceant omnibus, tenebras dispellant, errorum caligines abigant. Ergo Doctores omnes quod luceant Deiparæ tribuendum; vnde sub Stellarum nomine innuuntur Apoc.12. & Doctoribus, tanquam caput stellis Deiparæ redimitum vidit Ioannes: *Et in capite eius corona stellarum duodecim.* Audi Danielem c. 12. quid de stellis proferat: *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stella in perpetuas æternitates.* Meritò sydera Virgineum caput coronant, quia cum omnem splendorem à B. Virgine ebiberint, quo per totum orbem colluceant; ipsimet Virgini honorem deferunt. Ornent igitur Virginea tempora radiosis corollis Musarum primores, scientiarum Amasij, disciplinarum Antistites, sapientiæ Primipili, ac omnis literaturæ Prodromi; Tibi enim iure meritissimo luminosa omnigenæ eruditionis subseruiat supellex: Tibi Phæbus musarum Pater applaudat, ac radioso Theristro corpus amiciat, quia à te lucis tuæ radios hausisse ingenuè fatetur, ideòque in te vnam illos retorquet, vt magis eluceas; tuas crepidas ambiat soror eius Diana, siue Luna, quæ eadem est, ac Minerua scientiarum Dea, quia tuis plantis prouoluta totius Gentilismi sapientia à te vna superata, ac deuicta profitetur.

Maria fauus quia mel exhibet & ceram ad condiendum, & illuminandũ. Psal.140 6.

Apoc.12.

Dan.12. *Doctorum sydera luminosum fortẽ Maria compuunt.*

Sed miraberis vniuersam Ecclesiam, cuius Typus est Luna, Marianis pedibus subiacere, cum Doctorum astra vertici Virgineo subsidant, forsan quia pluris faciat Doctores; quàm reliquum Ecclesiæ corpus; sed illud magis mirabile, ac prodigio simile, quod Doctorum stellæ emicent corã splendente Sole, nempe quia qui ad Mariam tanquam ad Gymnasium omnis literaturæ accedit, lux ipsius à tanta luce micare magis, ac magis addiscet, intẽsioresq; radios eiaculari edocebitur, ita vt nec Sol ipse dũ lumine meridiano plus splẽdet, illos radios nec obscurare, nec imminuere possit. Ornant igitur scriptorum lumina Marianũ caput cum eius præconia deprædicant; priuilegia decãtant, laudes efferunt, pulchritudinem, ac prærogatinas posteritati tradunt: verum ipsi potius ornãtur à Maria, nisi enim Virgineo capiti insererentur, illi æterno squalore sub densa caligine consepulti iacerent. Ad rem Bern. ser. 2. de natiu. Virginis: *Dignum, inquit, planè stellis coronari caput, quod & ipsis longè clarius micans, ornet eas potius, quàm ornetur ab eis.* 1142.

Doctores pluris æstimantur à Maria quam reli quum Ecclesiæ corpus.

Bern.

PALÆSTRA

PALÆSTRA XVI.

De Gratia Habituali B. Virginis.

VANTVS sit gratiæ Marianæ cumulus ex his capitibus deprom potest, nempe ex gratia intensissima, vel immensa ipsi collata Virgini in instanti sui conceptus, debita sine dubio dignitati maternitatis Dei. Secundò, Ex dispositione ipsiusmet Virginis in illo instanti, quo se disposuit ad gratiam. Tertiò, Ex multiplici collata gratia ipsi ex opere operato. Quartò, Ex continuo merito per actus virtutum, ex pluribus motiuis, & finibus bonis elicitos sine vlla interruptione per spatium duorum supra Septuaginta annorum, vt probabiliter fert opinio. Quintò, Ex conatu, & efficacia omnium suarum virium, quibus eliciebat eiusmodi actus secundum totam sphæram actiuitatis. Sextò, Quia vt melior habet Theologia, quoties quis operatur omni conatu secundum totam actiuitatem habituum, duplicat omnem gratiam antecedentem. Ex his, & aliis capitibus Marianæ gratiæ cumulus eruendus, vt decursu totius huius Palæstræ videbimus.

CERTAMEN I.

Marianæ gratiæ cumulum examinat.

1143.

PVS est viam præmunire prius aliquibus præmissis, quæ multum ad exactiorem huius disputationis cognitionem iuuabunt. Primo igitur animaduertendum est, Virginem Deiparam nullum habuisse actum indeliberatum, nullum indifferentem, de quo Suar. (Soar.) tom. 2. in 3. p. d. 18. s. 4. & nos infra, Deo duce, id ostendemus. Singuli igitur actus in B. Virgine immediate, vel mediate liberi, singuli honesti, & meritorij fuerunt. Adaugebat ergo meritum Maria actibus virtutum infusarum per se, & omnium etiam virtutum moralium per accidens infusarum. Nec meritum aliquando interrupit etiam dum somno vacaret, neque vnquam ab exercitio libero virtutum cessauit. Demum pro singulis actibus exercebat omnem virtutem, & actiuitatem suarum potentiarum, & habituum, Deo exhibente concursum causæ primæ ad exigentiam intensionis habituum. De quo Spinellus de B. Virgine c. 6. n. 7. Neque hic sermonem attreximus de gratia ex opere operato accepta, quæ perfectissimas dispositiones in B. Virgine præmittebat; vel etiam de ea gratia, quæ consequebatur susceptionem sacramentorum, vel aliis temporibus conferebatur, vt Incarnationis tempore; de quibus Palæstræ decursu nobis sermo instituendus est.

Deinde tanquam certum supponendum est, B. Virginem in instanti Incarnationis maiorem recepisse gratiam extensiue, & intensiue, quam supremus Angelus, vel Apostolus, vel Helias, & Enoch in termino viæ consecuti sunt, vel consecuturi sunt sub finem mundi, si modo merentur. Quam doctrinam ita esse veram aliqui affirmant, vt sine temeritate, & impietate, & scandalo negari non possit. Quia ex consensu Patrum, & Scholasticorum nulla creatura rationalis, aut vnquam fuit, aut erit, cui seorsim tanta gratia ex meritis manantibus à supernaturali auxilio deberetur, aut conferretur, sicuti Dei Genitrici in momento Incarnationis: id ita expressit S. Cyprian. de singular. Cleri. S. Damasc ser. 3 de natiu. & in ser. de assump. Virg. Epiphan. de laudib. Virginis, Bonau. in specul. c. 5. Bernard. Senen. alibi à me productus. Vnus Caiet. negauit in Maria viatrice tantam gratiam, quanta extiterit in Angelo Beato; sed tuto negari non potest in Incarnatione B. Virgini longè excellentiorem gratiam collatam fuisse, quam cuilibet Angelo in via. (Cypr. Damasc. Epiph. Bonau. Bern. Caiet.)

Insuper præmittimus à centro terræ vsque ad concauum cœli stellari oppletum esse medium vndique arenulis minutissimis instar grani synapis, de qua re videndus Clauius supra Archimedem ad Gelonicum Siciliæ regem in lib. de numero arenarum: & in vnoquoque grano synapis decem mille arenulæ concederentur; & in qualibet arena vnum creari Angelum, aut supremum iustum cum gratia habituali omni, quam in termino viæ fuerit consecutus, vel quam consequetur Helias in termino viæ, etiamsi post raptum in paradisum singulis momentis continuè mereretur, iuxta Doctores asserentes Heliam, & Enoch adhuc esse viatores. (Clauius.) Ad nostrum autem intentum nihil interest, quod gradus gratiæ sint heterogenei, vel homogenei, quidquid dicat Vaz. in 3. p. disp. 119. n. 80. (Vaz.) Quamuis enim gradus sint heterogenei omnes subiiciuntur supputationi Arithmeticæ. Exempli gratia: Habeat Gabriel Angelus centum milliones graduum gratiæ dissimiles, & heterogeneos, & S. Michael ducentos milliones: hic habet duplo plures, ex quibus sit sanctior, & centum milliones erunt essentialiter, aut indiuidualiter perfectiores cum subordinatione inter se. Supponimus ergo omnes grados gratiæ, qui sunt, & fuerunt in Angelis prædestinatis, & in reprobis, quamdiu iusti fuerunt, in vnum cumulum colligi. De his inquiri potest, an sint pauciores, quam in Maria, de quo tamen instituendus specialis congressus in hac

Palæstra. Interim videndi sunt Valentia tom.4. disp.2.q.1.p.5 Suarius tom. 2.in 3 p. disp.18.sec. 4.Mendoza tom.2.in 1.regum c.4.n.11. Annotat. 11.sect.2.

1144. Denique tanquam compertum statuimus, Deiparam singulis annis aliquos elicuisse actus amoris Dei ex toto corde suo, & ex tota anima sua, & ex totis viribus suis naturalibus, & supernaturalibus secundū omnem actiuitatis sphæram potentiarum, auxilij, ac motionis Diuinæ, & etiam habituum supernaturalium. Quod a nemine negari potest sine temeritate, & scandalo, & suadetur quia c. 6. Deuteron. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota fortitudine tua*, quod repetit Christus D.Matth. 22. Marci 12. Luc. 1 . Quis autem negare audeat sine impietate, Deiparam Virginem non impleuisse perfectissimè illa verba, non solùm decies in Anno, sed plusquam millies, cum id aliquibus concessum sit, vt non raro secundum totam sphæram actiuitatis potentiarum, & habituum, & auxiliorum, interdum operarentur, i præsentem cum in B.Virgine abesset fomes ad malum, & inesset fomes ad virtutes omnes eliciendas, vt supra laté monuimus. Nec habitus in ea virtutum tam naturales, quam supernaturales essent otiosi secundum omnem actiuitatem, quam exercere poterant; neque affectibus distrahentibus concuteretur; imo instrueretur cognitione perfectissima ad omne obiectum honestè amabile, & auxiliis à Deo maximis præmuniretur. At communior est Theologorum sententia, quando quis Deum amat totis viribus secundum totam actiuitatem potentiarum, & habitum supernaturalium perfectissimo modo, quo potest, duplicare omnem gratiam antecedentem: ita Suar. tom. 2. in 3. p. d. 18. sec. 4. Verbi gratia, actus centesimus dilectionis Mariæ tantum valeret, quantum nonaginta nouem antecedentes simul sumpti. Et ratio est, quia Deipara eliciebat actus iuxta virtutem motionis Diuinæ, & habituum, vnde esse debebant æqualis, vel maioris intensionis, quàm habitus. Imo multo verior est opinio, quæ adstruit gratiam augeri per quodcumque bonum opus in gratia factum; vt siquis habeat gratiam vt octo, & faciat opus bonum vt quatuor, augetur gratia vsque ad duodecimum gradum: contraria siquidem opinio multum derogat operibus meritoriis remissis; inde enim sequitur, si Petrus haberet gratiam vt decem, ego vero vt sex, vterque autem efficeremus opus meritorium vt septem; Petro nullum tunc addi gratiæ augmentum, bene vero mihi, atque adeo illum peioris esse conditionis, quia sanctior est, quam ego. Itaque Maria actibus supernaturalibus charitatis elicitis secundum totam sphæram actiuitatis potentiarum, habituum supernaturalium, & auxiliorum Diuinorum, duplicauit omnem intensionem habituum, & meritorum præcedentium; quia cum non desit omnimoda applicatio agentis, & passi, totam virtutem, quam habet in se, exercebit, ac proinde tantum addetur habitus, quantum præexistebat, siue id fiat, vt volunt aliqui, physice producendo; siue vt alij verius asserunt, meritorie tantum. Tunc ergo actus supernaturalis charitatis tantum augebit in ratione meriti, quantum augeret in ratione virtutis, si physice habitum produceret: Deus enim in rebus meritoriis accommodat se modo operandi physico, ita vt non minus tribuat ob exigentiam meritoriam, quam ad exigentiam physicam.

Deut. 6.

Suar.

Actus amoris in Maria centesimus tantum valebat, quantum 99. antecedentes.

Si vero opponas cum pluribus Philosophis apud Pet.Hurtado in Physica disp.9.s.6. Agens videlicet creatum non producere tantum intensionis in passo, quantum Agens habet in se, sin minus parua lucerna totum orbem collustraret; nam si in parte vicina tantam lucis intensionem producit, quantam habet in se; deinde illa in aliam partem vicinam, & sic sine termino æqualis lucis intensio produceretur: ne ergo in hoc absurdum incidamus, dicendum erit B. Virginem medio actu charitatis non solùm physicè, sed nec meritoriè potuisse duplicare intensionem, quam antea habebat. Sed quidquid sit de Agente creato non eleuato diuinitus; at in his, quæ Diuinitus eleuantur nullam vim habet ratio facta: cùm enim singulæ partes intensionis habitus supernaturalis præexistentis æquè sint operatiuæ; cur non poterunt in passo approximato producere totam intensionem. Præcipue cum Deipara nouas vires acquireret per extrinsecum auxilium ad producendum actum intensiorem præexistente.

His præiactis, quæ à Theologis communiter admitti solent. Probatur, Virginem Deiparam solum ducentis actibus charitatis elicitis ab Incarnatione Domini vsque ad finem vitæ secundum totam virtutem, & actiuitatem potentiarum, habituum, & auxiliorum, maiorem gratiam, & meritorum cumulum habuisse, quam essent in 1596938044. mundis æqualibus nostro repletis granis sinapis, quorum quodlibet granum contineret decem mille arenulas, & quælibet arenula vnum Angelum, aut Apostolum cum tanta gratia, ac meritorum multitudine, quantam de facto habuit supremus Angelus in termino viæ, id est vnius Mariæ Virginis gratiam, & merita excessisse millies millies millies quingentis nonagesies sexies millies millies nongenties, trigesies octies millies, & quadragesies quater mundos habentes in singulis arenulis prædictis tantam gratiam, & merita, quanta de facto habuerunt, vel supremus Angelus, vel iustus. Quæ omnia per demonstrationem Arithmeticam colligit P. Cludios Richard. Societatis Iesu in tom. in lucem edendo, vbi Arithmeticè, & Geometricè demonstrat Virginem Deiparam plures gratiæ gradus promeruisse quinquaginta primis vitæ suæ horis, exhibendo cuilibet quadranti illarum singulos actus feruentissimos secundum totam latitudinem, & actiuitatem potentiarum, habituum, & auxiliorum; id est ducentos actus meritorios in proportione dupli Geometrica, ab vnitate inchoando Mariæ gratiam ab vno minimo grado, quam omnes gratiæ, & vniuersa merita saluandorum, licèt horum omnium numerus par esset numero arenarum complentium omnem concauitatem vniuersi à centro terræ vsque ad vltimam superficiem altiorem cœli stellati: etiamsi singuli saluandi decem milliones graduum gratiæ promeruissent; Deipara vero vnicum solum gradum nancisceretur in prima sui sanctificatione. 1145.

Immensus gratiæ cumulus Marianus declaratur.

Claud. Ric.

Nunc sic demonstratio Claudij cit. vim tenet incipiendo a conceptione B.Virginis, illique tribuendo vnicum gradum minimum gratiæ, à quo incipiat proportio dupla Geometrica vsque ad actum ducentesimum, ita vt sit multo minor in

initio

Initio gratia Deiparæ, quam cuiuslibet: nostra vero supputatio inchoatur ab instanti Incarnationis, quo tempore habuit Deipara gratiam intensiorem gratia consummata in termino viæ supremi Angeli, vel iusti, vt supra præmissi; ergo, euidenter infertur Deiparam in ducentesimo actu duplicatiuo omnis antecedentis Gratiæ, & multitudinis meritorum habuisse collectiuè multo maiorem gratiam, quam tot illi milliones millionum mundorum huic æqualium, qui pleni essent granis sinapis, in quorum singulis granis essent decem mille arenulæ, & quælibet arenula contineret totam gratiam, & meritorum cumulum, quem supremus Angelus, vel iustus in termino viæ. Plures ergo multò sine vlla comparatione milliones millionum gratiæ, & meritorum infert hæc demonstratio euideos in ducentesimo actu Beatæ Virginis post Incarnationem habente proportionem dupli geometricam, quàm demonstrario Claudij Ricardi in ducentesimo actu post conceptionem eiusdem B. Virginis.

1146. Plura qui volet de cumulo gratiæ Marianæ, ac meritorum eius in fine vitæ adeat præfatum Claudium, vbi plures propositiones euidentes per demonstrationem colligit, quæ maximum meritorum cumulum Deiparæ efferunt & extollunt. Concludit autem quod si prædicta merita B. Virginis numeris Arithmeticis exarentur, opus esset duodecim millionibus octingentis triginta sex millibus, tum centum ac triginta septem papyri fascibus seu scapis; ad quam papyri quantitatem adsportandam, opus esset mulis validioribus 320903. quamuis vnusquisque mulus onus quatercentum librarum ferret. Quod, inquit, verum esset, licèt Deipara solummodo augmentum gratiæ promeruisset per singulos horæ quadrantes; & in primo quadranti solum vnicum habuisset gratiæ gradum; promeruisset tamen proportione, & progressione dupli per spatium 72. annorum, quos iuxta veriorem sententiam vixit B. Virgo; vniuscuiusque anni quadrantes horarij essent 35040. qui si multiplicentur per annos 72. vniuersi quadrantes vitæ Marianæ, & actus illis respondentes erunt 2522880. Quid quod Deipara nonquam meritum intertupit, vt alibi ostendo. Vnde non solum vnico quadrante horario vnum actum meritorium exercuit, sed plurimos, nec solum vnius virtutis, sed plurium: & non solùm vnico gradu gratiæ in instanti conceptionis fuit exornata, sed magno sine dubio gratiæ cumulo, ne dicam immenso: nec solum gratia illi conferebatur, & intendebatur ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, vt ostendemus. Quis ergo Marianæ gratiæ, meritorumque cumulum supputare poterit? profectò solus ille, qui dignitatem tantæ Matris nouerit, nempe vnus Deus. De quo videndus Hadrianus Lyræus in Trisagio Mariano lib. 2 modo 45. Iulius Cæsar Recupitus lib. 3. q. 9. vterque de ordine nostro.

1147. Huc flecti potest titulus ille, quo Andr. Cret. orat. 2. de Assumpt. B. Virginem compellat; nempe exultationem olei vnctionis. Est igitur gratia Diuina oleum vnctionis, iuxta S. Athanasium orat. 2. contra Arrianos. In hoc ergo sensu dicitur Deipara, exultatio olei vnctionis, per Prosopopæiam, qua rebus inanimatis attribuitur, quod proprium est animalium: ac si diceret Gratia antequam Maria in lucem ederetur, quasi exilis, & marcens per hominum socordiam erat; edita autem in lucem, gaudio exiliit, ac si capax esset exultationis; quia ad viuacitatem actuosam naturæ suæ rediit, quia absolutissima, ac perfectissima fuit in B. Virgine, & instructa, ac præmunita omnium virtutum infusarum satellitio, ac subsidiis cælestibus roborata: cùm autem ex B. Virgine indatur hominibus spiritus ardoris flagrantissimus, ac feruentissimus, excussa ex pectoribus glacie omni frigidissima in re virtutis; ideo gratia, quæ antea diei poterat mœrere, ea ratione, qua Paulus omnem creaturam vsque adhuc ingemiscere dixit, quia non vsurpatur in eum finem, in quem à Deo condita est; per Mariam quasi gestire gaudio dicitur. Præterea vnctionis oleum sumitur à S. Ambrosio lib. 1. de Spiritu sancto c. 8. pro ipso Spiritu sancto; satis autem inclaret, valde exhilaratum fuisse Spiritum sanctum per B. Virginem; primò, quia ex sanctissima viuendi ratione gaudium accrescit Spiritui sancto: tum quia per B. Virginem permulti ad veram vitam reuocandi erant; & non modò Angelis in cœlo, sed Deo etiam exultatio est: tum præcipuè in B. Virgine exultauit Spiritus sanctus, quia appetitum se infinitè communicandi, quodammodo in B. Virgine adimpleuit, sat melius quam in reliquis omnibus creaturis simul sumptis.

Andr. Cret.

Athan.

Gratia ante Mariam marcens & mœrens, in Maria autē gaudio exiliit.

Ambros.

Spiritus sanctus exultauit in Maria in qua appetitum infinitè se communicandi adimpleuit.

Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus, vna est Columba mea, vna est matris suæ. Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ, & laudauerunt. Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens? inquiebat Sponsus Cant. 6. Per iuuenculas, & concubinas, viatores quique intelliguntur; per Reginas, à Deo corona redimiti in cœlis siue homines, siue Angeli iam beatitudine donati: vnica inter omnes, ac singularis B. Virgo laudibus euehitur, etiam ab Angelis, modò Aurora, modò Luna, ac Sol dicitur esse; nam sicut in ortu Auroræ, ac splendente Luna orbe pleno, vel exoriente Sole, pallet reliquorum syderum decus, emoritur astrorum lux, omniumque stellarum iubar tumulatur: ita in ortu huius Auroræ Mariæ, quæ vt Luna pulchrescit, ac vt Sol emicat his gratiæ radiis, qui omnium Angelorum, & hominum, etiam Heliæ, & Enoch, licèt permittamus illos iugi meritorum cumulo gratiam adaucturos vsque in vltimum iudicij diem, in vnum redactam gratiam longè deuincunt. Præterea cùm à Deo vberrimis auxiliis, & ad bonum stimularetur, cooperabatur illis secundum omnem auxiliorum, habituumque intensionem, ac potentiarum vires; ac proinde quouis nouo actu gratiam ipsi inhærentem duplicabat, iuxta illorum sententiam, qui qualitatis intensionem ex gradibus homogeneis constituunt; at si ex heterogeneis illam componamus, duplicabat gratiam per auctuarium gradus quoad indiuiduum, vel quoad speciem incompletam distincti, & nobilioris reliquis simul sumptis. Ex quorum actuum supputatione à quibus ab instanti sui conceptus nusquam cessauit, nec somno dedita, perspecta gratiæ magnitudine in suo conceptu infusæ; si deinde superaddantur frequentia gratiæ augmenta ipsi exhibita ex opere operato, vel ex susceptione Sacramentorum, vel aliis temporibus erogata planum fiet, quod à nobis assertum est.

Cant. 6.

Quod autem aliqui arguunt: si Enoch, &

Helias suis operibus gratiam adhuc in dies adaugent, ergo omnium Sanctorum gratiam facilè superabunt per merita facta per tot annorum myriades: hoc inquam, non vrget, Deus enim hæc omnia præuidit, ac proinde gratiam Enoch, & Heliæ ita præfiniuisse, vt gratiam Apostolorum non æquarent: iuxta hæc, frænanda est aliquorum audacia non verentium aliquos sanctos Apostolis gratia & meritis coæquare, imò & præferre. Mereri adhuc Heliam, & Enoch augmentum gratiæ, & gloriæ, adstruunt Abulensis in 4. Regum 2. q. 24. Henriquez de vltimo fine c. 23. Ludouicus Tena in c. 11. epist. ad Hebr. diffic. 4. sect. 3. n. 17. Viegas In Apoc. c. 11. comm. 5. sect. 4. & plures ex Carmelitana familia. Oppositum sustinent Suar tom. 2. in 3. p. disp. 55. sect. 1. Vazq. 1. 2. disp. 116. c. vlt. Zumel. 1. 2. q 114 art. 1. disp. 1. diffic. 1. Meracius tract. de gratia disp. 14 sect. 3. vtrumque tanquam probabile tradunt Pereira tom. 1. in Gen. c. 7. de Enoch. q. 5. Ludouicus de Torres opusc. 8. dub. 7. Montesinus tom. 2. in 1. 2. disp. 35. n. 83. Ripalda de ente supernaturali tom. 2 disp. 77. sect. 5.

Abul. Henriq. Tena. Viegas. Suar. Vazq. Zumel. Merac. Pereira. Torres. Montesinus. Ripalda.

Verum Henoch, & Helias modo mereantur, prorsus problema esto.

Prima sententia ex eo probari potest, quia status viæ ex natura rei non requiritur ad meritum vitæ æternæ, vt docet Ripalda citat. cum aliis sect. 2. Sicut ergo Angelis definitum fuit tempus merendi, potuit etiam animabus separatis merendi tempus protogari. Si vero dixeris Heliam, & Enoch iam esse constitutos extra agonem, & pugnam, quæ multum conducit ad augendum meritum. Contra tamen est, nam Angeli in cœlis, Adamus in Paradiso idonei erant ad meritum, cum tamen neque agoni, neque pugnæ subiicerentur. Arbitror tamen incertum omninò esse, an Helias & Enoch modò suis operibus aliquid promereantur gratiæ, & gloriæ; id enim totum dependet ex voluntate Diuina, quæ nobis ex Scriptura non constat. Solum ergo est probabilis hæc pars ab extrinseco. Et quidem incredibile visum est, viros sanctissimos per tot annos sine merito vllo vitam transigere extra Beatitudinis patriam, quin meritorum fœnore tanta patriæ dilatio, tantumque exilium compensetur. Sed occultissima Dei consilia quis vestigare possit: Nonne Patres sanctissimi in Limbo per plures annos sine merito vllo gratiæ, aut gloriæ, patriæ exules detinebantur? ergo potuit Deus propter occulta, & sapientissima ipsius iudicia idem præstare de Enoch, & Helia.

CERTAMEN II.

Mariana Gratia Angelorum, & hominum gratiam simul sumptam superabat.

1149. QVod gratia Mariana vtriusque creaturæ, nempe Angelicæ, & humanæ gratiam superauerit, saltem in termino viæ ipsius Deiparæ, nouiores Theologi ambabus vlnis amplexantur; eamque tuentur Suar. tom. 2. in 3 p. disp. 18. sect 4. §. *secundo principaliter.* Cornelius à Lapide in Prou. cap. 31. versu 29. Sherlogus tom. 3. in cant. vestigat. 32. n. 48. Henriquez lib de vlt. fine hominis. c. 10. n. 7. Ludouicus de Torres in select. disp. par. 1. d. 24. dub. 11. Petrus de Morales in cap. 1. Matt. lib. 2. tract. 9. n. 18. & alij plures, vt in decursu congressus ostendemus. Vnus Alphonsus Tostatus in prologo Euangeliorum q. 19. sententiam negantem assectatus est, ait enim: *Fuit maximus ille amor Christi erga Ecclesiam, incomparabiliter maior, quam amor, quem habuit ad matrem suam, nam illa fuit quædam pars Ecclesiæ, & redempta est sicut vnus de Ecclesia, &c. Item Ecclesia sola est quæ est melior omni re creata, quæ sit pura creatura, nam nullus Sanctus est tantæ perfectionis, & reputationis apud Deum, sicut Ecclesia vniuersalis, licèt Domina nostra possit vocari Mater Ecclesiæ peregrinantis, nec ipsa habet priuilegia, quæ habet, nisi per Ecclesiam, quia ipsa non fuit ad tantam excellentiam assumpta, nisi vt esset mater Dei, non fuisset autem mater Christi, nisi propter nos, quia Christus non assumpsit carnem, nisi vt Ecclesiam redimeret; ideò propter Ecclesiam Domina nostra est; solus autem Christus est maior homo Ecclesia vniuersali, qui est caput eius, & Dominus, & sponsus.* Hæc autem sententia Abulensis, quod scilicet gratia Virginis Deiparæ non superet gratiam omnium Angelorum, & hominum in vnum aceruum congestam, suaderi potest primò, quia sanctorum Angelorum multitudo pene innumerabilis existit, quibus si addatur prædestinatorum hominum pene infinitam gratiam constituent: quî ergo poterit hæc gratia ex omnibus Angelis, & hominibus coalita ab vnius Deiparæ gratia excedi? Secundò quia iuxta Patres, sola Christi gratia superat omnium Angelorum, & hominum gratias in vnum redactas. Denique huc reuocari potest illud philosophicum axioma: *Propter quod vnumquodque tale, & illud magis*: sed Virgo Beata fuit dilecta, & gratiam nacta propter Ecclesiam, vt scilicet Ecclesia redimeretur; ergo tota Ecclesia magis est dilecta Deo, maioremque gratiæ portionem nacta, quàm vna Virgo Deipara.

Gratia Mariana saltem in termino viæ, & Angelorum, & hominum gratiam superauit.

Suar. Cornelius. Sherlog. Henriq. Torres. Morales. Abul.

Verior est opposita sententia docens, B. Virginis gratiam omnium Sanctorum, Angelorum, & hominum gratiæ portiones in vnum aceruum congregatas longè superare; & quidem fatemur Marianam gratiam longè inferiorem esse gratia Christi D. verùm addimus illud Dionysij Carthus. de præconio Virginis lib. 1. a 8. *Palam est*, inquit, *Christum sine mensura omnis gratiæ plenitudinem sortitam, huic plenitudini, gratiaque infinitæ Maria vehementer appropinquat.* Deinde gratia Sanctorum omnium non excedit gratiam famulorum, sed gratia Mariæ est Reginæ, ac matris; ergo rationi æquissimum erat, vt Filius plus gratiæ impertiretur vni Matri, quàm omnibus famulis simul sumptis. Tertiò Reginæ cœlorum, & Matris Dei dignitas longè excelsior est omnium Sanctorum, siue hominum, siue Angelorum dignitatibus, licet in vnum adunentur, ergo similiter gratia tantæ dignitati debita, excelsior, ac maior erit omnibus gratiæ portionibus Angelorum, & hominum simul sumptis. Quartò, Virgo Deipara seorsim sumpta chorum longe superiorem reliquis in cœlo constituit; ergo maiorem gratiam, ac gloriam sortietur, quam reliqui simul omnes chori inferiores: quemadmodum cœlum supremum omnium inferiorum orbium magnitudinem non modò exæquat, sed superat; ita chori Angelorum superiores omnium inferiorum gratiam, ac gloriam excellunt; ergo eadem ratione supremus B. Virginis chorus cæterorum omnium gratiam, ac gloriam superabit. Dion. Cart.

Cui placito subsidiantur plurimi ex Patribus D. Damascenus orat. 1. de de dormitione Virginis. *Dei matris*, ait, *& seruorum Dei infinitum* Damasc.

est

serm.

est discrimen. S. Bernardus in Signum magnum. *Maria, inquit, profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Hieron. siue

Sophr.

Sophronius serm. de Assumpt. *Cæteris per partes præstatur, Maria vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* Anselmus: *Decens erat vt Virgo ea puritate niteret, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Quæ

Dion. Carth.

verba trutinans Dionys. Carthusianus lib. 1. de laudibus Virginis art. 14. sic ait: *Sanctitate Virginis maior esse non potest, non quia Deus absoluta Dei potentia, nedum Virgini, sed aliis quoque præstare possit, sed nec decet, nec vtique fiet.* Subditque: *Sanctitate Mariæ maior sub creata Filij eius sanctitate intelligi, esseque nequit; Tum quia neque in præsenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valet; & quam in terris adepta est: Incomprehensibilis enim, vt ait Ambrosius incomprehensibiliter operabatur in matre; Tum quia Mariæ sanctitas quodammodo infinita est.* Hæc Dionysius cit. S. Basil. Seleucus in orat. de Annunc. *Virgo vni-*

Basil. Seleu.

uersos Martyres suo splendore tantum excedit, quantum Sol reliqua astra. S. Bernardinus tom. 1. serm.

Bernardin.

61. art. 3. cap. 3. *Posuit, inquit, diadema regni super caput eius, & voluit eam esse reginam. Esther 1. cap. Istud est diadema speciei, & corona gloriæ, qua Virgo super Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit euecta, ac plus Beatissima Trinitatis diligat gloriam, capiat, sentiat, & fruatur, quam omnis alia pura creatura simul sumpta, de cuius gloria post Filium participant vniuersi.*

1150. Ad Abulensem, eiusque argumenta ex dictis responderi potest; itaque vnius Deiparæ gratia ideo vocatur Immensa à Patribus, quia omnium Angelorum, & hominum ea vna gratiarum multitudinem superat; itaque non solum Christus, sed etiam eius Genitrix Sanctorum omnium gratias in vnum congestas superat.

Ad tertium, argumentum falsum assumere; nempe B. Virginem esse dilectam à Deo propter Ecclesiam magis dilectam, ita vt ex amore Ecclesiæ magis dilectæ amor in B. Virginem promanauerit: Sed cum plusquam tota Ecclesia à Deo diligeretur; vt alibi ostendo; electa fuit à Deo vt conciperet, & pareret Deum hominem, sicque remedium vniuersæ Ecclesiæ afferret: eadem ratione Christus Dominus non est propter Ecclesiam dilectus à Deo; cum tamen nisi Ecclesia redemptore non indiguisset, iuxta plurium Theologorum sententiam, Verbum diuinum humanam naturam sibi non assumpsisset. Nec obstat quod B. Virgo pars sit Ecclesiæ, sed quæ totam Ecclesiam reliquam præcellenti gratia deuincat. Sic cœlum supremum pars est orbis, sed quæ reliquas omnes partes ambitu suo cohibeat, & superet. Nec sicut quispiam alius redempta fuit Virgo Maria, vt ait Abulensis, quia Christi redemptio plus efficacitatis in vnam Virginem contulit, quam in reliquos omnes sanctos simul sumptos, quod op-

Dion. Carth.

timè declarat Dionysius Carthusianus ad illa verba Cant. 4. *Vulnerasti cor meum soror mea.* Vbi hæc habet: *Quanto quis ad maiorem beatitudinem est electus, tanto amplius videtur Christus pro ipso passus, cum ita ad excellentissimam gloriam Virgo electa sit, nonne pro ipsa specialissimè crucifixus est*

Bernardin.

filius eius. Concinit S. Bernardinus tom. 2. serm. 51. art. 3. cap. 3. *Plus, ait, pro Virgine redimenda venit Christus, quam pro omni alia creatura.* Huic sententiæ subscribit Valentia tom. 4. disp. 2. q. 1. p. 5.

Iuuat tertiam illam rationem pro nostra sententia stabilienda nouitus firmare: nempe quia dignitas matris Dei, Angelorum simul, atque hominum dignitates, licet in vnum coëant, honore, & excellentia antecellit. Sed gratia Deiparæ respondet dignitati illius, ergo gratia B. Virginis superat omnium & Angelorum, & hominum gratias, licèt in vnum cogerentur. Maior est per se nota. Minor est D. Thom. 3. p. q. 7. art. 10. asserentis: *In Matre Dei fuit gratia tali dignitati proportionata.* Et D. August. lib. de natura, & gratia: *Inde, ait, nouimus tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum concipere meruit.* D. Bonauent. in speculo cap. 5. *Si ergo Maria tam capacissima fuit ventre, quanto magis mente, & si capacitas tam immensa fuit, oportuit quidem vt illa gratia, quæ tantam implere potuit capacitatem, esset immensa.*

Ex titulo Maternitatis Dei Gratia Mariana superat & hominum & Angelorum gratiam.

D. Thom.

D. August.

D. Bonau.

Salaz.

Hanc tamen rationem labefactare conatur Salaz. tom. 2. in Prou. cap. 31. num. 190. vocatque illam infirmam, & inualidam. Primò; quia dignitas Matris Dei dicitur infinita solùm secundum quid, sicut visio Dei. Simpliciter autem finita est, atque adeo gratia illi respondens suos quoque terminos habet, ergo gratia infinita superat gratiam Marianam. Secundò arguit: illa collatio inter dignitatem Matris Dei & Angelorum, ac hominum dignitates, non est ad rem; quia fit collatio inter species, non verò inter indiuidua, quæ speciebus addita nullam perfectionem adaugent: Vnde si Angeli essent infiniti collatio eodem modo facta eadem ratione extolleret dignitatem Matris Dei, atque eodem modo probaret, illam omnes Angelorum excellentias simul sumptas superare; sed tunc in Angelis infinitis infinita gratia reperiretur, quæ tamen B. Virgini non est concedenda: ergo ratio illa infirma est, & inualida.

Sed mea quidem sententia ratio illa robustissima est, & potissima ad probandam B. Virginis inter Apostolos, & homines simul coniunctos excellentiam; eadem enim ratione, proportione seruata, dici solet de humanitatis Christi D. dignitate, & excellentia; quamuis enim vnio Hypostatica infinita sit secundum quid, simpliciter tamen finita est, quis autem inficiari audeat superexcellere dignitate omnes Angelos, & homines etiam possibiles, & infinitos, & gratia eorum infinita esset, quia gratia vnionis esset altioris ordinis, & vinceret, licèt finita, gratiam infinitam omnium Angelorum, & hominum in vnum coëuntem. Ad eum modum cum proportione, Gratia maternitati Dei debita, est gratia altioris ordinis. Per quæ ruunt fundamenta Salazarij; imò quidquid ipse obiicit contra prædictam rationem, retorqueri potest in rationem illam, quam ipse multis stabilit, ac roborat num. 191. vt erit consideranti perspicuum.

Præterea ex sanctitate Maternitatis Dei à nobis alibi asserta, deducitur, sanctitatem B. Virginis esse longè superiorem sanctitate gratiæ habitualis qualibet intensione prædita, quia dignitas Maternitatis Dei est pene infinita solo Deo minor, omnium creaturarum suprema, ergo & sanctitas habitualis, quæ ipsi competit, erit omnium creaturarum maxima, sola Dei sanctitate minor, quia sanctitati Maternitatis Dei tanquam proprietas aduenit immunitas ab omni peccato etiam veniali propter indecentiam moralem; quare ipsi attribuitur moralis impeccabilitas; hæ autem proprietates non resultant ex gratia habi-

tuali

tuali quantumuis intenſa, ergo longe maior eſt ſanctitas B. Virginis habitualis, qua Mater Dei eſt, quam ſanctitas habitualis omnium Angelorum, & hominum, cuiuſcumque ſit intenſionis.

1151. *Ex titulo Mediatricis Gratia Mariana vtriuſque creatura Angelico, & humana gratiâ, maior eſt.*

Eandem noſtram theſim multis propugnat Salaz. Mihi arridet illa ratio deſumpta ex officio Mediatricis, quo Patres aſſerunt fungi Deiparam apud Deum. Si enim Deipara eſt Mediatrix inter Deum, & homines, vt pluribus oſtendam infrà, tum per Deiparam, & propter ipſam Deo placent quotquot hucuſque Deo placuerunt: Atqui munus Mediatricis hoc expoſcit, vt plus ſola placeat quam omnes ſimul pro quibus Mediatricis officio fungitur; ergo vna Deipara ex titulo Mediatricis, plus grata eſt Deo, quàm omnes ſimul, & ex conſequenti plus gratiæ, & meriti in ea reperitur, quàm in omni creatura Angelica, & humana. Maior certa eſt, & fuſe probanda peculiari Palæſtra. Minor à paritate probatur: ex eo enim Chriſtus D. tanquam Mediatur plus omnibus placet Deo, & gratior eſt omnibus, quia omnes per illum placent Deo, ipſique ſunt grati: Niſi enim omnium meritum, & gratiam vinceret, Mediatoris munus rectè obire non poſſet, nec de tali munere conſtaret; ergo etiam vt Virgo Deipara rectè Mediatricis officio fungeretur, ſuperare vtique debuerat omnium creaturarum meritum, ac gratiam. Quod luculenter tradit D. Anſelmus de excellent. Virginis cap. 9. dum ait: *Pura ſanctitas, & ſanctiſſima puritas piiſſimi pectoris eius*, nempe Mariæ, *omnem omnis creatura puritatem, ſanctitatemque tranſcendens, incomparabili puritate hoc promeruit, vt reparatrix perditi orbis digniſſimè fieret, &c. Quæ tantorum beneficiorum ſola præ cunctis effici meruit Mediatrix.* Confirmatur, quia Deipara nihil gratiæ à Deo hominibus poſtulauit, quod ipſa viatrix priùs non promeruerit: Siquidem merita ſua Deo obtulit pro hominibus, gratiam, ac reliqua dona cœleſtia impetratura; Deus ſimiliter illa merita acceptauit; hæc enim duo ad Mediatoris munus deſiderantur; & Patres id intendunt, cùm B. Virginem noſtræ ſalutis Cauſam, ac Reparatricem appellant. Quis autem eat inficias, multo difficilius eſſe, gratiam aliis promereri, quam ſibi; ſed merita B. Virginis gratiam omnem, ac omnia dona ſpiritualia, & ſupernaturalia aliis conſecuta ſunt; ergo longè maiorem gratiam eidem Virgini compararent. Quæ quidem ratio non ſolum de omnium gratiarum ſpeciebus, ſed etiam de partiali ſingulorum indiuiduorum gratia procedit: Si quidem pro certo ſupponimus ex alibi dictis, Virginem Deiparam non ſolum dona omnia ſupernaturalia, ſed etiam gratiam omnem in omnibus hominum indiuiduis exiſtentem, gratumque facientem, ipſius Virginis meritis fuiſſe promeritam; quod optimè expendit D. Bonauent. in Speculo dum ait: *Quid mirum ſi omnis gratia in Mariam confluxit, per quam tanta gratia ad omnes defluxit? ait enim D. Auguſt. gratia es plena Maria, quam apud Deum inueniſti, & per totum mundum effundere meruiſti.* A maiori igitur ad minus arguit S. Doctor, ac ſi diceret: Nihil mirum quod omnem reliquorum omnium gratiam antecellat gratia Mariana, ſiquidem illam aliis impetrauit merito ſuo, quod longè difficilius eſt, quam gratiam omnium hominum, & Angelorum gratias ſuperantem ſibi obtinuiſſe. Merita ergo B. Virginis, quæ ſic Deus extulit, vt ad impetrandam aliis gratiam ex titulo Mediatricis acceptauerit; à fortiori ipſa eadem merita maiorem gratiæ cumulum omnibus gratiis hominum, & Angelorum, ſi in vnam coirent, peperiſſe ipſi B. Virgini; & Patres ſuis locutionibus intendunt, & ratio ipſa ſuadet, & decentia conuincit. Hæc autem ratio, & præcedens non modo ſuadent exceſſum in gratia ſanctificante Mariæ, ſed pari modo in Fide, Spe, ac reliquis virtutibus infuſis, ac donis Spiritus ſancti, in quibus omnibus B. Virgo ſuperauit omnium hominum, & Angelorum virtutes, & dona ſimul ſumpta; ſi quidem hæc omnia ſuis meritis, aliis impetrauit; ergo potiori iure eas virtutes auctiores, & intenſiores omnibus virtutibus aliorum ſimul ſumptis, ſibi promeruiſſe fatendum eſt.

Vlteriùs roborari poteſt theſis noſtra. Quia Virgo Deipara potentior eſt apud Deum ad impetranda hominibus bona, quam omnes Angeli, & homines ſimul: hæc autem maior potentia innititur gratiæ Maternitati Dei debitæ; ergo maior eſt gratia vnius Mariæ, quàm Angelorum, & hominum ſimul ſumptorum. Quam rationem firmat Richard. Vict. in illa verba Cant. 4. *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli gemelli. His*, ait, *hinnulis, dicta B. Maria vbera comparantur, quia cum tam Angeli, quam ſancti pro peccatoribus ſolliciti ſint, & eis tam meritis, quàm interceſſione ſubueniant, credendum eſt B. Virginem tantum in hoc poſſe, quantum vtraque ſimul creatura, imo vtrâque potentior indicatur, quia vtraque per hanc reparatur, nam Angelorum ruina per hanc reſtaurata eſt, & humana natura reconciliata*, & D. Bonau. in ſpeculo cap. 6. *Nec dubium eſt*, ait, *quia qua inſtruit pro liberandis offerre pretium, poſſit plus omnibus liberatis impendere ſuffragium.* Et licèt de hominibus ſolùm loquatur, ratio de vtriſque æquè probat. Suffragatur Petr. Damian. in ſerm. de Aſſumpt. *Similiter & virga Ieſſe veri prænia luminis in illa inacceſſibili luce perlucens, ſic vtrorumque ſpirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis, nec poſſint, nec debeant apparere, ſicut Sol ita ſibi ſyderum, & Luna rumpit poſitionem, vt ſint quaſi non ſint, & videri non poſſint.* Loquitur Sanctus Doctor de gloria B. Virginis, quæ cum reſpondeat meritis, ac gratiæ, de hac, eadem prorſus ratione loquendum eſt. Quod luculentius tradidit paulò antè: *Conſidera quam ſtellaris & ſerena obumbratio, quam luminoſus fulgor circularem orbem tanti ſyderis ſuperfundat, vt aliorum luminum claritatem non mediocriter offuſcet: ſic & Virgo inter animas Sanctorum, & inter Angelos euecta, merita ſingulorum, & omnium titulos antecedit. Quamuis enim*, ſubdit idem, *ſtellæ reluceant, luna tamen, & magnitudine præeminet, & ſplendore. Sic vtramque naturam Virgo ſingularis ſuperat, & immenſitate gratia, & fulgore virtutum.* Vbi expendas velim illa verba. *Singulorum, & omnium titulos antecedit*: quibus purpuratus Pater apertè noſtræ primæ rationi adſtipulatur.

1152. *Tum ex titulo potentioris virtutis ad impetrandū apud Deum.*

Cant. 4. Rich. Vict.

Bonau.

Petr. Dam.

Dices hæc locum non habere in ſententia negante B. Virginem Angelis gratiam, & gloriam impetraſſe. Reſpondeo adhuc in ea ſententia vim habere maximam, rationem ſuperiùs factam, quia Deipara inſtaurationem ſedium naturæ Angelicæ, accidentale gaudium, aliaque multa dona, quæ Angelis ex beneficio Incarnationis, hominumque redemptione obuenerunt; ſuis meritis conſecuta eſt Si quidem B. Virgo per ſe ſolam adquiſiuit, & impetrauit plura naturæ Angelicæ, quæ nullus Angelorum, nec omnes ſimul coniuncti ſuis in vnum meritis redactis conſequi potuiſſent;

tuissent; ex qoo planum fit, vt omnium gratiam, & merita coniuncta longo interuallo antecellat.

Aliam exhibeo rationem, per quam Deiparæ sanctitas, tum & gratia habitualis sit maior collectione omnium gratiarum habitualium, & hominum, & Angelorum coniunctim sumptorum: nempe quia ex maiori dignitate sanctificante personæ augetur meritum, vt probant Theologi,

Ripald.

de quo Consule Ripalda tom. 2. de ente supernaturali disput. 81. sed dignitas Matris Dei sanctificans, super omnem dignitatem gratiæ habitualis, etiam intensissimæ euehitur, ergo refundet in opera valorem meritorum longè superiorem omnibus gratiis Angelorum, & hominum coniunctim acceptis.

1153. *Tum ex actu quo filium suum morti obtulit pro mūdi salute.* Richel.

Denique nostra thesis confirmari potest ex actu, quo Deipara Filium suum pro mundi salute obtulit morti, qui fuit valde meritorius; sicut enim Christi passio pro omnibus satisfecit, ita hic actus Deiparæ omnium salutem impetrauit. Ad rem Dion Rikelius lib. 2. de laudibus Virg. art. 23. ait: *Dici potest Virgo mundi Saluatrix propter eminentiam, virtuositatem, & meritum suæ compassionis, qua patienti Filio fidelissimè, & acerbissimè condolendo excellenter promeruit, vt per ipsam, hoc est, per preces eius, ac merita virtus, ac meritum passionis Christi hominibus communicetur.* Quod si valor oblationis ex offerente, & ex re oblata desumenda est, profectò ex his capitibus infinitus valor, & immensus erui potest. Quid ergo mirum si dicamus B. Virginem tantam obtinuisse gratiam, vt Sanctorum omnium gratias in vnum coniunctas superauerit, cum per illum actum omnium salutem promeruerit de congruo, quod maius est, quam eam gratiæ plenitudinem sibi comparare, quæ reliquorum omnium gratias antecellat. Mariæ igitur oblationem in consortium adsciuit Pater æternus, vt idem Filius pro hominum salute ab vtroque parente litaretur.

1154. *Mariana gratia reliquorum SS. cumulum superantis typus fuit Manna.* Ambros.

Huius Marianæ gratiæ reliquorum Sanctorum cumulum superantis typum accipe in Manna omnium ciborum saporem complectente iuxta Ambrosij mentem Commentariolo in Psalm. 21. *Quin potius, ait, ipsam Mariam manna dixerim, quia est subtilis, & splendida, suauis & Virgo, quæ veluti cælitus veniens cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit.* Quemadmodum ergo vna in esca omnes virtute, & sapore continebantur, si enim quis pisces volebat, pisces sibi edere videbatur, si carnes diuersæ speciei desiderabantur, gustui manna applaudebat, si poma, aliosque arborum fructus, quantumuis exquisitos palatum ambibat, mox manna illorum fructuum sapores referebat. *Et paratum panem*, ait Sap. 16. *de cælo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem.* Hic igitur cibus de cœlo delapsus omnia alia alimentorum genera in vnum collecta sapore, & gustu exæquabat. Eadem ratione vni Virgini Mariæ tantus gratiæ cumulus exhibitus fuit, vt omnes Angelos, & homines & exæquauerit, & superauerit: Rectè ergo Mariam Manna cœleste vocaueris, quia cunctorum prædestinatorum merita in vnum coaceruata in se agglomerabat, sicut vnum Manna cunctorum esculentorum sapores vniuersos continebat.

1155. *In vna Maria vniuersus puluis*

Aliud huius rei symbolum habes apud Sponsum in Cant. vbi de Maria sermo attexitur, & ait: *Sicut virgula fumi ex aromatibus Myrrha, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* In quæ verba ait Petrus Damianus in sermone de Assumpt. *Reliquis gratiæ, ac virtutes per partes fuerunt distributa; at Deipara id omne quod alteris dispersum fuit. Vniuersus, inquit, puluis pigmentarius in Virginem coniectus est, quia in ea virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit, & si cæteris per partes spiritus affluit, Maria tamen tota plenitudo gratiæ superuenit.* In eundem sensum abeunt verba Philippi Abbatis lib. 4. in Cantic. cap. 2. *Quæ est ista, apud quam velut spicarum multiplicitas in manipulum se redegit? Imo vniuersitas specierum in eius mortariolo se coegit.* Vbi merita per omnes iustos dispersa in vna Maria instar manipuli coadunata reperiri censent hi Patres. Rem concludat S. Thom. à Villanoua Conc. 3. de Natiuit. B. Virginis. *Vnde sicut in creatione mundi in homine collecta est omnis creatura, ideo Microcosmus dicitur: sic in reformatione mundi in B. Virgine collecta est omnis Ecclesia, & Sanctorum perfectio, vnde Microcosmus Ecclesia dici potest.*

pigmentarius gratiarum omniū creaturarum congestus. Cant. 3. 6. Petr. Dam.

Phil. Abb.

Th. à Vill.

In vno hoc candidissimo Mariæ Vellere, quo de regia Christi humanitatis purpura contexta est; tantum roris cœlestis, scilicet gratiæ epotarum fuit, quantum in totius areæ ambitu, id est in vniuerso electorum populo; ideo Vellus Gedeonis tantum roris hausit, quantum totius areæ gleba ebiberat. Dicat ergo Bernard. serm. de Aquæductu: *Cœlesti rore aream rigaturus totum Vellus prius infudit. Redempturus humanum genus, pretium vniuersum contulit in Mariam.* Ac si diceret: id omne quod Christus Dominus vniuerso hominum generi, & si placet, Angelorum, promeruit, extra B. Virginem; totum vni Genitrici dilargitus est: id sonant verba illa: pretium vniuersum contulit in Mariam: Quare Christus Dominus non solùm pro Maria natus, aut passus, nobis enim natus, nobis datus; ac proinde Christi passio profuit vniuersis; sed vnius B. Virginis gratiarum cumulus per Christi merita exhibitus, cæterorum hominum lucra gratiarum non solum exæquauit, sed longè etiam superauit.

Bernard.

Audisti, fontem in Paradisum ascendisse de terra, eamque plenis fluentis irrigantem: Deinde in quatuor flumina dissectus, in quatuor Mundi plagas diffundebatur. Sic Christus Dominus, *fons patens domui Israel* Zachar. 13. Omnis enim gratia totius Ecclesiæ militantis, ac triumphantis, ab hoc vno fonte promanat; ita tamen vt primum totus fons in paradisum, nempe in B. Virginem pleno alueo diffundatur, ac toto aquarum impetu, in quam tota se infudit gratiæ plenitudo, non primum tempore, sed ordine intentionis, & prædestinationis; deinde fons ille gratiarum in quatuor flumina dissectus, quorum vnum Angelos fœcundauit, non per modum redemptionis; sed vt ait D. Thom. per modum illuminantis, gubernantis, & imperantis. Christus enim constitutus est etiam caput Angelorum: vel etiam vt vult Scotus, per modum merentis prædestinationem illorum, gratiam simul, & gloriam, ac cætera media in ordine ad illius finis consecutionem; quia in virtute meritorum Christi in peccatum prolapsi non sunt, & malos Angelos superauerunt. Alter flunius sanctos Limbi patres abluit, quippe virtute meritorum Christi, perruptis inferorum valuis, cœlos ingressi sunt. Vt ait Zachar. 9. *Tu quoque in sanguine*

1156. *Totus fons meritorum Christi prius in Paradi-sum Marianum effusus.*

guine testamenti eduxisti vinctos de lacu, vbi non erat aqua. Tertium flumen Purgatorias flammas extinxit, si quidem thesaurus meritorum Christi ab Ecclesia per modum suffragij animabus purgatorij applicatus à pœnis illis omnino liberantur. Quartum demum fideles omnes peruadit per septem Sacramentorum fontes sese diffundens; sed totus iste Christi fons primum B. Virginis paradisum pleno fluxu inundauit, quia in illam præcipuè tota Christi redemptio, & merita collimarunt; ideo Primogenita redemptionis nuncupatur; Tum quia plus gratiarum omnium, tam iustificantis, quam cæterarum, sola Virgo Deipara nacta est, quam reliquus, & Angelorum, & hominum in vnum coniunctorum cumulus.

CERTAMEN III.

Mariana gratia non solum in termino viæ, sed in puncto conceptionis B. Virginis, Angelorum, & hominum gratiam in vnum congestam superabat.

1157. Citra omnem ambiguitatem firmissimè tenendum est illud effatum, nempe Deiparam iuxta dignitatis excellentiam; donorum etiam, & gratiarum cumulum assecutam fuisse, nihilque in ipsa desideratum, quod ad absolutum illius dignitatis complementum deposci poterat. Si enim Imperatoria lege illud cauebatur: *Sacrilegij instar esse, dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator.* ita habet lex 2. C. de crimin. sacril. Itaque sacrilegij genus censetur in dubium vocare, an ab Imperatore ad aliquod munus euectus, illius dignus habeatur, quia Imperator eo ipso, quod summa in sede constitutus sit, summa etiam, ac rectissima ratione omnia moderari censetur, cum tamen vel ignorantia, vel deceptione falli, vel prauo aliquo affectu imbui possit: potiori iure id de Deo affirmabimus; in quem nec ignorantia, nec deceptio, nec vllus à veritate deflexus cadere potest; scilicet sacrilegij instar, & quidem maximi esse in dubium reuocare, an B. Virgo in Dei Genitricem à summo Deo Imperatore electa, digna extiterit, vt in tantum honoris fastigium eueheretur; ac proinde his gratiis, ac donis exornata, quæ tantæ dignitati proximè disponerent; cùm Deus, teste D. Thom. 3. p. q. 27. art. 4. quos alicui muneri obeundo destinat, illis prius idoneitatem, aptitudinemque exhibet, quo dignè, ac rectè suo fungantur officio. Rem firmat suffragio suo S. Bernardinus tract. de B. Virg. serm. 10. art. 2. cap. 1. *Regula*, inquit, *firma est in sacra Theologia, quod quandocumque Deus per gratiam, aliquem eligit ad aliquem statum, omnia bona illi dispenset, quæ illi statui necessaria sunt, & illum copiose decorant.* Imò Paulus id ipsum fide diuina confirmat 2. Cor. 3. *Qui & idoneos nos fecit Ministros noui Testamenti.* Hinc factum, vt deligens Deus Septuaginta viros ex senioribus, qui simul cum Moyse Reipublicæ clauum tenerent, ipsi Moysi statim intimauerit num. 11. *Et auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustineant tecum onus populi.* Quasi soli Moysi, dum solus regimini oneris incumberet, tantum gratiæ & auxiliorum subministrauerit, quantum ad rectè munus illud perficiendum sufficeret, cuius partem ab ipso subtractam, ac illis septuaginta viris communicatam, vt qui cum eo regimen subirent, idem etiam cum eo adminiculum, Deique iuuamen participarent. Cùm ergo Deus B. Virginem in Dei Genitricem prælegisset, qua dignitate nihil maius, nihil eximius in pura creatura concipi potest, ergo opus fuit, vt omnia in eam dona profunderet, quibus apta tantæ dignitati obtinendæ redderetur, alioquin suæ largitatis effusæ munificentiam in creatura omnium nobilissima subduxisse, & stagnasse videretur. Reclamantibus Patribus, August. serm. 14. de tempore, & 10. de natali Domini. *Talis*, inquit, *eligitur Virgo de toto scilicet mundo, quæ tantum haberet meritum, vt Dei filium in semetipsa susciperet.* Penes dignitatis fastigium, & donorum cumulum nactam fuisse docet August. S. Bernardus hom. 2. super Missus est. *Talem sibi ex omnibus debuit deligere, imo condere Matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* S. Thom. 3. part. quæst. 27. art. 4. *Beata Virgo fuit electa diuinitus vt Dei Mater esset, & ideo non est dubitandum quod Deus per suam gratiam eam ad hoc idoneam reddidit.* Quibus accinit Iurisconsultus leg. 2. ff. de iurisdict. omn. iud. vbi habetur: *Cui iurisdictio data est, ea quoque concessa videntur, sine quibus iurisdictio explicari non potest.* Cum eminentissima ergo Maternitatis Dei dignitate simul gratia, ac dona supernaturalia collata fuere, sine quibus ea digna nullatenus appareret, quæque multo inferiora existunt si cum Maternitate Dei conferantur.

Maria in Dei Matrem ab Imperatore Deo electa, dignissima vtique extitit.

D. Thom.

Bernard.

2. Cor. 3.

Num. 11. Solus Moyses dum muneri obibat tantū opis à Deo obtinuit, quantū suffecerat 70. viris qui postea suffecti sunt.

Aug.

Bern.

Quo argumentandi genere arguit, & euincit Paulus ad Rom. 8. Deum vniuersas bonitatis suæ diuitias in nos profudisse. *Qui etiam proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit.* Ex eo ergo quod Deus proprium filium Mariæ tradidit, vt vnus idemque vtrique esset communis filius, vnà cum illo etiam reliqua omnia elargitum fuisse; nihilque gratiæ, ac donorum, quorum capax esset Deipara sibi reseruauisse censendum est. Ex hoc etiam capite arguit S. Bernardinus infinitum gratiæ, cæterorumque donorum cumulum in Mariam profusum fuisse, quia oportuit euehi ad quandam quasi æqualitatem cum Deo, vt Deum pareret, ipsique consubstantialis fieret, vt loquitur S. Leo epistol. 13. ad Pulcheriam: *Consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur & Matri.* Hæc autem similitudo, vel quasi cum Deo æqualitas, quia à Maria secundum naturam assequi non poterat, opus fuit vt ad illam, perfectionum omnium, atque gratiarum gradibus proueheretur, quarum particeps, & capax esse poterat pura creatura. *Quod Deus*, inquit Bernardin. sermone 61. artic. 1. cap. 12. *generaret Deum, nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conueniret, vt per viam naturæ intellectus produceret Verbum per omnia sibi æquale: imo impossibile est, quod non generet Deum propter suam fœcunditatem, sed quod fœmina conciperet, & pareret Deum, est, & fuit miraculum miraculorum: oportuit enim, vt sic dicam, fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam æqualitatem creatura vnquam non experta est.*

Rom. 8.

Bernardin.

S. Leo.

Bernardin.

Hinc pronum est elicere, Marianam gratiam, 1158.
ac cætera supernaturalia dona infinito pene interuallo

Mariana gratia etiam in instanti Conceptionis longe superat gratiã vtriusque creaturæ Angelicæ & humanæ.

Bernardin.

interuallo antistare gratiæ, ac donis simul sumptis vtriusque naturæ Angelicæ, & humanæ, etiam in puncto suæ conceptionis, quia Maternitatis Dei dignitas, ad quam iam erat prælecta, infinitè superat omnia vtriusque naturæ indiuidua, nobilitate, & præstantia. *Tanta est*, inquit D. Bernardinus serm. 52. art. 3. cap. 1. *Laus, quam Virgini tribuimus, cum dicimus, Mater Dei, quod nec in personis creatis, vt Angelis, vel hominibus, nec in personis increatis reperitur hac incogitabilis dignitas, nisi in vna persona Diuina, quæ est Patris, & vna persona humana, quæ est Matris, nulli namque creaturæ hoc concessum est, nec homini, nec Angelo, vt esset Pater, aut Mater Dei.* Eo igitur ipso quod in Dei Genitricem electa fuit, ex innata, & intima ratione tantæ dignitatis iure quodam, ac naturali consecutione sibi quidquid perfectionis, & excellentiæ in pura creatura excogitari potest, vendicet, & adsciscat: *Quia electa est in Matrem, electa est ad dignitatem transcendentem omnem dignitatem Ministrorum, & famulorum*; ait idem S. Doctor serm. 61. art. 2. c. 4. Expende illa verba, *quia est electa in Matrem.* Quæ à puncto conceptionis eam gratiam, ac dona tali dignitati respondentia Angelorum omnium, & hominum gratias, ac dona superantia B. Virgini iam fuisse collata contendunt.

S. Thom.

Ex fine igitur, ad quem Maria à Deo prælecta fuit, colligit S. Thom. 3. p. q. 27. art. 5. iam in prima sanctificatione maiorem præ cæteris gratiæ plenitudinem obtinuisse, quamuis enim tunc adhuc Christu non esset coniuncta per Maternitatem, diuina tamen prædestinatione ad illam, ordinem habebat, ad quam opus erat iam vt à primo suæ conditionis exordio per gratiæ plenitudinem disponeretur. Tum opusc. 8. & in 1. dist. 44. art. 3. ad 3. de dignitate Maternitatis Dei sermonem attexens, longè excedere ait omnes Angelorum, & hominum dignitates, non solum quando Mater Dei fuit, & quasi in actu exercito, sed etiam quando futura erat Mater Dei à primo suæ conditionis momento, & quasi in actu signato. Quæ ratio confirmari potest ex S. Damasceno orat. 1. de dormit. Deip. *Prius cum ratione electa fuit vt Mater Dei esset, quam ad tantam gratiam, ergo ea gratiæ plenitudo ipsi fuit exhibita, quæ Matrem Dei decebat.* Id etiam sonant verba illa S. Laurent. Iustin. serm. de natiu. Virg. *Illam profectò adhuc in Matris vtero decubantem adamauit Verbum, sibique in Genitricem elegit, vtpote superabundanti benedictione præuentam, iamque S. Spiritus magisterio deputatam.* Vbi inter omnes, & supra omnes à Deo adamatam fatetur: at maior gratia ex maiori Dei amore in creaturam metienda est: inquit autem D. Bernardus epist. 174. *In illo instanti conceptionis plus amabatur à Deo, quam cæteri sancti, quia amabatur vt Mater futura*: ergo maior illi gratiæ plenitudo fuit infusa in instanti conceptionis, quam Angelis, & hominibus simul sumptis. Id etiam innuunt Verba S. Damasceni orat. de natiuit. Virg. cum ab ipsa natiuitate in Angelis dominatum, & excellentiam auspicatam fuisse B. Virginem, docet: eadémque ratione à conceptionis instanti idem dici posset. Pergit S. Doctor, & subdit: *Hodie clarissimus Dei Mons paritur, Mons inquam ille, qui collem omnem, ac Montem, id est Angelorum, & hominum sublimitatem exsuperat.* Si verò à natiuitate exsuperabat Angelorum, & hominum gratiam, cur non à conceptione; tunc enim iam ad Matris dignitatem erat prælecta, decebat ergo iam tunc vt gratior omnibus existeret.

Damasc.

Laur. Iust.

Bernard.

Damasc.

1159. Itaque collata fuit Virgineæ animæ à primo conceptionis momento tanta gratia, quantam omnes simul Angeli, & homines post longissima vitæ spatia sibi comparare non potuerunt: hanc duplicabat quocumque opere, & dormiens, & vigil, & in Matris vulua detenta, semper negotiabatur, nundinabatur sine vlla intermissione, nunquam à nouis gratiæ lucris cessabat, siue à Materno sinu pendens, siue balbutientibus labiis mammas appeteret, sugeretque, iam tunc Martyrum agones superabat: quia siue infantilia ageret, siue Matri arrideret, siue lac sugeret, siue cum gerula luderet; iam Laurentij flammas, Martyrumque merita ob ingentia tormenta passa longo interuallo vincebat; quia fortior illi amor insidebat, ardentior in Deum flamma illam vstulabat, & ab ardentissimo in æternum Numen amore ferebatur, dum illa omnia præstabat; ac charitatis actus, quo illa omnia crepundialia imperabantur, multo ardentior, & intensior erat actibus illis, quibus Laurentius vstulatam costam, Paulus Neroniani ensis ictus, Petrus crucem, cruentam Bartholomæus necem Deo litabant: Quid quod gratia dignificans opera illa in immensum supra omnium hominum, & Angelorum gratiam excellebat; omnium autem operum merces secundum radicem Charitatis pensatur. In cuius rei imaginem 3. Reg. 18. Nubecula illa parua, quæ de mari conscendebat, quasi vestigium hominis, Deiparam Virginem in primo suæ conceptionis ortu referebat. *Vides ne*, ait Ioan. Hierosolymitanus tract. de institut. Monachorum cap. 32. *quomodo pusilla nubecula postmodum in imbres profusissimas soluta fuerit.* Abulensis ibid. quæst. 36. supra naturam id factum opinatur, quia nunquam talis aquarum inundatio contingit, nisi post conglomeratas nubes, post repetita fulgura, tonitrua frequentia. At nubes illa Maria erat, quæ dum adhuc paruula instar vestigij hominis esset in visceribus Annæ, & tamen ea gratiarum diluuia hausit, qualia diu concretæ nubes, siue hominum, siue Angelorum nunquam effuderint.

Maior operũ merces ex radice charitatis pensatur.

3 Reg. 18.

Ioan. Hier.

Abul.

1160. Vicit Maria infantula Martyrum trophæa, Angelorum triumphos, ideò ait Isai. 11. *Egredietur Virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Quæ Virga hæc nisi Maria; inquit Tertul. lib. 5. contra Marcionem cap. 8. & quis nouus nascendi modus huius floris, scilicet ex radice: Noui forsan orbis arbos hæc: Si quidem apud nos arbores ex trunco ramos progenerant, & stolones, ex ramis folia prosiliunt, deinde flores erumpunt. Verùm hic flores Sanctorum virtutes, ac sublimia facta adsignificant, iuxta Bedam. Iam igitur capio Isai. Vaticinium: quippe radix arboris primum Mariam conceptus initium innuit, in quo Maria flores parturiuit, florentissimos, inquam, virtutum actus, qui Sanctorum omnium, post longas pugnas, agones, ac sanguinis effusionem, longo interuallo superauit, adhuc vtero conclusa Materno, adhuc tenella, & balbutiens, siue gerulæ mammis affixa, siue crepundialia agens. Ideò meritò dixerim lac, quo infantula Maria pascebatur, lac simul, & sanguinem extitisse, quo candida, & rubicunda Deo appareret, dum lacte alebatur,

Maria infantula deuicit Martyrum trophæa, Angelorum triumphos.

Isai. 11.

Lac quo Maria infantula alebatur ſimul erat ſanguis; quo ſenſu Guarr.

alebatur, Martyrum victoriis ex effuſo ſanguine antiſtsbat merito: quo ſenſu capies Guatrici Abbatis effatum: *Vt Mater*, ait, *ſummi Virginis, & Martyris, eſſet & ipſa candida, & rubicunda; quemadmodum dilectus eius candidus, & rubicundus.* Sicut ergo cruor filij ſanguis eſt ſimul, & lac, quia alit ſimul, dealbat, & redimit; ſic lac quod infantula Maria ebibit, lac erat quia ipſo alebatur, ſanguis ſimul, quia illud ſugens, effuſum pro Chriſto Martyrum cruorem merito, & virtute referebat. Vel quia iam tunc ſe Beata Virgo Deo Patri tanquam hoſtiam immaculatam litauit pro Mundi redemptione, iamque illud, quod à Materno vbere ſugebat in ſanguinem conuerſum, filioque exhibitum tempore venturo in Mundi redemptionem lubenti affectu dedicabat.

1161. Quam appoſitè igitur Ioannes Apocal. 12. vidit Mariam recens conditam Lunam pedibus terentem: *Et Luna ſub pedibus eius.* hoc eſt, interprete Bernardo ſermone in Signum Mag. totam Eccleſiam ſub pedibus habebat Maria in primo ſuæ conceptionis exordio. Tota igitur Eccleſia Militans, & triumphans B. Virginis pedibus obuoluitur, quia eam vniuerſam vna B. Virgo in primo ſuo ortu immenſo gratiarum, ac meritorum cumulo ſupergreditur. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum?* ait Spouſus Cantic. 3. vbi Rupertus ait: *Quia ſolitaria, quia tanquam deſertum propter meritorum altitudinem omnium, & inacceſſum erat aliis.* Videlicet gratia, & gloria Mariæ in inſtanti ſui conceptus aliis inacceſſa, ita ardua, ac ſublimis, vt nullo humano, ſed nec Angelico veſtigio trita fuerit: Cui *data ſunt alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum.* Apocalypſ. 12. Sola enim Maria tam ſublimem carpere potuit ſemitam meritorum. Reliquorum Sanctorum capitibus diademata, ſeu Mediæ Lunæ honoris gratia imponuntur: at Virginis plantis Luna ſubſtratur, quia Sanctorum coronis & faſtigium eſt primum Marianæ gratiæ fundamentum, quod cecinit Dauid Pſalm. 86. *Fundamenta eius in montibus Sanctis.* Vbi Sanctorum omnium gratia, ac merita faſtigiantur, & perficiuntur, ibi Mariana gratia, & meritum exorditur.

Apoc. 12. Maria in ortu ſuo totam Eccleſiã ſub pedibus habebat, quia illam gratia ſuperabat. Bern.

Cant. 3. Rupert. Maria tanquam deſertum omnium, & inacceſſum hominibus, & Angelis propter meritorum altitudinem. Apoc. 12.

Coronis & faſtigium Sanctorum, primum Mariæ fundamentum. Pſal. 86.

CERTAMEN IV.

An Deipara aliam gratiam receperit ex opere operato, dempta ea, quæ per Sacramentorum ſuſceptionem conferebatur.

GRatiam ex opere operato hîc intelligo cum Vaſq. tom. 2. in 3. partem diſputat. 119. cap. 7. num. 58. omnem illam gratiam collatam ex ſola voluntate Dei vltra dignitatem meriti ipſius recipientis illam, quod duobus modis contingere poteſt, vel ſine vllo Sacramento, vel per Sacramentum. Negat igitur Vaſq. cit. cap. 8. num. 77. collatam fuiſſe B. Virgini gratiam extra Sacramenta vltra merita propriæ diſpoſitionis.

Vaſq.

1162. Arbitror tamen, præter gratiam collatam B. Virgini ex opere operato in ſuſceptione Sacramentorum Baptiſmi, Eucharistiæ, Confirmationis, & Extremæ-Vnctionis, multiplicem recepiſſe gratiam ex opere operato: Ita D. Thom. 3. part. quæſt. 27. art. 5. qui an eam in prima ſanctificatione accepiſſe. *Quod ſi obiicias*; in prima ſanctificatione recepiſſe gratiam per propriam diſpoſitionem, atque adeò ob meritum de congruo: at vbi interuenit meritum de congruo, non confertur gratia ex opere operato, ſed ex opere operantis. Alibi autem oſtendimus B. Virginem per propriam diſpoſitionem in puncto conceptionis ſanctificatam fuiſſe. *Reſpondeo* tamen B. Virginem in prima ſanctificatione intenſiorem gratiam recepiſſe, quàm ſit illa diſpoſitio, quæ præceſſit: ſicut quando quis in eodem inſtanti, quo ſacramentaliter abſoluitur, elicit actum contritionis, non ſolum recipit gratiam, ex opere operantis reſpondentem contritioni tanquam merito de congruo; ſed etiam gratiam ex opere operato reſpondentem Sacramento. Eadem ratione B. Virgo in inſtanti ſuæ conceptionis gratiam recepit ex opere operantis reſpondentem propriæ ſuæ diſpoſitioni, & vltra eam etiam ex opere operato, id eſt abſque vllo merito; totus enim ille gratiæ cumulus ita immenſus, omnino ſuperauit Beatæ Virginis diſpoſitionem.

In prima ſanctificatione recepit B. Virgo gratiã ex opere operantis, & ex opere operato. D.Tho.

1163. Quod verò aliis etiam temporibus gratiam acceperit ex opere operato; vt puta quando præcipua Chriſti myſteria occurrebant, videlicet tempore Incarnationis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, vel etiam quoties infantem lactabat, faſciis obuoluebat, & contingebat. innuit S. Auguſtin. ſerm. 14. de tempore, vbi ita fatur: *Lactabis infantem proprium Creatori ſuccum porrigis lactis, & cibis cæleſtibus ſatiaris: pannis inuoluis puerum, qui tibi immortale condonauit indumentum. in præſepio ponis infantilia membra, qui cæleſtem tibi præparauit menſam.* Quia pueri ori nectareum ſtillabat rurem, fit voluptatum cæleſtium particeps. Itaque ex mente S. Auguſt. non ſolum ex lactatione, & contactu Ieſu gratiæ incrementum accipiebat Maria, ſed Dei viſione iucundabatur, quod innuit verbis illis: *& cibis cæleſtibus ſatiaris.* Quæ de clara Dei viſione exponi poſſunt. Itaque B. Maria quoties infantem vbere de cœlo pleno lactabat; non ſolum gratiam ex opere operato recipiebat, ſed ad viſionis Dei vbera ſugenda aſſumebatur: cúmque Ieſu labellis ſacchareos porrigebat lactis fluxus, voluptatis Deificæ nectare ſaturabatur. Huic noſtræ ſententiæ adhæret Caniſius lib. 4. de Deipara cap. 26. §. *Iam quod.* vbi hæc habet: *Quis igitur niſi inſulſus ambigat B. Virginem in ſumma & quotidiana, cum Emanuele familiaritate, atque coniunctione, ſingularem ex Chriſti carne fructum hauſiſſe; vt proinde mirificus quidam ſenſus ſanctiſſimi gaudij, maximæ dulcedinis, incredibilis virtutis, & præſentiſſimæ voluptatis Matri lectiſſimæ accederet, vtque per crebram Diuinæ carnis contrectationem ipſa ſubinde Mundior, ſanctior, atque diuinior effecta eſt.* Idem ſtatuit Caſtro in vita Deiparæ lib. 2. c. 10. Quod ex eo probat, quia vt aliqui docent, Ioannes Baptiſta ex aſſiſtentia Deiparæ, eiuſque præſentia prægnantis per trium menſium ſpatiũ nouos auctus in gratia fecit. Item aliqui extendunt hoc, quoties B. Virgo Ieſum puellum contingebat, vel deoſculabatur,

Frequenter etiã ex opere operato gratiam recipiebat Maria, extra Sacramenta. Aug.

Caniſ.

Caſtro.

vel

vel in vlnis habebat; & meritò: si enim de Agno casto aiunt communiter, vt qui secum illum afferat, ad castitatem alliciatur. Deinde florum fasciculus manibus attactus sui fragrantiam immittit; & de Christo, ait Euangelista, *& curabantur infirmi, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*: potiori iure dicendum, augmentum gratiæ ex Christi contactu ipsi Virgini accreuisse: ita Henriquez lib. vltim. de fine hominis cap. 10. num. 8. Cuius rei ratio ea optima assignari potest; æquum enim erat, vt quo tempore gratia, & benignitas Christi Domini præcipuè relucebat, eodem etiam gratuitæ, & liberales omnino fierent donationes, cui autem affluentius, quàm Beat. Virgini ipsius Saluatoris Genitrici. Idem etiam deduci potest ex his, quæ docent aliqui, nempe ad præsentiam B. Virginis, & Christi Domini in eius aluo delitescentis, collatam fuisse Baptistæ gratiam ex opere operato. Addunt aliqui ipsa Verba B. Virginis Elisabetham salutantis, effectiuè concurrisse ad gratiam in eodem Baptista producendam, vt de forma sacramentalis absolutionis dici solet: ergo nihil mirum, si affirmauerimus ad præsentiam illorum Mysteriorum collatam fuisse Virgini Deiparæ gratiam ex opere operato. Bene Origenes homil. 7. in Luc. & hom. 9. *Si eo quod tantum venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eam, Spiritu sancto plena prophetauit, & in vna hora tantos profectus habuit, nostra coniecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecerit, assistente Maria Elisabethæ. Valde quippe indignum est, in puncto horæ exultare infantem, repletamque esse Spiritu sancto Elisabeth; per tres verò menses, nec Ioannem, nec Elisabeth ex vicinia Matris Domini, & ipsius Saluatoris profecisse.* Eò igitur magis Beat. Virgo dicenda est gratiâ profecisse in vtero, & brachiis gestans Saluatorem, quò intimiùs Christus, & viciniùs fuit suæ Genitrici. Eadem habet Ambros. lib. 2. in Luc. cap 3. *Si primo ingressu tantus profectus exstitit, vt ad salutationem Mariæ exultaret infans in vtero, repleretur Spiritu sancto Mater infantis: quantum putamus vsu temporis sancta Maria addidisse præsentiam.*

Agnus castus ad castitatē allicit ipsum ferentes.

Henriq.

Ad præsentiam Mariæ Iesu facta gratia Ioāni ex opere operato collata fuit.

Orig.

Ambros.

1164. Insuper Christus Dominus solo tactu non solùm curabat corpora à morbis, sed animos à peccato, illis gratiam conferendo ex vi sui tactus; ac ideò ex opere operato, vt colligitur ex D. Thom. 3 part. quæst 44. artic. 3. Et erui potest ex verbis illis Christi Domini Ioan. 7. *Totum hominem sanum feci in Sabbatho.* & ex D. Augustin. tract. 30. in eadem verba: *Totum hominem*, ait, *quod sanus esset in corpore, & sanus esset in animo*: ergo multo vrgentiori ratione solo tactu Christus Dominus Virgini Deiparæ gratiæ auctus nouos contulit. Huic thesi fauet Suar. tom. 3. de gratia lib. 9. cap 1. num. 13. vbi hæc habet: *Solere Deum ex priuilegio gratiam augere sine operibus, vel Sacramentis, vt fuit in Apostolis in die Pentecostes; & credibile est fecisse in B. Virgine in eo momento, in quo Filium concepit, & fortasse in aliis; quia est Dominus gratiæ suæ, & potest illam conferre quando, & quomodo voluerit; & nihilominus etiam in illis casibus nunquam legimus dedisse hoc augmentum, nisi proprio aliquo consensu, vel cooperatione libera, vt Apostolis orantibus, Virgini consentienti, &c. Licèt illud augmentum fuerit maius, quàm talibus operibus deberetur.* Tenet tandem thesim Dionys. Richelius de præconio Virginis, ait enim:

Christus solo contactu & corpora à morbis, & animos à peccato liberabat.

D. Thom.

Ioan. 7.

Suar.

Richel.

Causalissima ergo, & virtuosissima erat caro Christi electa, atque adeo sanctissima Matris, quæ dulcissimum infantem, speciosissimumque puellum in gremio fouit, ad vbera amplexatum tenuit, sibique blandientem, & arridentem, tam suauiter osculabatur; huius inquam corpus ex tali, tantaque carnis Diuina contrectatione Deificatum censeri oportet: quantam fragrantiam, atque virtutem exinde sortitum esse, quantam sanctitatem, & gratiam mentis inde contraxisse.

Huc reuocanda verba Psalm. 44. *Omnis gloria eius ab intus in fimbriis aureis.* Itaque omnis gratiæ, & gloriæ ornamentum B Virginis à fimbriis aureis promanat; quasi omnis splendor, gratiæque pulchritudo, quæ in Maria emicat, ortum habeat à Fimbriis: vel vt transfert S. Hieronymus, *à fasciis aureis*: Euthymius vertit: *in zonis.* Omnis Mariæ decor, & iubar à fasciis proueniebat, quibus puerum Iesum conuoluebat, & stringebat; vel à zona, qua Maria in vtero suo clausum alligabat infantem Deum: *O zona pretiosa,* exclamat S. German. *quæ Deum Verbum, cùm esset in vtero inuoluisti! O iucunda zona, quæ à corruptione liberata, honesto Matris corpori appropinquasti; & illinc induisti incorruptionem manens aliena ab interitu.* Quòd si zona ex vicinitate Christi incorruptionem didicit; quid mirum quòd B. Virgo ex præseoria, & tactu Christi nouos in dies auctus in gratia ex opere operato reciperet. Itaque à fasciis, & zona Maria splendorem, gratiam, ac gloriam mutuatur: fasciis immensum Deitatis mare conclusit; Leonem ex Tribu Iuda stricta cinxit fascia, vincula ipsi iniiciens, ne hominem prædam faceret.

Psalm. 44.

Maria ex fasciis, & zona Christi gratiam, ac gloriam mutuatur.

Hieron.

Euthym.

Noua igitur gratiæ augmenta ex opere operato obuenere Mariæ toto tempore nouem mensium, quo vtero gestauit infantem Iesum sine intermissione vlla. Quod longè probabilius defendi potest in opinione Suarij tom. 3. in 3. part. disputat. 63. sect. 7. vbi docet probabile esse ex mente Paludani, Caietani, Maioris, & aliorum, quandiu permanent species sacramentales ante transmutationem in stomacho, sine intermissione conferri iustis gratiam ex opere operato. Eædem quippe rationes, quibus illud probant isti Doctores, extendi vtique possunt ad probandum nostrum intentum. Idem verisimiliter dici potest de tempore, quo Cruci adstitit; & in triduo, quo caruit Filio, & relatione Matris actuali; tunc scilicet accepisse gratiam ex opere operato: quia iuxta plurium Doctorum mentem Martyrium confert Martyri gratiam ex opere operato: Virgo autem Deipara toto mortis tempore, ac passionis Filij verè fuit Martyr, vt alibi statuimus. Et quidem D. Bernardus serm. de Passione cap 10. illud protulit de B. Virgine: *Moriebatur Maria viuens, viuendo ferens dolorem morte crudeliorem*: Ergo illo tempore gratiam accepit ex opere operato. In cuius rei confirmationem Cardinalis Hailgrinus in cap 7. Cant. tam audacter pronunciat, quàm piè, Virginem Deiparam adeò meruisse vbera puero Iesu præbendo, vt Martyribus sanguinem suum pro Christo fundentibus merito coæquari posset. *Vbera, ait ille, botris assimilata sunt, in quo mirabilis prærogatiua merendi monstratur in Virgine, quæ non minus meruit fundendo lac de vberibus suis ad Filij nutrimentum; quàm Martyres, qui per botros figurantur, meruerunt fundendo sanguinem suum in martyrio, omnium enim operum merces secundum radices charitatis pensatur.*

1165.

Maria quādiu Iesu fœta sine intermissione gratiā ex opere operato adauxit.

Suar.

Palud.

Caiet.

Maior.

Idem diceret aliquis posset de tempore, quo cruci adstitit.

Bernard.

Hailgrin.

Maria Iesum lactans Martyribus pariatur, quia gratiam ex opere operato recipiebat.

Maria quot lactationes filio præbuit tot multiplicauit Martyrij serta. Cant.7.

Cùm ergo Deipara sæpissimè vbera Filio præbuerit, plurimas Martyrij multiplicauit coronas, & quidem longè maiori gratiæ augmento, cùm talis lactatio ex longè ardentissima in Deum charitate proficisceretur: ideò forsan vbera Mariæ cum botris pariantur, Cantic. 7. *Statura tua assimilata est Palmæ, & vbera tua botris.* Rectè enim Martyres dicuntur botri, quia sanguis pro Christo fusus musti ex botris pressi similitudinem refert: opportunè autem coniunguntur palma, & vbera; quia Virgo Deipara ex lactatione Filij, Martyrij palmam præ se ferebat. Imò lac Virgineum Christo propinatum in sanguinem versum, ac fusum, nostræ fuit pretium redemptionis. Quod Meditatus fuit S. Athanasius. (Athanas.) *Suxit Mammam, vt Diuinum illud lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profudit, nihil enim est aliud, nisi sanguis albus.* Quasi diceret ex eo, ex Christi latere sanguinem fluxisse, vt ostenderet illum iam prius sub lactis specie à Matris vbere suxisse: imò ausim dicere, non magis Patrem superum, ostenso Christi latere placari, quàm Christum ad misericordiam flecti, ostenso vbere Mariano. Huc trahi posset Arnoldus Carnot. de laudib. Virginis Mariæ: (Arn.Car. *Iudicis ira vtroq; vbere Mariano interposito tanquam aggere coërcetur.*) *Securum accessum iam habet homo ad Deum, vbi mediatorem causæ suæ Filium habet ante Patrem; ante Filium, Matrem: Christus nudato latere Patri ostendit latus, & vulnera; Maria Christo pectus, & vbera.* Nescit ergo Iudicis ira serpere, ac desæuire, fortissimo vberum aggere coërcita. *Ex vberum repræsentatione à Christo precibus nobis impetrat B. hæc Mater absolutionem à culpa, & benedictionem in gratia, & glorificationem in patria:* aiebat Richard. de S. Laur. (Richard. de S.Laur.) lib.2. de laudib. Virginis, part.5. & in Cant. Mariana vbera cum turtibus conferuntur.

CERTAMEN V.

An Gratia habitualis B.Virginis sit infinitè intensa.

1166. (S.Thom. Suar. Lugo.) COmmunis Theologorum opinio denegat Mariæ infinitam gratiam habitualem. Et primùm S.Thom. eiusque Schola; Suarius etiam tom.1. in 3.part. disput. 22.sect. 1. Cardin. Lugo de Incarn. disput.16. sect. 6. nec mirum si denegent, cùm arbitrentur repugnare omne infinitum in actu; ideóque in Christo inficiantur eam gratiæ infinitudinem, adeoque multo magis in B. Virgine eandem denegant. Hoc tamen philosophicum fundamentum ad libros Physicorum conuulsimus. Alij vt Scotus, Philip. Faber, Nazarius, cum aliis, quos refert Petr. Hurtado in 2. 2. disput. 147. cum arbitrentur accidentalem gratiam, habere terminos certos, vltra quos nec Diuinitus augeri queat; idcirco impossibilem putant gratiam infinitam, vnde consequenter gratiam infinitam & Christo D. & B. Virgini denegabunt.

Quispiã suspicari posset B. Virginem gratia infinita præditã fuisse, his ductus rationibus.

Nihilominus nonnemo sibi persuadere posset, non carere sua probabilitate, Virginem Deiparam præditam fuisse infinita gratia habituali, id est actu infinitè intensa categorematicè. Nec hanc sententiam aliquam mereri censuram. Et primò hanc gratiam infinitam in intensione esse possibilem, probaui latè in Physicis cum Hurtado & aliis; & plures illam Christi animæ deferunt; Bernal. de Incarnatione disputatione 30. sectione 3. Petr. Hurtado (Bernal. Hurt.Salm.) disputatione 18. Physicæ sectione 13. & tom. de Incarnatione disputatione 48. sectione 2. subsect. 2. Id videntur innuere D. Epiphan. in orat. (Epiph.) de laudibus Virginis, vbi ait: *Gratia sancta Virginis est immensa.* S. Anselmus lib. de excellentia Virgin. (Anselm.) *Immensitatem gratiæ tuæ, & gloriæ considerare cupienti, ô Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit.* Petrus Damianus de gloria Mariana, quæ gratiæ correspondet, ait serm. 45. (Petr. Dam.) *Gloriam, quæ eam de hoc mundo transeuntem accepit, principium ignorat, nescit finem: De qua nihil aliud possumus dicere, nisi quia Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei.* Si igitur gloria Virginis principio caret, & fine; ergo est infinita; ergo & gratia Mariana, quæ semen est gloriæ. S. Damascenus (Damasc.) oratione 2. de Dormit. Deiparæ vocat Mariam *vitæ Thesaurum, gratiæ Abyssum immensam.* S. Bonauent. (Bonau.) hanc gratiæ Virgineæ immensitatem sæpius inculcat; in specul. cap.5. ait: *Immensa fuit gratia, qua Virgo fuit plena; immensum enim vas non potest esse plenum, nisi immensum sit illud, quo plenum est, &c. Tu ergo immensissima Maria capacior es cœlo, &c.* Et concludit: *Oportuit ergo vt illa gratia, quæ tantam implere posset capacitatem, esset immensa.* Quæ verba perperam Salazar tom. 2. in Prouerb. cap. 31. num. 186. asserit, videri sibi cautè legenda. (*Patrum locutiones subsidiari videtur prædictæ suspicioni.* Salaz.) Licèt enim asseramus Marianam gratiam esse infinitam, & immensam, non hyperbolicè, sed physicè, & in toto rigore philosophico, & Scholastico, nihil dignum censura aliqua proferemus. Imo iterum S. Bonauent. cit. (Bonau.) *Virgo*, inquit, *attulit aurum Charitatis infinitam.* Deinde Almaynus (Almayn.) in 3. distinct. 3. quæst. 2. docet, Mariæ tantam esse gratiam, vt maior esse nequiuerit de potentia absoluta: atqui probabilior sententia admittit, posse dari infinitum in actu; probabile ergo erit, Mariam gratia infinita præditam fuisse. Quam sententiam Almayni à nemine, quem viderim, aliqua censuræ nota inustam video.

Sed libet præsentis thesis probabilitatem rationibus fulcire. Prima sit, quia gratia infinitè intensa videtur connaturaliter debita Mariæ, qua Dei genitrix est, & vi eleuatæ ad tantam dignitatem; ergo ipsi deferenda est. Antecedens suadetur, quia Maternitas Dei reddit Mariam subiectum proportionatum, & connaturale respectu gratiæ infinitæ: Matris enim Dei dignitatem cogita, & nihil ferè tam magnum reperies, quod dignè, & connaturaliter debitum tantæ Virgini quispiam inficietur. Id ipsum sonant plures Patrum locutiones. S. Bernardus (Bern.) cit. à D.Thom. opuscul. de charitate, ait de Maria: *Hanc fecit Deus bonitatis suæ infinitam imaginem.* D.Bonauent. (Bonau.) in speculo cap. 8. ait: *Maiorem mundum posset facere Deus, maiorem Matrem, quam Matrem Dei facere non posset:* Quare sicut Filij perfectio explicari nequit, ita Dei Mater humanum superat explicatum. Idcirco appellatur à D. Bernardo serm. 4. de Assumpt. *Indicibilis.*

Id ipsum firmari potest exemplo; siquidem 1167. potest Deus nobiliores creaturas producere, nempe Angelos, homines, animantia, mundos etiam in infinitum; non verò potest Deus, nec de potentia absoluta, nec speciem nobiliorem sacerdotij, nec indiuiduum efficere: quod

quod innoit Paulus 1. Tim. 4. vbi docet fieri sacerdotium per impositionem maouum, quo ostendatur dignitas sacerdotij, pro cuius fabrica binis brachiis, ac duplici manu, & quasi iotegro impulsu tota Deitas omnem conatum admouisset, vt nullum nobilius sacerdotium in puro homine efficete valeret. Olim legem conditurus Deus vnam solùm manum sustulit, nec propriam, sed Mediatoris, & instrumenti nempe Moysis, ioxta illud Pauli ad Galatas: *Lex ordinatu per Angelos in manu mediatoris.* Deinde quando rebelles supplicio afficit, vix voam maoum adhibet, & hanc sinistram; ideóque noo multum expertam. Vnde clamat Isai. *Adhuc manus eius extenta:* Vt bonos præmio cohonestet, dexteram extendisse vidit regius Vates: *Delectationes in dextera tua vsque in finem.* At ita perfectissimum opus sacerdotium nostrum, vt ambas Dei maous, omni adhibito conatu requirat. Et ideo ait Paulus: *Cum impositione manus Presbyterij.* Vnde mos increbuit, vt sacerdotium per manuum impositionem declaretur: sicut ergo sacerdotium est dignitas, qua nulla maior à Deo effici possit in ratione sacerdotij, vtpote quia includit talem hostiam, scilicet Christum D. in ordine ad queio sacerdotium nostrum contioet dignitatem infinitam, qua nulla maior fingi, excogitarìve potest in puro homine: ita etiam, in simili dicimus, dignitatem maternitatis io B. Virgine esse infinitam in ordine ad Filium, cuius est mater, qua nûlla illustrior, aut sublimior dari possit. Vnde aptè Deipara in Cantic. ait: *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Binis manibus totum Deum occupatom intueor in exornanda, & perpolienda B. Virgine, omni admoto conamine, vt ipsamet Maria ingenuè decantat: *Fecit potentiam in brachio suo.*

1. Tim 4. 14. *En est dignitas sacerdotij nostri, vt Deus duplici manu, & quasi omni conatu in illud incubuerit.*

Galat. 3. 19.

Isai. 5. 5.

Psal. 15. 11.

Cantic. 2. 6. *Binis manibus occupatur Deus in exornanda Maria.*

Luc. 1.

Hæc Mariana infinitudo declaratur à Ierem. c.
1168. 31. per illa verba: *Fœmina circumdabit virum.* Nam aliqui obseruant, ideo vsum fuisse Prophetam verbo, *circumdo*, vt innueret Matris dignitatem; quia circumscriptio circularis cùm careat initio, & fine, infinitatem subindicat; quare infinitam Matris Dei dignitatem denotat. Et quideio Deus, Centrum vocatur; Circumferentia, Maria: nihil enim gratiarum, & auxiliorum à Christo in alios deriuari potest, quod non fit per Mariam; sicut ex centro nihil deriuari potest extra quod per circulum, & peripheriam non pertranseat. Bene igitur Maria Christum ambire dicitur, quia omnem illius potentiam, & efficacitatem sic vndequaque cohibet, vt omnem vim io se priùs excipiat. Hinc addisces cur Virginem Mariam oon Angelus, noo Seraphim obumbrat, sed sola virtus Altissimi immensa; nempe vt Mariana infinitudo perspiceretur: quippe solus Deus est maior illa, ac nemo alius infioitam B. Virginis capacitatem adæquaret. Vnde ait Doctus Idiota de Virgine Maria: *Nemo æqualis est tibi, nemo maior te nisi Deus, quia Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrans tibi, quæ eras omnium virtutum ornamento prædecorata.*

Ierem. 31. *Circumscriptio circularis cùm careat initio & fine, infinitatem innuit in Maria.*

Idiota.

Quam primam rationem insigniter confirmatã accipe à S. Bern. tmo. 1. conc. 61. art. 1. c. 12. *Quod Deus, ait, generet Deum nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura conueniret, vt per viam intellectus produceret Verbum, per omnia sibi æquale: sed quod fœmina conciperet, & pareret Deum, est, & fuit miraculorum Miraculum; oportuit enim, vt sic dicam, fœminam eleuari ad quandam æqualitatem diuinam, per quandam quasi infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam æqualitat m creatura nunquam experta est: vnde ad illam abyssum imperscrutabilem omnium charismatum Spiritus sancti, quæ in B. Virginem descenderunt in hora diuinæ conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere.* Et art. 2. c. 10. subdit: *excepto Christo tanta gratia Virgini a Domino data est, quantum vni puræ creaturæ dari possibile esset.*

Bernard.

Vbi infinitudinem gratiæ Marianæ aucupatur, ex eo quod ad Deitatis fines oppansa est, cùm Dei Filium florido io vtero continuit, ac pepetit, ac naturæ creatæ terminos transiliens fines Deitatis attigit. Quæ mens fuit S. Th. 2. 2. q. 103. art. 4. vbi docet maximum deferendum cultum B. Virgini propter affinitatem ad Deum. Vbi Caietanus sic fatur: *Natura humana ab extra ad Deitatis fines attigit, quasi vxor ab extra adueniens in thalamo vtero Virginalis, & ideò Genitrix illius affinis Deo constituta dicitur: soli B. Virgini hyperdulia debetur, quæ sola ad fines Deitatis propria operatione naturali attigit, dum Deum concepit, peperit, genuit, & lacte proprio pauit.* Quemadmodum ergo humanitas Christi D. quia se ipsa Deitatis fines attigit, oempe Diuini Verbi Hypostasim terminaos, infinitam sibi gratiam adsciscit: ita cum proportione accommoda Virgo Deipara, quia propria operatione, nempe conceptu, partu, ac lactatione prolis Diuinæ, Deitatis fines attigit, gratiæ infinitudineio sibi vendicare oportebat, quia quò dispositio propinqnior accedit ad formam, eò maiorem in se perfectionem arguit, quam ex vicinitate suæ causæ participat: Vnde dispositio eò est nobilior, quò formæ vicinior est. Cùm ergo B. Virgo in se continuerit Dei Filium omnis gratiæ fontem, quid mirum si dicamus in infinitum gratiam Virginem excreuisse.

Infinitudo gratiæ Marianæ occupari potest, quia ad Deitatis fines oppansa est.

D. Tho.

Caiet.

Deducimus ergo Deiparam, maximam obtinuisse gratiam, quam creatura habere potest; inferiorem tamen gratiæ debitæ vnioni Hypostaticæ, proportionatam tamen dignitati Matris Dei: sed gratia infinita est omnium maxima, & proportionata dignitati Matris Dei, & inferior gratiæ debitæ vnioni Hypostaticæ; ergo gratiam infinitam sibi vendicat Deipara. Maior est expressa sanctorum PP. Bern. alibi productus ait: *Iure ergo Maria Sole perhibetur amicta, quia profundissimam Dei sapientiæ, vltra quam credi potest, penetrauit abyssum; vt quantum sine personali vnione creatura conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Et D. Ansel. *Decens erat vt Virgo ea puritate niteret, quâ maior sub Deo nequeat intelligi.* Quamuis autem asseramus B. Virginis gratiam esse infinitè intensam adhuc longè inferiorem gratiæ debitæ vnioni Hypostaticæ esse fatemur: ergo, &c. Item Dionys. Carthus. apud Salaz. tom. 2. in Prouerb. c. 31. n. 189. *Sanctitate, inquit, Maria maior sub Filij sanctitate intelligi, & esse nequit: Tum quia neque in præsenti vita eius sanctitatis magnitudo ad plenum comprehendi valent; incomprehensibilis enim, vt ait Amb. incomprehensibiliter operabatur in Matre: Tum quia post assumptionem hominis a Deo, nihil præstantius conferri potest homini, quàm vt Deiparens existat.* Hæc, & alia Patrum dicta de sublimitate gratiæ Marianæ non debilia fundamenta iaciunt ad nostram thesim fulciendam; nihil enim tam excellens, tamqoe sublime de Mariana gratia protuleris, quod non eiusmodi Patrum dictis constabiliri possit. Itaque Mariaoum meritum, & gratiam infioitam di-

Bern.

Ansel.

Dion. Car.

gnoſcere poſſumus ex proportione cum termino, nempe ex eo quod ſit Mater Dei:, vnde S.Bernardinus tom.2.ſer.51.art.3.c.1. ait. *Si quis conſideret Virginei conſenſus, ad tantum myſterium, finalem terminum; clarè intelliget, quòd omnis dignitas. & perfectio incluſa in hoc quod eſt, eſſe matrem Dei, tam mente, quàm carne comprehendatur in eo quod quidem tranſcendit in merito in infinitum, quodquid aliud in Deo homine cogitari, vel dici poteſt. Si igitur terminus tam ineffabilis fuit ſuo merito proportionatus, oportet, quod meritoria perfectio huius conſenſus fuerit perfectioni ſui termini comproportionata.* Sicut ergo ex vnione humanitatis Chriſti cum Verbo, rectè Theologi deducunt naturali quadam conſecutione, inditam ei fuiſſe in puncto Incarnationis gratiam infinitam Capitis, impeccabilitatem, omnem rationem meriti, & ſatisfaciendi pro hominibus, tanquam Mediatori, & Redemptori, omnemque ſcientiam, & cognitionem eorum vſque ad cogitationes, & ſecreta cordium; denique omnia chariſmata tanto vberius, & excellentius, quàm aliis, quanto excellentius nomen Capitis hæreditauit, quàm membra; & nomen Filij, quàm famuli eius Angeli, vel homines: ſic proportione ſeruata ex dignitate Matris Dei, naturali quadam ſequela fatendum, immenſam ipſi B. Virgini gratiam exhibitam, qua etiam redderetur impeccabilis, & fieret nobis Aduocata, Mediatrix, & Corredemptrix hominum, & inditam illi fuiſſe cognitionem eorum omnium requiſitam, & ita abundantem chariſmatum, ac donorum ſupernaturalium affluentiam, quanto excellentior eſt Mater ſeruis, ſiue Angelis, ſiue hominibus. Cui placito adhæret Cornelius à Lapide in c.24.Eccleſiaſtici.

(Margin: Bernard. — Corn. à Lap.)

1169. Firmatur alia ratione hæc Marianæ gratiæ infinitudo. Nam vt ait S. Antonin.4.p.tit.15.c.17. *Maximè ſuper omnes puras creaturas fuit ipſa dilecta à Deo, quod patet ex eo, quia maximum donum ei largitus eſt Deus, vt ſcilicet Filium ſuum dilectiſſimum ſummum bonum ei communicaret.* Imò iuxta Anſel.de Excel.Virg.c.4. eam eo proſequutus eſt amore, vt maiori non poſſit. *Oſtendit*, inquit, *ipſe prius amorem, quem habebat erga Matrem Virginem, & amorem, quo nullum putamus eſſe maiorem.* Summus autem & maximus Dei amor, ſummam, & maximam, cuius eſt creatura capax, ſubinſert, & deſignat gratiam: nec concipi poteſt, Deum Patrem id ei, quod maximum eſt, nempe Filium conceſſiſſe, & quod longè minus eſt, ſcilicet gratiæ infinitudinem, eidem denegaſſe: Videndus hac de re Suar.tom.2. in 3. p.diſp.18.ſect.4.præcipue §.*Secundo principaliter*, vbi ait: licet gratia Mariana in infinitum intenderetur, nunquam excederet terminos, aut debitam proportionem dignitatis Maternitatis Dei, vbi affert Euthym.& And.Cret.ſer. de Dormit.Deiparæ. vterque ait: *Si quid quod nos ſuperat in ea Diuina operata eſt gratia, nemo miretur, immens ad nouum, & ineffabile quod in ea peractum eſt myſterium ab omni infinitate infinities infinitè exemptum.* Deinde confirmatur ex ſimilitudine, ac propoſitione inter Filium, videlicet Chriſtum, & Virginem Deiparam: ſed gratia animæ Chriſti infuſa fuit infinita, quia eſſe potuit; ergo decuit B.Virginem Chriſto eſſe ſimillimam, quia in hac etiam perfectione, & intenſione oportuit Deiparam conformari perfectioni Chriſti cum debita proportione.

(Margin: Antonin. — Anſel. — *Longè maius eſt, Verbũ Dei eſceſſiũ fuiſſe Mariæ, quam gratia infinitudinẽ.* — Suar. — Euthym. — And.Cret.)

Deinde probatur hæc gratiæ Marianæ infinitudo: quia poſſibilis eſt gratia infinita in intenſione; ergo de facto B. Virgini concedenda eſt, quia ſola intenſio infinita gratiæ eſt adæquatè propoſitionata dignitati Matris Dei; adeoque ſola decet tantam Virginem. Quæ ratio innititur verbis S. Dionyſ. Areop. de diuin. nomin. quibus probat Incarnationem Verbi Diuini, quia videlicet, licèt non fuerit medium omninò neceſſarium ad noſtram redemptionem, fuit tamen valde conueniens, ideoque à Deo deſumendum: redditque hanc rationem: *Quia Deus facit quod vult, vult quod conuenit, conuenit quod decet, decet quod eſt conſentaneum.* Eadem ratione nemo non videat, Deum feciſſe in B. Virgine quod voluit, voluiſſe quod conueniebat tantæ Matri; conueniens autem fuiſſe, quia multùm decebat Dei Matrem donis, ac priuilegiis, maximè autem gratia illam cumulare infinita, quia ita optimæ rationi conſentaneum fuit.

(Margin: Dion. Areop.)

Inſuper hanc efformo rationem ex dictis ſanctorum PP. quæ hoc congreſſu protulimus. Maius beneficium eſt dignitas maternitatis Dei, quàm gratia accidentalis infinita: ſed gratia Maternitatis Dei fuit collata Virgini Mariæ, ergo non eſt cur ei denegetur gratia accidentalis infinita. Maior conſtat: nam maius beneficium in ratione doni eſt, eſſe Matrem Dei hominis naturalem, quàm eſſe Filium adoptiuum Dei; at gratia accidentalis, quantumuis infinita, ſolùm efficit ſubiectum, cui inhære, Filium, adoptiuum Dei; verùm Mariam genuiſſe Chriſtum, illam efficit Matrem naturalem hominis Dei: cui ſaltem in radice debetur omnium gratiarum, ac donorum affluentia. Roboratur hæc ratio, quia nulla perfectio finita gratiæ habitualis aſſignari poteſt B.Virgini, quin alia intenſior deceat, & proportionetur cum dignitate maternitatis Dei, ſola ergo gratia infinita adæquabit tantam dignitatem. Item plures Doctores concedunt gratiam in ſummo gradu, finito tamen, Virgini Deiparæ, nempe ita intenſam, vt nec Diuinitus intenſior eſſe poſſit; ergo cùm gratia infinita in intenſione dari poſſit, vtique debebatur Mariæ, & actu conceſſam fuiſſe dicendum eſt: quia pertinet aliquomodo ad perfectionem, & complementum Trinitatis, vt Spiritus ſanctus infinitè ſe communicet ad extra per gratiam infinitam alicui creaturæ, nempe Mariæ, ſiquidem ad intra non poteſt. Cui theſi non ſubſcribo; ſed rationes ſolùm retuli, quibus hæc pars conſtabiliri poſſet; eas tamen Doctioribus diſcutiendas relinquo. Sequor communem ſententiam, quæ docet Marianam gratiam eſſe maximè intenſam, & in gradu ſummo, non tamen eſſe infinitè intenſam. 1170.

(Margin: *Gratia Maternitatis Dei longè ſublimior eſt gratia habituali infinita.* — *Appetitus infinitus in Spiritu ſancto communicandi ſe ſatiatur quodammodo in Maria.*)

CERTAMEN VI

Negatiuæ partis argumentis occurritur.

1171. IEcimus ſuperiori Certamine ſolida fundamenta, quibus plurimi ex Patribus, & Doctoribus Marianæ gratiæ ædificium conſtruunt. Altas egimus radices, quibus Arbor paradiſiaca B.Virginis in infinitum porrigitur, ramoſque donorum cœleſtium, vitaliumque fructuum in immenſum protendit. Rationes, inquam, produximus,

ximus, quibus Marianæ gratiæ infinitudo fulciri possit. Nunc iacta fundamenta funditus euertere, radices, quantumuis altas radicitus euellere; rationes productas infirmare, ac eneruare conatur hæc aduersariæ patris argumenta.

Vaz. Arguit ergo primum Vaz. tom. 1. in 3. p. disp. 46. c. 2. eiusque sectatores, qui quamuis admittant posse dari actu infinitum in intensione, negant tamen dari posse gratiam actu infinitè intensam, quia quælibet creatura sanctitatis, & gratiæ capax, quantaliber sanctitate prædita, potest in dies in gratia excrescere, & Deo gratior esse per nouos virtutum actus, ac proinde sanctior fieri per intensiorem formam sanctificantem, nempe per gratiam habitualem. Si autem semel admittamus gratiam infinitam secundum intensionem in B. Virgine, fieri non potest, vt vlterius intendatur; ergo vel cogimur asserere B. Virginem non adauxisse gratiam per nouas virtutum operationes; vel ipsius gratiam non fuisse infinitè intensam. Hæc autem ratio non multùm vrget: *Respondeo* ergo non esse de ratione infiniti continere omnia possibilia in eo genere; sed solum carere principio, & fine: solus Deus continet formaliter & eminenter tanquam Ens à se omnes perfectiones possibiles, quia est ens infinitum in essentia. Itaque homo gratus Deo infinitè secundum habitum solum non esset ita Iustus, quàm alius infinitè gratus secundum habitus, & actus bonos infinitè intensos, vt per se patet; siquidem B. Virgo grata Deo habitualiter vt octo, non esset ita sancta, quàm ipsa cum sanctitate habituali vt octo, & etiam cum amore Dei vt octo; ergo similiter dicendum de gratia habituali infinita; & huius rei ratio opportuna est, quia actus, & habitus sunt diuersæ species iustitiæ, & sanctitatis, quæ simul sumptæ maiorem componunt sanctitatem, quàm altera sola. Vnde B. Virgo, licèt haberet gratiam infinitam, & etiam charitatem habitualem infinitam, adhuc crescere posset sanctitate actuum, quibus posset mereri à Deo nouos habitus numero distinctos, noua etiam auxilia ad nouos actus, & nouos concursus ad nouas visiones beatificas.

Deinde vt latè disserui in Physicis, non video cur vnum infinitum non possit esse maius alio materialiter: negari siquidem non potest vnum infinitum claudere plures vnitates, quàm aliud; vt perspicuum est in infinito malogranatorum aceruo, quorum grana plura sunt, quàm malogranata. Potuit ergo B. Virgo cum gratia habituali infinita crescere sanctitate, & nouum mereri præmium: quia licèt haberet gratiam infinitam, poterat donari alia infinita, ita vt nullum opus bonum careret præmio. Quamuis ergo B. Virgo esset infinitè grata Deo per gratiam infinitam, dum aliquod bonum opus exercebat, per nouam sanctitatem Deo erat grata, atque adeo erat Deo charior, & gratior. Ex quo patet B. Virginem potuisse crescere in sanctitate, licèt gratiâ infinitâ polleret; & nouo donari præmio, quia collatâ gratiâ infinitâ, potest alia infinita donari; dari enim possunt plures sanctitates infinitæ solo numero, tum & specie distinctæ, tum habituales, tum actuales.

Secundò argui potest contra infinitudinem gratiæ Marianæ; quia gratia infinitè intensa, idemque dicendum de aliis habitibus, & actibus; non est connaturalis potentiis, & animæ B. Virginis, etiam quà Mater Dei est, & vt eleuata ad tantam dignitatem; ergo gratia infinitè intensa non est admittenda in B. Virgine. Antecedens probatur, quia maternitas Dei non tollit modum magis proportionatum, & connaturalem animæ, & potentiis Deiparæ: at modus finitus operandi magis connaturalis, & proportionatus est, quàm modus operandi infinitus. *Respondeo*, maternitatem Dei extrahere Virginem Deiparam à modo communiter, & connaturaliter operandi, eamque constituere in ordine quodam eminentiori; ac proinde plus distare Maternitatem Dei à substantia B. Virginis, ac plus improportionis cum eadem habere, quàm habet gratia infinitè intensa cum potentiis, & anima ipsius in ordine ad operationem: & tamen illa distantia, & improportio non obstitit quominus Maternitas Dei cum substantia Mariæ coniungeretur; ergo minor distantia, & improportio, quæ reperitur inter infinitam gratiæ intensionem, & limitationem, ac finitudinem potentiarum, & animæ Virgineæ minimè obstare poterit, quominus intensio gratiæ infinita coniungatur cum potentia, & anima B. Virginis finita. Confirmatur: Maternitas Dei licèt improportionata substantiæ Virgineæ, illam tamen afficit, constituitque in ordine quodam superiori, extrahens illam à communi modo operandi: ita vt non limitetur dignitas maternitatis Dei à substantia Animæ, & potentiarum Mariæ Virginis: ergo neque gratia habitualis infinita secundum intensionem limitari debet ab anima, & potentiis eiusdem B. Virginis in ordine ad operationem.

Tertiò opponi potest illud Sap. 11. *Deus omnia fecit in numero, pondere, & mensura:* Ergo omnis infinitudo est deneganda. *Verùm* ibi solùm est sermo de moderatione pœnarum, quas Deus hominibus in hac vita infligit, vt ex contextu illius capitis patet. Quòd si instes de rebus omnibus illa verba esse intelligenda. Respondeo illis verbis solùm significari numerum, pondus, mensuram, & perfectionem finitam in essentia; siquidem actus à Beatis, ac reprobis per totam æternitatem eliciendi, & numero, & termino carent. Instas, nulla alia creatura datur actu infinita, ergo nec gratia B. Virginis erit infinita. Verùm antecedens negant plures: nam in primis gratiam Christi D. infinitam agnoscunt in intensione, Pet. Hurtado in Physicus disp. 13. sect. 13. & tom. de Incarnat. disp. 48. sect. 2. Maior in 3. disp. 13. q. 3. Almainus q. 1. cum tota Schola Parisiensi. Maldon. in 2. c. Lucæ vers. 40. Bernal. de Incarnat. dis. 30. sect. 3. Deinde in receptissima sententia necessariò concedendum multiplex infinitum in actu scilicet relationum, ita vt aliæ in aliis sine fine resultent. 1172. Sap. 11.

Gratia Christi habitualem infinitè esse docent plures. Pet. Hurt. Maior. Almain. Schola Par. Maldon. Bernal.

Quartò obiiciat aliquis: si Christo D. & B. Virgini gratia infinitè intensa concedatur, fieret inde in eo genere æqualem fuisse Deiparam cum Christo in sanctitate. *Respondeo* quantumuis gratia infinitè intensa adscribatur Mariæ, non inde sequi æqualem esse in sanctitate adhuc accidentali Christo D. vt nihil dicam mudò de gratia, quâ substantialiter sanctificatur Diuinitate media vnione Hypostatica, à qua nec Diuinitus auferri posset impotentia ad peccandum. Itaque vt probabilis fert opinio, Christus D. præter sanctitatem substantialem habuit aliam gratiam accidentalem specie distinctam ab omni alia gratia iustorum, quæ poterat esse identificata cum lumine

Gratia Mariana licet esset infinitè intensa, tamen longè superatur à gratia Christi D.

mine gloriæ, vt anima ſenſitiua identificatur cum vegetatiua in animali; vel etiam poterat eſſe diuerſa ab ipſo lumine gloriæ : hæc verò gratia non poſſet moueri ad actus voluntatis per fidem, neque per ſcientiam perſe infuſam , ſed per lumen gloriæ. Hac ratione amor Chriſti licèt eſſet æqualis gradualiter cum amore Mariæ , eſſet tamen eſſentialiter melior , & ſimul etiam intenſiue maior, quia quò perfectiores qualitates ſunt, maiorem intenſionem capiunt , cum profundior intenſibilitas pertineat ad perfectionem altiorem. Ad eum modum , quo plures Theologi aiunt omnia peccata lethalia eſſe infinitæ malitiæ , & tamen maius eſt peccatum odij Dei , & diſtinctæ ſpeciei , quam peccatum contra temperantiam , ergo tametſi B. Virgo gauderet gratia infinite intenſa accidentali , poſſet tamen Chriſtus D. alias infinitè intenſas accidentales gratias diuerſæ ſpeciei habere , ex quibos infinitè vinceret gratiam infinitam Mariæ : imo nonnemo opinatur omnes gradus gratiæ accidentales poſſibiles , ſiue omnes illorum infinitudines de facto productas fuiſſe , & Chriſto tributas, quod quidem tanta probabilitate colligi poteſt, quanta colligimus ex vi vnionis Chriſto fuiſſe debitam perfectiſſimam gratiam , & gloriam , & alia ſimilia dona. Cuius rei optima ratio illa eſt, quia cum radix habitualis gratiæ accidentalis in Chriſto ſit ſanctitas ſubſtantialis , & per eſſentiam infinita , qua nulla maior aliqua ſubſtantialis eſſe poteſt : ſi ergo poſſibilis ſit gratia accidentalis , ita intenſa vt nec diuinitus augeri poſſit , hæc vtique conferenda eſt Chriſto , vt proprietas debita gratiæ ſubſtantiali ; quod ſimpliciter pertinere videtur ad modum operandi perfectiſſimum Dei , vt ſe alicui communicet modo perfectiſſimo poſſibili.

Quintò obiectari poſſet aduerſum hanc gratiæ infinitudinem Marianam ; Quia Virgo Deipara non elicuit actus infinitè intenſos : ergo non fuit prædita gratia infinitè intenſa. *Reſpondeo* iiſdem rationibus , quibus gratiæ infinitudo non ſine aliqua probabilitate in Virgine Deipara ſtatuta fuit , fundari poſſe infinitudinem habituum ſupernaturalium , imò & actuum , vtpote gratiam comitantium cum debita proportione: quod ita intelligerem , vt actus ſupernaturales pro libito poſſet Deipara elicere infinitè intenſos , vel ſolùm finitè : imò cum cohærentia doctrinæ dici poſſet habitus, & actus virtutum moralium ordinis naturalis , ſi ſemel admittamus ſortiri poſſe infinitudinem in intenſione , eam dicimus locum habuiſſe in B. Virgine ; ſicut enim iuxta communem Doctorum ſententiam, fuerunt intenſi in ſummo , quia omnem proportionem ſeruare debent ad intenſionem gratiæ habitualis, cæterarumque virtutum ſupernaturalium ; ita in ſententia admittente in Virgine Deipara gratiæ infinitudinem in intenſione , hi habitus , & actus virtutum ordinis naturalis admitti debent infinitè intenſi.

1173. Hinc autem emergit noua difficultas à nobis ſuperanda ; cùm enim potentiæ animæ B. Virginis fuerint in ſua phyſica entitate finitæ , vtique non poſſent elicere actus in intenſione phyſica infinitos , nulla enim connaturalitas, & proportio inter finitum , & infinitum reperiri poteſt. *Verùm* ex iam dictis facilè nos ab hac difficultate expediemus : Reſpondeo enim ſi potentiæ animæ Deiparæ ſpectentur in ſua phyſica entitate, veriſſimum eſt Antecedens ; ſed nullam vim exerit aduerſus infinitudinem aſſertam. Neque enim Maternitas Dei , & gratia ipſi debita eſt connaturalis , aut proportionata animæ Mariæ , quia hæc naturalis eſt , illa ſupernaturalis : ſicut ergo non obſtat phyſica illa improportio, ne ſit Mater Dei grandi gratiæ cumulo tali dignitati debito cohoneſtata , ita neque obſtabit , quin habeat gratiam habitualem infinitè intenſam , quod minus eſt , quàm eſſe matrem Dei. Proinde Maternitas Dei reddit potentias moraliter proportionatas animæ Virgineæ cum productione actuum infinitè intenſorum. *Replicabit* non nemo ; per hanc moralem proportionem non auferri actus , & habitus infinitè intenſos in entitate phyſica , magnam habere improportionem cum potentiis finitis in entitate , ergo hæ potentiæ connaturali modo non poterunt recipere habitus infinitè intenſos in entitate , nec actus elicere , aut recipere eiuſdem infinitæ intenſionis.

Maternitas Dei reddit potētias Mariæ moraliter proportionatas ad actus infinite intenſos.

Cæterum *Reſpondeo* illam habituum , & actuum receptionem , & productionem eſſe improportionatam cum intellectu , & voluntate naturali ; qua ratione etiam eſt improportionata illis quælibet receptio , & productio cuiuſlibet qualitatis ſupernaturalis : ſi verò ſumatur intellectus , & voluntas ſecundùm potentiam obedientialem , tunc productio , & receptio illa habituum , & actuum infinitæ intenſionis proportionem habent cum illis potentiis , ſiquidem potentia obedientialis , vt ſic, proportionem ſeruat cum actu quocumque , ad quem dicit ordinem , & cuius eſt obedientialis. Præterea ſemel recepto habitu in entitate infinitè intenſo , connaturaliter potentia illo prædita poterit producere actus infinitè intenſos ; ſicut ſemel recepto habitu ſupernaturali in potentia , hæc connaturaliter producit actus ſupernaturales : æquè enim proportionata eſt voluntas ornata habitu ſupernaturali infinitè intenſo in ipſa recepto ad actus infinitè intenſos : ac eſt proportionata ad volitiones ſupernaturales finitè intenſas per habitus ſupernaturales finitè intenſos : cùm ergo voluntas connaturaliter proportionetur ad volitiones ſupernaturales finitas in intenſione per habitus ſupernaturales in intenſione finitos; etiam ſufficienter , & connaturaliter omnimodam proportionem ſeruabit ad volitionem ſupernaturalem in intenſione infinitam per habitum ſupernaturalem in intenſione phyſica infinitum. Hæc dicta ſint argumentandi gratia, & præſentem quæſtionem vltro citroque exagitandi : non quod in ea ſim ſententia , videlicet B. Virginem de facto ſortitam fuiſſe gratiæ infinitudinem ſyncathegorematicè; cum nemo, quem viderim vſque modo, hanc gratiæ infinitudinem B. Virgini collatam fuiſſe , ſcriptis mandauerit. Fateor tamen argumenta producta pro ſententia affirmante , eam ab intrinſeco ſatis probabilem reddere.

CERTAMEN VII.

Vtrum B. Virgo poſt Filij conceptum fuerit capax augmenti gratiæ.

NEmo quem viderim negauit , B. Virginem 1174.
noua gratiæ incrementa feciſſe vſque ad Incarnationem

carnationem; potuit enim semper maiores virtutum progressus facere. Vnde Gabriel, qui eam gratia plenam compellauit; addidit: *Spiritus sanctus superueniet in te.* nempe vt ait Bernar. *Vt superimpleret eam, & abundantiori gratia eam cumularet.* A tempore autem Incarnationis Filij vsque ad vltimam vitæ periodum aliqui opinati sunt Virginem Deiparam in gratia non potuisse nouos auctus facere, neque amplius promereri: in quam sententiam inclinare videtur Scotus in 4.dis.4.q.6.ad 5.Almainus in 3.dist.3. q.3. imò S. Th.3. p. q. 27. art.5. aliquo modo fauere videtur huic sententiæ; ait enim gratiam B.Virginis fuisse consummatam in conceptione Filij. Adfauet S. Bernardinus ser. 51. de concept. affirmat enim B. Virginem in Filij Incarnatione tanta fuisse gratia donatam, quantam accipere potest creatura viatrix. Cui opinationi adhærescere videtur S.Ioann. Damasc. orat. 1. de dormit. Deiparæ. Vbi hæc habet verba: *Mors enim eos,* nempe alios sanctos, *perficit, beatésque ostendit, id videlicet ipsis afferens, vt in eorum virtutem nulla iam mutatio cadat; minimè tamen hoc in te vsurpabimus; neque enim mors tibi Beatitudinem attulit, neque migratio perfectionem conciliauit. Omnium etenim bonorum initium, medium, & finis, securitas etiam, ac vera confirmatio in illa seminis experte conceptione posita fuit.* Niti autem potest hæc sententia eo fundamento, nempe quia oportebat B.Virginem ad dignitatem maternitatis Dei perfectissimo modo, ac grandi gratiæ apparatu disponi, ac proinde eam tunc gratiæ plenitudinem accepisse, quantum creatura capere potest, ita vt vlterius in gratiæ profectu progredi non posset.

Luc.1.
Bern.
Quidã aiunt B. Virginem ab Incarnatione nõ amplius potuisse promereri.
Scotus.
Almain.
D.Tho.
Bern.
Damasc.

Qui opinandi modus, tanquam improbabilis explodendus est. Quare censeo potuisse Virginem Deiparam post Filij Incarnationem nouos auctus in gratia facere: ita Suar. tom. 2. in 3 p.d.18.s.1. Vaz. ibidem d.119.c.5. Durandus in 3. dist.3. q.4. n.7. Gabriel ibidem q.2.art.3.dub.1. cum Ocamo quem citat. Luculentiùs docet Scotus in 4. d.5. art.2. cuius hæc sunt verba: *Quis ambigat, quin cùm merita præmium præcedant, per tam egregia omnium virtutum officia, quæ post sacratissimum partum accumulauit, cumulatior etiam in dies, & excellentior illi accresceret gratia? fuit quidem gratia plena ante conceptionem Filij, quantum par erat, vt fieret Christi mater: attamen gratia illa non fuit eo modo summa, vt non posset deinceps meritis augeri.* Eandem thesim tenet Andreas de Vega, ac rationibus fulcit lib.10. in Trid. c.2. *Quis enim,* inquit, *neget ipsam sanctiorem, & gratiorem Deo fuisse postquam Filium Dei concepit, peperit, nutriuit, & pro nobis patienter tulit in cruce mori? si fieri potest, vt gratior sit aliquis apud Deum vno tempore, quàm alio, nescio quemadmodum possit quis credere tam parui apud Deum fuisse tanta, ac præcellentia obsequia, vt non eam, post ipsa, multò habuerit cariorem, & gratiorem? Nam quod quidam existimant datam ei esse in conceptione Filij Dei totam gratiam, quam postea meritura erat, somnium est absque vllo fundamento contra legem Dei effictum, quod eadem facilitate, qua dicitur, meritò est contemnendum.* Hanc eandem sententiam sustinent communiter Theologi in 3. dist. 3. ac Patres.

Suar.
Vaz.
Durand.
Gabriel.
Scotus.
B. Virgo post Incarnationẽ nouos sine interruptione gratiæ auctus fecit.
And.Vega.

Suaderi potest: quia incredibile videtur, vt tot labores, ac obsequia B.Virginis Filio præstita, tot etiam peregrinationes susceptæ, tot etiam dolores perpessi tempore passionis ex ardentissimo Dei amore & hominum, nullius fuerint meriti, nec augmenti gratiæ; neque B. Virginem post tot labores pro Christo exantlatos Deo gratiorem, aut cariorem fuisse. Quòd si occurras etiam Angelos quamplurima obsequia in hominum vtilitatem ex perfectissimo Dei amore exequi, quibus tamen nullos nouos auctus neque in gratia, neque in merito faciunt, neque Deo chariores, aut gratiores fiunt: imo Christus D. per tot cruciamenta tolerata, per tot patrata opera neque gratior Deo reddebatur, neque aliquid gratiæ sibi promerebatur. Verùm maximum intercedit discrimen inter Angelos, Christum, ac Deiparam; siquidem hæc semper dum fuit in corpore mortali, viatrix fuit, ac proinde semper in statu merendi fuit: nihil ergo obstare poterat quin meritum adaugeret, & gratiam operibus virtutum; non ex parte gratiæ, nondum enim erat in termino, & gratia in infinitas infinitudines protendi poterat; neque apparet quænam alia conditio deesse poterat, quæ gratiæ augmentum impediret. Commentitium autem existimo asserere B.Virginem exemptionem passam fuisse in lege communi de potentia merendi in statu viæ; hæc enim exceptio potiùs in damnum ipsius Virginis, quàm in commodum confingitur. Cur enim omnibus viatoribus conceditur potentia augendi merita per virtutum opera; B. autem Virgini denegabitur? eo præcipuè tempore, quo perfectioribus longè virtutum operibus incubuit? At Angeli cùm sint in termino, omninò augmenti gratiæ, & meriti incapaces existunt. Christus etiam D. ob infinitam Personæ dignitatem erat Deo infinitè gratus, & infinitè sanctus, non solum sanctitate substantiali, sed etiam accidentali in omni genere, vt doctè, & piè probat August. Bernal. tom. de Incarnatione, disputat. 39.

Bernal.

Vlteriùs opponet aliquis: potuisse Deum à 1175.
primo conceptionis momento dilargiri ipsi totam illam gratiæ plenitudinem, quam præuidit ipsam suis operibus prometituram, ita vt per opera, ac virtutum actus subsequentes non mereretur augmentum gratiæ de nouo obtinendum, sed haberet obtentum iam in momento Incarnationis: Nihil enim obstare poterat, quo minus Deus conferret B.Virgini eam gratiæ plenitudinem, quam toto vitæ suæ tempore comparatura erat, cùm Deus præsciret omnia illa merita, & poterat ex præuisis illis meritis, præmia ipsis correspondentia conferre: decens enim videbatur illud gratiæ augmentum B. Virgini exhibere, vt statim atque Mater Dei constitueretur; iam Deo gratissima, ac charissima toto illo gratiæ augmento exhiberetur. *Cæterùm*, hæc omnia gratis, & sine fundamento conficta sunt contra communem merendi modum, qui exigit, vt meritum præcedat præmium, & principium meriti ipsum meritum: Neque enim principium meriti cadit sub meritum. Quod si omnis gratiæ plenitudo, quæ futura erat præmium meritorum Deiparæ præcessisset eadem merita; necessariò dicendum esset fuisse principium illorum: quippe gratia, quæ anteit in operante executionem operum, est principium eorum, prout Deo grata sunt, & meritoria, atque adeo B.Virgo promeruisset ipsum principium meriti.

Rursus si B. Virgo ab instanti Incarnationis prædita fuit omni gratiæ plenitudine, quam in fine vitæ consecutura erat, ex illo ergo tempore

potuit

potuit iam producere actus amoris Dei æquales io intensione ipsi gratiæ, semper enim Diuinæ gratiæ cooperata fuit, neque obicem eius efficaciæ vnquam apposuit; sed semper operabatur ex tota intensiooe habitus gratiæ, & charitatis: at per actum vnum amoris Dei ita intensum merebatur æqualem intensionem habitus, vt in principio huius Palæstræ constituimos: ergo Virgo Deipara post primum actum suæ gratiæ adæquatum, nihil per subsequentes promeruit; quod falsum esse iam ostendimus: vel dicendum est intensiorem, quàm in instanti Incarnationis receperat, promeruisse gratiam. Dicere enim B. Virginem promeruisse eandem omninò gratiam, tam singulis actibus æqualibos, quàm omnibus simol, insolens est apud Theologos, & solum Christo concessum; cuios meritom fuit vndequaque infinitum, ideóque non fuit intensiuè maius io multis actibus, qoàm in vno. At in B. Virgine voaquæque operatio bona moralis capax erat noui præmij, cum circumstantias omnes haberet ad meritum requisitas.

Suar. Deinde probari potest assertio ex Suario tom. 3. in 3. p. d. 14. s. 1. §. *Dico primò.* Siquidem Doctores, qui opinantur B. Virginem post Filij Incarnatiooem, incapacem prorsus fuisse augmenti gratiæ, admittunt capacem fuisse plurium Sacraioentorum. Quamuis ergo valor Sacramenti, & effectus eius quoad actum non fiot necessariò coniuncta, tamen quoad capacitatem ex parte subiecti, ipsa ratio, & institutio Sacrameoti postulat, vt habeant necessariam connexionem, nam Sacramenta instituta sunt à Christo D. ad conferendam gratiam, vnde ex institutione sua solùm respiciunt personas gratiæ capaces, quæquæ ampliùs sanctitate perfici possunt: ergo vel B.Virgo fuit capax noui augmenti gratiæ, vel incapax fuit receptionis Sacramenti; vtrumqoe autem falsum est.

Vaz. Vazq. citatus eandem probat thesim hnc potissima ratione, quia quodcumque opus bonum meritorium vitæ æternæ, eo ipso quòd fiat ab homine iusto viatore, non potest non reddere ipsum magis iustum, & sanctum, quàm anteà erat; ergo non potest oon augere statum iustitiæ, & sanctitatis, quam anteà habebat per gratiam habitualem, idcóque non potest non promereri augmentum eiusdem gratiæ habitualis. Nullum autem præiodicium subiit dignitas gratiæ Marianæ, quod in hac vita noua incrementa fecerit; cùm potiùs status ipse sanctitatis cuiuscumqoe viatoris sua natora id exigat. Neque obstare potest, quòd B. Virgo plena gratia compellerur, non enim dicitur plena, sicut vas aqua plenum dici solet, quod videlicet tota ipsius capacitas ita completa sit, vt nihil eius supersit, qood nouum aliquid recipere possit; sed ibi ab Angelo gratiæ plenitudo pro superabundanti vsurpatur.

1176. Superest vt testimoniis Patrum supra allegatis respondeamus. S. Bernardinus solum intendit B. Virginem in Incarnatione Filij maiori gratia polluisse quam viatores omnes in statu viæ; non tamen intendit eam ad illum gratiæ gradum peruenisse, quem ipsa in vitæ termino habitura erat. Quando autem S. Th. ait B. Virginem in Filij conceptione fuisse in gratia consummatam, non loquitur de consommatione, quam habitura erat in gloria, sed de consummatione, per quam ita coofirmata fuit in bono, vt ampliùs peccare non posset, quod ex eisdem verbis rectè colligi potest, ait enim: *In Conceptione Filij consummata est in gratia, confirmans eam in bono,* Fateor verba S.Damasceni difficiliora esse; intelligenda sunt autem de perfectione gratiæ quoad remotionem omnis peccati, & perfectam securitatem, & confirmationem in bono, non verò quoad omnem plenitudinem, quam in termino vitæ habitura erat: Alioquin ex eisdem verbis elicere posset aliquis, Virginem Deiparam à puncto Incarnationis fuisse tam Beatam ea beatitudinis perfectione, quâ post mortem donata fuit. Ad rationem pro opposita sententia factam dicimus ab instanti Incarnationis fuisse B. Virginem gratia plenam, quia semper ea fuit gratiâ prædita, quæ pro temporis opportunitate decebat; ita tamen vt semper nouis virtutum actibus illam adaugeret: dici etiam posset Virginem Deiparam in momento Incarnationis accepisse omnem gratiæ perfectionem non formaliter, sed quasi io radice.

CERTAMEN VIII.

An B. Virgo aliam gratiam obtinuerit diuersæ speciei ab ea, quæ reliquis iustis in hac vita confertur.

Pono possibiles esse gratias alias habituales distinctæ speciei à communi cæterorum iustorum gratia, quæ modò dari solet. Ita Pet. Hurtado in volumine, de vita Christi, quod iamdiu lucem desiderat. Granados etiam contra Aluarnum in 3. dist. 3. q. 2. Et probari potest, quia non repugnat gratia specie distincta identificata cum scientia habituali per se infusa, vel quæ cum illa habeat connexionem, & dependentiam, quam modo habet gratia communis nostra cum habitu Fidei; nec repugnat alia gratia specie distincta identificata cum lumine gloriæ, charitate, & aliis habitibus per se infusis, quæ sit principium amoris, & visionis Dei; vel si nolis identificari cum lumine gloriæ, & aliis habitibus, saltem quæ haberet eam subordinationem, dependentiam, & connexionem cum lumine gloriæ, quam de facto habet cum proportione, gratia communis nostra cum habitu Fidei. Roborari potest prædicta positio, quia lumen gloriæ Beatoroin conuenit cum essentia diuina in ratione intellectuali potente immediatè elicere visionem Dei; & gratia habitualis iustorum in via conuenit cum ipso Deo in ratione, cui debeatur cognitio Dei, & amor supernaturalis, & visio beata suo tempore reddenda, sed nihil est implicantiæ, vt hæc duo prædicta identificentur in aliqua qualitate: ergo possibilis est gratia, quæ reipsa idem sit cum lumine gloriæ. 1177.

Pet. Hurt.

Gran.

Possibiles sunt gratiæ specie distinctæ à communi gratia iustorum.

Declarari potest præsens Doctrina satis apposito exemplo. Datur anima vegetatiua solùm in plantis, & anima sensitiua in Brutis, quæ simul sit vegetatiua, & anima rationalis in homine quæ simul sit vegetatiua, & sensitiua; ergo similiter dari potest gratia habitualis, quæ sit cómunis omnibus iustis sine vllo alio prædicato essentiali, & poterit dari alia gratia habitualis identificata cum habitu scientiæ per se infusæ: & alia tertia quæ idem sit cum habitu luminis gloriæ.

Confirmatur,

Confirmatur, quia vt probabilis fert opinio, potentiæ reipsa non distinguntur ab anima; ergo nec sanctitas à lumine gloriæ reipsa secernetur. Firmatur alio exemplo ducto à sensibus externis, internis, & intellectu: quippe sensus communis latiùs se porrigit, quàm quilibet sensus externus; & intellectus latiorem habet sphæram, in quam protendatur, quàm sensus interior: sic affirmari posset de gratiis illis inter se specie distinctis.

1178. Quibus ita positis, non sine probabilitate dici posset, saltem ab instanti Incarnationis, præter gratiam habitualem cæteris iustis communem, sortitam fuisse Deiparam aliam gratiam specie distinctam, quæ identificabatur cum scientia habituali per se infusa; quæ quidem gratia erat prima radix omnium qualitatum supernaturalium, & immediata causa, & adæquata in suo genere actuum amoris consequentium scientiam per se infusam. Huic gratiæ repugnabat vti habitu fidei; quia actus eius omnes erant euidentes, & licèt libertas habituum prædictæ gratiæ non poterat esse in assensibus, quia omnes erant necessarij propter euidentiam, tamen erat libertas in amore charitatis, & in aliis actibus ab aliis habitibus procedentibus.

Maria forsan obtinuit aliã gratiam specie distinctã à nostra.

Quod assertum probari posset ex illo Gabrielis: *Aue Maria gratia plena.* In Græco est participiũ κεχαριτωμένη quod gratiã altioris ordinis adsignificat, iuxta Origenem hom. 6. in Luc: vbi hæc habet: *Id enim quod ait, Aue Maria gratia plena, vbi in Scriptura alibi legerim non recordor; sed neque ad virum istiusmodi sermo est. Salue gratia plena; soli Mariæ hæc salutatio seruabatur: si enim scisset Maria, & ad alium quempiam similem factum sermonem; (habebat quippe legis scientiam, & Prophetarum vaticinia quotidiana meditatione cognouerat) nunquam quasi peregrina ea salutatio terruisset.* Nusquam ergo neque apud prophanos Authores hoc Verbum reperies, sed de nouo Lucæ Euangelistæ fuit instillatum ab Spiritu sancto, vt nouam, & altioris ordinis gratiam B.Virginis esse intelligeremus. Pulchrè Andr. Cret. Orat. de Annunc. *Inuenisti gratiam apud Deum, gratiam qualem non quisquam nactus ab æterno fuit tu, qua etenim talis fit gratia Dei, qua fontem mereatur; nacta est itaque gratiam apud Deum; & ecce concipies in vtero, & paries Filium.* Nec gratia ergo Angelica, nec humana vlla ratione conferri potest cum gratia Mariana, quia altioris est ordinis: nec mirum, quia dignitas maternitatis Dei spectat ad alium ordinem superiorem, nempe ad ordinem vnionis Hypostaticæ: sicut ergo gratia vnionis, in probabili sententia exigit gratiam accidentalem in Christo diuersæ speciei à communi gratia habituali iustorum, ita & gratia debita dignitati maternitatis, deposcit gratiam aliquam superiorem, & distinctam à communi gratia reliquorum iustorum.

Orig.

Andr. Cret.

Accuratius autem premendum adhuc participiũ illud κεχαριτωμένη quo vsus est Gabriel, ac si diceret; illa gratia plena, id enim significat participium illud appositum sine vllo articulo, iuxta Græcorum morem: si enim apponeretur articulus, innueret gratiam excellentem, & sublimem, sed eiusdem ordinis: at verò sine vllo articulo, denotat gratiam singularem ordinis superioris, itavt nulla gratia eiusdem speciei cum nostra ipsi [illegible]

mundo, rectè de illo affirmabimus, Sol illuminat hunc mundum, si verò alius Sol illustraret alium mundum, tunc rectè diceremus, Sol ille, qui illustrat nostrum hemisphærium, vt illum ab alio Sole distingueremus; qua ratione plures Interpretum accipiunt illam Pharisæorum ad Baptistam interrogationem: *Et tu Propheta?* alij legunt: *Et tu ille Propheta?* articulus ergo, *ille*, licèt denotet inter omnes esse excellentem, non tamen singularem: at verò quando deest articulus, significat rem illam esse vnicam singularem, ita vt nulla alia reperiatur intra eandem speciem. Ideò ergo Gabriel vocat Mariam gratia plenam sine articulo, vt innueret, nullam aliam creaturam, siue Angelum, siue hominem purum repetiri, qui ea gratiæ plenitudine, & specie, qua Maria plena fuit, præditus fuerit.

Quod dilucidè S. Ioann. Apoc. 12. indicauit 1179.
verbis illis: *Signum magnum apparuit in Cælo.* D. Apoc. 12.
Hieronymus ait, ibi Signum significare Miraculum. Itaque B.Virgo appositè dicitur Miraculum, & quidem non solùm naturæ, sed etiam gratiæ; ait enim, Miraculum magnum apparuit in Cælo. Sed res difficilis apparet, vocari Virginem Deiparam Miraculum in ordine gratiæ; Miraculum enim illud dicitur à Theologis, quod fit supra vires naturæ, gratia autem est supra omnes vires naturæ: ergo gratia Deiparæ dici potest miraculum supra vires naturæ, non verò miraculum supra gratiam, vel in ordine supernaturali gratiæ. Hinc ergo perspici potest, gratiam Marianam non esse supra ordinem gratiæ, cùm sit hic ordo supremus; atque adeò ex parte hac nequit dici gratia Mariana quoad substantiam Miraculosa, cùm non fuerit supra ordinem, & vires gratiæ; sed tamen dicitur gratia B.Virginis Miraculum gratiæ, triplici ex consideratione, nempe in intensione; fuit enim in summo, vel forsan infinita, qua ex parte omnes gratiæ portiones hominum, & Angelorum simul sumptas infinito interuallo superauit: Deinde in perfectione specifica, gratia enim Mariana alterius fuit speciei, altioris ordinis, & sublimioris excellentiæ. Denique quia fuit gratia disponens Mariam ad maternitatem Dei, quæ dignitas infinitudinem quandam præ se fert, & supra communem ordinem gratiæ, & pertinens ad ordinem vnionis Hypostaticæ: sicut ergo gratia vnionis est in Christo supra communem ordinem gratiæ, quæ reperitur in omni pura creatura, & petit etiam gratiam habitualem superioris naturæ, quàm sit nostra, & quoad hanc partem dici posset miraculum gratiæ, quia est supra vires, & potentiam gratiæ communis aliis creaturis; ita cum proportione dicendum de gratia Virginis Deiparæ. Hinc lucem capiunt verba Ignat. M.
S.Ignatij M. in Epist. ad Ioan. Euang. *Sicut*, inquit, *à fide dignis narratur, in Maria Matre IESV humana natura, natura sanctitatis Angelica copulatur, & hæc talia excitauerunt viscera nostra, & cogunt valdè desiderare adspectum huius, si fas est dicere, cælestis prodigij, & sacratissimi gratiæ miraculi:* Eodem modo eam compellat Epiphanius Epiph.
lib. 6. de laudib. Deiparæ: *Cæli, terraque mysterium, & stupendum gratiæ miraculum.* Et D. Damascenus Damasc.
eam vocat, *Abyssum omnium miraculorum.* Hanc etiam gratiam diuersi ordinis innuit S. Aug. de August.
Assump. tom. 9. *Humilitatis naturam sumens*, ait de Christo, [illegible]

Gratia Mariana quosdã sit dicatur miraculum?

tionis gratiam, quam concipiendus præbuit, conceptus, & natus non abstulit. Hunc etiam sensum amant verba S.Th. à Villanoua conc.3. de natiu. Virgin. *Qualis est dignitas Matris Dei? Vtique habet quandam infinitatem, esse Matrem Infiniti, & Omnipotentis; quæ autem excellentia, quæ perfectio, quæ magnitudo decuit eam, vt esset idonea Mater Dei? Hic iam sileat lingua carnis, excedit enim intellectum, & loquelam Virginis magnitudo, non modo nostram, imò fortè & suum. Fecit, inquit, mihi magna, qui potens est: sed quam magna! Nescio an ipsamet valuit comprehendere suam magnitudinem.* Attisit hæc nostra sententia doctis Theologis ex Iuniorum albo, vt refert Sherlogus tom. 3. in Cant. fol. 605. qui opinantur Beatæ Virgini gratiam sanctificantem specie omninò diuersam à communi Iustorum habituali gratia collatam.

Tho. Arch.

Sherlogus. *Gratiam B. Virginis esse specie distinctã à nostra, censent aliqui Iuniores.*

Ratione autem suadetur, quia decebat Christum nasci ex Matre, maiori infra Deum puritate decorata, & infra naturam creatam Deo hypostaticè vnitam; atqui puritas proueniens ex gratia identificata cum scientia infusa, per se est maior, quàm omnis gratia communis Iustorum, quæ ducitur per fidem ad eliciendos actus amoris. & est minor ea puritate, seu gratia, quæ identificatur cum lumine gloriæ, quæ est propria Christi D. ergo illa gratia deferenda erit Mariæ. Ex quibus consequitur, maternitatem Dei in B. Virgine cum hac gratia, quæ identificatur cum scientia per se infusa, prout à nobis declaratum fuit, esse connaturale fundamentum morale excellẽtioris adorationis, quia cùm sit sanctitas excellentior diuersæ speciei, meretur etiam adorationẽ superiorẽ diuersæ speciei ab ea, quæ debetur reliquis Sanctis, nẽpe adorationem Hyperduliæ. Deipara ergo est obiectum amicitiæ, & charitatis moralis distinctæ speciei ab amicitia, & charitate morali communi, quia est iusta, & sancta per sanctitatem specificè nobiliorem, & excellentiorem; sicut cum proportione Christus vt homo propter vnionem Hypostaticam est obiectum charitatis, & amicitiæ excellentioris, quàm reliqui iusti, & ipsa Deipara: quæ amicitia habet pro obiecto sanctitatem identificatam cum lumine gloriæ, vt suprà ostensum, quæ nulli rationali creaturæ sit debita, nec Mariæ. Ad eum modum Deipara propter maternitatem Dei, est cum illa gratia in essentia excellentiori, ac proinde ad obiectum specie nobilius terminatur habitus per se infusus etiam specie distinctus, iuxta doctrinam communem de distinctione habituum per obiecta, quæ respiciunt.

Excellentior sanctitas speciæ, excellentiorem depos. cit adorationẽ specie distinctam ab aliis.

CERTAMEN IX.

Examinat vtrùm sit peccatum, sperare à Deo aliquem posse ad illam gratiam peruenire, quam attigit Deipara.

1180. CErtum est, multipliciter delinqui posse contra virtutem Spei, vt videre est apud Doctores, S.Thom. 2.2.q.21. art.1. Valentiam 2.2.d.2. q.3. punct. 2. Sanchez in Decalogum tom.1. lib.2. c.34. n.7. Fagundez in 1. præceptum Decalogi, lib.1.c.31. Disquirimus ergo in præsenti congressu, vtrùm quis delinqueret lethaliter, si speraret à Deo se consecuturum tantam gratiam, quantam nacta fuit Virgo Deipara: & vt vera à falsis secernamus, inprimis res est comperta apud omnes, nullum reperiri peccatum in eo, qui assereret Dei accensus amore; Vellem Deum amare amore ita feruenti sicut Virgo Deipara Deum dilexit, hoc enim passim plurimi Sanctorum præstabant; & nunc plures animæ eiusmodi actus frequenter eliciunt magno cum gratiæ incremento, & merito; imò actus ille, Vellem Deum amare amore ipsius Dei; est laude dignus in D. Augustino. Quibus ita præmissis;

Nouatores, ac Sectarij gratiæ plenitudinem Mariæ Virgini non maiorem attribuunt, quam Magdalenæ, Samaritanæ, & aliis fœminis, imò quàm Latroni bono; itaque Deiparæ conditionem ferè nihilo potiorem, quàm Latronis faciunt. Et Marianum singularissimum priuilegium ad omnes, & quoslibet pœnitentes detorqueri posse turpissimè hallucinantur. O stultos, ac cæcos homines! qui se dormitando, oscitando, voluptatibus inhærendo, ac genio indulgendo, ad eam gratiæ plenitudinem, quæ in purissima Dei Matre inhærebat, subitò contingere sibi persuasum habeant. Qua de re tractat Canisius lib. 3. de Deip. c.5. §. *Ex quibus.* His igitur prætermissis.

Canis.

Dicendum reor cum P. Fagundez citat. n.20. spem illam, quâ quis speraret à Deo se habiturum tantam gratiam, quantam habuit Virgo Deipara, sapere spem Lutheranam; ac proinde esse peccatum grauissimum contra virtutem Spei, siue speraret attingere posse gratiam, quam habuit, dum hac vita mortali frueretur; vel quam gratiam, siue gloriam modò in Cœlis habet. Probatur Assertum, quia sperare à Deo aliquid contra ordinem naturalem Diuinæ prouidentiæ, est præsumptio temeraria; sed iuxta præscriptum à Deo ordinem, Virgo Deipara eam gratiæ plenitudinem assecuta est, vt vidimus, quæ reliquarum creaturarum intelligibilium gratiam longo interuallo superaret: id enim totum decebat Virginem Beatam, quæ Dei Genitrix futura erat; ergo, &c. Maior per se patet: velle enim inuertere Diuinæ prouidentiæ ordinem, quæ in promissionibus Diuinis fundamentum habet, est maxima inordinatio, Deóque iniuriosa; destruit enim debitum ordinem Diuinæ prouidentiæ, ac diuinarum promissionum, quo destructo, Spei fundamentum corruit, quod nititur Diuinis illis promissionibus, quæ ex Scripturis sacris affatim constant.

Fagund.

Spes quâ quis speraret se habiturum eam gratiã, quam habuit B. Virgo, est peccatũ grauissimum.

Quam autem censuram mereatur impium il- 1181.
lud Assertum, videlicet aliquem Sanctum ad eum sanctitatis gradum conscendisse, ad quem B. Virgo peruenit: Censeo eiusmodi propositionem esse temerariam, ne dicam esse manifestum errorem vltra temeritatem, quia est contra omnium sanctorum PP. ac Theologorum placitum, qui vnanimi consensu docent, B. Virginem ad eum sanctitatis cumulum deuenisse, quem nulla creatura attigit; vt toto huius Palæstræ decursu demonstrauimus; idemque esto iudicium de ipsius beatitudine: & quidem aliquis assignari debet terminus intensionis, seu augmenti gratiæ Marianæ, qui licèt finitus sit, non possunt reliqui iusti secundùm ordinariam potentiam ad illum perfectionis gradum peruenire. Ratio est, quia augmentum hoc nequit fieri nisi iuxta vires gratiæ, & auxilia. hæc autem non dantur hominibus sine mensura, sed iuxta certam legem à Deo statutam:

Error manifestus est asserere aliquẽ sanctũ, peruenisse ad cumulum gratiæ Marianæ.

starutam: ergo potentia crescendi, quæ ex illis consurgit, limitata est ad aliquem certum terminum saltem extrinsecum, qui à nemine attingi possit de lege ordinaria. Quod ampliùs roboratur, nam vt Virgo Deipara posset crescere vsque ad tantam perfectionem gratiæ, opus fuit adiuuari talibus auxiliis, & ita singularibus prærogatiuis, quæ secundùm ordinariam legem aliis iustis non conferuntur, nec aliquando conferentur: ergo absolutè loquendo nequeunt alij iusti ad illum augmenti terminum peruenire, quia nequeunt id propriis viribus præstare, vt certum est; neque ex parte Dei offeruntur auxilia adhuc sufficientia ad tam sublime gratiæ augmentum promerendum; ergo ille gratiæ Marianæ terminus assignari potest, vt terminus extrinsecus augmenti gratiæ respectu aliorum hominum, & Angelorum. Sola quippe B. Virgo semper Dei voluntatem, & gratiam attentè excepit, eique ex æquo operata est; vt si reciperet gratiam intensam vt mille, eliceret actum intensum vt mille, idque continuò absque vlla interceptione; quod nullus cæterorum Sanctorum præstitit; infirmitas enim humana nunc in intensione, nunc in continuatione deficit, nunc ex frequenti actuum repetitione fatiscit intensorum, vt Dei gratiam adæquare non possit. Qui tamen, licèt ad tempus, ita generosi sunt, vt eam maximè adæquare conentur, hi maximos in virtute, & gratia progressus faciunt. Est igitur gratia B. Virginis maxima, quam ipsa potuit physicè habere, & omni vocatione, qua pulsata fuit, est vsa omnibus neruis, ac conatu: quòd si opera intensiora non exercuit, non fuit ex incuria, aut negligentia, sed ex voluntate Dei volentis illam donari gratia ita sublimi, & non maiori. Hæc autem gratia Mariana est, vt dixi, terminus extrinsecus, quem nulla pura creatura attigit, nec physicè attingere potuit, quia nulli Deus dedit vocationes, cæteráque auxilia, quibus impetrare potuisset tantum gratiæ cumulum.

1182. Et quamuis quispiam optaret mereri apud Deum eos gratiæ gradus, quos B. Virgo promeruit; nunquam tamen, nec longa intercapedine ad Mariana merita perueniret, quia voluntas illa interior non est commensurata obiecto, neque in re est adeò efficax, quanta fuisset, si conditio, sub qua fertur, potuisset compleri, aut esset iam completa: & patet in desiderio amandi infinitè Deum quod habet pro obiecto infinitum Dei amorem, ac proinde quolibet intensionis gradu fiat, nunquam tamen adæquabitur illi obiecto infinito, neque illam vim, & efficaciam habebit, quâ amor infinitus ad Deum, si in te poneretur: imò infinito interuallo ab illo distaret, ideóque desiderium illud, infinitum meritum habere nequit: Eadé ergo ratione de illo desiderio, quo quis optaret ad eum meritorum cumulum deuenire, quem de facto attigit Virgo Deipara, dicendum est, quia merita B. Virginis secum includunt plurimos, ac perfectissimos [illegible] internos intellectus, & voluntatis,

Desiderium amandi Deũ infinitè, infinito interuallo distat ab amore infinito Dei.

CERTAMEN X.

An & quomodo B. Virgo in gratia confirmationem sibi nacta fuerit.

Communi omnium Patrum, ac Doctorum consensu B. Virgini defertur priuilegium immunitatis ab omni culpa actuali, ac proinde priuilegium singularissimum confirmationis in bono. S. Ildephonsus apud Salaz. de Concep. c. 31. n. 25. ita habet: *Nam Angelica forma naturæ ante soliditatem fragilis, ante firmamentum labens, ante stabilitatem ruens, ante robur titubans, at què nutans: hæc Fœmina sanctificationis vas; vel, vt alij habent, basis est.* Decuit sanè, vt quæ superior Angelis erat, superior etiam gratia ipsi exhiberetur; in eo ergo vicit Mariana gratia gratiam Angelorum, quod hæc ab initio inconstans, & nutans, illa verò firma, & inconcussa existeret: vnde vocatur ab Anselmo Sanctificationis basis, quia stabilis, instar columnæ fuit: & Sapiens Idiota: *Angelicæ naturæ peccato vacillauerant, ideò te gloriosam Virginem Mariam ædificauit in domum solidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare posset.* S. Greg. Thaumaturgus ser. 2. de Annunc. B. Mariæ, *Hæc*, inquit, *virtutis domicilium, fons perennis, hæc iustitiæ munimentum græcè ὀχύρωμα; quod significat locum munitissimum.* D. Bernard. in ser. de B. M. *Prius eam Altissimus, sibi quasi mundum specialissimum condidit, quàm tu iustitia, & sanctitate coram ipso fundaret.* Hæc autem confirmatio in gratia in B. Virgine nequaquam fuit, sicut in Apostolis, & reliquis, sed sublimiori quodam modo simili illi, quo Beati in Patria potiuntur, itavt ab omni culpa etiam leuissima eam remoueret; ita vt charitas non solùm non defecerit, sed nec quomodolibet deferuere vnquam potuerit; quem confirmationis modum innuit S. Thom. 1. p. q. 100 art. 2. *Ex hoc*, inquit, *creatura rationalis in iustitia confirmatur quòd efficitur Beata per apertam Dei visionem, cui viso non potest non inhærere, cùm ipse sit essentia ipsa bonitatis, à qua nullus potest auerti, cum nihil desideretur, nec ametur, nisi sub ratione boni, & hoc dico secundùm legem communem, quia ex aliquo priuilegio secus accidere videtur, sicut de Virgine Matre Dei.* Itaque iuxta S. Doctorem, Deipara ea confirmatione in gratia fuit potita, quâ gaudent Beati in Cœlo; in hoc tamen dissentimus tanto Doctori, quòd ille gratiam hanc confirmatam B. Virgini non in primo Conceptionis instanti, sicut nos, sed in Incarnatione Verbi fuisse collatam adstruit.

Sicut ergo Beati, quia in Deo omnem rationem boni sine intermissione clarè contemplantur, ac vident, nequeunt conuerti ad bonum temporale amandum; sic similiter B. Virgo sine aliqua intermissione res Diuinas, ac Deum contemplans, tantam in ipso bonitatem appre- 1184.

1183. *Ildeph.* *Idiota. Mariana gratia superat Angelicã, quia hæc initio nutat, illa stabilis ac constans.* *Gregor.* *Bern.* *D. Thom.* *B. Virgo Viatrix ea confirmatione in gratia prædita fuit, qua Beati gaudent in cælo.*

Alb. M.

enim libertatem eius lædere intendimus. Quod docet Albert. Magnus in Mariali c. 175. *Quarto modo dicitur non poſſe peccare id quod habet coniunctionem ad naturam inuertibilem per medium, quod ſecundum naturam ſuam in ſe quidem eſt ſeparabile; ſed tamen quia omninò eſt ſeparatum à contrario repugnante, vel reſiſtente, vel impediente, propterea in tali ſubiecto eſt inſeparabile in ſummo? hoc modo dicitur B. Virgo non poſſe peccare.* Suar tom. 2. in 3. p. diſp. 4. ſect. 3. docet certum eſſe de fide, B. Virginem nunquam amiſiſſe gratiam, quam in prima ſanctificatione accepit, atque adeò in illa fuiſſe confirmatam, & infallibile perſeuerantiæ donum accepiſſe. Quod firmari poteſt ex vnanimi Eccleſiæ conſenſu, & traditione. Deinde Eccleſia feſtum Natiuitatis B. Mariæ indicens decernit vtique hoc ipſo, tunc eam iam fuiſſe inamiſſibili ſanctitate decoratam; ſiquidem Eccleſia nullam ſanctitatem publico, ac ſolemni cultu veneratur; ac ſuſpicit; niſi eam, quæ defectui non ſit obnoxia, quæque perpetuò duratura ſit.

Suar. De fide eſt B. Virginem ſemel acceptã gratiã nunquã amiſiſſe.

Vt autem eximium, & ſingulare quoddam eſſe donum confirmationis in gratia intelligamus in B. Virgine, diſtinctum ab aliis, neceſſe eſt, vt admittamus auxilia quædam ſuperioris ordinis à Deo in tanti numeris faſtigium prædefiniri: quæ ſecundùm ſuam entitatem ita valida, & intenſa forent, vt non ſolùm conducerent ad vitanda quoquomodo peccata grauia, & leuia vſque in vltimam vitæ periodum, ſed ad eam facili negotio, & delectabiliter ſuperanda: quorum virtute, & efficacia licèt maneret libertas phyſicè ad delinquendum, moraliter tamen impotens omninò cenſeretur, hoc eſt ita virtus quæuis facilis, ac ſuauis reddebatur Deiparæ; quodlibet autem peccatum ita horridum, & iniucundum; vt impoſſibile appareret in lapſum incidere. Quod ſi in gratiæ, & donorum, ſiue auxiliorum plenitudinem refundatur hæc ad delinquendum impotentia, ſiue in virtutum vigorem, ac robur, ex eo dicemus impotentem B. Virginem ad peccãdum, quia talia futura præuidebantur auxilia, & dona, vt ſemper facillimè, ac iucundiſſimè ferretur, & alliceretur voluntas in actus virtutum, nunquam vel leui maculanda næuo. Nunc autem veſtigare oportet, in quo potiſſimum ſita ſit ratio formalis huius confirmationis in gratia in Virgine Deipara.

1185. Perperam aliqui ſufficere autumant ad hanc confirmationem in gratia, ſolam fomitis peccati ablationem; ſiquidem Protoparentes in ſtatu innocentiæ eiuſmodi peccati fomite carebant. Nec ſufficit ſuggeſtionum remotio externarũ, quibus à Dæmone pulſamur, quia Angeli eo inſtanti, quo viatores extiterunt, nulla ab extrinſeco ſuggeſtione ad malum fuerunt attracti; & tamen eorum gratia nutauit quaſi ab intrinſeco: nec aliis acquieſco, qui hanc confirmationem in gratia proueniſſe aiunt in B. Virgine, ex eo quòd extincto fomite; remotis procul ſuggeſtionibus, & ingenita cupiditate oppreſſa, per ſingularem Dei protectionem, tum ob contemplationem, & amorem actualem ſummi boni, in gratia dicitur obfirmata: Hæc enim non ſufficere infra oſtendemus.

Ad cõfirmationẽ in gratia non ſufficit ablatio fomitis peccati.

Cenſeo illum ſolum dicendum confirmatum eſſe in gratia, quem Deus per reuelationem confirmat ipſo perſeuerantiæ finalis dono. De quo videndus Vaz. in 1. p. d. 90. 1. 2. & in 2. 2. diſputat.

Vaz.

200. cap. 5. vbi perſpicuis verbis docet in gratia confirmatos ſolùm diſſidere à prædeſtinatis in gratia finali decedentibus, quia primi habent ſuæ perſeuerantiæ finalis in gratia reuelationem, quam non habent alij prædeſtinati; quæ doctrina explicari poteſt ab exemplo: ſi enim aliquis iter facturus per inuiam, vaſtámque eremum graſſatoribus obuiam, latrociniis obnoxiam, diſcriminibus patẽtem, ſi hic habeat à Deo reuelationem, incolumem ſe facturum iter, tutúmque ad patriam remeaturum; tametſi comites via illa illæſi, ac tutò gradiantur, non tamen ſine formidine, ac tremore: qui verò reuelationem hauſit, ſecurus & alacer iter illud dimetitur, ſpe erectus, viribus confirmatus, animóque gaudens: ita etiam in præſenti aſſerendum eſt, confirmationem in gratia deſumendam à reuelatione facta ipſi confirmato, ipſius in gratia perſeuerantiæ finalis. Poſita igitur reuelatione, ſufficiens conſtituitur diſcrimen inter vtrumque donum perſeuerantiæ finalis, & in gratia confirmationis; non enim neceſſe eſt, vt confirmatus in gratia diſcriminetur ab aliis prædeſtinatis in efficacia, ac virtute auxiliorum, quia hæc æqualis eſſe poteſt in vtriſque: ergo ſat erit, quòd differat in eo, quòd perſeuerandi donum ſibi omninò ſecurum, ac certum habeat, hanc autem ſecuritatem in gratia confirmatus ex reuelatione ſolùm haurire poteſt: quæ quidem omnia maius bonum, ac beneficium important, non tamen maius auxilium in ordine ad efficaciam; quam doctrinam, quamuis refellat Suarius, probabilem tamen cenſet tom. 3. de gratia, lib. 10. c. 8. Huius etiam ſententiæ aſſertor eſt Molina 1. p q. 14. art. 13. diſp. 18. Balthaſar Aluarez primarius Theologiæ Profeſſor Academiæ Eborenſis, hanc tuetur ſententiam; aiunt enim, confirmationem in gratia ſupra perſeuerantiæ finalis donum, tantùm addere certitudinem ex reuelatione, apponúntque exemplum ſatis appoſitum, nempe beneficium aliquod confirmatum, ſupra non confirmatum, ſolum addit certitudinem contentam in litteris ipſius beneficij de non ampliùs amouendo, aut repellendo iure illo fructus percipiendi.

Confirma. in gratia diſſidet ab aliis prædeſtinatis, quia habet reuelationẽ ſuæ perſeuerantiæ finalis.

Suar. Molin. Aluar.

Quæ doctrina à nobis propoſita eò magis arridet, quia oppoſita, quam tutatur Suarius, non ſat explicat, quomodo donum perſeuerantiæ differat à confirmatione in gratia: ſi enim confirmatus in gratia, nulla alia re diſcriminetur ab his qui gaudent perſeuerantiæ dono, niſi quia in gratia confirmatis dantur auxilia efficaciſſima per illuſtriores intellectus illuminationes, & ardentiores voluntatis impulſus; aliis verò prædeſtinatis minora conferuntur auxilia, efficacia tamen: Hinc planè infertur, omnes ferè, qui in gratia finali decedunt, eſſe confirmatos in gratia; ſi enim inter ſe componantur, reperientur plures, quibus vberiora collata fuêre auxilia ad vincendas & propulſandas ſine vlla vi tentationes: ergo ſaltem hi, ſi conferantur cum aliis, quibus minora præſtita fuêre auxilia, rectè dici poterunt in gratia eſſe confirmati; præſertim cùm auxilia in entitate minora, moraliter maiora reputentur; ſi exhibeantur talibus circumſtantiis temporis, cõplexionis, affectus maioris, ſeu minoris, vt rectè docet ipſe Suarius in opuſculis, in reſolutione de auxilio efficaci, n 48. 1186.

Hæc gratiæ confirmatio nequit conſiſtere in auxiliis vberioribus.

Roboratur ampliùs hæc ſententia, refellendo modos alios minus idoneos explicandi donum confirmationis in gratia; neque enim dici poteſt

Aliæ ſententiæ refelluntur.

eſſe

esse decretum Dei de protegendo confirmatum in gratia, vsquedum è vita decedat, hoc enim decretum rectè in omnes prædestinatos extenditur, & tamen nequaquam dici possunt omnes in gratia confirmati. Nec confirmatio in gratia rectè dicetur perseuerantia finalis in gratia à prima gratiæ infusione sine vlla interruptione: Aliquis enim, & plures ex Apostolis post primam deperditam gratiam, in gratia confirmati permanserunt, & plures sine vlla interruptione gratiam custodierunt, nec tamen in eadem gratia censeri possunt confirmari. Præterea dici non potest, perseuerantiam finalem in eo differre à confirmatione in gratia, quòd hæc ad longum temporis spatium protenditur, perseuerantia verò ad breue: hoc enim discrimen & accidentarium valdè est, & liberè confictum, quis enim assignare poterit tantam temporis longitudinem plus minúsve requisitam, vt de perseuerantia ad confirmationem detur regressus.

Confirmato in gratia nō adimitur libertas ad peccandum. Demum displicet Gregorius de Valentia de gratia, disp.8.q.3.p.3. docens confirmationem in gratia in eo sitam esse, quòd confirmatus in gratia nequeat delinquere mortaliter: solùm enim relinquitur ei libertas ad benè operandum, & ad peccandum venialiter: perseuerantiam verò totam relinquere libertatem; displicet, inquam, quia hic explicandi modus aduersatur Paulo in

1.Cor.9. gratia confirmato, & asserenti 1.Cor. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Quamuis enim certus erat, se vsque in vitæ finem in gra-

Salme. tia perseueraturum, vt ait Salmeron ad ea verba,

And.Vega. & Vega in Tridenr. c.1. quia tamen nullum in se priuilegium, aut donum libertatem ad peccandum tollens experiebatur, imò agnita in se libertate ad delinquendum etiam lethaliter, ad corporis flagellationem, carnísque castigationem confugiebat.

1187. Arbitror ergo, confirmationem in gratia supra magnum perseuerantiæ donum, nihil aliud addere præter reuelationem; nihil enim addit intrinsecum influens ad salutem, sed solùm est fauor maximus in prædestinatum exhibitus, ac supremum beneficium, vltra quod nequit in via maius excogitari, quod citra perseuerantiam finalem solùm superaddit ipsam reuelationem ipsi prædestinato factam de eius perseuerantia finali, nulla addita maiori gratia, nec auxilio. Confirmatio ergo in gratia dicit immobilitatem, & in ipsa gratia durationem; sed hæc immobilitas in statu gratiæ, non dicit necessitatem non peccandi in voluntate sitam, vt dixi: ergo solùm residere poterit in intellectu per certitudinem reuelationis.

Suar. Insurget aliquis ex Suario lib.3. de prædestinatione, in fine, & tom. 3. de Gratia, qui existimat consistere posse confirmationem in gratia sine reuelatione, vt patet in Baptista, ac reliquis Apostolis, qui iuxta communem Doctorum sensum in gratia confirmati fuêre: at illos reuelationem ha-

uerat, atque adeò in gratia finali decessurum. Quod roboratur ex Gregorio Nazianzeno orat. 39. asserente: *Ego à te debeo baptizari, addo, & pro te, (exploratum enim habebat, fore vt martyrio baptizaretur.) & tu venis ad me: hoc quoque propheticum; futurum enim norat, vt quemadmodum post Herodem Pilatus fureret, ita quoque eum prius vita functum Christus sequeretur.* Idem docet Vaz. in 1.2. disput. Vaz.
200.c.5. in fine, de Paulo, & aliis Apostolis, habuisse scilicet reuelationem suæ perseuerantiæ finalis.

Quæ omnia ex eo produximus, vt apertè demonstraremus, Virgini Deiparæ reuelationem 1188. suæ prædestinationis certissimè fuisse factam, nempe vt adhuc viatrix, status beatitudinis, qui omni securitate, & firmitudine innititur, particeps fieret; non enim solùm in statu naturæ integræ, & innocentis, sed etiam quodammodò in statu naturæ beatæ, quoad omnimodam securitatem, & in gratia perpetuitatem condita est. Fuit ergo Beata Virgo in gratia confirmata ab instanti suæ Conceptionis, tanquam omnium prædestinatorum, & in gratia confirmatorum Primiceria post Christum. Vaz.1.p.disp.90.cap.2. n.7. hæc habet: *Cæterùm B.Virgo, & Apostoli super alios prædestinatos hoc solum priuilegium obtinuerunt, quòd suæ perseuerantiæ reuelationem habuerint, ex qua certissimè credebant, se nunquam gratiam amissuros.* Subditque, Virginem Deiparam illud peculiare priuilegium nactam, vt per singula opera, ea gratia congrua præueniretur, ac præmuniretur, quâ nec venialiter delinqueret; tametsi simpliciter suppositione non facta scientiæ Dei, libera ad peccandum maneret. Videndus Suar.tom.3. de gratia, l.9.c.9. præcipuè verò l.10. c 8.à n.11.P.Azor.tom.2.inst. mor.lib.1.c. 17.q. 15. ait de Virgine Deipara singulari Dei priuilegio nouisse se in gratia confirmatam, & non quomodocumque, sed ita confirmatam vt sciret se nunquam lethaliter peccasse, neque vnquam gratiæ donum amissuram. Huc aduoco illud Prou. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem.* Columnæ in sanctitate firmitudinem adumbrant. D.Bonau.in ser. de B. Maria, ait: *Omni firmamēto firmior est Maria.* Et D.Bernard.ser.3.in *Salue*, in eundē sensū ait: *Omnibus firmamentis firmius firmamentum, tu Domina, tu in medio aquarum diuisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorū ab affectibus tēporalium.* Ideò cœlites in admiratione acti aiebant: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super Dilectum.* Vidésne, cui innitatur scipioni B.Virgo, super Filium Deū; huic fulcimento innixa, cuiusque donis, ac prouidentia sustentabatur in bono; nulla igitur ruina pertimescenda, nullus casus metuendus. Affirmat etiam Valentinus Herize in 1 p.d.24.c.3.n.51. B. Virginem suam prædestinationem calluisse, cum S. Ansel. lib. de excel. Virg.c.7. vbi ait accepisse B. Virginem ea hora, quâ Filium concepit, suæ prædestinationis, & super omnes Angelorum choros exaltationis certam, ato; indubitatam reuelatio-

B. Virgo confirmata fuit in gratia. Vaz. Suar. Azor. Sap.9.1. Bonau. Bernard. Cant.8.5. Herize.

ptionis reuelationem hanſerit ſuæ Prædeſtinationis? Firmatur, quia S. Ioannes Baptiſta habuit ſimilem reuelationem in vtero matris in prima ſanctificatione; ergo & B. Virgo in primo ſui Conceptus inſtanti. Antecedens docet Suar. tom. 3. de gratia libro 10. cap. 8. vbi hæc habet: *Dicunt ſancti Patres, Apoſtolos fuiſſe confirmatos in gratia in die Pentecoſtes, & multi dicunt Ioannem Baptiſtam fuiſſe confirmatum in gratia in vtero matris.* Quò reſpicere videntur verba Cyril. Alexand. lib. 2. Theſau. cap. 3. vbi ait: *Quando Ioannes prophetico Spiritu, quo repletus erat ex vtero matris ſuæ, nudum iam imminere ſibi gladium vidit.* Vbi mortem pro Chriſto perpeſſurum præſciuiſſe docet; imò vlteriùs arbitror, B. Virginem præſciuiſſe ſe Deum parituram: quod ſuaderi poteſt, quia erat ſacræ Scripturæ aſſueta, ſacrorum Bibliorum lectioni ſemper inuigilans, alta manebat mente repoſtum Vaticinium illud Iſai. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Ibi Virgo cum fœtu, Mater cum Virginitate coniungitur, quod nomine Mariæ præſignificabatur, vt author eſt Ambroſius; ſignificat enim, *Deus ex genere meo.* Quid ergo proprij nominis ſignificatum ignoraniſſe credemus? quæ intelligentias ipſas cognitione & ſcientia rerum omnium ſuperauit: ideò huius ſententiæ patronum adſtruo S. Ildephonſum ſer. 1. de Aſſump. Virginis. *Sciebat*, inquit, *Dei Genitrix in artem Diuinæ contemplationis aſſumpta, Danidicis docta teſtimoniis proceſſurum ex ſe Dominum, tanquam Sponſum de Thalamo ſuo: non enim dubitabat ad ſe pertinere Spiritus ſancti illuſtrata lumine, quod Iſaias Propheta dixerat: Ecce Virgo concipiet.*

Ioannes Baptiſta in vtero Matris habuit reuelationem ſuæ prædeſtinationis. Suar.

Cyril. Alex.

B. Virgo præſciuit per reuelationem, ſe Deum parituram.

Ildeph.

Hæc itaque confirmatio in gratia Deiparæ præter auxilia congrua & efficacia, quibus amor Diuinus, & reliquarum virtutum operationes inualuerunt, eámque in bono ſolidarunt; tum præter extrinſecam protectionem à Deo, & ingens perſeuerantiæ finalis donum, nihil aliud ſuperaddit præter vnam perſeuerantiæ finalis in bono reuelationem. Quòd ſi obiectaueris, talem reuelationem ſupponere confirmationem in gratia, eo modo, quo cognitio ſupponit obiectum ſuum, quia confirmatio ipſa vt infallibiliter futura reuelatur; ergo confirmatio non fit per reuelationem, ſed ſolùm agnoſcitur. Quòd ſi quis dicat reuelari perſeuerantiam futuram, & per reuelationem tranſire in confirmationem. *Contra eſt*, nam donum confirmationis in gratia eſt illud, quod homini dat vires, quibus infallibiliter firmatur in bono; reuelatio autem non firmat in bono, ſed firmatum ſupponit. *Reſpondeo* reuelationem non ita ſupponere confirmationem in gratia, vt ſine reuelatione detur, niſi ſolùm quoad intrinſeca: completur autem per extrinſecum fauorem reuelationis factæ, quæ reuelatio ita firmat in bono, vt omninò reddat ſecurum de non amittenda gratia finali, ſed confirmatum in illa. Quam autem impotentiam ad peccandum diceret confirmatio in gratia B. Virginis, commodius ſequenti congreſſu exagitabimus.

* * *

CERTAMEN XI.

Vtrùm B. Virgo fuerit impeccabilis, & quo pacto?

SVpponimus ex alibi dictis priuilegium immunitatis ab omni culpa actuali collatum 1190.
fuiſſe B. Virgini, quia ita decebat ad Maternitatis Dei dignitatem euectam; huius autem rei congruentiæ aſſignantur à Patribus, quos conſule apud Salazar de Concept. c. 26. & 25. Addit Suarius tom. 2. in 3. p. d. 4. ſimpliciter ac formaliter loquendo non magis fuiſſe impeccabilem poſt ſecundam ſanctificationem, hoc eſt poſt gratiam acceptam in Filij Conceptione, per quam actu, & phyſicè reddita eſt mater, quàm poſt primam, quando in primo creationis inſtanti, originali iuſtitia donata eſt, nam licèt tunc reipſa non eſſet Mater Dei, erat tamen iam ob æternam, & infallibilem præordinationem electa in Chriſti D. Genitricem: præfinita enim fuit ante præuiſa merita ipſius, vt Chriſti parens eſſet, licèt in executione per propria merita adeptura eſſet, vt Mater Dei exiſteret: ob hanc igitur electionem in dignitatem Genitricis Dei efficacem in ipſo inſtanti ſuæ Conceptionis, moraliter Mater Dei cenſebatur, antequam Verbo Diuino carnem in vtero ſubminiſtraret, illúdque hominem factum conciperet; atque adeò in eodem ſuæ Conceptionis momento ipſa B. Virgo gratiæ, ac donorum plenitudinem accepit, iuſtitia originali cohoneſtata fuit, peccati debitum non contraxit à fomite peccati immunis fuit, aliaque priuilegia ſortita, quæ toto hoc opere fusè tradidimus; ſic enim decebat talibus communiri præſidiis, eiuſmodi ditari muneribus, ac priuilegiis eam, quæ infallibiliter, ac irrefragabili Dei decreto, Dei Genitrix erat futura: Cum autem hæc Dei maternitas, iuxta communem opinionem, nec ſic forma ſanctificans, nec pugnet cum peccato & culpa, ſolùm erit remotè, & in radice cauſa huius priuilegij in ipſa B. Virgine, quod docuit S. Anſel. lib. de Concept. Virg. & de peccato originali c. 18. vbi ait: *Quamuis de mundiſſima Virgine Filius Dei veriſſimè conceptus ſit, non tamen hoc ea neceſſitate factum eſt, quaſi de peccatrice parente iuſta proles rationabiliter generari per huiuſmodi propagationem nequiret; ſed quia decebat, vt illius hominis Conceptio de Matre puriſſima fieret.* Peruestiganda igitur eſt hoc loco ratio formalis, quæ proximè, & formaliter reddiderit Virginem B. ab omni peccati labe immunem.

Salaz. Suar.

B. Virgo in inſtanti ſui conceptus moraliter Mater Dei cenſebatur.

Anſel.

Dupliciter autem præſens quæſtio exagitari poteſt. Primò, ita vt B. Virgo fuerit impeccabilis per impoſſibilitatem antecedentem, vt vocant, videlicet per coactionem liberi arbitrij, illud ad vnum determinando; ita vt oppoſitum nequeat operari voluntas. Alio modò poteſt contingere per impoſſibilitatem conſequentiæ, quæ libertatem non lædit, imò intactam, integramque relinquit. Plures aſſeruerunt B. Virginem primo modo, ſcilicet per impoſſibilitatem antecedentem formaliter fuiſſe impeccabilem, ita vt nunquam in culpam aliquam, nec leuem labi potuerit, quia nulla ipſi poteſtas, vel libertas fuerit peccandi. Ita ſentiunt apud Vaz. tom. 2 in 3. p. d. 120.

B. Virgo iuxta aliquos DD. fuit impeccabilis, quia ablata fuit poteſtas peccandi.

Oçam.

Ocam. Gabriel. Almain. Bonau. Rich. Palud. Alex. Marsil. Suar. Ocam. Gabriel, Almain. D. Bonau. Richard. Palud. Alex. Marsil. quorum rationes, ac momenta rectè ponderat Vaz. quorum Authorum authoritas sufficit, ait Suarius tom. 3. de gratia, lib. 10. c. 8. n. 13. vt hæc sententia nulla inuratur censura, sed suam probabilitatem contineat: Quia priuilegia Mariana longè sunt excellentiora, præsertim quæ ad immunitatem à peccato spectant, eam enim omni perfectione possibili ipsi Virgini fuisse concessam meritissimè credendum est.

1191. Herice verò in 1. p. tract. 3. disp. 24. c. 3. n. 29. affirmat B. Virginem ad statum impeccabilitatis fuisse euectam, quia ita fuit confirmata in gratia, vt quasi contineret necessitatem non peccandi: vidit ergo Deus per scientiam conditionatam, B. Virginem illis congruis gratiis, & auxiliis excitantibus, & cooperantibus, quibus de facto fuit præuenta, & munita, nunquam lapsuram in peccatum vllum siue mortale, siue veniale. Deinde cognouit Deus eadem scientia ipsius impeccabilitatem, & libertatem, si negaret omnem concursum generalem ad entitatem peccati, quando adessent occasiones, & immineret peccatum: per hanc ergo scientiam mediam sibi complacebat Deus in tota Marianæ vitæ periodo futura sub conditione, non solùm sine vllo peccato actuali, sed etiam sine potentia ad illud, propter denegationem concursus generalis Diuini: ex hac ergo complacentia, contulit Deus illas gratias, dona, auxilia, & præsidia B. Virgini, & denegauit omnem concursum generalem ad entitatem cuiusvis peccati, & simul intendit certum gloriæ gradum ex vi coronæ, & mercedis. Ex vi cuius Decreti mansit B. Virgo confirmata in gratia, & sine potentia ad peccandum ab instanti Conceptionis; sicut enim ab hoc instanti fuit præseruata à culpa originaria propter electionem ad dignitatem maternitatis Dei: ita etiam ab eodem instanti Conceptionis Deus præparauit illi omnes gratias, & præsidia pro toto vitæ curriculo ad continuè merendum sine interruptione, & simul decreuit illi negare generalem concursum ad peccandum; ideóque ab initio Conceptionis fuisse impeccabilem, non minùs decuit B. Virginem, quàm priuilegium originalis Iustitiæ: & quemadmodum humanitas Christi D. quia Verbo Diuino vnita, erat essentialiter impeccabilis; ita B. Virgo, quia futura erat Mater Dei, debebat esse impeccabilis ex priuilegio. Rectè enim potuit conferri Deiparæ certa gloriæ mensura cum dignitate præmij, licèt esset impeccabilis, quamuis enim non esset libera ad peccandum, manebat tamen libertas illæsa ad eum meritorum valorem; potuit ergo esse impeccabilis simul cum electione illa libera ad illa merita, vt patet etiam in Christo D. qui cum omnimoda impeccabilitate liber erat ad meritum.

Herice. *B. Virgo ideò impeccabilis, iuxta Hericе, quia Deus suspendebat concursum ad peccatum.*

Vaz. P. Vaz. tom. 2. in 3. p. d. 120. c. 2. contendit hoc priuilegium impeccabilitatis prædicto modo à Doctoribus suprà citatis explicatum, non solùm non extitisse in B. Virgine, sed etiam nec de potentia Dei absoluta posse concedi, ita ut ea peccare nequeat cum deliberatione. Paludanus in 3. d. 3. q. 2. art. 4. censet ablatam fuisse in B. Virgine potentiam peccandi venialiter per habitum aliquem infusum; sed meritò displicet iste modus, nullus enim habitus imponere potest voluntati necessitatem ad operandum. De quo videndus Suar. tom. 1. de gratia, Prolegom. 1. & tom. 3. lib. 10. c. 8. n. 15. Suar.

Richardus de S. Victore in lib. de Emanuele, c. penult. ait induci illam impotentiam ad peccandum in B. Virgine per actus amoris erga Deum, qui ab instanti Incarnationis adeò in eo vires resumpserunt, vt omninò eam in bono solidarent, vt in posterum nec leui defectu nutare posset: sumitque argumentum in capite vlt. ab statu Beatorum, quem quoad hanc partem participauit Deipara, vt ait ille: nulla tamen actuum amoris perfectio, ac frequentia per se sola potuit esse adæquata ratio ad tollendam omninò libertatem, ac potentiam ad peccandum: siquidem amor Dei quantumuis feruentissimus tametsi dum actu est, excludit omninò omne peccatum veniale actuale, cùm tamen amor ille non sit necessarius, vt supponimus, sed liber; non potest omninò adimere potentiam ad peccandum, licèt illam minuere possit: si enim liberè exercetur; ergo liberè potest voluntas illum intermittere, aut suspendere: ergo in suspensione, & feriatione illa voluntas non impeditur ad venialiter peccandum; siquidem actus amoris præteritus nullam pugnantiam dicit cum peccato veniali: actus autem amoris in Beatis omninò est necessarius, ideóque indefectibiliter constituit voluntatem actu summo bono inhærentem, & rectæ rationi omninò conformem. Nisi dixeris, potuisse Deum cogere voluntatem B. Virginis ad iugem, & actualem Dei amorem; quod præstare potuisse Deum arbitror contra eundem Vaz. citatum, nempe de potentia absoluta. Quod de facto non præstitisse Deum erga Virginem Mariam certum reor, conducibilius enim multò erat ipsi Deiparæ viatrici liberos amoris Dei actus elicere, quàm necessarios, sin minus eius meritis maximum præiudicium inferretur, multúmque ipsius merita pene infinita per actus amoris Dei parta extenuarentur.

Actus amoris feruentissimus liber nō adimit potentiā ad peccandū.

Quartus modus suprà ab Herice assignatus, nempe inducens impotentiam ad peccandum in B. Virgine per subtractionem concursus ad omne peccatum, quem etiam defendunt Ocamus, & Gabriel, impugnatur etiam à Vaz. aítque esse impossibilem in ordine ad peccata omissionis; peccata siquidem, quæ actu positiuo patrantur, nequeunt fieri sublato Dei concursu ad illos actus: At peccatum omissionis non requirit actum, ideóque etiamsi negetur concursus ad actum, poterit voluntas delinquere per liberam suspensionem actus, quia ad illam voluntas non indiget concursu. Certum tamen arbitror, posse Deum necessitatem inferre in bono, puro homini; ita vt peccare nequeat, seruata tamen libertate ipsius in singulis actibus: quod suaderi potest exemplo animæ Christi, quæ peccare nullo modo 1193.

Suspensio concursus ad peccandum non tollit potentiam ad peccandum peccato omissionis.

donum, quo proximè, & formaliter confertur: vnde seclusa etiam Hypostatica vnione, potest reddi voluntas impeccabilis per talem donum, seu formam. Quod à simili rectè declarari potest; fomes enim peccati non fuit in Christo, nec esse potuit, ratione vnionis Hypostaticæ ad Verbum, cùm tamen non fuerit impeditus in Christo formaliter per illam vnionem, sed per aliquid aliud siue per gratiam consummatam per visionem Beatã, siue per aliam virtutẽ internam simul cum speciali Dei protectione. Quæ omnia rectè conferri poterunt appetitui humano, siue voluntati sine vnione Hypostatica, à qua illa non dependerent. Eodem modo dicendum est de illo dono, siue priuilegio, quo voluntas Christi reddita fuit impeccabilis cum libertate relicta ad benè operandum; si enim illud fieri potuit in Christo, etiam conferri potest sine vnione; hoc discrimine, quòd humanitati vnitæ vnioni hypostaticæ illud donum, seu priuilegium esset ipsi connaturale, non autem humanitati non vnitæ cum Verbo; non enim magis repugnat illud priuilegium in voluntate B. Virginis, quàm in ipsa voluntate Christi; quippe quidquid difficultatis occurrerit circa tale priuilegium in Virgine Deipara, occurrit, ac militat in Christo D. præcipuè illud quod suprà obiiciebatur de peccato omissionis, quod vrgeri posset in Christo, de quo videndus Suar. tom. 1. in 3. p. q. 19.

1194. *Suar.* *Impeccabilitas orta ex denegatione concursus generalis ad peccandum, deneganda est Mariæ.*

Censeo nihilominùs hunc impeccabilitatis modum non attribuendum B. Virgini. Ita Suar. tom. 2. in 3. p. disp. 4. sect. 4. & tom. 3. de Gratia lib. 10. cap. 8. num. 19. quia hic modus multùm Virgineo merito detrahit, quia quò magis peccandi potestatem tollit, eò magis meritum extenuat; quod enim B. Virgo à se leues culpas auerterit, quòd omne malum obiectum propulsauerit, ipsi non laudi habendum, nec merito, siquidem non potuit transgredi, nec facere malum, quid ergo mirum, quòd illud non fecerit, nec vnquam transgressa fuerit. Deinde, quia potuit Deus Deiparam immunem seruare ab omni peccato etiam veniali, vt statim ostendam, nempe per auxilia congrua, simul cum eximia gratia, & carentia fomitis; posita enim hac habituali perfectione, cum remotione impedimentorum poterat per cogitationes congruas Virgineam voluntatem ita moderari, ac dirigere, vt infallibiliter in bonum semper ferretur; quare impeccabilitas illa orta ex denegatione concursus generalis, cùm nihil ad puritatem, vitæque innocentiam conferret, & alio ex capite libertatem, ac meritum B. Virginis extenuet, ac lædat, omninò à voluntate Mariana ableganda est.

Omnis alia impeccabilitas antecedens tollens libertatem, deneganda est in B. Virgine.

Ob easdem rationes, improbandi sunt duo alij modi attribuendi hanc impeccabilitatem antecedentem, ab aliquibus Recentioribus excogitati. Alter est, nempe quòd potuerit hæc impeccabilitas B. Virgini contingere, inditâ illi scientiâ per se infusâ supernaturali, quâ semper perpenderet vehementiùs peccati turpitudinem, honestatémque virtutis, nec posset pro libito applicare intellectum ad alium cogitatum intensiorem. Hoc modo esset destituta principiis necessariis ex parte intellectus, ne posset distrahi ab illo virtutis obiecto, qua ratione diceretur impeccabilis antecedenter, & ab intrinseco, stando opinioni asserentium non posse dari peccatum, nisi cum ignorantia, aut defectu alio in intellectu. Alij deferunt B. Virgini impotentiam ad peccandum, itavt in ea non fuerit potestas physica ad delinquendum, quia tametsi per gratiam habitualem, quæ fide mouetur, estque communis cum nostra, non fuerit ab intrinseco impeccabilis: verùm nihil vetabat per aliam gratiam habitualem alterius speciei, quæ mouetur per scientiam infusam, reddi ab intrinseco impeccabilem: Sed arbitrant, licèt gratia infinita B. Virgini infunderetur, nunquam tamen potestatem peccandi illam ablaturam. Quid quod gratia nullam pugnantiam dicit cum peccato veniali, & rationes §. superiori allatæ militant etiam contra vtrumque istum dicendi modum.

Assero ergo primò; B. Virgo habuit moralem impotentiam ad peccandum. Probatur, quia dignitas Matris Dei id deposcebat, & Christus optimi filij munus adimplere debebat; atque adeò talibus oppignorare priuilegiis, & auxiliis, vt moraliter delinquere non posset, vt hac ratione sine libertatis dispendio, & meriti præiudicio longè à Diaboli, & peccati seruitute abesset. Secundò maxima puritas naturâ suâ longiùs à peccato distat; atque adeò exigit aliquam impotentiam delinquendi, recessus autem à peccato per impotentiam peccandi proculdubio ad maiorem spectat puritatem; sed plures Scholastici censent cum S. Anselmo, Mariam ea puritate nitere oportuisse, quâ maior alia infra Deum concipi nequeat: ergo hoc priuilegium hausit moralis impotentiæ ad delinquendum. Si verò Maria moraliter delinquere potuisset, licèt solùm venialiter, iam alia maior puritas infra Deum concipi posset. Rursus B. Virgini, quà Mater Dei, debita fuit impeccabilitas; nam maternitas Dei licèt non esset formaliter, tamen petit sanctitatem inamissibilem; at sanctitas, & gratia, quæ amitti nequit, secum includit impeccabilitatem aliquam, non physicam antecedentem, vt vidimus; ergo moralem: nam ex natura rei, & ex potentia ordinaria, & lege Dei omnis sanctitas sibi adsciscit diuisionem, ac seiunctionem à peccato. Quare tenebatur Deus prouidere Dei Matri efficacissima quæque auxilia, quæ illam longissimè à peccato, & culpa auocarent, vt ritè colligit Augustinus lib. de natura, & gratia cap. 36. *Inde enim scimus*, ait, *quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

1195. *B. Virgo habuit moralem impotentiam ad peccandum.*

Aug.

Hæc autem impotentia adhuc declarari magis potest: Videns ergo Deus Maternitatem Dei omninò dedecere peccatum omne, eo ipso quòd Maternitatem voluit, virtualiter saltem voluit repugnantiam illam cum peccato, sicut cùm Deus vult gratiam infundere, vult etiam eam repugnantiam cum peccato, quia scit incompossibilitatem reperiri inter gratiam, & peccatum. Addo sicut prædestinatus in sensu composito nequit damnari; ita Virgo Maria composita cum Maternitate Dei peccare non poterat. Et ratio est, quia Iustus, quia filius est Dei adoptiuus, compositus cum filiatione Dei nequit delinquere lethaliter, cùm tamen hæc filiatio solùm sit impropria, & metaphorica: ergo multò minùs Virgo Maria composita cum maternitate Dei naturali ac propria, non poterit grauiter delinquere, cùm non possit deperdere illam maternitatem. De peccatis venialibus non ita vrgent hæc Argumenta, ex aliis autem capitibus id suaderi posset; Tum quia Christus nequit peccare, si verò Maria delinque-

ret,

ret, videretur Filius contra pietatem delinquere, non obseruando leges prouidentiæ erga Matrem charissimam in his, quæ ita dedecent summam puritatem, qualis est in Maria. Inferat aliquis ex dictis, ergo Christus non potuit auorum peccata permittere, videretur enim delinquere contra pietatem. *Respondeo* id non sequi; est enim maximum discrimen, quia Pater, & Mater sunt principium proximum influens in filios, quibus immediatè per identitatem coniunguntur: at Aui, & Proaui sunt principium remotum nepotis immediatè non influens in illum; ac proinde diuerso modo de his loquendum, atque de Parentibus.

1196. Cant. 1.4. Nonnulli hanc ad peccandum impotentiam in Virgine Matre deducunt ex verbis Sponsæ: *Trahe me post te*; ita tamen vt cum D. Thom. & aliis Theologis, qui vt adstruant confirmationem in gratia in B. Virgine, asserunt ipsi inditam fuisse aliquam necessitatem ad virtutem insectandam, ne diceretur aliquando voluntas B. Virginis ad malum vnquam propendisse, vel nutasse: Si tamen nobiscum sentias, qui confirmationem in gratia in eo sitam esse statuimus quoad intrinsecum, nempe in specialissimis auxiliis, & perseuerantia finali, addita reuelatione extrinseca ipsius perseuerantiæ; asseres quòd iis auxiliis præuenta B.Virgo, per singula momenta in bonum impellebatur: & hoc sensu dicit, *Trahe me post te*, vel rape me, quia iugis ad bonum excitatio, & amor non intermissus Dei, dicitur raptus

Dion. Areop. quidam, quia eius animus. Ad superna rapiebatur, auocatus à terrenis; ait enim D. Dionys. vt alibi dedimus: *Est vtique raptum, & ecstasim faciens Diuinus amor.* Quod beneficium inter reliqua priuilegia Virgini B. collata arbitror specia-

Nazianz. lissimum, ac præstantissimum, vt aiebat Nazianzenus de Baptismo verba attexens orat. de Baptis. *Baptismus*, ait, *omnium Dei beneficiorum præstantissimum est, & præclarissimum.* Sed cuius Baptismi magnitudo, & præstantia maior fluminis, an Sanguinis? Sed arbitror Martyrium, quod est Baptismus sanguinis longè antecellere Baptismum fluminis, quia licèt communis Baptismus aquæ sordes peccatorum abluat, delicta interimat, gratiam infundat, verùm Martyrium non solùm à peccatis abluit, sordes emaculat, errata delictorum obliterat, sed etiam cùm vitæ periodum absoluat, id specialiter præstat, vt non solùm præteritas culpas aboleat, sed & futuras præcaueat, & impediat; ita vt in posterum peccandi formidinem radicitus auellat: quod speciale priuilegium est solius Baptismi per Sanguinem; communis siquidem aquæ Baptismus futurorum peccatorum potentiam non amputat, vnde præstantior est Baptismus Sanguinis, quàm Fluminis.

Orig. Cui sententiæ assentitur Origenes homil. 7. ad

Præstantius est Baptisma Sanguinis quam Flu- cap.6.Iudic. *Vereor*, inquit, *ne istud Baptisma eminentius sit illo Baptismate, quod per aquam creditur; illo enim accepto valdè pauci sunt. ita beati qui id*

ab omni potentia, & formidine delinquendi libera, per quod priuilegium non solùm delictum originarium declinauit, sed in posterum peccata omnia actualia, quantumuis leuissima præcauit. Huc faciunt verba S.Bonauent.in 3.dist.3.part.1. Bonau.
art.2.q.3. *Cùm Sanctum*, inquit, *Sanctorum gestauit in vtero suo, tunc sanctificata fuit conformiter Filio suo, non tantùm quantum ad impotentiam ad peccatum, sed etiam quantum ad impossibilitatem labendi in aliquod peccatum; vnde sicut impossibile fuit propter honorem Filij sui, vt alium haberet filium, sic impossibile fuit, vt vnquam vlteriùs haberet peccatum: sicut etiam impossibile fuit, vt carnis Virginitas violaretur, in qua filius Dei habitauerat; sic impossibile fuit, vt mentis sanctitas aliqua culpa macularetur.*

Assero secundò: Ex eo B. Virginem fuisse immunem formaliter ab omni culpa, quia ferebatur sine vlla intermissione actu feruentissimo charitatis in Deum summè bonum, perfectissimè cognitum per actum scientiæ infusæ; quem actum charitatis à primo Conceptionis momento exercuit, ac toto vitæ curriculo in ipso permansit, vt docet Vasq.tom.2.in 3.p.disp.118.cap.vlt.vbi ait: *Verùm, vt virtute huius contemplationis in B.Virgine prædicti motus nunquam orirentur, deberet esse in ea continua, & indeficiens contemplatio, & feruor charitatis in Deum, quod quidem ita fuisse non improbanda ratione credi potest, cùm ad dignitatem ipsius id pertineat, & principiis Fidei non aduersetur.* S.Aug. 1197. *B. Virgo ex eo fuit formaliter immunis ab omni culpa quia actum feruentissimum amoris in Deũ nunquam interrupit.* Vasq.
id confirmat relatus à D. Bonauent. in speculo cap.14. *Quis, ait, dubitare potest omninò in charitatis affectionem transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit.* Vbi S.August. B. Virginem non tam Aug.
diligere, quàm in ipsius dilectionis naturam transisse affirmat, & S.Ildephonsus orat.1.de Assumpt. Ildeph.
ait: *Mariam velut ignis ferrum, Spiritus sanctus totam decoxit, incanduit, & igniuit, ita vt in ea Spiritus sancti flamma tantùm videatur, nec sentiatur, nisi tantùm ignis amoris Dei.* Nec lassitudine, aut defatigatione ex iugi in Deum attentione, & amore ab his actibus feriabatur, nec per tantillum temporis. Benè verò à D.Bonauent. confertur B.Virgo cum Rubo Moysis, qui incombustus ardebat, semper tamen virorem florentem retinuit; ita B.Virgo amoris ardore decocta, nunquam lassitudinem vllam, aut defectionem experta est. Ex hoc ergo iugi, & ardentissimo B.Virginis in Deum amore, assero prouenisse immunitatem ab omni culpa leui; ea enim fuit vis Diuini amoris, vt omnem defectum, vel leuissimum procul abigeret; dum enim amor feruentissimus in animo perseuerat, ita voluntatem, ac libertatem omnem allicit, vt præter obiectum amatum nihil velit; quidquid huic obiecto inuisum, & infensum fuerit, sibi etiam infensissimum videatur: quod satis dilucidè ostendit S. Dionys. citatus, D.Dion.
dum ait: *Est autem mentis secessum, & ecstasim faciens Diuinus amor; amatores suos sui iuris esse non*

1198. Dictis addendum, antecedenter fuisse præuentam B. Virginem singularissima Dei prouidentia, quâ ipsam protegebat, omnia vel leuiter labendi pericula remouens, addita iugi ac interna illustratione, quâ animum ad omnem rectam actionem pulsabat; hæc autem interna ad omne bonum auxilia cum externa illa protectione, præcipuè posito illo actu amoris feruentissimo, ac iugi, sine vlla intermissione, reddebatur Mariana voluntas Moraliter impotens ad delinquendum etiam per leuissimos quosque defectus: illam autem externam protectionem circa Virginem Mariam adstruunt plures Patres: Bernardus serm,
Bern. cuius inscriptio est, Laus Mariæ, ita fatur: *In circuitu eius acies validas spiritualium virtutum, suo se inuicem ordine tuentium, sed & innumerabilium Beatorum spirituum militiam ad ministerium tanta Principis delegatam fuisse nullatenus ambigimus, vtpote qui custodirent lectulum Salomonis, & prouiderent,*
Ansel. *ne preparatum æterno Regi hospitium alienus hospes inuaderet.* It comes Bernardo S. Anselmus lib. de excellentia Virg. cap. 3. *Nulli dubium,* ait, *castissimum corpus, & sanctissimam animam funditus ab omni fuisse macula peccati iugi Angelorum custodia protectam, vtpote aulam, quam suus, & omnium creator Deus corporaliter inhabitaturus erat.* Rationem autem subiungit sanctissimus Præsul: *Vt enim prepotens aliquis aliquò vadit hospitaturus, clientes præcurrunt, locum muniunt, mundant, ornant, & custodiunt, quò venienti Domino suo aptus ad habitandum, & congruus fiat: ad eundem modum, &c.* Huic opinandi modo eò libentiùs acquiesco, quia nulla ratione liberum B. Virginis arbitrium lædit, nec ipsius voluntati vim aliquam infert; nec meritum ipsius extenuat, sed auget. Quem etiam amplectitur Salazar cum aliis, quos citat tom. 2. In Prouerb. cap. 31. num. 137. Affectatur etiam Christophorus de Castro in vita Deiparæ cap. 2. n. 6. Vbi hæc habet, quæ nostram thesim mirificè declarant, & confirmant: *Singulare siquidem quippiam Virgini tribuendum est, vt profectò debet, hoc vnum speciale est priuilegium, quo nunquam potuerit, nec leuiter peccare. Fuit autem hoc donum, Gratia cum virtutibus animæ Virginis insita cum singulari Dei prouidentia, quæ illi aderat, eamque vallabat vndequaque exterius, interiusque, ne lædi posset: ex qua effectus omnes prodibant spirituales, quos produxit in Adamo, nata & fomitem extinxit: licèt effectus ad corporis dolores spectantes non abstulerit, vt filio persimilis efficeretur, in quo gratia Virginis Adæ gratiam, & Angelorum superabat Viatorum, quod hæc vim conferebat ne possent peccare, si vellent: at Gratia data est Virgini, ne posset velle peccare; vnde quod Christus D. habuit à natura, Virgo ex ipsius habuit gratia singulari.*

Ob has igitur rationes, & momenta, quæ hic breuiter perstrinxi, censeo B. Virginem non fuisse impeccabilem per impossibilitatem antecedentem physicam: mansit ergo in ea liberum arbitrium omnino illæsum, ac proinde antecedenter physicè labi potuit, ac delinquere, vt probant Suarius, & Vasquez citati, vt enim bene aduertit Vasq. in 1. p. disp. 90. tria sunt, quæ liberum arbitrium præuenire, ac peccandi libertatem adimere possunt à creatura rationali; videlicet, Vnio Hypostatica, Visio Beata, consilij & rationis perturbatio; ac denique concursus generalis ablatio, quæ omnia longè abfuerunt a Virgine Deipara, vt partim docuimus, partim infra dicemus.

FINIS.

R. P.